14
31 C
1

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

14.31.G.1

TRACTATVS
DE ELECTIONE
CANONICA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

FR. LVCAE
CASTELLINI
SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI

IN CELEBERRIMO ALMAE VRBIS GYMNASIO
PVBLICI, PRIMARIIQVE PROFESSORIS,
Totiusq́. Sacri Ord. Præd. Generalis Procuratoris,

De Electione, & Confirmatione canonica Prælatorum quorumcumque, præſertim Regularium.

TRACTATVS:

IN QVO DIFFICVLTATES ENATAE,
quæve oriri poſſunt circa Electionem, Poſtulationem, Confirmationem, Prouiſionem, Inſtitutionem eorundem;

SACRORVM CANONVM, SVMMORVM PONTIFICVM, Conciliorum Theſauris, Declarationum, Deciſionum Vrbis Tribunalium monumentis, Theologorum, Iuriſperitorum placitis, compendioſa, dilucidaque breuitate illuſtrantur.

HIS ACCEDIT QVADRVPLEX INDEX.
I Præludiorum, & Capitum: II. Authorum: III Bullarum, & Decretorum Apoſtolicorum: IV. Rerum notabilium ordine Alphabetico digeſtarum.

Cum Additionibus ad finem operis, ab eodem Auctore ſtudioſe editis.

Ad Inclitum Patriarcham S. DOMINICVM, ſucceſſoreſque ipſius in vniuerſi Ordinis Prædicatorum Magiſtratu feliciter viuentes.

Ex libris Monrij



Fr. Pudentiana de Urb.

TECA NAZ. ROMA

BIBL. PVDEN. DE VRBE

ROMÆ, CVM PRIVILEGIO. Anno Iubilæi M. DC. XXV.
Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti.

SVPERIORVM PERMISSV.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei.

DILECTO FILIO LVCÆ CASTELLINI Magiſtro in Theologia, Ordinis Fratrum Prædicatorum expreſsè profeſſo, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Religionis, Domuſque Dei zelus, necnon literarum ſcientia, vitæq. & morum probitas, ac eximiæ deuotionis affectus, quo nos, & Romanam reuereris Eccleſiam, promerentur, vt honeſta petitionum tuarum vota ad exauditionis gratiam admittentes, ea quæ tuis lucubrationibus, & aſsiduis vigilijs ad orthodoxæ fidei incrementum in lucē emanando proponuntur, grato fauoris noſtri auxilio confoueantur. Hinc eſt quod Nos te qui, vt aſſeris, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum modernus Procurator generalis exiſtis, & ad Catholicæ Fidei propagationem, Sediſq. Apoſtolicæ exaltationem Volumen, cui titulus eſt: *Tractatus de Electione, & confirmatione canonica Prælatorum quorumcunque, præſertim Regularium*, in lucem edidiſti, illudque habita prius à Superioribus ad id poteſtatem habentibus licentia, typis mandare intendis; præmiſſorum meritorum tuorum intuitu, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectū præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes: ſupplicationibus Nobis pro parte tua porrectis inclinati, tibi, vt, ſi & poſtquam dictum Volumen iuxta formam Concilij Tridentini examinatum, & approbatum fuerit, vnum Typographum, ſeu Bibliopolam pro dicti voluminis impreſsione arbitrio tuo *ad viginti annos tantum* conſtituere, & deputare poſsis, & valeas Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper omnibus, & ſingulis in ſtatu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè ſubiectis Typographis, ſeu Bibliopolis, ac quibuſuis alijs perſonis quauis auctoritate licentia, vel facultate fungentibus, ne *ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & mille ſcutorum, ac priuationis librorum impreſſorum* pro vna Cameræ Apoſtolicæ, & pro alia Ty-

pographo, ſeu Bibliopola per te deputando, ac pro reliqua tertia partibus accuſatori, & iudici exequenti irremiſsibiliter applicandis, eo ipſo incurrendis pœnis, volumen prædictum, nec in toto, nec in aliqua eius parte imprimere, ſeu imprimi facere, vel vendere præſumant, auctoritate, & tenore præmiſsis inhibemus: Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſsionis, indulti, inhibitionis, ac Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Tuſculi anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXV. Idibus Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

C. Bernier.

NOS

Digitized by Google

NOS Fr. Seraphinus Siccus Papienſis, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis. Tenore præſentium noſtri auctoritate officij facultatem concedimus Admodum Reuerendo Patri Magiſtro Fr. Lucæ Caſtellino Procuratori generali noſtri Ordinis, typis mandandi *Elucidarium Theologicum certitudin's gloriæ Sanctorum canonizatorum, ac Tractatum de Electione Canonica Prælatorum, &c.* ſeruata tamen prius in omnibus, & per omnia diſpoſitione Concilij Tridentini, Decretorum Apoſtolicorum, ac etiam Ordinationum Capitulorum Generalium noſtri Ordinis circa librorum impreſsionem. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 16. Iulij 1625.

Fr. Seraphinus, qui ſupra.

Reg. fol. 27.

Locus ✠ ſigilli.

Fr. Ioannes Vincentius de Valentia Magiſter, & Socius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

EGo *Petrus Albertinus in Alma Vrbis Gymnaſio Pontificij Iuris Primarius Profeſſor, de mandato Reuerendiſſimi Patris Fr. Nicolai Rodulfii ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, perlegi, ac recenſui diligenter librum hunc inſcriptum,* Tractatus de Electione, & confirmatione canonica Prælatorum quorumcunque, præſertim Regularium, *Auctore Admodum Reuerendo Patre Magiſtro Fr. Luca Caſtellino, ſacræ Theologiæ in eodem Alma Vrbis Gymnaſio Primario Lectore, ac totius Ordinis Prædicatorum Procuratore Generali; nihilque in eo reperi, quod Catholicæ Fidei, vel ſacrorum Canonum Decretis aduerſetur. Propterea dignum iudico, ob doctrinam, eruditionemque in eo contentam, ad vſum quotidianum omnium, præſertim Regularium, quam maximè accommodatam, qui in lucem edatur, omniumque manibus teratur. In cuius rei fidem has mea manu ſubſcriptas dedi. Romæ die 20. Nouembris 1623.*

Ego idem Petrus Albertinus, manu propria.

✠ 4 Ego

EGo Fr. Laurentius Emporienſis, Ordinis Heremitarum S. Auguſtini Procurator Generalis, de mandato Reuerendiſſimi P. Magiſtri Fr. Nicolai Rodulfij ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, vidi & diligenter perlegi librum cui titulus eſt, *Tractatus de electione Canonica Prælatorum quorumcunque, præſertim Regularium*, Auctore admodũ Reuerendo Patre Magiſtro Fratre Luca Caſtellino, ſacræ Theologiæ in Almæ Vrbis Gymnaſio Lectore primario, ac totius Præclariſſimi Ordinis Prædicatorum Procuratore generali: in quo attestor nihil prorſus reperiſſe, quod Catholicæ fidei aut bonis moribus vtcunque videatur contrarium, quin potius omnia vſque adeo pia, ſana, incorrupta, enucleata, perſpicua, atque diſtincta, ex verioribus principijs ſacrorum Canonum celeberrimorumque Doctorum diuerſarum facultatum placitis explicata inueni; vt meo iudicio opus hoc tanto Auctore dignum, omnibus, maximè regularibus, plurimum ſit profuturum; dignumque iudico vt in lucem quam primum edatur, cum nullum vſque modo (quem viderim) luculentius, doctius, atque copioſius huic argumento ſatisfeciſſe cognouerim. Romæ ex noſtro Conuentu ſancti Auguſtini die 12. Iulij 1625.

Ego Fr. Laurentius Emporienſis Ordinis Heremitarum ſancti Auguſtini Procurator Generalis.

TRactatum de Electione, & Confirmatione Canonica Prælatorũ quorumcunque, præſertim Regularium, *ab admodum Reuerendo P. Fr. Luca Caſtellino Procuratore Generali Ordinis Prædicatorum, & in celeberrima Almæ Vrbis vniuerſitate primario Theologiæ Profeſſore editum vidi, in eoque nihil deprehendi Catholicæ fidei, ſanæ doctrinæ, boniſque moribus aduerſum; ſed præclaram eruditionem. Nam quæ ad abſtruſam electionis Prælatorum materiam perſcrutandam, eiuſque innumeras ac propè inextricabiles difficultates diluendas, ab alijs ſparſim conſcripta ſunt, eximius auctor, aſſidua voluminum lectione, ſumma diligentia, & ingenti labore conquiſita, ac in vnum collecta, miroque ordine diſpoſita, ita dilucide ac luculenter exponit, vt facile vnuſquiſque ex ſola huiuſce operis inſpectione non modo præſtantiſſimi Doctoris ſubtilitatem, ingenij excellentiam, rerum dicendarum facilitatem, inſigni cum pietate coniunctam admirabitur; verum etiam eam ſibi argumenti huius peritiam comparabit, qua cunctis de electione Prælatorum propoſitis dubijs exactè, accurate atque perfectè ſatiſfacere quam citiſſimò valeat. Quam obrem egregium huiuſmodi Tractatum tot titulis merito commendatum dignum cenſeo, vt in communem omnium vtilitatem typis mandari poſſit. In quorum fidem præſentibus ſubſcripſi. Romæ in Conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam die 12. Nouembris anni 1625.*

Fr. Petrus Ioannes Saragoza de Heredia Magiſter.

Imprimatur.

Fr. Antoninus Phœbæus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfij, Ord. Prædicatorum, ſacri Palatij Apoſt. Mag.

IN

IN S. DOMINICVM
FR. LVCAE CASTELLINI ELOGIA

SACER CATELLE,
NONDVM NATVS GERIS ORE FACEM,
CARES LVCE, FERSQVE LVCEM,
QVIA DEBEBAS GENERARE CANES:
IN COECA NOCTE LVPI PER SACRVM OVILE VAGANTVR,
VVLT LVCIGERA LVPOS A CANIBVS DILANIARI.

FAX ORBI FACTVS
SCELERVM DISIICIS ARDENTES ORBE TOTO FACES:
HINC QVI TVA CASTRA SEQVVNTVR
INSTAR FACIS SVNT IGNITO ELOQVIO PECTORIS FLAMMIGERI,

ORBEM CONFLAGRANTES:
QVA CONFLAGRATIONE VIVVNT BONI, PEREVNT MALI.
NON FERRO HÆRETICAS IMPETIS ARCES,
SED TVORVM FACE VERTVNTVR IN CINERES.
CVM CHRISTVS DIXIT, VENISSE, VT MITTERET IGNEM IN TERRAS,
IN ANIMVM INDVXI MEVM,
TVAE SIGNIFICASSE FACIS IGNES.

SAMPSON ABSVMPSIT SEGETES,
OPE TVA TVI ABSVMVNT LOLIVM, QVOD SERIT SATAN.
SIC CVLPAS ABSVME MEAS, AC MEI ERRORES LIBRI,
VT VELVTI FACVLA TVA
ARDEAM, ET LVCEAM.

AD TVVM CONFVGIO PRAESIDIVM
STELLA MATVTINA, SECVLIQVE IVBAR,
ET ANTE TVAS SACRATISSIMAS AEDES APPONO LABORES MEOS.
TV SOL REFVLGENS MENTEM ILLVMINASTI MEAM,
VT NOVVM SIDVS PER VERITATIS SEMITAS DIREXISTI,
TVOQVE NVMINE OMNES DIFFICVLTATES NVLLO NEGOTIO RETVDI,
ES ENIM INVINCIBILIS ATHLETA DOMINI.
QVALESCVMQVE POSSVM GRATIAS TIBI EVANGELICO VIRO,
EVANGELIIQVE TVBÆ REFERO.
MORTALIS LINGVAE POTENTIA TVORVM PRIMVM GRADVM MERITORVM
LAVDIBVS NEQVIT CONSEQVI.
VT SECVNDVS PRÆCVRSOR, NVLLVS PENE MAIOR INTER NATOS MVLIERVM.
QVI TIBI CAELICO SALVTIS PRECONI MOREM GERIT,
MORESQVE TVOS IMITATVR, NON LABITVR:
QVI TE ORBIS OCVLVM, CHRISTI LVCERNAM, VIRTVTVM FORMAM SECTATVR,
NIHIL OPERATVR, NISI AMPLISSIMÆ DIGNITATIS PLENISSIMVM.
TIBI ADHÆRENS, ADHÆRET FIDEI COLVMNÆ,
VBI PRÆSENTANEVM ADEST NVMEN TVVM,
MORTALIVM DISSIMVLANT FLAGITIA,
VINDICTAMQVE PROROGANT
PATER, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS;
VT TE INTERCESSOREM COLANT, TIBIQVE CONFIDANT.
IN AGENDIS DELINQVENTIVM CAVSIS MVLTIS MVLTVM ANTECELLIS.
SI DEI IVSTITIA NOS EXPELLIT, PER TE
DIVINA MISERICORDIA RECIPIT.
IN CARNE TVA DEVS CONTVLIT PVRITATIS CANDOREM,
IN OPERE INÆSTIMABILEM PIETATEM,
IN CORDE OMNEM CHARITATEM
IN ANIMA GRATIÆ PLENITVDINEM.
SCRIBE IGITVR ME IN LIBRO VITÆ AD CÆLESTEM AVLAM,
VT TECVM DEVM IN SECVLA SECVLORVM
LAVDEM, ET AMEM.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. FR. AVGVSTINO GALAMINIO CARDINALI DE ARACAELI,

Ex ſacro Ordine Prædicatorum aſſumpto,

In Præfectura Generali eiuſdem Ordinis ſanctiſsimi P. DOMINICI olim ſucceſſori vigilantiſsimo.

ALEXANDER ille Macedo (Illuſtriſs. Cardinalis) cùm imperij magnitudinem immenſam teneret, & ſui animi celſitudinem noſceret, ne omnibus liceret ſine decore, tantam maieſtatem familiarius habere; edixit, ne quis ipſum alius quam Apelles pingeret, quam Pyrgoteles ſculperet, quam Lyſippus ex ære duceret. Quo omnes admonemur exemplo, vt ſi quid ſtruimus, in quo regium nomen inſeri foret neceſſum, idipſum conari debeamus fieri, omni ex parte, ſpectatum, elegans, abſolutumque. Idcirco veritus ſum, atque diù dubius mihi affuit animus, an ſacram tuam Amplitudinem, ad has meas lucubrationes vocarem: An tantum excelſum nomen, in hoc meo rudi libro ponerem. Non enim viſus locus condecens tanto ſplendori. Verum enimuero quantum ex alia conſidero parte, quæ tuæ Amplitudini ſint ornamenta, tanto tu Ampliſsime Princeps

Digitized by Google

humanitatis virtute plenus viuis, nihil abhorres, nihil reijcis, quod emanare ſcias ab affectu, ab aliqua humani animi beneuolentia. Vſque adeo tuo Cardinalatus gradu, cum tuis ſubiectis familiariter degis, vt nihil eſſe videatur in ceteris differentiæ, niſi purpura, poſtquam noſtram glorioſè rexiſtj Dominicanam Familiam, habes felicitatis initia, ſedens in Cardinalium cœtu, prouidentia Diuina, ad Eccleſiam gubernandam conſtitutus. Mirabili naturæ præmio donatus, ſublimitate virtutum eminentiſsimus: quod raro inuentum eſt, qui ita natura, & virtute pari ambulet,

At nil pulchrius inclita
Virtute à ſuperis eſt homini datum.
Virtus maxima maximis
Sola eſt, quæ celebrem reddit honoribus.
Quam cum moribus exprimas,
Inceſſuque graui, atque habitu probes,
Cum fronte, atque oculis geras,
Ac viuæ, vt ſpeculo, ipſius imaginem
Toto corpore præferas,
At te non agitat laus, neque gloria.

Profundam ſapientiam poſsides, & ſicut Sol luce precellit omnibus aſtris, quæ in cæli ambitu voluuntur, ita tu inter nos, ſingulari virtutum lumine refulges. Merito Ampliſsime Antiſtes, merito Cardinalitia decoraris corona; nutritus gremio cæli, & ad tantum mundi iubar reſeruatus, Temporis indomiti victor, & triumphator exiſtimaris. In rebus arduis, nihil præſentius habes, quàm prudentiam, nihil ex ore tuo exit, quàm rectum, quàm plenum omnium virtutum examen. Mirum eſt quod de te fama prodit; nihil eſſe tam efficax, tam potens, tam periculoſum, tam minax, tam deſiderabile præmium, quod te, tuumque animum à recto tramite, veraque iuſti lege tantillum

tillum dimouere poſsit. O felix pectus, in quo tanta conſtantia iuſtitiæ viget. Zeuſis, cui facilius erat inuidere, quam quiuis eum imitari poſsit; depicturus Helenæ imaginem petijt ab Agrigentinis, ſibi liceret multas ciuium virgines inſpicere; vt quid in quaque laudatiſsimum eſſet picturæ, poſset reddere æquatum. erat enim hocce ſenſu opinioneque munitus, vt non omnes vni à natura laudabiles qualitates eſſent datæ; neque in vno probè lineamenta concurrerent, quæ omni parte abſolutam mererentur laudem. Verùm ſapientiſsime Præſul, ſi te hic magnus pictor cognouiſſet, numquam huius opinionis fuiſſet tam acerrimus aſſertor. nam omnia quæ in te vno contemplamur exactiſsimè, opus naturæ perfectum eſſe dicimus. In te prudentiæ lumina cernimus, Temperantiæ Diuina decreta videmus, regendi in cunctis rebus conſilia comperimus: omnium virtutum lumine, ſcientiarumq. ſplendore ornatum conſpicimus.

Cum igitur hæc, & alia permulta conſiderarem, operæpretium exiſtimaui codicem hunc, ad tuam amplitudinem deferri. Itaque cum hoc paruo munuſculo ad te accedo, velut ad illum, qui ſupernæ gratiæ eſt particeps; vt gratiam, beneuolentiamque tuam augere, & conſeruare valeam, quæ mihi inter ceteras mundi res, quæ mihi contingere poſſent, gratiſsima ſemper erit.

Me læto recipis ſinu:
Cur non te venerer, mirer, amem, colam?
Vt quo carior & Deo.
Hoc per te citiùs promerear Deum.

Summus Deus, qui ſolus bonus eſt, & à quo omnia bona eueniunt, ſit tutela tuæ felicitatis, & incolumitatis, & huic operi meo fauorabiliter aſpiret. Et tu Princeps integerrime, quandiù voles, tandiù feliciter valeas; quantum ab immortali Deo optas, tantum habeas & amplius, & vt cupis

omnia

omnia tibi ſecundiora fiant. Rite, ac ſapientiſsime te cura, & has noſtra vigilias à liuore protegas, qui etiam res infimas quieſcere non ſinit. Vale decus Cardinalium, ac Religionis noſtræ ornamentum, & ita perpetuò, atque feliciter viuas, vt tuis qui nomini tuo afficiuntur, ſemper prodeſſe poſsis. Dat. Romæ Pridie nonas Auguſti 1625.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominationis tuæ

Obſequentiſsimus filius, & ſeruus

Frater Lucas Caſtellius.

Reue-

Reuerendiſsimo Patri

F. SERAPHINO SICCO

S. THEOL. PROFESSORI.

Et in Magiſtratu totius Almi Ordinis Prædicatorum, multis ab hinc annis, ſanctiſsimi Patriarchæ Patris DOMINICI Succeſſori Meritiſsimo.

SI laudes virtutum tuarum, Reuerendiſsime Pater, in meo hoc opere, recenſere vellem; ſi merita tuæ bonitatis, & excellentiſsimæ vitæ tuæ præmia conſcriberem; ſi geſta enarrarem, quibus cœlum tangis: à multis non immerito audax iudicarer, & perinde ac vnus, qui ſolem lucidiſsimum illuſtrare facibus conaretur. Idcirco quia hæc meos ſuperant humeros, magnis votibus, qui ſub tuo regimine vbique ſanctitate, & virtutibus eminent, relinquo: Ego autem humiliora tentabo, quæ & ſi non fuerint altiloquo conſcripta calamo, erunt tamen fide, & affectu animi mei plena erga te; cui ita afficior, cui ſtudioſo pectore trahor, ob egregiam tuæ mentis probitatem. Et quia in omni tempore laudabilium rerum honeſtus eſt conatus, volui, pro meo erga te obſequio hoc munuſculum de Electione ante te reuerēter offerre. Et quia amplecteris omnia candidiſsimo vultu, ideo hoc auſus ſum, non vt tuum nomen, familiamque tuam inſignem magnificarem; ſed vt immenſi affectus mei ſigna erga te oſtenderem. nam gloria tua & veterum tuorum, ex ſe ipſa ſe ipſam commendat; vt pote qui omnem vitam tuam, optime Pater inſtitueris, vt religioſè viuas, alterum non lædas, ius ſuum cuique tribuas. Nemo eſt qui dum hæc ſpectat, non ore laudet, non extollat tua ſanctiſsima inſtituta. Tuorum veterum magna fuit nobilitas, ſed in te maior lucet, & ſplendet. Ea quæ in terris reperitur nobilitas, ſumma in te apparet, ſumma in te Religio, ſumma fides, ſumma conſtantia, ſumma iuſtitia ſingularis virtus. Ex quibus incredibilis per totam Religionem noſtram tibi auctoritas parta eſt: & quas tantopere tui Maiores coluere virtutes, iure aſſerere valeo, quòd tu ſolus omnes intra tuum ſacratum pectus retines, nullum maius me-

ritum

ritum tibi addi poteſt, quàm quod poſsides, immortale nomen, vitæ integritatem, rectum regendi modum; ſummo conſilio, & ſapientia, pacem omni tempore, in nobis tibi ſubiectis cuſtoditam retines, ſicut habes laudabilem gubernandi modum, ſic veram retines viuendi formam. Sic felix Deo viuit omnis religio, cum qui regit ille ſapit; qui ſapit ille regit; ideſt quando rector prius ſe regere nouit, deinde alios optime regit. Felix ſis igitur inclite Paſtor, felix ſit tua religio; itaque cum Poeta cantabo.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
Sedibus ætheris Spiritus iſte venit

Quicquid optas feliciter ſuccedat, nec ſit in rerum vſu, quod tuum non impleat votum. Feciſti Ordinem noſtrum, non alium inter ceteros, quam inter pretioſos lapillos adamantem, inter flores purpuream roſam, inter ſtellas fulgentiſsimum ſolem: & quod admirationem omnibus parit, hanc præſidentiam tuam, quæ tanto ornamento, & dignitate inter nos ſublimis eſt, diuino fauente numine, per te ipſum adeptus es; nulla ars humana opem præbuit, nemo ad illam acquirendam viribus, potentia pro te anxius fuit. Tu tuo merito, tu pœnè incredibili manſuetudine tua, eminenti humanitate feciſti, vt hæc vltro ad tuos pedes venerit: deuincis etiam ingenia horrida, & aſpera dulciſsimo tuo loquendi genere. Idcirco mihi piaculum viſum, ſi tantarum virtutum eminentiam præterijſſem; quin in his meis laboribus non celebraſſem. Profectò ingratus arguerer, ſi ſub ſilentio ducerem quod ſtat in animo meo, ſtabitque vſque ad glebam; & in æternum immortale permanebit beneficium, & honor, quem in me tu ſponte contuliſti: eſſe confiteor, ac profiteor immortali gloria dignum. Tu enim in me ornando, honorando, nullum locum, aut tempus, nullum ſtudij genus prætermiſiſti: ego igitur Aram tibi erexi, ſuper quam tractatum hunc de Electione appoſui, atque ad tuam immortalem gloriam conſcripſi, non quod eo indigeas, cum ſis omniſcius; ſed quia ipſe tuo indiget patrocinio, vt imbecillis. Lucam Caſtellinum tuum, tuæ Reuerendiſsimæ Paternitati deditiſsimum, eo ſtudio, & amore amplectare rogo, quo ipſe tuum nomen, tuam gloriam, tuam immortalitatem, famamque tuam amat, colit & obſeruat. Ex tuo almo Conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam de Vrbe, die 4. Auguſti 1625.

Amplisſimæ ac Reuerendiſsimæ Paternitatis tuæ

Obſequentiſsimus filius & ſeruus

Frater Lucas Caſtellinus.

P. FRANCISCI RVGINII COTONIENSIS
CONCIONATORIS CAPVCCINI
IN AVCTOREM
Anagrammata:

LVCAS CASTELLINVS.
SANCTVS ALIS. LVCES.

S*Criptis* Sanctus alis, *pulſa caligine falſi,*
Exemplo luces, *ſic pietate potens.*

LVCAS CASTELLINVS.
TELLVS LVCIS SANA.

E*N liber, vt* lucis tellus, ſana, *atque ſalubris,*
Legibus eſt rectis terra referta ſuis,
Quà circumfuſis tellus incingitur vndis,
Implerunt Lucæ nominis acta ſui.
Fratribus hinc haurit ſanctus documenta Miniſter,
Hinc electuris regula certa datur.

LVCAS CASTELLINVS.
AT NVLLVS SIC CLARE.

S*Cripſerunt multi,* at nullus ſic *omnia* clarè
Vmquam conſcripſit, ſeu tua ſcripta docent.
Quicquid ſcripſiſti, eſt mihi ceu mel, vita, voluptas,
Nec gaudere poteſt mens aliunde mea.

AD

AD LECTOREM.

HACTENVS de Præſulum eccleſiaſticorum electione, Poſtulatione Confirmatione, Inſtitutione, atque Prouiſione (beneuole Lector) eximij Scriptores, edidere tractatus. (nihil profecto nouum ſub ſole) prætermiſſis tamen regulis particularibus, ſolum generaliter difiniendo, valde vniuerſalia egregie quidem enodarunt. Porro communi ſapientum placito, ſcientia operatiua (qualis eſt etiam Theologia, quæ non ſolum in rerum diuinarum ſublimi contemplatione verſatur, ſed etiam mores hominum inſtruit dirigitque) tanto perfectior prædicatur, quanto magis ſingularia contemplatur. Reipublicæ eccleſiaſticæ vtilitati atque tranquillitati, quantum potui conſulens, iuxta talentum à Patre luminum mihi traditum, pientiſſimorum virorum precibus frequenter excitatus, (verius dicam iuſſibus impulſus) Domino præueniente atque proſequente, breuem hunc, haud inutilem edidi tractatum; in quo innumera fere ſingularia, difficilioraque dubia electionis materiam concernentia, clara methodo, illuſtrare ſtudui; vtinam ſicut voto, ita & re ipſa. Si quæ tibi forte videbuntur repeti, maiori claritati, atque dilucidiori explanationi tribuas: bis namque, terque quod vtile eſt. Equidem ſi decreta Romanorum Pontificum, cum præ manibus non habeas, de neglectu, & incuria es redarguendus; profecto ſi habes & illa non cuſtodias, iure merito de temeritate eris corripiendus; iuxta enim Conciliares ſanctiones, ſtatuta iuris Pontificij, ab omnibus diligentius ſunt cuſtodienda, vt cuncti in actionibus, vel iudicijs eccleſiaſticis non ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate, tutius dirigatur. Fac itaque ſecundum exemplar tibi, in hoc electionis directorio demonſtratum, ex ſacræ enim Scripturæ, Romanorum Pontificum, Conciliorum, ſanctorum Patrum, præſtantiſſimorum Theologorum, clariſſimorumque Iuriſperitorum monumentis conditum, atque amplificatum. In quo licet aliquando ſub alia verborum forma, eorundem Doctorum placita conſpexeris, ſane, ex traditis, cap. 7. de verb. ſignif. memor ſis, quod nihil obſtat narranti diuerſitas, vbi eadem dicuntur. Nomina, verbaque tranſpoſita, vt communiter docent omnes, præſertim dialectici, idem prorſus ſignificant. Si quid vero boni, tibique placens inueneris, Deo optimo maximo, vniuerſorum auctori, bonorumque largitori, in omnes generationes ſeculorum mecum gratias agito. Denique omnia, & ſingula mea dicta, ſiue dicenda, vel conſcripta, ſeu conſcribenda, infallibili ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio, pro ſemper ſubiecta eſſe volo: Tu quoque optimè vale, & pro me Patrem miſericordiarum frequenter deprecare.

INDEX PRAELVDIORVM
Ad Tractatum de Electione.

§. I. *De fine Canonum.* pag. 1
§. II. *De duplici genere interpretationum Iuris Canonici.* 2
§. III. *De Pontifice Romano Chriſti Vicario immediatè, & Petri ſucceſſore; deque ipſius poteſtate Legislatiua.* 3
§. IV. *De vi obligatiua ſacrorum Canonum.* 4
§. V. *Differentia, & conuenientia inter Legem Diuinam, & Humanam.* 8
§. VI. *Quando, & quomodo lex humana obliget cum periculo vitæ.* 9
§. VII. *Quando reus incidat in pœnam taxatam in iure ante Iudicis ſententiam.* 11
§. VIII. *Religioſus quando incurrat in pœnam priuationis vocis paſſiuæ.* ibid.
§. IX. *Quid operentur illa verba*, ipſo iure, vel facto. 12
§. X. *De promulgatione legis, vt afficiat.* 13
§. XI. *De Contemptu in tranſgreſſione legis.* 14
§. XII. *Quando verba Legis præceptiuæ ſunt dubia, quid agendũ.* 16
§. XIII. *An Lex humana poſsit præcipere actus interiores.* 19
§. XIV. *Vindicatio Caietani ab Alphonſo de Caſtro, circa ſuperius adducta*, num. 19. §. 8. 24
§. XV. *Secundum principale, in quo vindicatur Caietanus à Caſtro, & alijs.* 28
§. XVI. *De neceſsitate tractatus, ſeu examinis contentorum in his Præludijs.* 33

Elenchus Capitum.

Cap. I. *De electione canonica Prælatorum in communi.* pag. 36
Cap. II. *De Poſtulatione in communi.* 50
Cap. III. *De qualitatibus neceſſarijs Electionis canonicæ.* 57
Cap. IV. *De caſibus principalioribus, in quibus electio eſt nulla, vel de iure annullanda.* 68
Cap. V. *De legitimis Electoribus, & eorum qualitatibus.* 123
Cap. VI. *De loco, & tempore celebrationis electionis canonicæ.* 166
Cap. VII. *De forma ſeruanda in electione canonica.* 171

Cap. VIII. *De vocandis ad electionem canonicam.* 891

Cap. IX. *De obligatione quam habent Electores ad eligendum digniorem, & meliorem in foro conſcientiæ.* 199

Cap. X. *De Ampliſsim. DD. Cardinalium obligatione, circa electionem dignioris in Summ. Pont. Rom.* 214

Cap. XI. *De impedimentis eorum, qui non poſſunt ritè eligi in Prælatum regularem.* 244

Cap. XII. *De Scrutatoribus, de Præſidente, ſiue Vicario, & de ſcrutinio electionis tranſmittendo Confirmatori.* 262

Cap. XIII. *De modo dirigendi pacificè electionem canonicam, præſertim Regularium, & de munere Præſidentis electionis.* 279

Cap. XIV. *De Confirmatore, ſeu Confirmatione.* 292

Cap. XV. *De electione Diffinitorum, & Sociorum Priorum euntium ad Capitulum Generale, vel Prouinciale Ordinis Prædicatorum.* 320

Cap. XVI. *De appellatione, quæ ſolet ab Electoribus interponi circa iam celebratam, vel celebrandam electionem.* 335

Cap. XVII. *De electione Prioriſſæ, ſeu Abbatiſſæ, cuiuſque inſtituti.* 341

Cap. XVIII. *De inſtitutione, ac deſtitutione Supprioris Conuentus, in Ordine Prædicatorum.* 355

Cap. XIX. *De modo, & forma qua vtuntur Regulares infraſcriptorum Ordinum, in electionibus ſuorum Prælatorum, & Officialium.* 360

Cap. XX. *De qualitatibus eligendorum in Generales Regularium, deque eorum facultate, & priuilegijs.* 418

Cap. XXI. *De Conſuetudine.* 462

Additiones ad multa, & varia loca capitum eiuſdem tractatus de electione.

TRA-

TRACTATVS DE ELECTIONE, ET CONFIRMATIONE CANONICA PRÆLATORVM QVORVMCVMQVE, PRÆSERTIM REGVLARIVM.

Summa Præludiorum.

1 *Finis Canonum quinam ſit.*

2 *Conditor Iuris Canonici eſt Pontifex Romanus. Et quomodo intelligatur, nu. 7.*

3 *Interpretari Canones ad Pontificem Romanum ſpectat.*

4 *Duplex eſt genus interpretationũ Iuris Canonici, Magiſtrale, & Auctoritatiuum.*

5 *Interpretatio Magiſtralis quænam ſit.*

6 *Interpretatio Auctoritatiua, ſiue Iudicialis quæ dicatur.*

8 *Pontifex Romanus eſt immediatus Chriſti Vicarius, & ſucceſſor Petri, &c. eiuſq; poteſtas legiſlatiua declaratur, nu. 10.*

9 *Suprema poteſtas, præſertim legiſlatiua, quando collata fuit à Chriſto Domino, Diuo Petro, eiuſq; ſucceſſoribus.*

11 *Vis obligatiua legis Canonicæ in quo cõſiſtat.*

12 *Lex Canonica habet vim obligatiuam à lege æterna.*

13 *Et quando obliget ad mortale.*

14 *Verbum, Præcipio, an ſemper inducat vim obligatiuam ad mortale.*

15 *Lex pœnalis iuſta quãdo non obliget ad culpam. Vbi de Conſtitutionibus alicuius Religionis obligantibus ad pœnam; & non ad culpam fit ſermo. nu. 16.*

17 *Lex Diuina, & Humana, in quo differant, & conueniant.*

18 *Lex Humana an, quando, & quomodo obliget cum periculo vitæ.*

19 *Quando incurratur in pœnam ante Iudicis ſententiam.*

20 *Religioſus quando incidat in pœnam priuationis vocis paſſiuæ.*

21 *Clauſulæ, ipſo iure, ipſo facto, quid operentur.*

22 *Statuta Regularium quomodo, & quo in loco promulgari debeant, vt afficiant.*

23 *Forma verborum præceptiua quænam ſit.*

24 *Contemptus legis faciens incurrere in mortale, quis ſit.*

25 *Contemptus Prælati quando ſit peccatum mortale.*

26 *Quid agendum, quando verba legis præceptiuæ ſunt dubia.*

27 *Aſſignatur vera interpretatio illius Regulæ, Dubia ſunt interpretanda in meliorem partem.*

28 *Clauſula, Nemini liceat hanc legem aliter interpretari, quid operetur.*

29 *An lex purè humana habeat vim præceptiuam ſuper actus hominis internos.*

30 *Vindicatio doctrinæ Caietani ab Alfonſo de Caſtro.*

PRÆLVDIA.

§. I. De fine Canonum.

CVM in ſequentibus Capitulis huius tractatus, ferè ſemper fiat ſermo de Iure Pontificio, ſiue Canonico, ac etiam de ipſius obligatione, & obſeruantia, quo iure potiſſimè regitur Eccleſia militans;

vtile, imò ſimpliciter neceſſarium duxi
ante omnia maiori breuitate qua pote-
ro, explicare Finem principalem, Con-
ditorem, Vimque obligatiuam prædicti
Iuris Canonici. Ius ideò nuncupatum,
quia iuſtum eſt, & iuſtum præcipit, ex
Iſidoro *lib. 5. etymolog. cap. 3.* ex S. Thò-
1 ma *2.2.q.53.art.1.* Cuius † finis princi-
palis & vltimus, iuxta placitum com-
mune Theologorum, ac Iuriſtarum, ſu-
pranaturalis eſt, hominemq; ſuauiter
dirigit in Deum; quodque ius ordina-
tur ad bonum commune eccleſiaſticũ.
Conditor igitur ordinarius prædicti Iu-
2 ris † eſt Pontifex Romanus habens po-
teſtatem legiſlatiuam in tota Eccleſia,
vti poſt nonnullos ſacros Canones, &
innumeros Patres aſſerit, ac demonſtrat
S. Thomas Doctor Angelicus *2.2.q.1.*
art.10. in corpore. quo in loco inter alia
citat *cap. multis, diſt.* 17. & auctoritatem
Lucæ 22. vbi Chriſtus dixit Petro, quem
in ſummum Pontificem conſtituit, vt
ſuos confirmaret fideles; & Suarez *de le-*
gibus lib. 3. cap. 1. addit hoc eſſe de fide;
quod probat ex Euangelio *Matthæi* 16.
Ioannis 21. & *Lucæ* 10. & clarius *cap. 3.*
num. 10. idem oſtendit, *& lib. 4. cap. 4.*
3 *nu.* 17. Eiuſdem quoque † ſummi Pon-
tificis munus proprium eſt ſacros inter-
pretari canones: quæ propoſitio illata
ex antecedẽtibus prius declaratur, dein-
de magna facilitate probatur.

§. II. De duplici genere interpretationum Iuris Canonici.

PRo declaratione, ſciendum eſt duo
4 inueniri † genera interpretationũ.
5 Pimum dicitur Magiſtrale, cùm † per
inueſtigationem rationis quæritur in-
tellectus Canonis, ſiue legis, aut præce-
pti; quam interpretationem poteſt ad-
hibere quilibet Doctor, & verè ſapiens,
& hoc in manifeſtis, ideſt in his quæ ra-
tione probari poſſunt; quemadmodum
Doctores interpretantur, quòd præce-
ptum Eccleſiæ de Ieiunio non obligat
pueros, aut notabiliter debiles, ſiue gra-
uiter laborantes, vel eos, qui tanta pe-
nuria fatigantur, vt non poſſint vnam
refectionem ſufficientem habere: quæ
interpretatio communiter dicitur pro-
babilis, non autem neceſſaria, cui non
neceſſariò ſtatur, niſi quantum ratione
demonſtratur ei ſtandum fore, de qua
agitur *C. de profeſſo. qui in Vrb. Conſtant.*
l. 1. lib. 12.

Secundũ genus interpretationis nun-
6 cupatur † ab omnibus Auctoritatiuum,
ſiue Iudiciale; cui neceſſariò ſtandum
eſt non ratione aliqua aſſignata, ſed ſo-
la interpretantis auctoritate. Hinc eſt
quòd hæc interpretatio dicitur neceſſa-
ria, quia neceſſitat, ſiue obligat ad te-
nendum ſenſum datum per Auctorem
legis illam interpretantem: qui modus
interpretandi conuenit Conditori, (quia
eius eſt interpretari, cuius eſt condere,
ff. de legi. l. cum de conſuet.) aut Pari. Dici-
tur autem Par qui eſt in dignitate eadẽ
conditoris legum, non autem in ſimili
ſuccedit: nam Statutum vnius Epiſcopi
alius alterius Diœceſis non valet inter-
pretari, nec falcem ſuam ponere in alie-
nam meſſem. Conuenit etiam inter-
pretari Legem, vel Canonem inferiori,
hac tamen conditione, & non aliter,
quòd id faciat ex cõmiſſione Superio-
ris; ſicut Legato Papæ competit inter-
pretari reſcriptum Papæ, *extra. de poſtu.*
Præla. cap. 1. ad med. & *extra de ſequeſtra.*
7 *ad hoc.* Propoſitio itaque ſuperius † ad-
ducta, qua dicitur maximè, ac ſolùm
pertinere ad ſummum Pontificem Ro-
manum (in quo ſolo eſt poteſtas abſo-
luta ferendi leges Canonicas) interpre-
tationem ſacrorum Canonum, neceſſa-
riò venit exponenda de ſecundo genere
interpretationis, quod dicitur Auctori-

tati-

tatiuum? Hanc veritatem edocent ſacri Canones, §. *ex his*, *in cap. ſicut enim* 11. *q.* 1. vbi dicitur quòd ſolus ille habet ius interpretandi Canones, qui eſt conditor illorum. & *in cap. ideò* 25. *quæſt.* 1. §. *his*, habetur, quod interpretatio ſacrorum Canonum reſeruatur ſummo Pontifici Romano. ita tradit inter alios S. Thomas *qq. de pot. q.* 10. *art.* 4. *in reſp. ad* 13. *argumentum*, & Suarez *de legibus lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 14. dicit eſſe communem ſententiam Iuriſtarum: quod ante illũ dixerant Cardinalis Turrecremata, Abbas, Felinus, Decius, & alij ab eodem Suarez vbi ſupra relati. Qui Suarez *eod. immediatè cit. cap. num.* 15. §. *nec fundamenta*. poſt adductas reſponſiones Abbatis ad argumenta cõtrariorum ex doctrina Innoc. *in cap. bona* 2. *de poſtulat, Prælat.* deducit doctrinã in text. ſacror. can. optimè fundatam, quam breuitatis cauſa in fine ſequentis §. ad quatuor redegi propoſitiones.

§. III. De Pontifice Romano Chriſti Vicario immediatè, & Petri ſucceſſore; deque ipſius poteſtate Legiſlatiua.

8 SVmmus Pontifex † Romanus, in quo principaliter inuenitur poteſtas dominatiua, & legiſlatiua, eſt Chriſti Domini noſtri immediatus Vicarius, ex Concilio Lugdunenſi, Florentino, & Conſtantienſi, contra maledictum Vuiclef, cuius hæreſis meritò damnatur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. cum alijs ſuis erroribus; Diuiq. Petri Principis Apoſtolorum legitimus ſucceſſor, cui, & ſucceſſoribus ſuis Pontificibus Romanis Chriſtus tradidit claues Eccleſiæ, & Regni Cœlorum, vt patet *Matth.* 16. & *Ioann. vlt.* In quibus poteſtas cum tanta excellentia, & perfectione reperitur, vt non poſſint errare in gubernatione totius eccleſiæ. Pontifex enim Romanus eſt caput, & Regula vniuerſalis eccleſiæ, quemadmodum determinarunt innumera Concilia, præſertim Concilium Lugdunenſe, & refertur *in cap. vbi periculum, de elect. in* 6. Idem habetur *in cap. cum ex eo, de pænit. & remiſſion.* & *in cap. propoſuit. de conceſſ. præben.* & pariter in Concilio Florentino ſeſſ. vltima, & in Lateranenſi ſub Alexandro III. vt habetur *cap. licet, extra de elect.* & in alio Lateranenſi ſub Leone X. in ſchedula pragmaticæ ipſius Leonis; ac etiam in Cõſtantienſi in Bulla Martini V. ipſo approbante Concilio edita; & in Conc. Calcedonenſi in ſententia lata contra Dioſcorum, actione tertia.

Idem latè nimis adducitur, & probatur à S. Thoma *opuſc.* 19. *&* 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 9. *&* 10. à Caiet. fideliſſimo interprete eiuſdem ſancti Doctoris *vbi ſupra*, & *in opuſc. de Primatu ſummi Pontificis Romani*, & à Ioanne Cardinali Turrecremata eiuſdem almi ordinis Prædicatorum, *lib.* 3. *de Eccleſia cap.* 32. *&* 53. Cardinalis quoque Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 1. *controu. cap.* 15. *& ſeqq.* adducit multa, & optima loca diuerſorum Sanctorum, quibus palam affirmant Chriſtum
9 † Dominum illis verbis *Matt.* 18. *Quæcunque ligaueris ſuper terram*, &c. & *Ioannis* 21. *Paſce oues meas*, contuliſſe Petro, & omnibus ſummis Pontificibus Romanis ſupremam poteſtatem in Eccleſia, præſertim cõdendi leges; quam omnes appellant poteſtatem Legiſlatiuam, de qua in his præludijs fit ſermo. quæ abſoluta Pontificis poteſtas copioſius quidem innumeris, & validiſſimis argumentis euidenter demonſtratur, vna cum alijs pertinẽtibus ad præſtantiam, & excellentiam poteſtatis ſimpliciter & abſolutè Pontificis Romani, in meo Elucidario Theologico, de certitudine Gloriæ Sanctorũ, ferè per totum, præſertim

cap. 1.3.5.6. *&* 7. Quam veritatem de poteſtate legiſlatiua ratione, & auctoritate multiplici demonſtrat Suarez *lib.* 4. *de legibus cap.* 3. *num.* 7. *& ſeqq.* breuiter tamen ea explicatur ſequentibus propoſitionibus.

10 Prima Propoſitio † Axioma veriſſimum Iuriſtarum eſt, non poſſe valere conſuetudinem contra ſupremam Papæ poteſtatem.

Secũda. Poteſtas Papæ, de qua ſupra, in iure meritò vocatur integra, & abſoluta, ſiue plena, imò pleniſſima.

Tertia. Hæc poteſtas eſt de iure diuino, à Deo immediatè collata Petro, & eius ſucceſſoribus.

Quarta. Ergo diminui nequit per vſum humanum. Quarum propoſitionum veritas probatur euidenter ex ſuperius adductis, & copioſius *in cap. Significaſti de electiõ.* vbi Papa loquens dicit, *Poteſtas noſtra non ex homine; ſed ex Deo eſt*, idem habetur *in cap. quanto*, & in alijs multis capitibus, præſertim *titulo de tranſlat. Epiſcop.*

§. IV. De vi obligatiua ſacrorum Canonum.

QVia de legis eccleſiaſticæ vi, atque virtute obligatiua in foro exteriori frequẽs inferius erit ſermo; optimum exiſtimaui (ne aliquid neceſſarij omittam) compendiosè explicare
11 † vim, atque virtutem obligatiuam legis Canonicæ etiam in foro conſciẽtiæ, cùm ſit regula humanorum actuum, & habeat vim coactiuam, ex D. Thom. 1.2. *q.*96. *art.*5. *in corpo.* cuius veritatis explicatio haberi non poteſt ſine difficultate, vt aſſerit inter alios Dominicus Soto *lib.*1. *de iuſtit. & iure q.*6. *art.*4. & *in* 4. *ſent. diſt.*22. *q.*1. *art.*4. & Med. 1.2. *q.*96. *art.*4. & Silu. *verb. Lex n.*8. *&* 17.

Antequam autem per propoſitiones reſoluam propoſitam veritatem, ſupponendum eſt tamquam omnibus notiſſimum, quòd hic eſt ſermo de lege humana, iuſta, ſecundum omnes eius cauſas, ſcilicet finalem, efficientem, materialem, atque formalem: nam ex Diuo Auguſtino *lib.* 1. *de lib. arbitrio cap.* 5. lex eſſe nõ videtur, quæ iuſta non fuerit. Lex enim dicitur iuſta, primo ſcilicet quæ pro manifeſto bono cõmuni eſt cõdita: ſecundo ab habẽte auctoritatem: tertio quæ pro tempore, & loco optima eſt: quarto quæ ſplendet tanta rectitudine, & æquitate, vt omnibus proportionaliter, & æqualiter imponat onera legis, vnicuique iuxta conditionem ſui ſtatus, ex D. Thoma 1.2. *q.*96. *art.*4. Et cùm hic agatur de lege humana, non purè ciuili, ſed eccleſiaſtica; ideò erit

Prima Propoſitio. Ab omnibus tenendum eſt, quod eccleſiaſticæ, & ca-
12 nonicæ leges † vim obligatiuam habeãt
à lege æterna, à qua deriuantur in foro conſcientiæ, quantum ſit ex genere ſuo, etiam ſub reatu mortalis culpæ; ex D. Thoma 1.2. *q.*96. *art.*4. ex Caietano, & Medina *ibidem*. Hanc aſſertionem appellat communem conſenſum Theologorum Suarez *lib.* 1. *de legibus cap.* 14. *nu.*4. *&* 7. ac etiam Iuriſtarum; & inter quamplura adducit dictum Gratiani *diſt.*4. *ad fin.* aſſerentis decretum neceſſitatem facere; exhortationem verò, liberam voluntatem excitare. Idem repetit idem Suar. *lib.*4. *tit. de lege poſitiua Canonica cap.*17. *nu.*4. *& cap.*18. *nu.* 1.2, *&* 3. vbi addit illam eſſe non ſolùm communem aſſertionem Theologorũ, verum etiam omnium catholicorum. Quam doctrinam vna cum illa tradita eodem tractatu de Legibus, pro maiori parte collegit ex D. Tho. 1.2. *q.*95. *& ſeqq.* & ab interpretibus eiuſdem ſancti Doctoris *vbi ſupra*, præſertim ex Caiet. in ſuis commentarijs ad præcitatas quæ-

ſtiones,

ſtiones, ex Medina, & *ex lib.* 1. *&* 2. Dominici Soto *de iuſtitia, & iure*. Qui Dominicus Soto *lib.* 1. *cit. quæſt.* 6. *art.* 4. Tamquam fides catholica, inquit, confitendum eſt eccleſiaſticas leges obligare in foro conſcientiæ ex genere ſuo ſub reatu mortalis culpæ, contra errores Vualdenſium, Ioannis Vuiclef, & Lutheri negantium poteſtatem de qua ſupra; quorum hæreſis meritò damnata fuit in Concilio Viennenſi, vt habetur *in Clementina, ad noſtram, de hæreticis*, in Concilio Conſtantienſi; & tandem à Leone X. in Bulla contra artic. Lutheri, cùm directè opponatur ei quod dicitur *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*; & illis verbis *Matt.* 18. *Si peccauerit*, &c. *dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus*. Vbi compertiſſimum eſt iuriſdictionem eccleſiaſticam deſignari; quemadmodum & illis verbis *Ioan.* 20. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. *Accipite Spiritũ ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt; & quorum retinueritis, retenta erunt*. Quid euidentius, quàm illic, (vt ait Chriſoſtomus) collatam fuiſſe à Chriſto Apoſtolis, ac proinde Eccleſiæ poteſtatem, quam ipſe attulerat à Patre?

Secunda Propoſitio, quæ continet Regulam quandam communẽ dignoſcendi quando lex eccleſiaſtica obligat
13 † ad mortale, quæ colligitur ex auctoribus, & locis ſupra immediatè citatis; illa eſt, quòd Ex legis, & materiæ qualitate, quæ præcipitur, iudicandum eſt an obliget, vel non obliget ad mortale; quando ſcilicet materia eſt grauis, & lex ſub formali præcepto aliquid præcipit; tunc tranſgreſſio inuoluit peccatum mortale. Et Suarez *vbi ſupra cap.* 14. *nu.* 1. id magis declarans inquit, Lex eccleſiaſtica vt obliget ad mortale, requiritur primo grauitas materiæ: ſecundo verba ſiue ſigna præceptiua: tertio intentio præcipientis. Subdens animaduerſionem, non eſſe æqualiter expendendam materiæ grauitatem in legibus poſitiuis communibus eccleſiaſticis, & in præceptis Religioſorum, quæ non ſolùm iuriſdictioni, ſed etiam voto obedientiæ innituntur. vnde fieri poteſt, vt materia quæ ſecundum ſe conſiderata non eſſet grauis in ordine ad nudam, ſiue ſolam iuriſdictionem, & communem eccleſiæ gubernationem, eadem quatenus ſubeſt tali voto, & in ordine ad finem talis ſtatus, grauis omninò reputari deberet. Et Med. *ad art.* 4. *q.* 96. 1. 2. adducit quinque Regulas, quibus dignoſci poteſt, quando lex obliget ad peccatum mortale.

Cardinalis verò Caietanus id omne lucidius explicat *ad ſecundam ſecundæ D. Thomæ q.* 186. *art.* 9. §. *in eod. art.* 9. dum inquit, Etſi lex, vel ſtatutum vtatur imperatiuo modo, non ſemper inducit vinculum præcepti: modus enim huiuſmodi frequenter imperium grammaticè denotat non iuridicè. & poſt pauca ſubdit. Statuuntur, decernũtur, ac mandantur proculdubio multa ſine præcepti vinculo. Communia quidem eſſe Statuti, & Decreti nomina quotidie experimur: Mandati verò nomen teſtatur Hieron. à præcepto deficere. Et quod
14 demum ipſum † verbum, *Præcipio*, non vniuerſaliter inducat præcepti vim obligatiuam ad mortale, patet Primò ex Euangelio, vbi dicitur Dominum præcepiſſe curatis ne cui dicerent. Et conſtat, quod non peccabant; ſed bene agebant publicando Chriſti miracula curati. Secundò ex Aug. *in Regulæ principio* dicente. *Hæc ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus in Monaſterio conſtituti*. Et tamen conſtat non omnia ſubiuncta eſſe ſub præcepto. Tertiò ex Ariſt. 6. *eth.* definiente quod *præcipere* ſignifi-

cat proprium prudentiæ actum, quem conſtat communem eſſe bonis operibus, ſiue ſint contraria venialibus, ſiue mortalibus. Præcipimus enim, & tacere,& non adulterari: illud veniali,hoc mortali opponitur. Quia igitur ambigua valde eſt diſcretio iſta vniuerſalis, dicendũ eſt id quod particulariter conſtat, aut rationabile videtur. Conſtat in primis,vt tactum eſt,quòd quædam pœna,ſcilicet excommunicationis maioris, vim continet præcepti: ita quod quandocunque imponitur, aut inhibetur aliquid *ſub pœna excommunicationis*, ſiue latæ, ſiue non latæ ſententiæ, obligatur quis obedire, ſi vult peccatum mortale euadere: quia excommunicationis pœna tantæ indignationis eſt, vt non niſi propter mortale incurrat, aut mereatur quis illam. Conſtat ſecundò quòd quando præcipitur aliquid *in virtute ſanctæ obedientiæ*, obligatio eſt ad mortale:quia compoſitio horum verborum ſolita eſt ſemper præcepti vim importare ex communi Eccleſiæ vſu. Conſtat tertiò quòd ſiue in communi, ſiue in municipali iure vocabulum aliquod ſecundum communem ſenſum firmiter reputatur obligatiuum ad mortale,proculdubio vbicunque ibidem ponitur, habet vim huiuſmodi præcepti, vt in Regula Fratrum Minorum patet de voce, *Teneantur*, vt habetur in Clem. *de verb. ſig. exiui de Paradiſo.* Et per oppoſitum conſtat quartò, quod quocunque lex vtatur verbo, ſi communis ſenſus intellexit non propterea datam obligationem ad mortale, non eſt tale præceptum. Nec hoc alia eget probatione, quia per eandem rationem clarum eſt.

Vnde quia præcepta, vt diſtinguuntur contra conſilia, non obligant neceſſariò ad mortale, ſed ad mortale, vel veniale; conſequens eſt vt ex ignorantia procedat, ex affirmatione præcepti inferre peccatum mortale determinatè, vel ex negatione præcepti ad mortale inferre quod eſt de conſilio. Et quia hoc multos ſcriptores latere videtur, ideò non eſt mirum ſi minus quandoque ſcribitur. Et ne putes nouam me ingerere doctrinam, lege D. Thomam ſuperius in multis quæſtionibus,ſcilicet quando tractat de præceptis fidei, ſpei, charitatis, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ; & videbis multa ſub præcepto comprehendi ad venialem tantùm culpam obligantia: tùm quia Auguſt. in Regula ſic vſus eſt præcepti nomine, cùm dixit: *Hæc ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus in Monaſterio cõſtituti*. Ex illo enim præcepto obligantur profeſſores illius Regulæ ad obſeruandum omnia ibidem mandata, ſed nõ mortaliter: propterea peccant tranſgrediendo, quoniam verbum *Præcipimus*, habet vim obligatiuam, ſed non determinatè ad mortale; & ideò non licet ex illo talem obligationem inferre ſemper ad mortale.

Tertia Propoſitio, quam colligit Sotus *vbi ſupra art. 5.* ex D. Toma 2.2.q.
15 108.*art.*4. Omnis † lex iuſta pœnalis obligat de ſui natura ad culpam, niſi contrariam intentionem in ea expreſſerit legiſlator dicendo, *Non intendimus obligare ad culpam*, aut quid ſimile; vti multa quæ continentur in Conſtitutionibus ordinis Prædicatorum, de quibus dicitur in Prologo earumdem Conſtit. quod ex voluntate Legiſlatoris non obligant ad culpam, cum illa tamen declaratione, quam inter alios adducit Medina *vbi ſupra in reſponſione ad tertium argumentum poſt quintam Regulam*, dum inquit, de Conſtitutionibus ordinis Prædicatorum, quòd illæ quæ non obligant ad culpam, non ſunt verè leges, cùm in illis Prælatus propriè non impe-

impe-

Digitized by Google

imperet; ſed potius habent modum admonitionis, & conſilij, quàm legis: addẽs, Proprietas legis eſt obligare ad culpam; nam ſi lex eſt, ergo regula eſt, ergo obedientia eſt, ergo deficere ab ea obliquum eſt, & peccatum.

Hanc propoſitionem affirmat Sotus *vbi ſupra*, lumine naturali eſſe notiſſimam; quod etiam abundè probauerat quæſt. ſuperiori, videlicet *quinta primi libri de iuſtitia, & iure*. Pœna enim, vel ipſo teſtante nomine, tam cognatam habet connexionem ad culpam, vt pœnæ neque rem habeat, neque iuſtum nomen, niſi fuerit pro culpa poſita, contra errorem vulgi inſipienter, & communiter proferentis, legem quæ obligat ad pœnam, non obligare ad culpã.

Cùm pœna non infligatur ſine cul-
16 pa, videtur male dictum, quod † Regula, & Conſtitutiones alicuius Religionis obligent ad pœnam, & non ad culpã. Cui obiectioni occurrit S. Tho. 2.2. *q. 186. art. 9. in corp. & in reſp. ad argumenta*, vbi poſtquam dixit, votum profeſſionis Regularium reſpicere principaliter paupertatem, continentiam, & obedientiam, ideo tranſgreſſores omnium horum obligari ad mortale, aliorum verò tranſgreſſores non obligari ad mortale niſi propter contemptum Regulæ; *in reſp. ad primum argumentum*, animaduertit quòd ille qui profitetur Regulam, non vouet ſeruare omnia, quæ ſunt in Regula; ſed vouet Regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in illis tribus votis prædictis. Addens, In quibuſdam Religionibus, vt in ordine Prædicatorum, profitentur Religioſi non quidem Regulam; ſed viuere ſecundum Regulam, & Conſtitutiones dicti ordinis; id eſt tendere ad hoc vt mores ſuos informent ſecundum Regulam, & Conſtitutiones, ſicut ſecundum quoddam exemplar. Tandem ad finem reſponſionis eiuſdem argumenti formaliter reſpondet ad propoſitam obiectionem, poſtquam dixit, quòd profeſſioni non contrariatur niſi id quod eſt contra præceptum Regulæ, aliorum verò tranſgreſſionem, ſiue omiſſionem obligare ſolùm ad peccatum veniale; paucis quibuſdam interiectis, ſubdit: In ordine Prædicatorum tranſgreſſio, vel omiſſio talis ex ſuo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam. & magis ſe explicans, *in reſponſione ad ſecundum argumentum*, inquit, quòd non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti; ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiuſdam, vel Statuti obligantis ad certam pœnam; negans ex cõſequenti ſaltem propoſitionem aſſumptam in argumento.

Hanc eandem doctrinam tradit Alfonſus de Caſtro *lib. 1. de poteſtate leg. pœnal. cap. 8.* vbi reiecto illo manifeſtiſſimo errore, nullam ſcilicet legem pœnalem obligare ad culpam; cùm contrarium ſit veriſſimum, & ab omnibus probatiſſimum, ſubdit: Hoc autẽ de ſolis legibus vniuerſalibus, & quæ omnes obligãt, quales ſunt quæ in iure Canonico aut Ciuili continentur, dictũ eſſe volo. Statim addens. Nam ſcio in aliquibus Religionibus, & Collegijs ſimiles haberi leges, quæ ad culpam non obligant, propterea quod ipſemet lator illarum apertè declarauit, ſe nolle per tales leges ſubditos ſuos obligare ad culpam, ſed ſolum ad pœnam; exemplificans de aliquibus Statutis Fratrum Minorum, & de Statutis Prædicatorum.

Et poſt multa adducit ſententiã Vincentij Bandelli olim Magiſtri Generalis ordinis præfati Prædicatorum non aſſerentis contrarium, vt aliqui male crediderunt, quia forte verba ipſius non

examinarunt, in expoſitione Conſtitutionum dicti ordinis cap. 1. nam verba ipſius ſunt. Si Fratres Prædicatores de eleemoſynis aut decimis illis à Pontifice ſummo conceſſis alantur, tenebuntur ſub obligatione peccati mortalis dicere Officium diuinum integrum quemadmodum Clerici ſeculares qui beneficia poſſident. hæc ille. Ecce quomodo hanc obligationem contraherent in caſu expreſſo, non ex vi ſpecialis alicuius ſtatuti Ordinis prædicatorum, ſed iuris communis id præcipientis.

Cuncta hæc explicans Caietanus *vbi ſupra*, dat Regulam generalem dicendo, quod in particularibus legibus oportet particulariter loqui: & ideò quia tota ratio legis obligantis non ad culpam, ſed ad pœnam eſt, vt in littera textus ſancti Thomæ dicitur, quia tali modo placuit (intellige legiſlatori) obligare; oportet conſequenter dicere ad efficaciam legis tuendam, quòd pœna hoc in loco non ſumitur vt diſtinguitur contra pœnalitatem; ſed vt diſtinguitur cõtra culpam, prout malum pœnæ diſtinguitur contra malum culpæ, & continet ſub ſe non ſolùm pęnam propriè dictam, ſed etiam pœnalitates.

Reſpondet pariter Caietanus *vbi ſupra* obiectioni eorum qui dicunt quòd in Conſtitutionibus ordinis Prædicatorum inueniuntur capitula *De leui culpa*, & *De graui culpa*, in quibus fit ſermo de obſeruantijs prædictorum: dicendo quod ſtatuta illa de culpis fuerunt edita in principio ordinis ante quã conderetur ſtatutum, quòd non obligarent ad culpam: hoc enim factum fuit in II. Capitulo Generaliſſimo 1237. & per accidens eſt, quòd remanſerint illa nomina grauis, & leuis culpæ.

Facillimè etiam reſpondetur obiectioni eorum qui vrgent pro opinione contraria, adducentes quod inter Regulares, præſertim Ordinis Prædicatorum, conſuetudo viget, vt in ſolemnitatibus principalioribus pluries in anno abſoluantur Regulares per ſuos Prælatos ab omni tranſgreſſione Regulæ, & Conſtitutionũ; inducentes ex hoc, ergo Regula, & Conſtitutiones eorũ obligant ad culpam, aliàs inutilis eſſet conſimilis abſolutio; dicendo cum Ledeſma *de ſtatu Religioſorum in communi cap.* 4. nequaquam eſſe inutilem; ſed valde fructuoſam prædictam abſolutionem, propter quinque rationes ſiue cauſas ab eodem auctore ibidem latè expreſſas, quas breuitatis cauſa omitto; & ſolam primam compendiosè referam: quia ſcilicet abſoluuntur ab excommunicationibus, & diſpenſantur ſuper irregularitatibus, ſi quas ignoranter incurrerunt. Reſponſioq́. formalis ad argumentum conſiſtit in negatione conſequentiæ, & illationis.

§. V. Differentia, & conuenientia inter legem Diuinam, & Humanam.

Circa has veritates conſiderat Medina *ad 1.2.q.96.art.4. in reſponſione ad argumenta*, quòd † lex humana 17
deriuatur à lege diuina mediante auctoritate, & poteſtate humana; & ideo humana eſt, & non diuina; reperiturq́. differentia inter legem humanam, & diuinam, quòd lex diuina ſicut à ſolo Deo fertur, ita ab ipſo ſolo abrogari poteſt: lex verò humana quemadmodum per hominem inſtituitur, ita per hominem habentem auctoritatem annullari poteſt. Secundum diſcrimen inter prædictas leges illud eſt: nam lex diuina vt iuſta ſit, ac obligatoria, ſatis eſt voluntas legiſlatoris; lex verò humana vt iuſta ſit, & vim obligandi habeat, non ſatis eſt voluntas legiſlatoris, ſed requiritur quòd ſit vtilis Reipublicæ, vel Communitati,

nitati, quòdve ſit de bono honeſto. Vltimum diſcrimen illud eſt, quòd lex diuina habet immediatè auctoritatem ex determinatione, & definitione diuina; lex autem humana deriuatur quidem à diuina, vt ſupradictum eſt, ſed mediante voluntate, & determinatione poteſtatis humanæ. Conueniunt tamen in hoc vno lex diuina, & humana, quòd lex diuina conſtituit aliquid in eſſe, & in genere virtutis, aut vitij; nam eo ipſo quod lex diuina ſtatuit aliquid, ſtudioſum eſt, & neceſſarium; & eo ipſo quod prohibet aliquid, malum eſt, quia prohibitum: ita à ſimili lex humana conſtituit aliquid in eſſe, & in genere virtutis, aut vitij; ſic quod poſt Statutum, peccatum eſt ſecus facere.

Dominicus Soto, Bartholomæus à Medina, & Suarez *locis ſupracitatis* concorditer impugnant doctrinam Cardinalis Caietani, quam tradit 1.2. *q.96. ad art.4.* appellantes ſententiam Caietani nimis duram, modò irrationabilem, modò falſiſſimam: in quo articulo docet eſſe opinionem erroneam eorum, qui aſſerunt quòd ius poſitiuum non habeat poteſtatē obligandi in foro conſcientiæ, ita quod homo teneatur mori pro eius obſeruatione, niſi in cauſa fidei, vel tuendæ Reipublicæ tantùm, extra quos caſus licitè pro euitanda morte poteſt omitti obſeruatio omnis iuris poſitiui. Circa quod optimè aduertit Medina *ad quartum articulum q.96. 1.2. D.Thomæ*, dubio ab eo merito nuncu-
18 pato grauiſſimo, vtrum † leges humanæ obligent ad ſui obſeruationem cum periculo vitæ. In quo dubio non quæritur, an pro vitanda morte ſit committenda culpa mortalis, vel venialis; cùm certiſſimum ſit apud Theologos omnes nullam culpam, vel minimam pro quocunque periculo vitando eſſe committendam: ſed tantùm quæritur, vtrum ſuperueniente periculo, & diſcrimine vitæ, ceſſet legum humanarum obligatio. Ponderat ſecundò quòd diſcrimen, ſiue periculum vitæ, aliquando ſequitur ad obſeruationem legis humanæ, quod periculum à legiſlatore optimè fuit præuiſum: aliquando verò ſequitur ad obſeruationem legis humanæ idem periculum per accidens, & ab extrinſeco, quod poteſt accidere dupliciter. Primo in odium, & in contemptum legis humanæ: alio verò modo in periculum perſonæ. Ex his duobus immediatè conſideratis colligit Medina tres propoſitiones, quibus reſoluit grauiſſimum dubium, de quo ſupra.

§. VI. Quando, & quomodo lex humana obliget cum periculo vitæ.

PRima eſt. Lex humana poteſt obligare ad ſui obſeruationem cum diſcrimine vitæ: quam probat eadem ratione, & argumento, quo Caietanus vtitur, vbi ſupra; & eſt quod quilibet homo non ſolùm ſecundum id quod habet, ſed ſecundum hoc ipſum quod eſt, multitudinis eſt; quod eſt dicere, eſt pars Reipublicæ, ſicut quælibet pars id quod eſt, totius eſt. Ex quo antecedenti infert per neceſſariam conſequentiam Medina, ergò Reſpublica poteſt vitam eius, ſcilicet hominis, exponere diſcrimini pro conſeruando, & tuendo bono publico.

Proponit ſecundam aſſertionē. Quando periculum mortis ſequitur ex actu præcepto in lege, quod à legiſlatore præuideri potuit, tali caſu lex humana obligat ad ſui obſeruationem cum diſcrimine vitæ: quod probat exemplo de Epiſcopo, qui tempore peſtis præcipit Parochis, vt in propria Parochia permaneant, & adminiſtrent ſacramenta; quo

caſu

caſu tenentur obedire non obſtante periculo vitæ. Ad idem etiam cumulat alia exempla, quibus idem quod ſupra demonſtratur. Tandem ſtatuit tertiam aſſertionem: In ceteris verò caſibus lex humana nunquam obligat ad ſui obſeruationē cum diſcrimine vitæ, niſi quando agitur de defenſione fidei, & virtutum. Vt oſtendat veritatem tertiæ aſſertionis, reducit ad memoriam, illam celebrem diſtinctionem; quod aliqua ſunt prohibita, quia mala, ſiue ex intrinſeca eorum malitia, vt mendacium, adulterium, & ſimilia: alia verò ſunt mala tantùm, quia prohibita; quæ non habent in ſe intrinſecam malitiam, vti comedere carnes in die Veneris; deinde ſubdit, In illis quæ ſunt primi generis potius homo debet ſubire mortem, quàm legem frangere, licet ſolùm ſit peccatum veniale. Ratio eſt, quoniam illa quæ ſunt intrinſecè mala, nulla ratione vnquam rectè fieri poſſunt. In illis verò ſecundi generis, ſiue ordinis, ad cognoſcendum quando obligant cum diſcrimine vitæ, attendenda eſt grauitas materiæ, quæ præcipitur. Ponit exemplum de Ieiunio Quadrageſimali, ad quod tenentur omnes fideles ex præcepto Eccleſiæ: ceterum qui ſunt infirmi, vel notabiliter debiles, non tenentur ieiunare, ſed excuſantur, quoniam Eccleſiæ non tanti refert ieiunium, quanti ſalus hominum. Addit tamen: Si verò alicui incutiatur metus mortis ne ieiunet, aut feſtum de præcepto obſeruet; ſi hoc fiat in odium, & contemptum legis eccleſiaſticæ, ad oſtendendum ſcilicet legem latam ab Eccleſia Catholica, & per conſequens fidem noſtram eſſe falſam, & nullius valoris; eo caſu homo potius debet oppetere mortem, quam legem humanam frangere. Et ratio radicalis ea eſt, propter ius diuinum ſeruandum, quo tenetur homo catholicus fidem ſuam confiteri. Idem dicit proportionaliter de celebrante coram excommunicato publico, ac denunciato, dummodo id fiat in contemptum legis eccleſiaſticæ; tūc tenetur potius mori Sacerdos, quàm celebrare. Si verò id fiat alia de cauſa, quando ſcilicet Tyrannus incutit metum mortis Sacerdoti, niſi celebret coram illo iam excommunicato denunciato, ad oſtendendum ſcilicet ſe non eſſe excommunicatum, ſi ſit metus cadens in virum conſtantem, poteſt celebrare coram excommunicato, ſiue excommunicatis; cùm in ſimili caſu Eccleſia non intendat prohibere magis excommunicatorum cōmercium, quàm ſeruare vitam hominis.

Ex quibus ritè, & rectè colligi poteſt, quòd ſententia Caietani poteſt habere, & in rei veritate diligenter penſatis omnibus, habet rectum, & verum ſenſum, cùm exponi debeat, vniuerſaliter quidem, non in omnibus caſibus ſimpliciter, & abſolutè; ſed in cunctis illis, quando periculum mortis ſequitur ex actu præcepto optimè præuiſo à legiſlatore, quemadmodum ſatis clarè dictum, & probatum eſt in ſecunda aſſertione. Et quod hæc ſit mens Caietani, colligo ex verbis ipſiuſmet loco præcitato: nam ibidem in toto Commentario præcitati *art. 4. q. 96. 1. 2.* cuncta dirigit contra illos, qui temerariè nimis aſſerebant, quod leges humanæ, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, non poterant obligare fideles in foro conſcientiæ, cum diſcrimine vitæ, niſi in cauſa fidei, vel tuendæ Reipublicæ tantùm; fundans ſuam intentionem in multis rationibus ibidem adductis, præſertim in dicto Innoc. III. aſſerentis, quòd *metus non excuſat ab excommunicatione, quia potius debet mori homo quàm peccare mortaliter*. Satis quidem erat Caietano duo demonſtrare contra prædictum errorem ab eo recenſitum,

ſitum, & meritò confutatum. Primum, quòd lex humana poteſt obligare in foro conſcientiæ etiam cum diſcrimine vitæ. Secundum, quòd præter duos caſus ab auctoribus ſupradicti erroris relatos, videlicet in cauſa fidei, & pro tuenda Republica, inueniantur alij caſus, vt puta defenſio virtutum, & alij, de quibus in ſupra poſitis aſſertionibus factus eſt ſermo.

Gratis igitur impugnatur Caietanus, & lis, & contentio eſt potius de nomine, quàm de re, circa ſcilicet interpretationem illius aduerbij, *vniuerſaliter lex, &c.* quod debet exponi non abſolutè, & ſimpliciter in vniuerſis legibus, quaſi omnes obligent ad peccatum mortale; ſed vniuerſaliter in caſibus in tribus aſſertionibus relatis, & declaratis.

§. VII. Quando reus incidat in pœnam taxatam in iure ante Iudicis ſententiam.

HVic difficultati addenda eſt neceſſario pro complemento ſupradictorum, reſolutio alterius difficultatis non minoris momenti, & vtilitatis.
19 Et eſt, vtrum † ſicuti ad culpam, ita & ad ſubeundam pœnam in lege taxatam ante iudicis condemnationem tranſgreſſores legis pœnalis teneantur; de qua agunt D. Thom. 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 3. Caiet. *ibidem*, & *in ſua ſummula Caſuum, verb. Pœna*, & Bañes *de iuſtit. & iure, q.* 62. *art.* 3. Silu. *in verb. Aſſaſſinus*, Adrian. *quodlibet* 6. *art.* 1. Dominicus Soto *lib.* 1. *de iuſtit. & iure q.* 6. *art.* 6. Medina *ad* 1.2. *q.* 96. *art.* 4.

Antequam adducantur propoſitiones continentes reſolutionem propoſitæ difficultatis, diſtinguendæ ſunt in triplici genere, ſiue ordine, pœnæ, quæ legibus decernuntur. In primo ordine collocantur illæ pœnæ, quæ nullam omninò requirunt actionem, nec ex parte Iudicis, nec Miniſtri, neque delinquentis; ſed conſiſtunt in ſola priuatione, vt excommunicatio, & irregularitas. In ſecundo ordine ponuntur illæ pœnæ, in quibus actio delinquentis miſcetur paſſioni, vt pœna exilij, & pœna pecuniaria, in quibus eſt neceſſaria omninò actio delinquentis. In tertio demum ordine connumerantur illæ pœnæ, in quibus requiritur actus exequentis iuſtitiam, & ex parte delinquentis tantùm paſſio requiritur, vt in morte corporali, vel abſciſſione membrorum.

His ita declaratis reſpondetur per ſequentes propoſitiones.

Prima eſt. Tranſgreſſores legum pœnalium primi ordinis ſiue generis, quádo in lege dicitur, *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, ante Iudicis ſententiam incurrunt pœnas, cuiuſmodi ſunt excommunicatio, irregularitas, & ſimilia. Hæc concluſio ab omnibus tanquam certa conceditur, licet in aſſignanda ratione Doctores ſint varij, quæ colligitur ex adductis à S. Tho. 1.2. *q.* 96. præſertim *art.* 2. 3. & 4. ex Caiet. & Med. *ibidem* ex Sot. *lib.* 1. *de iuſt. & iure q.* 6. *art.* 6. & à Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 6. ex eodem S. Thom. 2.2. *q.* 62. *art.* 3. & Caiet. *ibidem*. Medin. *vbi ſupra* appellat Concluſionem hanc *traditionem Eccleſiæ*. Et Sotus *vbi ſupra* addit eſſe *ſolemni vſu Eccleſiæ propatulá*.

§. VIII. Religioſus quando incurrat in pœnam priuationis vocis paſſiuæ.

OCcaſione propoſitæ concluſionis, Sotus *vbi ſupra* docet quòd priuatio vocis actiuæ non incurritur ante Iudicis declarationem. quam ſententiam non admittit Medina, *vbi ſupra*, imò eam confutat aſſerens quod pœnæ

quæ

Digitized by Google

quæ conſiſtunt in priuatione, incurruntur à tranſgreſſoribus, ſi lex dicat *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, dũmodo tranſgreſſio fiat per aliquem actum exteriorem, qui ſit vndequaque completus, ſiue perfectus; ſubdẽs id eſſe aſſertum omnium Theo-
20 logorum † quoad vocem paſſiuam, iuxta diſpoſitionem *cap. cum ſingula de præben.* Quibus addit Suar. *vbi ſupra* eſſe communem doctrinam, quod ſi lex contînebit ſententiam latam, ſtatim obligabit in conſcientia. *Et num. 11. eiuſdem cap. 6. lib. 5. de legibus* tradiderat Regulam generalem, *Quando lex fertur ſimpliciter per verbum futuri temporis tantum, non obligat in conſcientia ante ſententiam Iudicis*. Et Bañes *de iure, & iuſtitia q. 62. art. 3. §. ſed eſt obiectio*, declinat ille quoque ad ſententiam Medinæ, quando non priuatur homo bonis quæ antea habebat, ſed futuris tantùm: vbi exemplificans de cenſuris, ſuſpenſione, ac irregularitate, aſſerit quod fidelis illas ſtatim incurrit abſque Iudicis declaratione; quia propter irregularitatem, & ſuſpenſionem non auſertur homini poteſtas, quam antea habebat, ſed tantùm impeditur ab actuali exercitio, intellige eorũ officiorum vel ordinum iam ſuſceptorum. Quæ ratio cum militet etiam in priuatione vocis actiuæ, videtur ex hoc declinare ad ſententiam Medinæ. Eandem Medinæ ſententiam inſinuat Silu. *verb: Aßaſſini nu. 5.* pro qua citat etiam extrauag. Pauli II. *Ambitioſæ*, addendo hoc intelligi debere cum hac cautela, quoties videlicet adeſt in lege clauſula *ipſo facto*, &c.

Hanc ſententiam non approbant, imò directè illam confutant, præſertim quoad priuationem vocis actiuæ, Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3. & in ſua Summula Caſuum, verb. Pœna, Sotus *vbi ſupra*, Armilla *verb. Lex nu. 1.* Adrian. *quodlib. 6. art. 1.* Archidiac. *in cap. cum ſecundum leges*, cui adhæſerunt Ancaran. Franc. & alij Iuriſtæ, & quamplures Summiſtæ, vniformiter docentes requiri regulariter actionem Iudicis ſententiam, vel decretum proferentis: nam infligere pœnam pro delicto, eſt munus ſolius Iudicis; lex enim mortua quædam Regula eſt humanorum actuum, ideò requiritur applicatio Iudicis. Excipiunt tamen & illi, caſus excommunicationis, ſuſpenſionis, irregularitatis, & executionis teſtamenti, in quibus incurrunt tranſgreſſores pœnas, de quibus ſupra, ſtatim, abſque alia Iudicis actione ſiue ſentẽtia.

Hanc ſententiam rectè credunt eſſe D. Thomæ loco ſupracitato *q. 62. 2. 2. in corp. in aſſignat. rationis principalis Concluſionis articuli*.

Reſpondent quoque ad obiectionem illam, quod illa verba *ipſo iure*, *ipſo facto*, &c. habeant vim obligatiuam abſque Iudicis ſententia; dicendo, quod vltra recenſitos caſus hoc tantùm efficiũt, & ſignificant prædicta verba, quod Iudex non debet ferre ſententiam ſupra pœnam, ſed ſupra crimen.

§. IX. Quid operentur illa verba, *ipſo iure, vel facto*.

AD replicam quid operentur illa verba, quando factum eſt publicum, cum nulla adſit tunc neceſſitas declarationis Iudicis; Reſpondent etiam
21 tunc † requiri Iudicis declarationem, talem ſcilicet condemnatoriam, quia reus ex vi legis tenetur tantùm ad pœnam, & non amplius. Ob id Ariſtot. 1. *ethicorum* appellauit Iudicem, *Iuſtum animatum*, quia debet ex lege agere in reũ, aliàs lex eſſet obſeruatu quaſi impoſſibilis, & odioſa valde: ab omni enim humanitate alienum videtur, quod reus ipſe, qui in oculto crimen commiſit, ipſemet ſeipſum condemnet, dicẽte S. Tho.

1.2.q.96.*art.4.* vnam ex conditionibus iuſtæ legis hanc eſſe, vt ſit tolerabilis: videtur autem quaſi intolerabile, vt quis de occulto crimine ante Iudicis ſententiam ſeipſum condemnet, vt inſinuat contraria ſententia.

Ad argumentum, quòd nonnulli Iuriſtæ, vti Panormitanus, & alij defendát opinionem explicatam à Medina, reſpondet Sotus *vbi ſupra*, quod vnus ſolus Panormitanus hoc expreſsè docuit; alij verò referunt ſententiam Panormitani, dicentes id quoque & illos tenere, quia dixit ille, ſcilicet Panormitanus.

Quædam ex ſupradictis illata per modum Corollarij adducuntur.

Primo: Cũcta hæc abſque dubio, proportionaliter quidem habent locum in Statutis, & præceptis Prælatorum Regularium in ordine ad eorũ ſubditos; dummodo ſeruetur in verbis forma præceptiua, & alia conditio, quæ eſt vt eorum iuriſdictio, ac poteſtas in præcipiendo ſit accõmodata ad ſtatum vniuſcuiuſque Religionis in particulari, ſuppoſita ſemper materiæ grauitate, quemadmodum optimè probat nonnullis argumentis poſt multos alios Suarez *tom.4. de Relig. lib.2. cap.8. ferè per totum, præſertim, n.12.* quam doctrinã colligit Suar. ex D. Tho. *2.2.q.186. art.2. in corpore, & ad argumenta*, vbi inter quamplura docet, non teneri Religioſum, niſi ad illa quæ ſunt taxata ſecundum Regulam quam profeſſus eſt. quod magis explicans Caietanus vbi ſupra ad eundé art. *Tenetur*, ait, *ad illa dumtaxat conſilia, quæ determinatè ſunt illi taxata ſecundum Regulam ſuæ profeſſionis:* & aſſignans rationem ſubdit, *quia diuerſæ ſunt viæ conſiliorum ad perfectionem.*

In quo capite numero antecedenti, videlicet 11. poſt citatos text. quorundã Canon. ſapienter animaduertit Suar. Superiorem non debere legem, vel Statutum imponere, quamdiu dubitat an materia illius ſit honeſta, vel iuſta, ac niſi rationabiliter iudicium ſaltem practicum formauerit de honeſtate illius: ſubditus tamen, ſi lex lata ſit, tenetur obedire, quamdiu non conſtiterit manifeſtè eſſe iniuſtam; quia in dubio, ius ſuperioris præfertur, ac pro illo præſumitur. Idem docuerat *lib. de legibus cap.9. nu.10.* & ante illum D. Tho. *2.2.q.186. art.9. in corp. Tenetur Regularis obedire præcepto, vel expreſſo in Regula, ſiue oretenus facto à Prælato, in his quæ directè pertinent ad ſuam profeſſionem, ſub reatu mortalis culpæ; quia facerent non obediendo contra votum obedientiæ.*

Secundo: Legum obligatio requirit promulgationem, & inter Religioſos modus ille à Conſtitutionibus vniuſcuiuſque Ordinis præfixus obſeruari omninò debet, ac ſufficit. ita communiter omnes, cum poteſtas ferendi legem ſit reſpectiua, & terminetur ad ſubditos.

§. X. De promulgatione legis, vt afficiat.

Tertio aliqui præclariſſimi auctores addunt, quod etſi lex Pontificia ſufficienter promulgetur: Romæ, Episcopalis in Cathedrali; & Regia in curia Regis; quia tamen ordinariè ſuperiores Regularium, ac eorum Prælati, præſertim maiores, non habent quaſi proprias ſedes, vel curias in quibus fiant
22 huiuſmodi promulgationes; ideò † neceſſarium videtur vt legum, Statutorũ, atque præceptorum ſuorum promulgatio, quando ſunt generalia, fiat per totam Religionem, vt mos eſt antiquiſſimus in multis Ordinibus, & ſemper obſeruatus, præſertim in Ordine Prædicatorum, vti videre eſt in Prologo Conſtit. eiuſdem Ordinis; ad quorum Statutorum maximè perpetuorum obſeruatio-

tionem tenentur etiam hoſpites Religioſi, quemadmodum & ad obſeruantiam Statutorum particularium Prouinciarum, & Conuentuum,quamdiu in illis commorantur. ita Innoc. & Panor. *in cap. à nobis.* Quod colligunt *ex cap. quæ contra mores, §. vt pactum* 8. *diſt.* idem præcipitur in Ordine Prædicatorum *cap. de itinerantibus.*

23 Quarto conſueta † forma verborum præceptiua,de qua ſupra,illa eſt, *Sub formali præcepto*, vel *in virtute ſanctæ obedientiæ*, ſiue *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Qua occaſione animaduertendũ cõtra Suarez, & alios voluntariè oppugnatores doctrinæ Caietani, quam tradit in Summula *verb. Clericorum peccata, & verb. Præcepti tranſgreſſio*, verum eſſe aſſertum illius, *ibidem*, ſi rectè explicetur,in quo aſſerit quod ordinariè,ac Regulariter præceptum factum à Prælato Regulari ſine forma, de qua ſupra immediatè,etiam quod ſit ſub pœna excõmunicationis, non obligare ſemper ſub mortali ad ſui executionem: quia per hæc verba non ſatis neque ſufficienter indicat voluntatem ſuam obligandi in conſcientia ad peccatum mortale, cùm optimè ſciat Prælatus vti, quando voluerit, forma verborum expreſſiua ſuæ voluntatis, de qua paulò ſuperius. Et eo magis,quia multoties id fieri ſolet non animo,ſiue voluntate obligandi,ſed potius ad meram comminationem externam ac terrorem, vt ſentiunt cum Caietano Nauar. *ſuo Manuali cap.* 23. *nu.* 53. *Caſtro primo de lege pœnal. cap.* 5. *docum.* 4. Silu. *verb. Præceptum, nu.* 3. Angel. *verb. Lex* §. 3. & Tabiena *eodem verb.* §. 28. Sit ergo

Secunda concluſio deciſiua principalioris dubij. Trangreſſores legis pœnalis ante Iudicis ſentẽtiam non tenentur ſubire pœnas, quæ in actione & paſſione conſiſtunt, & multò minus eas quæ in ſola paſſione conſiſtere dicuntur. Hanc concluſionem copioſe varijs argumentis demonſtrant Sotus, & Medina *vbi ſupra*, colligentes rationes, & argumenta ad eandem concluſionem, præſertim ex doctrina S. Tho. *quarti articuli q.* 96. 1. 2. cùm ab omni rationabili ęquitate alienum ſit,quod reus ille, qui in occulto crimen commiſit, ipſe ſe condemnet ad iacturam bonorum ſuorum, ad exilium, & ad mortem, quòdq. ipſe ſe prodat, & inſuper quòd ipſe ſit Iudex, teſtis, accuſator, & exequutor iuſtitiæ.

§. XI. De Contemptu in tranſgreſſores legis.

CVm, teſte D. Tho. *vbi ſupra* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *in corp.* & eius interpretibus *ibidem*, Religioſi tranſgreſſores eorum, quæ continentur in Regula, cenſeantur incurrere peccatum mortale, quoties id faciunt ex contemptu Regulæ, vel mandati in re graui; exactè declarandum eſt quid ſit verè Cõtemptus. D. Tho. vbi ſupra, in reſponſione ad tertium argumẽtum, deſcribens actũ habentem annexum contemptum, dicit, illum † eſſe, quando voluntas agentis renuit ſubijci ordinationi legis, vel
24 Regulæ, & ad hoc (præciſè ſcilicet, & formaliter) procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam; vbi inter alia refert auctoritatem S. Aug. *lib. de nat. & grat. cap.* 29. *circa med.* aſſerentis quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ. Subditq́. S. Tho. *Frequentia tamen peccati inducit ad contemptum, iuxta illud Prouerb.* 18. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

Hæc illuſtrantur à Caietano ad calcem ſui Commentarij ad eundem articulum,

culum, dum inquit; Peccare ex contemptu ſecundum doctrinam D. Thomæ ad tertium argumentum duo importat, actum ſcilicet peccati, & cauſam peccati; exemplificans de nolente ire ad chorum horis ſtatutis, & de frangente ſilentium; addendo, quod iſta peccata primo dicunt actum frangendi ſilentium, ſeù omiſſionem eundi ad chorum, & hoc vocatur actus peccati: ſecundo ipſam cauſam peccati ſignificatam illis verbis *ex contemptu*, & hoc exprimit actum voluntatis recuſantis ſubijci legi, ſeù Regulæ. Itaque ad peccare ex contemptu non ſufficit in rigore etiam ſi eſſet perpetua, & millies reuoluta, & deliberata conſuetudo peccandi in tali commiſſione, vel omiſſione; ſed neceſſariò requiritur quod peccet quis ex tali cauſa, ſcilicet ex hoc formaliter, quod non vult deliberatè ſubijci legi, ſeu Regulæ, vel ſuo Prælato, Prælatus enim cum ſit legiſlator, ex ſupradictis, habet vt ſit lex animata.

Ex his colligit Caietanus *vbi ſupra*, duo. Primum eſt, quamdiu Regularis ſubiectionem ad Regulam in ſua voluntate retinet; quod ſemper eſt quamdiu vult tamquam ſubditus ſecũdum ſuam Regulam viuere, quamuis ex minus bona, & indeuota voluntate intendat tranſgredi eandem Regulam; nunquam peccat ex contemptu.

Secundum continet animaduerſionem fundatam in expreſſa doctrina D. Thomæ, de quo ſupra in reſponſione ad tertium argumentum. *Caueat tamen*, inquit Caietanus, *Regularis, ne frequentia peccandi diſponat ſeipſum paulatim, & tandem ſe deducat ad voluntatem non ſubijciendi ſe Regulæ: quoniam vt in littera dicitur, frequentia peccati diſpoſitiuè inducit ad contemptum, ſicut conſuetum veniale non correctum diſpoſitiuè inducit ad mortale*.

Tractatus de Electione.

Idem Caiet. *ad art. 2. eiuſdem q.* 186. *§. ad euidentiam horum, verſ. de contemptu autem*, vbi de mente D. Thomæ, *qq. de veritate q.* 15. *art.* 1. *ad* 2. docet; *Scito quod non quilibet contemptus facit peccatum mortale, ſed contemptus Dei ſolum*. Et propterea ſi in propoſito contemptus non præceptorum, ſed conſiliorum Dei, quoniam in ipſis contemnitur Deus conſilians, ſicut contemnendo præcepta contemnitur Deus præcipiens: ideò peccatum mortale eſſet ex contemptu conſiliorum, conſilia, aut profectum charitatis omittere. Interuenit autem talis contemptus, quando homo refugit ſubijci conſilijs diuinis, vt conſilijs, & profectui charitatis, vt perfectiori viæ. Contemptus enim Dei eſt nolle ſubijci diuinæ Regulæ, quod hic manifeſtè accideret. Si quis autem ſpiritualem profectum, & diuina conſilia, vt poſtea à Deo ordinata, reueretur; ſed quia non ordinatur ad illa, & non ſunt neceſſaria ad ſalutem, non vult illa amplecti, & nihil curat de illis pro ſe; talis non contemnit Deum, ſed potius operum executionem; ac per hoc non peccat mortaliter ex huiuſmodi incuria deliberata, quæ nullus contemptus eſt, omittendo intentionem, & executionem profectus ſpiritualis, & operum bonorum quæ poſſet facere.

Quamplura ex immediatè ſupra adductis breuiter repetit Caiet. *in ſua Summula caſuum, verb. Contemptus*, præſertim, *num.* 4. *&* 5. *& ſequentibus*. vbi addit, quod contemptus connumeratur inter cauſas ſpeciales peccati, & eſt cauſa diſtincta contra infirmitatem: Secundo de ſe dicit contemptus nolle ſubijci, cui oportet ſubijci: tertio, quod talis contemptus formaliter intellectus inuoluit peccatum mortale: peccatum quidem, quia cõtra rationẽ eſt; mortale verò, quia cõtra dilectionem Dei, vel proximi eſt,

Ex quibus duo alia infert. Primum eſt: peccatum cõtemptus eſt maximum peccatum, licet raro accidat; & niſi peſſimè diſpoſiti, ſeu habituati, illud committunt ex odio legum, & legiſlatorum.

Ex hoc infert ſecundo: contemptus enim formaliter contra Superioritatem legis, vel legiſlatoris directè tendit. Quibus addit, contemptum habere latitudinem: nam aliquando dicitur ſimpliciter contemptus, aliquando verò ſecundum quid. Primum inuoluit peccatum mortale: ſecundum autem veniale tantùm. Silu. verò *tit. ſiue verb. Contemptus*, §. 3. Angel. *eodem verb. nu.* 1. & Caſtro *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 1. *concl.* 1. addunt eſſe ſem-
25 per † mortale, contemnere ritè præcipientem, ſiue etiam moneat, ſiue hortetur, iuxta illud Saluatoris, *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Si verò contemnatur Prælatus alia ratione, vt puta ob defectum eruditionis, vel prudentiæ, aut ſimilium, & ex hoc contemptu Religioſus recuſat ei in re leui obedire, non eſt ſemper mortale, vt animaduertunt inter alios Caſtro vbi ſupra, Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia cap.* 46. *dub.* 6. & Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum cap.* 5. *num.* 13 Agunt de prædictis copioſè, licet nil noui addant alicuius momenti ad prædicta, S. Anton. 3. *p. ſuæ ſummæ tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 158. *cap.* 4. *nu.* 37. Bañes *de iure, & iuſtitia*, Sotus *de iuſtitia, & iure lib.* 1 *q.* 6. Armilla *verb. Contemptus*, Silu. Angel. Sanch. & Leſſ. *vbi ſupra*.

§. XII. Quando verba Legis præceptiuæ ſunt dubia, quid agendum.

VT quorumdam repetitis inſtantijs ſatisfaciam, pro ampliori quoque explicatione eorũ quæ in his Præludijs declarantur, reſoluẽdum eſt quid pro ſecuritate conſcientiæ agendum ſit,
26 quando lex aliqua eccleſiaſtica † præceptiua continet rem dubiam, ſiue verba dubia. Qua occaſione deſideratur etiam recta interpretatio, & vera intelligentia illius communioris, & præceptiuæ Regulæ, *Dubia ſemper ſunt interpretanda in meliorem partem*.

Ante cuius, ſiue quorum, reſolutionem illud in primis ponderandum eſt, quod tradit S. Thom: 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *in reſp. ad ſecundum argumentum*, dum expreſsè inquit, quòd *aliud eſt iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercunque iudicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolùm bonum iudicantis, ſi verè iudicet; vel malum, ſi falsò*. Et ratio huius *ibidem* aſſignata à D. Thom. ea eſt, *quia verum eſt bonum intellectus; falſum autem eſt malum ipſius, vt dicitur 6. ethicorum cap. 2. Et ideò vnuſquiſque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet ſecundum quod ſunt*. Sed in iudicio, *quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius de quo iudicatur; qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quòd bonus iudicatur; & contemptibilis, ſi iudicatur malus*. Vbi concludit: *Ideò ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quòd hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat*.

Pariter expendenda venit in ſecundo loco doctrina Caiet. *ad* 1. 2. *D. Tho. q.* 96. *art.* 6. qua animaduertit quod quadrupliciter occurrere poteſt caſus agendi contra legis verba, pro ſeruanda intentione eiuſdem legis.

Primo, quoties accidit *caſus ambiguus, & impatiens moræ*; tunc ſeruanda ſunt verba legis, dicente S. Tho. *in reſponſione ad ſecundum argumentum, quòd ille qui ſequitur intentionem legiſlatoris, non interpretatur legem ſimpliciter; ſed in caſu, in quo* mani-

manifeſtum eſt per euidentiam nocumenti (quod ſcilicet infallibiliter, vel veriſimiliter ſequetur) *legiſlatorem aliud intendiſſe*. deinde ſtatim expreſſis verbis ſubdit: *Si enim dubium ſit, debet vel ſecundum verba legis agere, vel ſuperiorem conſulere*. Et *in reſponſione ad primum argumentum* idem S. Doctor expreſsè docuerat *quòd ille qui in caſu neceſſitatis agit præter verba legis, non iudicat de ipſa lege, ſed iudicat de caſu ſingulari, in quo videt verba legis obſeruanda non eſſe*.

Redeundo ad doctrinam Caietani, dicitur ſecundo quòd quãdo eſt *caſus ambiguus, & ſuſtinens moram*, conſulendus eſt ſuperior, qui habet auctoritatem interpretandi legem. Et hoc eſt illud quod docet S. Tho. *in corp. eiuſd. art. circa fin.* dum inquit, *quod ſi obſeruatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, vt interpretetur quid ſit vtile ciuitati, quid inutile ciuitati: ſed hoc ſolùm pertinet ad Principes, qui propter huiuſmodi caſus habent auctoritatem in legibus diſpenſandi*.

Tertius caſus à Caietano expreſſus eſt ille qui dicitur *manifeſtus, & impatiens moræ*; tunc conſtat quòd debet quis non ſeruare verba legis, ſed intentionem. Et hoc eſt illud, quod vt mihi videtur, docuit S. Thomas expreſſius in vltimis verbis corporis præcitati *art. 6.* dicendo: *Si verò ſit ſubitum periculum non patiens tantam moram, vt ad ſuperiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam; quia neceſſitas non ſubditur legi*.

Quartus denique caſus à Caietano vbi ſupra, ille eſt qui dicitur *manifeſtus; ſed ſuſtinens moram:* Et tunc duce ἐπιείκεια (quæ apud nos dicitur *æquitas*, ex D. Th. 2.2. *q.* 120. *art.* 1. *in corp.* licet prædicta vox plura ſignificet, aliquando enim *animi moderationem*, ſiue *modeſtiam*, denotat, *vt ad Philippen.* 4. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις; ideſt *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*. aliquando autem *Clementiam*, & *manſuetudinem* nobis inſinuat: vnde Plutarcus Cæſaris Templũ, *Clementiæ* τῆς ἐπιεικείας ἱερὸν appellat) ſine Superioris conſultatione prætermittuntur verba legis, & ſeruatur intentio eius; ſubdens immediatè rationem, *quia in manifeſtis non eſt opus interpretatione, quæ ſpectat ad ſuperiorem; ſed executione, vt in* 2.2. *quæſt.* 80. *de epijchia S. Thomas dicit*. Tandem concludit: *Quod ergo in littera corporis articuli dicitur, quod extra ſubitum periculum non pertinet ad quemlibet interpretari legem*, in caſu dubio eſt ſermo, & de caſu dubio ibidem tantùm eſt ſermo, *interpretatione enim non eſt opus in manifeſtis*. Et hæc ſit prima propoſitio reſolutiua propoſitæ difficultatis.

Secunda propoſitio. Quando eſt dubium in lege, an in tali caſu obliget, nec ne, & eſt opportunitas conſulendi ſuperiorem, tunc ſubditus tenetur ſuperiorem conſulere, qui eſt legitimus legum interpres. Si verò deſit talis opportunitas, tenetur ſeruare legem: in dubijs enim tutior pars eſt eligenda; & tutior pars eſt, quòd ſubditi legem obſeruent. Cui aliqui addunt illud quod dicitur de rerum dominio; quòd videlicet in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Sed lex iſta præceptiua, de qua hic agitur, eſt quaſi in poſſeſſione, imò pro ſe habet poſſeſſionem, vt à ſubditis obſeruetur: igitur vera eſt ſecunda pars huius propoſitionis.

Tertia propoſitio. Quando res eſt dubia, vtrum lex in tali caſu obliget, & ex alia parte ſit veriſimile apud viros prudentes, & ſapientes, zelumq́. Dei habentes, quòd ſi legiſlator adeſſet, non obligaret, imò de facili diſpenſaret hic, & nunc; eo caſu lex certè non obliga-

bit. Nam licet ſit dubium ſpeculatiuum, eſt tamen certitudo moralis, & prudentialis, quòd in eo caſu licitum eſt vti epijkia, vt inter alios docuit Caietanus *vbi ſupra*.

Quarta & vltima propoſitio. Quando interuenit dubiũ ex vna parte, an lex obliget; & ex alia parte conſurgit dubium quaſi æquale, an ex legis obſeruatione periculum ſalutis immineat: in tali caſu non tenentur ſubditi legem obſeruare. Ratio huius eſt, quia recta ratio dictat, quoties res dubia eſt, & vtrinque imminet periculum, ſemper minus periculum eligendum eſt: Sed minus periculum eſt non ſeruare legem humanam, quàm ſubire vitæ diſcrimen: igitur hoc tenendum eſt, atque obſeruandum.

Veritas harum propoſitionum oritur ex annotatis in prima, & ſecunda ponderatione, ſiue animaduerſione. Eandem veritatẽ expreſsè docet S. Tho. *vbi ſupra*, eiuſq́. interpretes *ibidem*, præſertim Caietanus, & Medina; Sotus *de iuſtitia, & iure*, & Bañes *de iure, & iuſtitia lib. 1.* & omnes Summiſtæ *verb. ſiue tit. Lex*.

Pariter quoties de aliqua dictione in lege pœnali poſita meritò dubitatur, an ſententiam exprimat ferendam, vel latam, toties ſine dubio cenſendum eſt non latam, ſed ferendam tantum continere. Hoc expreſsè traditur ab Alphonſo de Caſtro *lib. 2. de poteſtate legis pœnalis cap. 1. reg. 4.* quam colligit ipſe ex gloſſa, ex Abbate, ex Felino, Philippo Franco, & alijs Iuriſtis, quos *ibidem* copiosè refert; & *reg. 3.* docet omnem legem pœnalem, quæ circa inflictionem pœnæ vtitur verbo imperatiui modi, quamuis ſit temporis præſentis, ſententiam tamen continere à iudice non latam, ſed ferendam; quam declarat, & probat *vbi ſupra, reg. 3.* ne dum ſecundum placita Iuriſtarum, verum etiam Sanctorum Patrum.

Regula illa, de qua ſupra, vt optimè animaduertunt inter alios, præſertim D. Thomæ interpretes, Caiet. & Bañes
27 *ad art. 4. q. 60. 2. 2.* dupliciter † poteſt explicari. Primo ſcilicet negatiuè: ſecundo poſitiuè. Si intelligitur negatiuè, ſenſus eſt, quod dubia non ſunt in deteriorem partem interpretanda, maximè in ordine ad famam, & bonum nomen proximi, quod eſt dicere: Nullus hominum in caſu verè dubio debet in peiorem partem declinare. Et ſupradicta Regula hoc modo explicata, eſt veriſſima, & certiſſima apud omnes: ſecundum quem ſenſum Dominus negatiuè præcepit Matth. 7. *Nolite iudicare*; & Apoſtolus ad Corinthios dicebat: *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Et ratio huius eſt illa D. Thomæ aſſignata in articulo, quoniam tunc fieret iniuria proximo, ſi declinaremus in peiorem partem.

Si verò intelligatur prædicta Regula poſitiuè, quod dubijs occurrentibus de proximo fiat interpretatio in meliorem partem; tunc eſt ſenſus, quod quando factum aliquod prouenit à proximo, de quo dubium eſt quo animo factum ſit, tunc faciendum eſt de nouo iudicium opinatiuum, quo bono animo id fecerit. In quo ſenſu optimè animaduertit Caietanus ex D. Tho. *vbi ſupra*, quod Regula prædicta in hoc ſenſu dupliciter conſiderari poteſt. Primo vt ſit Regula docens quid abſolutè facere debemus in tali occurſu; vt ſcilicet doceat quòd bonum eſt, quando occurrunt nobis hæc dubia, prorumpere in actum opinionis bonæ de proximo, interpretando quòd bono animo fecerit, excuſando illum, & huiuſmodi. & ſic ego intelligo Regulam iſtam eſſe ſecundum rectam rationem, quando recta ratio non tradit

quod

quod ex obiecto neutrali generetur, aut ſumatur opinio declinans ad alteram partē; ſed quod neuter præſeruetur intellectus. Nulla rurſus ratio ſuadet, vt occurſus ambigui facti alterius obliget me ad benè opinandum de ipſo, cùm non tenear etiam ad aliquid opinandum de ipſo in particulari, ſicut nec ad diligendum; vt patet in ſupra dictis in tractatu de Charitate. Boni demùm rationem non habet, vt abſque neceſſitate, aut pietate aliqua exponam intellectum meum periculo falſitatis ſæpius incurrendæ. Non eſt igitur ſenſus iſte poſitiuus ſumendus abſolutè, & ſimpliciter.

Alio verò modo poteſt ſumi ſenſus iſte, ex ſuppoſitione, ſcilicet ſi iudicandū eſt; ita quod Regula iſta docet quod dubia in meliorem partem ſunt interpretanda, ſi iudicandum eſt, ſi oportet iudicari. Et hic eſt verus ſenſus huius Regulæ, prout hic diſputatur, & intenditur in littera.

Prædicta hæc continentia explicationem Regulæ, de qua ſupra, confirmantur ex auctoritate gloſſæ ad illa verba Roman. 14. *Qui non manducat, manducantem non iudicet*, dicentis: *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda*. Et ex illo pariter Bedæ in homilia ad illa verba Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, aſſerentis hoc in loco: *Nil aliud præcipi exiſtimo, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*.

Ad argumenta verò eorum qui dicunt iuxta illud *Eccleſ.* 1. quia *proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua*, vt habetur etiam *Gen.* 8. ideò dubia interpretanda eſſe magis in malū quàm in bonum, reſpondet S. Tho. 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. *ad primum*, dicendo quod *poteſt contingere, quod ille qui in meliorem partem interpretatur dubia, frequentius fallatur: ſed melius eſt*, ſubdit immediate S. Doctor, *quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono*. Et reddens rationem inquit: *Quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo*. quam rationem magis declarauerat idē S. Doctor *in corpore eiuſdem præcit. artic.* & *in reſponſione ad ſecundum argumentum præcedentis immediatè articuli* dicens; *Ex hoc ipſo quod aliquis habet malam opinionem de alio ſine ſufficienti cauſa, iniuriatur ei, & indebitè contemnit ipſum*.

Inſtant iterum, & auide petunt quid
28 operentur in lege præceptiua † ſequentia verba: *Nemini liceat hanc noſtram legem, ſine paginam aliter interpretari*: nā per hæc verba videtur totaliter prohibita omnis, & quæcunque interpretatio tam auctoritatiua, quam magiſtralis, etiam quæ iuri, & rationi innixa eſſe videtur. Cui petitioni breuiter ſatisfaciendo dico cum Emmanuele Sà *in ſuis Aphoriſmis, verb Interpretatio, nu.* 5. cum Salas *de legibus diſput.* 21. *ſect.* 2. & cum Barboſa *in prologo ſuarum remiſſionum ad Concilium Tridentinum*, quòd per illa verba ſolùm, & tantùm prohibentur interpretationes particulares, leues, atque friuolæ, non rectè fundatæ in iure, & ratione communi; & pariter illæ quæ ſunt manifeſtē, aut veriſimiliter contra, ſiue præter mentem legis, vel legiſlatoris.

§. XIII. An Lex humana poſſit præcipere actus interiores.

CVrioſè proponunt aliam difficultatem de Lege merè humana, an poſſit præcipere actum purè inter-
29 num. Cui difficultati reſpondetur † per ſequentes propoſitiones; hoc vno prius conſiderato pro maiori claritate dicen-

dorum, quod titulus, ſiue inſcriptio difficultatis poteſt dupliciter exponi. Primo modo directè: ſecundo modo indirectè. Indirectè adhuc duobus modis exponitur. Primo modo, vt ſenſus ſit, an lex humana valeat præcipere indirectè actum internum, qui dicatur internus ex parte actus, comprehendendo illum tamquam cauſam formalem, ſeu partem actus humani completi, qui eſt cōpoſitus ex interiori, & exteriori actu. Vel ſecūdo modo ex parte obiecti actus interioris, reddendo illud prauum, & contrarium rectæ rationi.

Prima propoſitio. Lex merè humana non poteſt præcipere actum purè internum directè, & ſecundum ſe. Hanc concluſionem docent cōmuniter Theologi, ac Iuriſtæ, vt aſſerit inter alios Ant. Cordub. *in ſuo quæſtionario Theolog. lib. 4. q. 13. §. Tertia opinio;* & Petrus de Arag. *ad 22. S. Thom. q. 83. in explic. art. 13.* ac etiam Suarez *de legibus lib. 3. de lege humana cap. 13.* Eandem defendit in proprijs terminis D. Tho. *2. 2. q. 104. art. 5. in corp. & in reſponſione ad ſecundum argumentum;* vbi declarans ea, in quibus nō tenetur inferior obedire ſuo ſuperiori, etſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur, poſt recenſitam ſententiam Senecæ *tertio de beneficijs* aſſerentis: *Errat, ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere; pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis; mens quidem eſt ſui iuris.* Ex quibus, & alijs multis ſuperius adductis in eodem corpore articuli, optimè firmatis, & ſtabilitatis multiplici ratione atque authoritate etiam ſacræ Scripturæ, rectè colligit per modum verioris concluſionis: *Et ideò in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire; ſed ſolùm Deo.* quòdue iſta concluſio intelligatur de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, oſtendit idem S. Tho. *4. ſent. d. 25. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad primum argumentum.* Quæ magis explicans fideliſſimus interpres D. Thom. Caietanus *in ſuo Commentario ad eundem præcitatum art. 5. q. 104. 2. 2. Collige,* inquit, *ex littera S. Doctoris exempta ab obedientia hominis, & vide eſſe tria. Primo iuſſa à Superiori: ſecundo interiores animi motus: tertio ſpectantia ad naturam corporis.* & *in reſponſione ad primum argumentum,* ab eodem propoſitum, eadem confirmat de actibus interioribus hominis, quem in hoc ſequuntur alij interpretes D. Tho. *ad eundem articulum.*

Hæc prima concluſio, vt colligitur ex verbis ſupra adductis immediatè D. Thomæ, & Caietani, ac aliorum, extendi debet nedùm ad legem purè humanam ciuilem, verùm etiam ad legem eccleſiaſticam, vt diſtinctam à lege diuina. Ita ſentiunt nedùm Theologi, ſed etiam Iuriſtæ, vt expreſsè affirmat Corduben. *in ſuo quæſtionario Theologico lib. 4. q. 13. §. Tertia opinio media;* quod etiam inſinuat Suar. *vbi ſupra lib. 3. de lege humana cap. 13. ad fin. nu. 4.* & *lib. 4. de lege poſitiua Canonica cap. 13.* in quibus locis fundat ſuam doctrinam ſuper placitis quamplurimorum Theologorum, & Iuriſtarum, quos ibi in ſpecie citat.

Secunda propoſitio. Lex humana poſitiua Canonica poteſt abſque dubio præcipere, prohibere, & punire actus etiam interiores voluntatis, ac intellectus indirectè, ſeu conſequenter, quatenus connexi eſſe poſſunt cum actibus exterioribus; addendo cum Caietano, Siluestro, & alijs, non ſolùm vt ſunt cauſæ neceſſariò coniunctæ, ſed etiam vt ſunt cauſæ contingentes, ſiue qualitates, vel circumſtantiæ exteriorum actuum.

Hanc ſententiam tamquam collectā ex doctrina S. Thomæ, tradit Caietanus *2. 2. q. 104. art. 5. ad finem, §. ad primum horum dicitur;* & *in ſua Summula, verb.*

Hære-

Hæreſis num. 3. *& verb. Hora Canonica nu.* 7. Quam ſententiam inſinuat S. Thomas *vbi ſupra* immediatè in reſponſione ad ſecundum argumentum.

Hæc concluſio nunc communiter tenetur à Doctoribus vtriuſque iuris, vt verbis vtar Cordub. *loco ſupra citato.* Et Suarez, *vbi ſupra lib. 4. de lege poſitiua Canonica, cap.* 13. *nu.* 20. poſt recenſitam ſententiã Caietani, & Siluestri, de qua *ſupra in ſecunda propoſitione*, addit: *Et res ipſa in ſe videtur ſatis clara, & vſui conformis*, aſſignans pro ratione à priori, quia *Eccleſia poteſt prohibere, & punire ſimpliciter actum exteriorem cum dependentia ab interiori affectu, vel intentione accidentaria tali actui, quando actus aliàs eſſet malus ſine tali intentione, & dignus tali pœna*; ergò à fortiori poterit illum prohibere, & punire cum tali conditione, ſcilicet ſi à mala intentione, vt puta odij, vel alia ſimili procedat. Ex his duabus propoſitionibus colligunt præcitati authores aliqua Corollaria, quorum

Primum eſt ex Almayno *de poteſt. ciuil. euang. cap.* 3. ex Nauar. *de pœnit. diſt.* 5. *in principio nu.* 26. Eccleſia per legem poſitiuam non poteſt prohibere, vel punire actum externum de ſe bonum ex obiecto, & circumſtantijs externis, propter ſolum defectum, quem accipere poteſt ex effectu interno, vel ſola intentione operantis. Veritas huius Corollarij ſufficienter colligitur, & probatur ex iam adductis. Quibus additur pro maiori claritate, quod ſi poſſet fieri prohibitio, de qua in Corollario, illa eſſet directè & per ſe, ac immediatè de actu interno, contra aſſertum & probatum in priori concluſione. Inſuper, ad regimen Eccleſiæ viſibilis talis modus præcipiendi neceſſarius non eſt, nec conueniens, & vt quamplures Theologi, & Iuriſtæ affirmant, *nunquam Eccleſia hoc conſueuit.*

Nec huic veritati officit diſpoſitio *cap. Tua nos, de ſimon.* quia loquitur conformiter ad aſſertum explicatum in præcedenti Corollario: conſtat quidem ex titulis de Vſura, & Simonia, non ſolùm iure diuino, & naturali, ſed etiam iùre humano, vel eccleſiaſtico, vſuram, & ſimoniam prohibitam eſſe: ſed hæc duo crimina neceſſariò inuoluunt actũ exteriorem, & interiorẽ ad ſe inuicem ordinatos, & ſeipſos qualificantes: ideò vterque actus prohibetur, etiã interior, vt puta mentalis ſimonia, non quidem abſolutè, & per ſe ſumptus; ſed vt alter ordinatur ad alterum, vel qualificat & qualificatur ab altero reſpectiuè.

Qua explicatione fit ſatis etiam ad obiectionem fundatam in *Clement.* 1. *de hæret.* §. *verum*, vbi Eccleſia præcipit ſub excõmunicatione, ne Inquiſitores hæreticæ prauitatis contra aliquem ex odio procedant, ſiue ex amore omittant procedere in his quæ vere ſunt ſui muneris: ibi enim ſi diligenter, vt decet, vterque actus conſideretur, palam apparet, quod actus interior odij, vel amoris ſub hac ratione formali, qua exteriorem actum qualificat, prohibetur, atque punitur.

Idem quoque proportionaliter dicendum eſt de præcepto facto Clericis *in cap. dolentes de celebr. Miſſ.* vt ſcilicet perſoluant Diuinum Officium deuotè, ſtudioſè, & attentè: ibi enim vterque actus exterior, & interior non per ſe ſumptus; ſed ſimul coniunctim præcipitur: vnus videlicet in ordine ad alterum; ita vt interior deuotio, & attentio præcipiatur, vt ordinatur ad exteriorem Horarum recitationem, & per conſequens vt qualificat illam.

Et ſi quis cupit ſcire cauſam horum, ea aſſignari poteſt, quia ſcilicet illa quæ cadunt ſub humana cognitione, abſque dubio etiam ſubſunt humanæ, & Eccleſiaſticæ poteſtati; ſed actus interiores, de

quibus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quibus ſupra immediatè, vt qualificant exteriores,& vt ordinati ad illos, poſſũt per exteriores cognoſci,quia vt tales aliquo modo cadunt ſub notitia ſentitiua, nam moraliter loquendo tales actus exteriores ſufficienter manifeſtant prauũ animum, à quo profiſcuntur; quemadmodum, & illi exteriores ab eiſdem qualificati: & hoc eis competit, quantũ ſit ex natura talium actuum modo dicto inter ſe ordinatorum; quamuis per accidens, ſicuti occulti quoque exteriores, ex defectu probationum cognoſci non poſſint.

Secundum Corollarium infertur ex primo,& eſt: Ergò Eccleſia poteſt prohibere, & punire actum exteriorem cum dependentia ab interiori affectu, quando actus alias eſſet malus ſine tali intentione,cum præſupponatur actionẽ exteriorem prohibitam,eſſe de ſe malã ſine tali intentione, & conſequenter eſſe dignam pœna.

Tertium Corollarium declaratiuum præcedentium illud eſt: Vbicunque actus interior,modo iam explicato, cum externo coniungitur, morali, & humano modo per illum etiam manifeſtatur,quia præſumitur ex modo agẽdi intentio operantis, licet non ſit infallibilis hæc iudicatio; quia poteſt homo eſſe fictus, & mendax: hoc tamen ſufficit, vt actus interior comprehendatur ſub adæquata materia, & obligatione legis humanæ, propter rationes, & auctoritates ſuperius relatas.

Ratio huius illa eſt, quæ aſſignatur in ſecunda concluſione,ſiue propoſitione, quam magis declarans Caietanus *in Summula in verb. Hæreſis nu.3. & verb. Horæ Canonicæ nu.7.* inquit: *Verum quidem eſt ad Eccleſiæ iudicium non ſpectare actus interiores ſecundum ſe, hoc eſt nudos; ſed non eſt verum, Eccleſiæ iudicium ſubterfugere actus internos, vt ſunt rationes actuum exteriorum:* ſubdens, *excommunicat nãque Eccleſia eos,qui odio,vel amore omittunt inquirere hæreticos, vt patet cap. multorum in Clem.* addens,*licet internam ſtudioſitatem, & deuotionem nudam (in recitatione Diuini Officij) Eccleſia non præcipiat, præcipit tamen vtramque, internam videlicet,vt rationem exterioris cultus.* Hæc ille.

Et *nu. ſeq.* 8. ſatisfaciens cuidam tacitæ obiectioni inquit; *Nec propterea laqueus iniectus eſt animabus, quoniam facillimum eſt huic præcepto obedire,cum nihil aliud exigat,niſi quod quis animo vacandi Deo Horas inchoet, & in contrarium animus iſte non mutetur dum diuinum exoluit officium: mutari autem* (ait ille) *in contrarium eſt impoſſibile ex inaduertentia: quoniam non voluntariè ab officio diſtrahitur, qui inaduertenter vagatur.*

Maiorem facilitatem adimpletionis prædicti præcepti demonſtrat Caietanus quattuor vijs ſequenti *num.9.* quas breuitatis cauſa omitto: præſertim cum adducantur ab omnibus ferè Summiſtis *eod. verb. Horæ Canonicæ*, ſiuè *Diuinum Officium*.

Addunt alij authores rationem pro claritate aſſertæ veritatis tertij Corollarij:Chriſtus enim ſuæ Eccleſiæ,ac Summo Pontifici Romano capiti vniuerſalis Eccleſiæ tradidit pleniſſimam poteſtatem condendi leges præceptiuas ad ſpiritualem finem ordinatas, qui eſt ſalus animarum, iuxta illud *Matt. 16. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*: igitur etiam præcipiendi actus internos ſimpliciter, & abſque omni ordine ad externos,vt aliqui non rectè inferunt, etſi hoc cum tanta latitudine aſtruant non abſolutè; ſed cum ſequenti qualitate (*hoc non videtur improbabile*;) ſed ſolùm, ac tantùm modo declarato in propoſitionibus, ſiue concluſionibus, & Corollarijs nedùm propter

pter communem ſenſum Theologorũ atque Canoniſtarũ; verùm etiam quia contrarium in rei veritate eſt valdè improbabile, & ab omnibus tamquam falſum meritò reputatur, ob rationem præcipuè aſſignatam à D. Thoma 1. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.* fundatam, vt inſinuat idem S. Doctor 4. *ſenten. diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 3. in illo *primi Regum cap.* 16. *Homines iudicant quæ foris ſunt, Deus autem intuetur cor*, quia homo non tenetur homini in his quæ nude pertinent ad interiorem motum; ſed ſoli Deo: igitur legi tantùm diuinæ actus interiores abſolutè, & ſimpliciter ſubſunt. Ex qua ratione optimè concludit, ac euidenter demonſtrat S. Thomas neceſſitatem legis diuinæ: Cùm enim Eccleſia non valeat iudicare de actibus per ſe internis, manifeſtè ſequitur quod nec etiam de illis purè, ac nudè conſideratis poterit legem ferre: igitur præter legem humanam neceſſariò ſtatuenda eſt lex diuina, quæ ad actus interiores abſolutè ac directè ſe extendat, eos ritè ordinans ad debitum finem, aliàs non eſſet hominis perfectioni ſufficienter prouiſum, nam ad perfectionem virtutis requiritur quod homo tàm in actibus externis, quàm internis perfectus exiſtat.

Efficaciam huius rationis contemplantes nonnulli Auctores, quos in ſpecie referunt, *vbi ſupra*, Corduben. & Suarez, nullatenus admittebant poſſe legem humanam neque Canonicam præcipere actus hominis internos: & ad auctoritates ſacrorum Canonum, & grauiorum Doctorum aſſerentium cadere actus interiores ſub mandato legis Eccleſiaſticæ, maximè in caſibus relatis, & modo declarato, contendebant ad effugium tantum reſpondere, actum internum ibidem non præcipi ex vi tantùm, ac ſolùm iuris humani; ſed ex vi potius iuris diuini, & naturalis, licet vt ſæpe dixi, totieſq. repetij, ac iterum confirmo, ea ſit veritas, vt ſubſint actus interiores hominis, modo explicato, legi Canonicę; cum multi ex illis ſint neceſſarij ad humanum conuictum, & ad cultum diuinum in Eccleſia omninò neceſſarium, vt rei euidentia per ſe ſufficienter demonſtrat.

Expendi diligenter efficaciam rationis D. Thomæ, de qua *ſupra*, non præcisè, ac tantùm vt demonſtrarem ex illa neceſſitatem legis diuinę, vt factum eſt; verùm etiam, vt omnibus patefacerem ex hac demonſtratione, ſententiam quam edocet Caietanus locis ſupra immediatè citatis de nudis actibus interioribus, qui vt tales formaliter non ſubſunt legi humanæ, neque eccleſiaſticæ. Eſt etiam expreſſa ſententia D. Thomæ, vt palam oſtendunt prædicta directè aſſerta ab eodem S. Doctore, & à me fideliter relata ad primam, & ſecundam concluſionem ad hanc, eandemque materiam pertinentia. Cùm enim iſti actus, vt purè interiores ſunt, nõ cadant ſub lege aliqua humana, infert S. Thomas, ergò neceſſarium eſt propter totalem hominis perfectionem paulò ſuperius explicatam, vt conſtituatur lex diuina, quæ ſit Regula actuum interiorum hominis.

Ex illo itaque antecedenti neceſſariò colligitur conſequens de actibus purè internis non ſubiectis per ſe, & directè legi humanæ: ideò D. Thomas eamdem ſentẽtiam clarè exprimit in eodem art. ſuperius citato ad primam concluſionẽ reſolutionis huius difficultatis, præſuppoſita prius ratione ſiue argumento, de quo paulò antea.

Inſuper D. Thomas 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *in corp.* validiſſimis rationibus, & auctoritatibus ſanctorum Patrum, præſertim S. Auguſtini, demonſtrat euidenter neceſſitatem legis diuinæ ob directionem huma-

humanorum actuum, maximè interiorum, in ordine ad vltimum finem.

Ad confirmationem quorum adducit verba *Pſal.* 18. continentia quatuor cauſas neceſſitatis legis diuinæ, latè ab eodem ſancto Doctore, *vbi ſupra*, explicatas. Verba illa ſunt: *Lex Domini immaculata*, ideſt nullam peccati turpitudinem permittens. *Conuertens animas*, quia non ſolùm exteriores actus; ſed etiã interiores dirigit. *Teſtimonium Domini fidele*, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis. *Sapientiam præſtans paruulis*, in quantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem, & diuinum. Hæc ille: ideò *Pſal.* 118. Regius Vates intuens, ſibi, & alijs hominibus diuinam legem eſſe neceſſariam ad ſalutem, eam totis animi votis, totque vicibus, vt patet in eodem Pſalmo, à Domino inſtanter poſtulat: *Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum*, &c. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*, & ſimilia.

§. XIV. Vindicatio Caietani ab Alphonſo de Caſtro, circa ſuperius adducta, *num.* 19. §. 8.

QVidam voluntariò aſſerunt Caietanum ſibi ipſi contradicere, dum 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. ad dubium quoddam ab eodem motum † reſpondendo, inquit; *Antequam quis ſit condemnatus per Iudicem, non tenetur ad executionem pœnæ*: vbi euidenter demonſtrat hanc eſſe intẽtionem D. Thomæ in littera eiuſdem articuli, ab ipſomet S. Doctore ſufficienter quoque expreſſam. Ideò Caietanus hoc iam palàm demonſtrato, in ſequenti §. de eadem materia verba faciens, vniformiter ſemper loquens; ad prædicta optimè ſtabilita docet, *Actum legis eſſe, punire etiam executiuè, quando pœna non exigit actionem in executione, vt ſunt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irregularitas, & ſi qua eſt alia ſimilis*, de quibus diſſeruerat in Commentario eiuſdem articuli, §. antecedenti.

Addunt oppoſitores, quòd Caietanus aliter loquatur in ſua Summula peccatorum, *verb. Pœna nu.* 1. dum expreſſis verbis inquit: *Pœnam ſubire ſtatutam licet non teneatur quis in foro conſcientiæ, niſi poſtquam fuerit ad illam à Iudice condemnatus*, ſtatim, ac immediatè ſubdens, *tamen hoc fallit in duobus caſibus, ſcilicet in cenſuris, & teſtamentarijs*.

Horum opponentium Dux eſt Alfonſus de Caſtro, qui ſupradicta loca potius ſtatera affectus, quàm rationis ponderat, *lib.* 2. *de poteſtate legis pœnalis cap.* 8. §. *Caietanus in Commentarijs*, &c. vbi quemadmodum ipſemet Caſtro fatetur, non fideliter, & integrè, ſed truncatè, ac diminutè vtitur verbis Caietani: quod ego illi non impono, ſed apertè nimis ipſemet fatetur per ſequentia verba: *Ex cuius verbis*, (ſcilicet Caietani) *ea ſolùm, quæ mea ſententiæ ſuffragantur, capiam; reliqua verò, quæ à me non probantur, reijciam*; ſubdens immediatè; *id enim ſolùm, vt aiunt, extenſis vlnis amplector, quod ait ſententiam obligare reum ad executionem pœnæ*.

Placeat igitur candido lectori mecum primo conſiderare neceſſitatem integræ relationis verborum Auctoris, quæ non deficienter, nec truncatè, ſed integrè, & fideliter veniunt referenda, & vt talibus vti debemus in confutatione, vel approbatione ſuæ ſententiæ; in quo ſe erraſſe Caſtro manifeſtè fatetur ex ſupra adductis verbis ipſiuſmet.

Secũdò, quòd in verbis, quibus truncatè vtitur Caſtro, quæ ſunt; *ſententiam obligare reum ad executionem pœnæ*, Caietanus non aſſerit, legem pœnalem obligare reum ad executionem pœnæ ante decla-

declarationem Iudicis; ſed ſolùm, ac tantùm indefinitè loquendo, indicat vim obligatiuam legis pœnalis, aſſerens reũ eſſe adſtrictum exequi pœnam inflictã in lege pœnali iuſta, ſeruatis de iure neceſſariò ſeruandis, præſcindendo an id habeat locum ante, vel poſt declarationem Iudicis, etiam in foro conſcientiæ; nihilque per illa verba præcisè adducta determinando, an, à quo, vel quo modo, & quando fieri debeat illa executio.

Tertio, Conſiderandum eſt, quòd ipſemet Caietanus ſufficientiſſimè vtrobique ſuam explicat ſententiam, dum in locis ſupra memoratis vniuerſalem propoſitionem, de qua ſupra, declarans, ac limitans, expreſſis verbis tradit, legem pœnalem continentem latam ſententiam obligare reum ad executionem pœnæ, quoties pœna nullam actionem ad ſui executionem exigit: & magis, ac magis in hoc ſuam aperiens mentem, exemplificat in particulari quæ ſint iſtæ pœnæ, vtputa pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis, & ſi quæ eſt alia ſimilis. Malè igitur imponitur illi à Caſtro, quòd ſit inconſtans, cùm more ſapientum conſtantiſſimus extiterit in locis præcitatis, vniformiter edocens eamdem doctrinam, quam hauſit à limpidiſſimo fonte Sapientiæ Angelicæ, ſui, & noſtri ſanctiſſimi Præceptoris D. Thomæ.

Quæ doctrina præter ſuperius allata pro ſe habet diſpoſitionem *cap. cum ſecundum leges, de hæreticis in 6.* & Abbatem cum alijs innumeris Iuriſtis, atque Theologis.

Quam veritatem non valens negare Caſtro *vbi ſupra, lib. 2. cap. 5. §. rurſum, verſic. Caietanus in ſua Summula: Alij docent,* inquit, *ſemper eſſe neceſſariam Iudicis ſententiam, antequam aliquis incidat in pœnam à iure latam*; ſubdens, *dicunt hoc non eſſe verùm in cenſuris*: igitur Caietanus ſecum habet alios. Et ſi cupis ſcire quos, legas quæ ſcribit idem Caſtro *eodem lib. 2. cap. 9.* vbi expreſsè fatetur, quod omnes infraſcripti tuentur ſententiam, quam defendit Caietanus, videlicet Bartolus *l. eius qui delatorem, ff. de iure fiſci*. Archidiac. *in cap. cum ſecundum leges de hæreticis lib. 6.* Ancaran. *ibidem*, Philippus Francus *ibidem*, Alexander *l. ſi quis maior, C. de tranſactionibus*, Gulielmus Benedictus *in cap. Raynutius de teſtam. par. 1. nu. 32.* Hippolytus Marſilienſis *in ſua practic. cauſarum criminalium, §. aggredior num. 105.* Alciatus *in l. cum poſteaquam, C. de practic.* Silueſter *tit. pœna num. 15.* & Ioannes Medina *de contractibus, & reſtitut. q. 22.* de quibus immediatè ſubdit Caſtro: *Hi ſunt quos noui contrariam meæ opinioni tenere ſententiam*, (addens voluntariè) *quamquam magna illorum pars non de ſententia legis pœnalis, ſed de illius executione loquatur.* Hæc ille. Quæ executio etiam pro noſtra ſententia ſufficit modo declarato.

Et quod ampliuseſt, ibidem Caſtro *verſ. nec videtur mihi neceſſarium*, poſt relatam rationem Caietani pro ſententia negatiua, de qua diſſeritur, fortè non valens eamdem vt iacet, fideliter, ac integrè ſoluere, dicit. *Non videtur mihi neceſſarium pro reprobatione huius ſententiæ Caietani plura afferre argumenta*, addens: *Nam ſatis, quo ad rem attinet, me factum exiſtimo, ſi alias plurimas prodiderim leges; &c.* videlicet pro ſua ſententia affirmatiua, quam *cap. 8. eiuſdem ſecundi libri* ſuam propriam appellat. Et quod eſt mirabile, adducit aliquas leges; & primo loco illam *de inceſtuoſis*, quibus imponitur pœna ne contrahere poſſint matrimonium abſque diſpenſatione; & ſi contrarium fiat; ne valeant ab vxore debitum exigere. *Quas duas pœnas,* inquit Caſtro, *certum eſt obligare in conſcientia inceſtuoſos, etiam nulla ſecuta ſententia*; inſe-

inferens: *Ergò ante Iudicis ſententiam incurritur pœna taxata in lege*. Et animaduertens non eſſe veriſſimam illationem factam per ipſum ſub nomine Corollarij, ſtatim addit *quod Abbas videtur concedere illud Corollarium, qui in cap. litteris de præſumptionibus, videtur inſinuare eſſe neceſſarium quomodocumque conſtet de crimine, ad hoc, vt inceſtuoſus incidat in pœnas*, de quibus ſupra. *Quod dicit Abbas* (ait Caſtro) *verbu ſuboſcuris*. Addo ego, quod ex verbis Abbatis, Corollariũ Caſtri ad minus redditur dubium, præſertim cùm verbum, *Conſtare*, communiter ſignificet, quando iuridicè conſtat per teſtes, vel per alia grauia iudicia de delicto, &c. igitur ſua ſententia fundatur in legibus non clarè, ſed dubiè ſignificantibus id quod intendit Caſtro. Addo inſuper quod conſideranti, quæ adducit idem Caſtro, *vbi ſupra, vſque ad finem citati cap.* ſunt leges, vel auctoritates loquentes ſuboſcurè, nunquam tamen vniuerſaliter, ſed in aliquibus caſibus ſpecialibus, ob ſingulares rationes non demonſtrantes, ſed perſuadentes in illis caſibus tantum id fortè euenire, quod aſſerit vniuerſaliter Caſtro.

Et cùm non liceat de caſu diuerſo in ratione, & cauſa ad alium caſum diuerſæ rationis, & fundamenti facere tranſitum, & multò minus vniuerſaliter; relinquitur prædictum Corollarium tamquam non plene probatum, ſed valde dubium, cùm illa, quæ pro maiori parte cumulat pro ſua propria opinione, colligat non neceſſariò ex præmiſſis, ſed potius voluntariè, & valdè remotè.

Et vt breuiter oſtendam quod dico, legantur attentè, quæ ſcripſit idem Caſtro, *lib. 2. de poteſtat. leg. pœnal. cap. 9. §. Bartolus, verſ. Angelus de Peruſio, &c.* Quem auctorem *cap. 5. & 8.* inter primarios patronos citat pro ſua ſententia; & *ibidem*, ſcilicet *cap. 9.* inueniuntur ſequentia verba. *Poſtquam nu. 2. in authentica de inceſt. dixerat quod vbi lex dicit aliquem priuari iure ſuo, quod intelligitur ipſo iure, abſque ſententia*. Tandem *nu. 4.* hæc quæ ſequuntur ait: *Ex prædictis dico, quòd ſi ſtatutum dicat, quicunque commiſerit homicidium, ſit ſuis bonis ipſo iure priuatus; licet homicida ſit ipſo facto priuatus, tamen bona non poſſunt illi auferri, niſi prius condemnetur de homicidio*, (addens) *quia oportet prius conſtare per ſententiam antequam bona auferantur ei, vt dicta l. eius qui delatorem, ff. de iure Fiſci*. Hæc ille. Quæ verba ritè conſiderata abſque dubio magis fauent ſentẽtiæ negatiuæ Caietani, quàm oppoſitæ. Idem quoque iudicium fieri poteſt de alijs, &c. prout inſinuabam.

Sententiam verò negatiuam inſinuauit etiam S.Thom. *2. 2. q. 98. art. 3. in reſponſione ad tertium*, dùm inquit, *Non ſequitur, ſi ille qui iurat falſum iuramento aſſertorio, non eſt infamis ipſo iure, ſed ſolum per ſententiam diffinitiuam latam contra eum, quod propter hoc non peccet mortaliter*, &c. Quamuis in cap. infames, 6. q. 1. ipſo iure pronuncientur tales infamiam incurriſſe.

Ad hæc reſpicientes primi illi Patres almi ordinis Prædicatorum profeſſores in prologo Conſtitutionum dicti Ordinis *tex. 4.* expreſsè ſtatutum ediderunt ſequentis tenoris: *Pœnis tamen abſolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ, vel paſſiuæ, grauioris culpæ, & alijs maioribus (quantumcumque in Conſtitutionibus quam extra, ſint ipſo facto incurrendæ) niſi ſit pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nullus ſit ſubiectus, niſi ſuperueniat declaratio Prælati in particulari reſpectu huius; quantumcumque, etiam notorium facti, vel iuris, aut vtriuſque interueniat*. Quod ſtatutum nedum condiderunt Patres ſanctitate inſignes, ac miracu-

racu-

Digitized by Google

raculis clariſſimi, ſed illud ſemel, atque iterum confirmauit ſancta Sedes Apoſtolica vna cum alijs Statutis eiuſdem Religionis. Quod equidem argumentum habet in ſe tantam efficaciam, atque euidentiam, vt quando pro opinione (quam vocat Caſtro Caietani ſententiam) nil aliud adeſſet, id abundantius ſufficeret: ideò vltimo loco diſtuli illud adducere, tamquam confirmationem dilucidiſſimam prædictorũ.

Ad id verò, quod pro ſua ſententia adducit Caſtro, *vbi ſupra*, iactando ſe habere patronos eximios, qui ſuæ adſtipulantur opinioni, & illam pro viribus tuentur, vti eſt videre *lib. 2. præcit. de poteſtate legis pœnalis cap.* 8. *per tot.* præſertim, §. *ecce vides*, &c. facillimè reſpondetur, quod ſi loca ab eo adducta diligentius, & ſubtilius expendantur, vt decet, vel ſunt obſcura valdè, vt ipſemet aliquando inſinuat, vel remotè, nec per bonam, & neceſſariam conſequentiam trahuntur ad ſuæ opinionis defenſionem; vel interpretanda ſunt nõ vniuerſaliter, ſed in aliquibus caſibus expreſſis in eiſdem præcitatis locis, à quibus non poteſt deſumi efficax argumentum pro ſua opinione, vt paulò ſuperius dictum eſt, cum in pœnalibus non liceat vti argumento à ſimili.

Miratur etiam, ſed abſque cauſa rationabili, Caſtro, quod Caietanus *loco ſupra citato in Summula* addat caſibus ab eo expreſſis 2. 2. illum de teſtamentarijs. Quæ admiratio omninò ceſſaret, ſi attentè legiſſet rationem, & cauſam ſufficientem iſtius additionis, verbis clariſſimis adductam ab eodem Caietano *in ead. Sum. verb. Pœnam ſubire nu.* 2. nam verba ipſius ſunt: *Ideò vidua non caſtè viuens, cum mala conſcientia perſeuerat donna, & Domina, & vſufructuaria, vt relicta fuit à marito, cum conditione ſi caſtè vixerit: vnde tenetur de conſumptis poſtquam non vixit caſtè, etiam ſi nullus Iudex humanus ad hoc compellat. Et hoc ſubtiliter conſideratum non ideò eſt, quia pœna teſtamentaria infligitur ſine executione: ſed ideo eſt, quia euenit caſus in quo voluntas teſtatoris ſic diſpoſuit. Et propterea ſicut reliqua à teſtatore diſpoſita in diuerſis caſibus non egent declaratione Iudicis; cum caſus illi eueniunt; ita diſponente teſtatore, quod vxor ſit Domina, &c. quamdiu caſtè vixerit, adueniente caſu caſtitatis omiſſæ, deſinit ſuccedere marito in illis bonis ſic ſibi diſpoſitis:* hoc eſt ex tali pacto, & conditione, & non aliter relictis. (Qui teſtator in hoc caſu vicem Iudicis ſententiam proferentis gerit.)

Ad argumentum verò eiuſdem Caſtri, quo contendit probare, ſententiam negatiuam Caietani, & aliorum non eſſe tuendam, *quia nulla lex* (inquit ille) *inuenitur, quæ ſtatuat quod ante ſententiam declaratiuam ad minus, ſiue declarationem Iudicis, vel Superioris,* vt alij dicunt, *non incurratur pœna lata in lege cui contradicitur*. Reſpondetur primo quod ipſemet, *lib. 2. de poteſt. leg. pœnal. cap.* 5. *&* 9. adducit aliquas leges, ſiue iura manifeſtè exprimentia quod tranſgreſſor legis pœnalis, quæ ſententiam continet à iure latam, in conſcientia non incurrit pœnam taxatam in ipſa; ſed antequam teneatur ſubire pœnam, expectanda eſt Iudicis ſententia, ſiue declaratio: quod ipſemet Caſtro libenter concedit, præſertim de lege, ſiue ſtatuto contento in capitulo, Cum ſecundum leges, vt eſt videre *cap.* 9. *ſupra citato* §. *ſed his. omiſſ. verſ. quod etſi gratis concedamus*.

Reſpondetur ſecundo, quòd inueniuntur etiam alia iura, & leges adductæ à defenſoribus opinionis negantis quod tranſgreſſores incurrant pœnam, de qua ſupra, abſque præuia Iudicis declaratione, in quibus ſaltem virtualiter, & implicitè ſiue conſequenter contine-

tur Statutum, de quo in argumento, quod ſufficit pro opinione Caietani.

Reſpondetur tertio, quod argumentum purè negatiuum, quale eſt propoſitum à Caſtro, parum, aut nihil regulariter concludit.

§. XV. Secundum principale, in quo vindicatur Caietanus à Caſtro, & alijs.

EXplicandū ſupereſt, an reus tranſgrediens ſtatutum pœnale incurrat culpam in caſu omiſſionis ſolutionis pœnæ, quando omiſſio, vel tranſgreſſio eſt talis ſtatuti, quod ex ſuo genere non obliget ad culpam, ſed tantùm ad pœnam; quemadmodum ſuperius dictum eſt de Statutis fratrum Ordinis Prædicatorum.

Pro huius difficultatis explicatione reſpondeo cum Caiet. *ad 2.2. D.Thom. q.186. art.9. in ſolutione tertij dubij ab eodem propoſiti*, per ſequentia verba, quæ ſunt ipſius Caietani. *Licet quidam dicant, quòd peccatum incurritur, ſi pœnitentia non fit; quia ſic obligantur ad euitandam culpam, ne ſubeant pœnam: quia tamen ſine ratione hoc dicitur, & legis vniuerſalitati derogat, ideò dicendum eſt, quòd ſicut non peccat frangendo ſilentium, ita non peccat omittendo pœnam taxatam, & impoſitam. Et ratio eſt, quia lex vniuerſalis, & non particularis eſt, cùm dicimus; Nolumus quod ſtatuta noſtra obligent ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam. Conſtat autem, quod ſi tranſgreſſio in operando excuſatur à culpa, & omiſſio pœnitentiæ non excuſaretur à culpa, iam particularis eſſet lex iſta, & reſpectu agendorum, & non reſpectu patiendorum. Et conſequenter, cùm Religioſi non aliter teneantur ad huiuſmodi pœnitentias, niſi ex vigore ſtatutorum ſuorum, ſequeretur quod ſtatuta obligarent ad culpam ſine contemptu, & præcepto: cuius oppoſitum in eis habetur. Et licet ſpeciale exemplum allatum ſit in Ordine Prædicatorum, dicta ſunt tamen hæc ad declarandum cetera ſimilia in quibuſcumque Religionibus; ſicut etiam reliqua intelligenda ſunt tam ſequentia, quàm antecedentia, quoniam de ſimilibus idem eſt iudicium.* Hæc Caietanus. Quam reſponſionem colligit ex doctrina Angelici Doctoris in corpore eiuſdem præcitati articuli, præſertim illis verbis. *Aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi propter contemptum Regulæ, quia hoc directè contrariaretur profeſſioni, per quam quis vouit Regularem vitam, vel propter præceptum, ſiue oretenus à Prælato factum, ſiue in Regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum.* Et in reſponſione ad primum argumentum habet idem S. Doctor hæc quæ ſequuntur. *In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem: ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſeruanda obligantur: qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu.*

Quam ſententiam, ſiue reſponſionē D.Thom. & Caiet. mordicus impugnat (licet gratis) Alfonſus de Caſtro *lib. 2. de poteſt leg. pœnal. c. 8. poſt mediū*, vbi inter quamplura aſſerit *Caiet. fuiſſe circa hoc deceptum*. Quam ſententiam dicit ſe non poſſe probare. Addens poſt multa: *Hæc Caietani ſententia ex diametro pugnat cum littera ſui Statuti, quæ talis eſt: Vt vnitati, & paci totius Ordinis prouideamus, volumus, & declaramus, vt Conſtitutiones noſtræ* (ſcilicet Ordinis Prædicatorum) *non obligent nos ad culpam; ſed ad pœnam.* Quis non videat Caſtrum euidenter decipi, dum aſſerit verba citati ſtatuti eſſe

con-

contrariæ doctrinæ, & ſententiæ Caietani aſſerentis, tranſgreſſores ſtatutorum non inuoluentium præceptum formale non obligari ad culpam; ſed ad pœnam tantum, in Ordine Prædicatorum. Fiat igitur per quemcumque collatio verborum adducti Statuti, & illorum quibus Caietanus ſuam exprimit ſententiã; & liquido apparebit nullam prorſus reperiri contradictionem inter verba Statuti recenſiti, & verba explicantia ſententiam Caietani, imò mirabilem, & manifeſtam in omnibus, & per omnia conuenientiam, atque identitatẽ ſenſus.

Ad id verò quod dicit Caſtro, ſe non probare ſententiam Caietani, nec poſſe intelligere, quomodo tranſgreſſio, ſiue omiſſio deliberata pœnæ, quam lex pœnalis imponit, non obliget ſaltem ad peccatum veniale tranſgreſſores: Reſpondetur id parũ referre, cùm hæc ſua nonintelligentia prædictorum ſit potius voluntaria, quam rationabilis.

Et ad aliud argumentum: Si Monachus omittens ſuſtinere pœnam, ad quã per Statutum obligatur, nullam culpam incurrit, nullo modo per obligationem ad pœnam ſuſtinendam obligabuntur Fratres ad ſeruanda Statuta: Reſpondetur negando illationem, ſiue conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia Statuta, de quibus ſupra, non obligant ſimpliciter, ſed ad pœnam tantum per Iudicem infligendam, modo ſufficienter declarato paulò ſuperius in vendicatione immediatè huic antepoſita.

Quod verò aſſerit idem Caſtro, opinionem, & ſententiam Caietani apertè contradicere litteræ B. Thomæ; ex ſola inſpectione, & lectione ſupradictorum locorum D. Thomæ, quæ fideliter per extenſum relata fuere, apparet cunctis palam falſitas aſſerti ipſius Caſtro.

Denique adducit pro ſe verba Commentarij, quod edidit Vincentius Bandellus Magiſter Generalis eiuſdem ſacri Ordinis Prædicatorum ad Statuta generalia, vel Conſtitutiones ſui Ordinis, quæ ſunt, vt aſſerit ipſe Caſtro, ſequẽtia: *Idcircò tranſgreſſores noſtrarum Conſtitutionum, quando ſunt purè Conſtitutiones, & non habent præceptum annexum, & id quod eſt in eis, non eſt aliàs lege diuina prohibitum, vel mandatum; non obligantur ad aliquam culpam, ſed tantum ad pœnam in Conſtitutionibus taxatam, vel per Prælatos imponendam, vel taxandam; quam ſi facere recuſauerint, non euadent culpam. Et quamuis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa, ei tamen qui ſe voluntariè obligauit ad aliquam pœnam, poteſt talis pœna infligi ſine culpa.* Hæc Bandellus. Quæ verba, præſertim nouiſſima, ſi attentè fuerint ponderata, vt decet, proculdubio inferunt totum contrarium ei quod intendit Caſtro.

Addo quod alia verba antecedentia; *ſed tantum ad pœnam in Conſtitutionibus taxatam, vel per Prælatos imponendam, vel taxandam; quam ſi facere recuſauerint, non euadent culpam.* Si pariter & illa ſubtiliter, ac in vero ſenſu expendantur, neceſſariò intelliguntur de pœna impoſita, & taxata per ſententiam Prælati, continentem nouum mandatum, ſiue præceptum de exequendo pœnam taxatam, vel taxandam; cuius noui præcepti omiſſio non eſt abſque culpa, vt aſſerit Bandellus. Igitur non ex vi Statuti obligantis tantùm ad pœnam; ſed ſemper aliunde, ſcilicet virtute illius noui præcepti, & mandati, quod continetur expreſsè, vel virtualiter ad minus in omni ſententia, ſiue declaratione pœnali facta per Iudicem, vel per ſuperiorem, oritur culpa. Quod totum euidentius demonſtratur ex verbis ipſiuſmet Bandelli (in declaratione Statuti de quo ſupra) antecedentibus, & conſequentibus ad verba citata à Caſtro,

qui etiam in hoc non fuit fidelis, & integer relator verborum Bandelli. Nam ante verba citata à Caſtro, habentur ſequentia verba. *Cùm in Statutis maximè ſit attendenda intentio; & voluntas eorum, qui noſtras Conſtitutiones ediderunt, fuerit, vt nos* (ſcilicet Profeſſores Ordinis Prædicatorum) *non obligarent ad culpam, ſicut patet ex Capitulo ſecundo Generaliſſimo Pariſiis celebrato* 1236. Et immediatè poſt citata verba à Caſtro, ſequentia hæc habentur confirmantia meam expoſitionem, de qua ſupra immediatè, & ſunt hæc. *In Religione Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio, vel omiſſio* (ſcilicet Regulæ, ſiue Conſtitutionum) *ex ſuo genere non obligat ad culpam, nec mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſeruanda obligantur. Qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu. Et quamuis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa: ei tamen qui voluntariè ſe obligauit ad aliquam pœnam, poteſt talis pœna ſine culpa infligi. Tales autem ſunt Fratres Ordinis noſtri, qui voluntariè in ſua profeſſione huic legi ſe obligauerunt.* Hæc Bandellus vbi ſupra.

Quibus verbis Bandellus ipſe in declaratione Statuti Ordinis Prædicatorum apertè nimis declarans ſe ipſum, dicit primo, omiſſionem Regulæ, & Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorum non obligare ex ſuo genere ad culpam nec mortalem, neque venialem: ſecundo, quod ſi in his accidat aliquando culpa, aliunde id euenit, ex negligentia ſcilicet, vel libidine, aut contemptu.

Et ſi quis nomine, & in perſona Caſtri iterum obijciat, quod Bandellus loquitur ibidem de omiſſione Statutorum, non autem de omiſſione pœnæ taxatæ in Statutis non obligantibus ad culpam: Breuiter reſpondetur quod illatiuè, & conſequenter neceſſariò dicit vtrumque: quia illud ſecũdum de omiſſione ſolutionis pœnæ, pendet omninò à primo illo, à tranſgreſſione videlicet Statuti, de quo ſupra. Si ergò ex vi tranſgreſſionis non incurritur peccatum, igitur multo minus ex omiſſione ſolutionis pœnæ illatæ ob tranſgreſſionem.

Cuncta hæc magis explicantur ex verbis *cap.* 15. *diſt.* 1. *text.* 1. Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorũ ſub littera, B, quæ ſunt. *Declaramus quod Conſtitutiones noſtra continent Statuta diſcreta, & valdè conformia fini Religionis; qua quidem tenentur Fratres ſeruare eo modo, quo in eis continentur, hoc eſt præcepta vt præcepta, & Satuta ſimplicia vt Statuta.*

In declaratione cuius textus poſt relatam doctrinam D. Thomæ, de qua ſupra, quod profeſſores ſcilicet Ordinis Prædicatorum, licet in ſua profeſſione non promittant principaliter ſeruare Conſtitutiones; ſed tantum obedire ſecundum eas: promittunt tamen ex conſequenti, & implicitè ſeruare ſpectantia ad ipſum Ordinem, licet in Profeſſione hoc non promittant expreſsè. De quibus Conſtitutionibus, ſiue Statutis, quorum obſeruationem promittunt nõ abſolutè; ſed ſub illa conditione, de qua ſupra, immediatè loquens prædicta declaratio hæc habet. *Tranſgreſſio verò illorum Statutorum, qua non abſolutè, ſed ſub illa conditione in ſua Profeſſione ſeruare promiſit, non obligat ad culpam; ſed ad pœnam. Prædicta autem Conſtitutiones, quia non continent niſi Statuta honeſta, & rationabilia, ſunt per Sedem Apoſtolicam confirmata, ſicut patet in Priuilegio, quod dicitur Mare magnum. Alexandri IV. Clementis IV. Nicolai. IV. Bonifacij VIII. Benedicti XI. Ioannis XXII. Grego-*

Gregorij XI. Martini V. Eugenij IV. & Sixti IV.

Sententiæ quoque Caietani (vt modo loquendi Caſtri in hoc vtar, qui ſententiam de qua ſupra, attribuit principaliter Caietano) abſque dubio fauent tradita à Cardinali Toleto *in ſuo instructorio Sacerdotum lib.8. cap.29. nu.2. §. ſecundum eſt*. Vbi inter quamplura docet: *Quando ſuperior intendit obligare ad mortale, tunc obligat: quando autem intendit non obligare, non obligat*: ſubdens ſtatim. *Itaque illud præceptum obligat ad mortale, cum conſtat talem fuiſſe intentionem præcipientis. Similiter etiam ſi conſtat non fuiſſe, non obligat*. Hæc ille.

Ex quibus manifeſtè habetur, quod vbi non intendit ſuperior, in lege etiam pœnali obligare ad aliquam culpam, illa lex non obligat, vti in Ordine Prædicatorum dictum eſt: ideò immediatè poſt prædicta ſubdit Cardinalis Toletus. *Vnde S. Thomas 2.2.q.186. art.9. dicit præcepta S. Dominici non obligare ad peccatum*. Nota quod non dicit ad peccatum mortale, vt antea expreſſerat; ſed ad peccatum abſolutè, & ſimpliciter; vt oſtendat ſe in hoc concludere omne peccatum tam mortale quam veniale: quæ clariora fiunt ex ſequentibus verbis ipſius Toleti continentibus cauſam vel rationem ſententiæ D. Thomæ citatæ per ipſum, videlicet, *quia ipſius Regulæ institutor dixit, & expreſſit ſe nolle obligare ad peccatum, in hoc enim omnes conueniunt*. Hæc Toletus.

Per quæ verba palàm docet ſe idem ſentire quod D. Thomas, & Caietanus in hac materia. Secundo per vltima illa verba, *in hoc enim omnes, &c.* affirmat prædictam doctrinam, ſiue ſententiam eſſe communem conſenſum doctiſſimorum ſcriptorum. Quid ergò deſideratur clarius, cùm ſit doctrina hæc communis, in qua omnes conueniunt? Ex verbis igitur Cardinalis Toleti apparet quòd D. Thomas, & Caietanus vniformiter loquuntur in hac materia, & per conſequens, quod ſententia Caietani nõ repugnat, vt aſſerebat Caſtro, doctrinæ D. Thomæ.

Non me latet id quod in hac materia ſcripſit Ioannes Azorius *1. par. ſuarum institutionum moralium lib.5. cap.5. ad fin.* vbi recenſita opinione Caietani, de qua ſupra immediatè, contendit rationes Caietani & ipſe ſoluere, eàdem ferè doctrina, & principijs, quibus Caſtro; ideò propter breuitatem per extenſum non referuntur, licet modeſtius loquatur, nil detrahendo opinioni Caietani; ſed tantum dicendo. *Hæc opinio* (ſcilicet Alphonſi de Caſtro) *mihi magis probatur*. Et in vltimis verbis eiuſdem præcitati Capituli reſpondens ad rationem ſpecialem Caietani, qua dicit, quod ſpeciale Statutum cum generali pugnaret, ſi tranſgreſſores eſſent adſtricti ad pœnam ſubeundam dicendo; *Generale Statutum Ordinis Prædicatorum, quo dicitur: Nolumus noſtras Constitutiones ad culpam obligare, intelligendum eſt excepta Conſtitutione, in qua Conditor eius exprimit ſe obligare ad pœnam Statuto irrogatam faciendam, quamuis nulla ſit in violatione Statuti culpa contracta*. Quæ interpretatio nil noui inducit contra opinionem Caietani. Et argumentum quod colligitur ex eadem interpretatione Azorij, paulò ſuperius ſolutum eſt explicando verba Bandelli, & doctrinam Cardinalis Toleti.

Quia ſuperius in his præludijs, ad oſtendendam vim obligatiuam legis Canonicæ, etiam in foro conſcientiæ, nonnulla dicta fuere, atque exaggerata quibus oſtendebatur cognatio, & affinitas maxima, ne dicam, quaſi neceſſaria connexio, quam habent inter ſe pœna taxata in lege iuſta, & culpa

Ad euitandas igitur frequentes, neceſſarias, & tædioſas digreſſiones in ſequentibus Capitulis tractatus de Electione, & Confirmatione Prælatorum ſæpè immiſcēdas, neceſſarium fuit præmittere tractatum eorum, quæ continentur in prædictis Præludijs. Eo magis quia nullus inuenitur ſanæ mentis, qui apertè non cognoſcat, ſimulq; fateatur hanc veritatem, ſiue neceſſitatem: quodq; cognitio contentorum in Præludijs, de quibus ſupra, non eſt cunctis ita facilis, neque communis, præſertim Regularibus, qui Altiſſimo per ſingularem famulatum totaliter dicati, ſalutique animarum ſollicitè intenti, ac in alijs quampluribus occupati, vt plurimum ſtudio prædictorum nequeunt operam nauare.

Hoc vno denique adnotato quod ſupradictorum, & ſequentium tractatio ſacræ Theologiæ ambitu abſque dubio cōtinetur, vt affirmant inter alios quamplures S. Thomas 2.2.q.57. Dominicus Soto de iuſtitia, & iure, Bañes de iure, & iuſtitia ad exordium, Alphonſus de Caſtro *de leg. pæn.* & Suar. *de legibus ad initiũ.*

In quo ſingulari glorioſos habeo anteſignanos, Magiſtrum ſententiarum, Alenſem, Beluacenſem, Gerſonē, Driedonem, S. Antoninũ; ſed inter alios egregium Ducem Theologorum Thomam Aquinatem Doctorē Angelicum, præſertim 1.2.q.90. *& ſeqq.* pluſquam Salomonem in fortitudine animi, & ſapientia ab Innocentio V. in ſuo ſermone, *Ecce plus quàm Salomon hic*, acclamatum. In hoc enim inuictiſſimo Duce, & cæleſti Doctore, ex teſtimonio Ioannis XXII. in Bulla Canonizationis eiuſdem ſancti viri veriſſimè impletum eſt illud Pſalmi, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra:* cuius doctrina vniuerſa illuſtratur Eccleſia, ex teſtimonio Vrbani V. in Bulla ab eo directa Archiepiſcopo Tholoſano eiuſdem Eccleſiæ Cancellario, vniuerſiſq; Magiſtris & Doctoribus, &c. in Ciuitate, & Prouintia Tholoſana commorantibus.

Huius ſanctiſſimi viri doctrinam nedum Apoſtoli Petrus, & Paulus, atque Beatiſſima Virgo commendant, ſed ille quoque, qui veritas eſt, Pariſijs, ac Neapoli miraculoſa voce approbat, ex teſtimonio innumerabilium grauiſſimorum ſcriptorum, præſertim ex atteſtatione expreſſa Pij V. in Bulla inſtitutionis feſtiuitatis S. Thomæ pro Ciuitate Neapolitana.

Summa Cap. I.

1 *Omnes, etiam Regulares, tenentur in electionibus canonicis ſuorum Prælatorum, obſeruare quæ in ſacris Canonibus traduntur titulo de Electione & Electi poteſtate.*

2 *Vbi ſacri Canones loquuntur præcipiendo aliquid vniuerſaliter, eorum diſpoſitio extenditur etiam ad Regulares.*

3 *Capitula, ſiue Congregationes quorumcumque Regularium, ſine ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ, non poſſunt aliquid ſtatuere contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum, neque contra ius commune, præſertim in materia electionis; & ſi fiat, totum erit irritum ac inane.*

4 *Ideò in Ordine Prædicatorum ſunt quamplurima Statuta, quibus præcipitur, vt electiones Superiorum eiuſdem Ordinis fieri debeant ſecundum formam à ſacris Canonibus ſtatutam.*

5 *Ex Nauarro, & alijs, declaratur nullum Statutum illud conditum per Generalem S. Auguſtini, in Diffinitorio Generali ſuæ Religionis, quo auferebatur toti Ordini, ſiue parti illius, modus eligendi conformis Iuri communi.*

Quot

6 *Quot modis aliqua Electio dicatur Canonica.*

7 *Quæ ſit verè Electio Canonica.*

8 *Adducitur diffinitio Electionis atque Poſtulationis canonicæ.*

9 *Aſſignatur differentia, & conuenientia, inter electionem, & poſtulationem canonicam.*

10 *Sub nomine Electionis generaliter ſumptæ, cadit etiam Poſtulatio in materia pœnali.*

11 *Quicumque poſſunt de iure eligere, poſſunt etiam poſtulare.*

12 *Aſſignantur aliqua in quibus differunt Electio, atque Poſtulatio Canonica: Ubi etiam animaduertitur, quod per electionem Canonicam initiatur matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam, & perſonam electam; quod poſtea perficitur per confirmationem.*

13 *Poſtulantes non conſentiunt in poſtulatum; ſed eorum vota dirigunt ad Superiorem, vt dignetur ex gratia illum admittere: Hinc oritur, quod electio innititur Iuri, poſtulatio vero gratiæ.*

14 *Vniuerſaliter loquendo, cæteris paribus, Electio Canonica Regulariter præponenda eſt ſemper Poſtulationi.*

15 *Ex Tabiena colligitur quod in Ordine Prædicatorum nulla, aut minima ſaltem inueniatur differentia inter electionem, & poſtulationem, quoad libertatem confirmandi vnum vel alium, dummodo cætera ſint paria.*

16 *Poſtulatus, ex vi poſtulationis nullum ius acquirit de iure communi.*

17 *Ius acquiſitum per electionem, præuia Canonica electione, appellatur ius ad rem, & non in re.*

18 *Vel ſecundum aliquos dicitur ius acquiſitum in habitu, non autem in actu.*

19 *Simpliciter loquendo, omnis electio Prælatorum Regularium, quantumuis Canonica, indiget confirmatione ad ſui complementum; Ideò nullus electus, ſub quouis titulo, ſiue colore valet adminiſtrare quæ ſunt propria illius officij, ſiue Prælaturæ, ad quam eſt electus, ante confirmationem, niſi adſit ſuper hoc ſpeciale priuilegium, ſiue declaratio Sedis Apoſtolicæ.*

20 *Si quis electus ante confirmationem ſe ingerat adminiſtrationi, nedum deperdit omne ius acquiſitum per electionem; ſed remanet ineligibilis, ita vt egeat ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ; alias remanet ſemper inhabilis ad quamcumque Prælaturam.*

21 *Immo qui erat Oeconomus, ſiue Procurator, antequam eligeretur, vigore illius tituli quem antea habebat, non poteſt adminiſtrare, alias incurret pænas taxatas in can. Auaritiæ.*

22 *Hoc tamen venit intelligendum in Italia, extra enim Italiam Prælati Eccleſiaſtici in concordia ab omnibus electi, ex diſpoſitione Capituli, nihil poſſunt in temporalibus, & ſpiritualibus adminiſtrare quæ ſunt ſui muneris.*

23 *In Ordine Prædicatorum Electio quantumuis vnanimis, & canonica, nullum ius tribuit electo: Itaut neque poſſit iuri ſuo renunciare, cum remaneat ſemper in poteſtate Superioris, confirmare, vel nullam declarare electionem ſubſequutuam.*

24 *Idem repetitur per modum neceſſariæ illationis.*

25 *De iure communi, Epiſcopus vnius Eccleſiæ, non poteſt eligi ad aliam Eccleſiam, neque poſtulari: & à ſimili Prælatus.*

26 *In Ordine vero Prædicatorum ex ſpeciali Priuilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt eligi Prior actualis vnius Conuentus, in alio Conuentu.*

27 *Authoritate tamen Apoſtolica hoc prohibetur in Prouincijs Romana, & Lombardiæ; & ſi fiat, nulla eſt electio.*

28 *Declarationes, atque confirmationes factæ in Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorum, obligant Profeſſos eiuſdem Ordinis*

Digitized by Google

qui etiam in hoc non fuit fidelis, & integer relator verborum Bandelli. Nam ante verba citata à Caſtro, habentur ſequentia verba. *Cùm in Statutis maximè ſit attendenda intentio; & voluntas eorum, qui noſtras Conſtitutiones ediderunt, fuerit, vt nos* (ſcilicet Profeſſores Ordinis Prædicatorum) *non obligarent ad culpam, ſicut patet ex Capitulo ſecundo Generaliſſimo Pariſiis celebrato* 1236. Et immediatè poſt citata verba à Caſtro, ſequentia hæc habentur confirmantia meam expoſitionem, de qua ſupra immediatè, & ſunt hæc. *In Religione Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio, vel omiſſio* (ſcilicet Regulæ, ſiue Conſtitutionum) *ex ſuo genere non obligat ad culpam, nec mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſeruanda obligantur. Qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu. Et quamuis pœna non debeat infligi nolenti ſine culpa: ei tamen qui voluntariè ſe obligauit ad aliquam pœnam, poteſt talis pœna ſine culpa infligi. Tales autem ſunt Fratres Ordinis noſtri, qui voluntariè in ſua profeſſione huic legi ſe obligauerunt.* Hæc Bandellus vbi ſupra.

Quibus verbis Bandellus ipſe in declaratione Statuti Ordinis Prædicatorum apertè nimis declarans ſe ipſum, dicit primo, omiſſionem Regulæ, & Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorum non obligare ex ſuo genere ad culpam nec mortalem, neque venialem: ſecundo, quod ſi in his accidat aliquando culpa, aliunde id euenit, ex negligentia ſcilicet, vel libidine, aut contemptu.

Et ſi quis nomine, & in perſona Caſtri iterum objiciat, quod Bandellus loquitur ibidem de omiſſione Statutorum, non autem de omiſſione pœnæ taxatæ in Statutis non obligantibus ad culpam: Breuiter reſpondetur quod illatiuè, & conſequenter neceſſariò dicit vtrumque: quia illud ſecūdum de omiſſione ſolutionis pœnæ, pendet omninò à primo illo, à tranſgreſſione videlicet Statuti, de quo ſupra. Si ergò ex vi tranſgreſſionis non incurritur peccatum, igitur multo minus ex omiſſione ſolutionis pœnæ illatæ ob tranſgreſſionem.

Cuncta hæc magis explicantur ex verbis *cap.* 15. *diſt.* 1. *text.* 1. Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorū ſub littera, B, quæ ſunt. *Declaramus quod Conſtitutiones noſtræ continent Statuta diſcreta, & valdè conformia fini Religionis; quæ quidem tenentur Fratres ſeruare eo modo, quo in eis continentur, hoc eſt præcepta vt præcepta, & Satuta ſimplicia vt Statuta.*

In declaratione cuius textus poſt relatam doctrinam D. Thomæ, de qua ſupra, quod profeſſores ſcilicet Ordinis Prædicatorum, licet in ſua profeſſione non promittant principaliter ſeruare Conſtitutiones; ſed tantum obedire ſecundum eas: promittunt tamen ex conſequenti, & implicitè ſeruare ſpectantia ad ipſum Ordinem, licet in Profeſſione hoc non promittant expreſsè. De quibus Conſtitutionibus, ſiue Statutis, quorum obſeruationem promittunt nō abſolutè; ſed ſub illa conditione, de qua ſupra, immediatè loquens prædicta declaratio hæc habet. *Tranſgreſſio verò illorum Statutorum, quæ non abſolutè, ſed ſub illa conditione in ſua Profeſſione ſeruare promiſit, non obligat ad culpam; ſed ad pœnam. Prædicta autem Conſtitutiones, quia non continent niſi Statuta honeſta, & rationabilia, ſunt per Sedem Apoſtolicam confirmatæ, ſicut patet in Priuilegio, quod dicitur Mare magnum. Alexandri IV. Clementis IV. Nicolai IV. Bonifacij VIII. Benedicti XI. Ioannis XXII.*

Grego-

Gregorij XI. Martini V. Eugenij IV. & Sixti IV.

Sententiæ quque Caietani (vt modo loquendi Caſtri in hoc vtar, qui ſententiam de qua ſupra, attribuit principaliter Caietano) abſque dubio fauent tradita à Cardinali Toleto *in ſuo instructorio Sacerdotum lib. 8. cap. 29. nu. 2. §. ſecundum eſt*. Vbi inter quamplura docet: *Quando ſuperior intendit obligare ad mortale, tunc obligat: quando autem intendit non obligare, non obligat:* ſubdens ſtatim. *Itaque illud praceptum obligat ad mortale, cum conſtat talem fuiſſe intentionem pracipientis. Similiter etiam ſi conſtat non fuiſſe, non obligat*. Hæc ille.

Ex quibus manifeſtè habetur, quod vbi non intendit ſuperior, in lege etiam pœnali obligare ad aliquam culpam, illa lex non obligat, vti in Ordine Prædicatorum dictum eſt: ideò immediatè poſt prædicta ſubdit Cardinalis Toletus. *Vnde S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. dicit pracepta S. Dominici non obligare ad peccatum*. Nota quod non dicit ad peccatum mortale, vt antea expreſſerat; ſed ad peccatum abſolutè, & ſimpliciter; vt oſtendat ſe in hoc concludere omne peccatum tam mortale quam veniale: quæ clariora fiunt ex ſequentibus verbis ipſius Toleti continentibus cauſam vel rationem ſententiæ D. Thomæ citatæ per ipſum, videlicet, *quia ipſius Regula institutor dixit, & expreſſit ſe nolle obligare ad peccatum, in hoc enim omnes conueniunt*. Hæc Toletus.

Per quæ verba palàm docet ſe idem ſentire quod D. Thomas, & Caietanus in hac materia. Secundo per vltima illa verba, *in hoc enim omnes, &c.* affirmat prædictam doctrinam, ſiue ſententiam eſſe communem conſenſum doctiſſimorum ſcriptorum. Quid ergò deſideratur clarius, cùm ſit doctrina hæc communis, in qua omnes conueniunt? Ex verbis igitur Cardinalis Toleti apparet quòd D. Thomas, & Caietanus vniformiter loquuntur in hac materia, & per conſequens, quod ſententia Caietani nō repugnat, vt aſſerebat Caſtro, doctrinæ D. Thomæ.

Non me latet id quod in hac materia ſcripſit Ioannes Azorius 1. *par. ſuarum institutionum moralium lib. 5. cap. 3. ad fin.* vbi recenſita opinione Caietani, de qua ſupra immediatè, contendit rationes Caietani & ipſe ſoluere, eàdem ferè doctrina, & principijs, quibus Caſtro; ideò propter breuitatem per extenſum non referuntur, licet modeſtius loquatur, nil detrahendo opinioni Caietani; ſed tantum dicendo. *Hac opinio* (ſcilicet Alphonſi de Caſtro) *mihi magis probatur*. Et in vltimis verbis eiuſdem præcitati Capituli reſpondens ad rationem ſpecialem Caietani, qua dicit, quod ſpeciale Statutum cum generali pugnaret, ſi tranſgreſſores eſſent adſtricti ad pœnam ſubeundam dicendo; *Generale Statutum Ordinis Predicatorum, quo dicitur: Nolumus noſtras Constitutiones ad culpam obligare, intelligendum eſt excepta Constitutione, in qua Conditor eius exprimit ſe obligare ad pænam Statuto irrogatam faciendam, quamuis nulla ſit in violatione Statuti culpa contracta*. Quæ interpretatio nil noui inducit contra opinionem Caietani. Et argumentum quod colligitur ex eadem interpretatione Azorij, paulò ſuperius ſolutum eſt explicando verba Bandelli, & doctrinam Cardinalis Toleti.

Quia ſuperius in his præludijs, ad oſtendendam vim obligatiuam legis Canonicæ, etiam in foro conſcientiæ, nonnulla dicta fuere, atque exaggerata quibus oſtendebatur cognatio, & affinitas maxima, ne dicam, quaſi neceſſaria connexio, quam habent inter ſe pœna taxata in lege iuſta, & culpa

tranſgreſſorum eiuſdem legis. Et in hac vendicatione Caietani ab oppoſitionibus Caſtri, & aliorum, demonſtraui ſeparationem horum, præſertim in Ordine ad Leges, & Statuta Fratrum Prædicatorum: Ideò iudicaui etſi non neceſſarium ſimpliciter, vtile tamen fore, vt ea quæ ſuperius frequenter inſinuaui clarius, & expreſſius, breuiter declararem, compendioſè dicendo, quod lex pœnalis cum obligatione pœnæ habet etiam annexam culpam regulariter quoad trãſgreſſores illius, quoties tamen legiſlator ſuam non aperit mentem ſe ipſum explicando, quòd per legem à ſe latam quantumcunque pœnalem, non intendit obligare tranſgreſſores vllo pacto ad culpam, quemadmodum demonſtratum eſt de Statutis, & Conſtitutionibus Fratrum Prædicatorum. Si id verò fecerit, abſque dubio lex etſi pœnalis, tunc non obligat tranſgreſſores, niſi ad pœnam modo iam declarato: qua animaduerſione tollitur omnis ambiguitas, ſiue difficultas, vel occaſio opponendi de contradictione inter illa, quæ vſque modo hinc, & inde explicata fuere.

Pro ſententia Caietani faciunt quoque tradita à Suarez *lib. 5. de varietate legum humanarum cap. 8. nu. 7. §. dico ſecundo*: Vbi diſtinguit leges pœnales in illas quæ purè pœnales ſunt, & in conſcientia non obligant, niſi ad pœnam, à legibus mixtis taxatã. Quæ leges primi ordinis ex materia, & verbis, alijſq. circumſtantijs à legibus pœnalibus mixtis diſcernendæ ſunt. Quam doctrinam fatetur ſe colligere ex D. Thoma, Silu. Bellamera, & alijs Authoribus citatis per ipſum Suarez, vbi ſupra, Addens: *Licet Caſtro dubitet, an dentur tales leges, tamen non videtur cadere in dubium, tum quia cum poſſibiles ſint, & ſæpe poſſint eſſe aptiores ad regimen ſubditorum cum minori periculo, & grauamine in aliquibus materijs, in quibus maius onus neceſſarium non eſt, videtur per ſe credibile, ſæpe ferri hoc modo leges pœnales. Tum etiam quia in Religionibus ſunt clara exempla harum legum, vt ſupra dixi; & in legibus humanis, purè pœnalis cenſetur illa quæ pœnam imponit fugienti de carcere, ſcindenti ligna in ſylua communi, &c.*

Cum Azorio vbi ſupra ſtatuo, legem cuius contemptor, ſiue violator pœnæ reus tantum exiſtit, & non culpæ, vim, & rationem legis propriè ſibi vendicare, contra Bartholomæum Medinam, & eius doctrinam relatam quidem ſuperiùs, §. 4. *num.* 15. in aliquibus approbatam; ſed in illo particulari reprobatam, in quo voluntariè aſſerit quod Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum non obligantes ad culpã non ſunt verè leges. Quæ ſententia Azorij certè probabilior eſt ac longe verior ſua contraria, & habet plures ac egregios defenſores. Ratio pro eadem ſententia communiter à defenſoribus ipſius aſſignata ea eſt, quoniam licet non ita liget conſcientiam, vt qui eam non implet, ſe ſe culpa obſtringat, ſic tamen ligat, vt contemptor, aut violator ipſius pœnam debeat ſuſtinere modo explicato, & id quidem non eſt ex voluntate, qua ſubditi ſe ſe pœnæ ſubiecerunt tantum, vt aliqui non rectè credunt: ſed authoritate legiſlatoris non obtemperantes adigentis ad pœnam perferendam. Ad legis autem rationem ſatis eſt, ſi hoc, aut illo modo liget, ac teneat ciues Principi ſubiectos: ita communiter omnes.

Hinc eſt quod Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum nedum à ſuis, verum etiam ab exteris, & eximijs Theologis atque Iuriſtis paſſim appellantur Statuta, & Leges in ſenſu proprio ac formali, & quod amplius eſt, ipſemet Medina, Caſtro, & alij ſuperius relati, frequenter

Digitized by Google

eiſdem vocibus, vtuntur Statutorum, ac Legum, dum ſermonem faciunt de Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis, ac etiam de illis in particulari, quæ certo non obligant ad culpam, vt ſunt ferè omnes Cóſtitutiones dicti Inſtituti Prædicatorum, modo declarato in Decreto ſiue Statuto pluries fideliter relato.

Ad firmitatem, & maiorem claritatem prædictorum conſidero cum Diuo Thoma *1.2.q.95.art.1. in corp. circa fin. & q.96.art.1. in corp. & ad argum.* quòd ad rationem veræ, & propriæ legis humanæ ſufficit, vt lex in ſe contineat diſciplinam, qua ei ſubiectos metu pœnæ cogat ac dirigat ad virtutis perfectionem, quam D. Thomas vbi ſupra, appellat, *diſciplinam legum*, per quam virtutis perfectio aduenit homini. Ex quibus apertè colligitur quod illæ dicuntur, & verè ſunt leges propriè, & formaliter, quæ obligant tantùm ad pœnam, vt ſunt leges, & Statuta præſertim ſacri Ordinis Prædicatorum, euidenter continentia diſciplinam, & directionem, de quibus immediatè; quidquid dicat Medina & alij, ſi qui ſunt ſequaces illius: ideò idem S. Doctor art. 3. eiuſdem citatæ quæſtionis 95. declarandò qualitatem neceſſariam, & eſſentialem legis poſitiuæ iuxta placitũ Iſidori, inter quamplura docet quod ad rationẽ veram legis humanæ duo potiſſimè requiruntur: Primum, vt ſit aliquid ordinatum ad finem: ſecundò, vt ſit quædam Regula, vel menſura regulata à ſuperiore menſura, ſcilicet lege diuina, vel naturali. Quæ duo abſque dubio inueniuntur expreſsè in legibus, & Statutis obligantibus tantùm ad pœnam, vti patet diſcurrenti per leges, & Statuta Fratrum Prædicatorum.

Hinc eſt quod omnibus ritè ponderatis dici debent, & ſunt verè, & propriè leges.

§. XVI. De neceſsitate tractatus, ſeu examinis contentorum in his Præludijs.

Tandem pro concluſione horum Præludiorum, vt alijs, & mihi quoque ſatisfaciam, cogor expreſsè declarare cauſam, ſiue cauſas ad initium eorumdem præludiorum tantùm inſinuatas, continentes non dicam ſolùm magnam vtilitatem; ſed abſolutam neceſſitatem explicationis illarum difficultatum, quæ Deo Duce his Præludijs elucidantur; cùm ſine horum cognitione, maxima ſaltem cum difficultate poſſint iudicio ſapientum non bene verſati in doctrina ſacrorum Canonum intelligere, vt decet, vim ſiue virtutem in vtroque foro obligatiuam eorumdem, quomodovè eligentes, poſtulantes, nominantes, electi, poſtulati, nominati in Prælatos, ſiue illorum confirmatores, vel prouiſores, teneantur ad exactam obſeruantiam eorum quæ ritè, ac rectè diſponuntur per ſacros Canones, præſertim in materia electionis, poſtulationis, nominationis, confirmationis, atque prouiſionis Prælatorum, aliorumque regimen animarum exercentium: ſiue quibus conditionibus, vel qualitatibus ornati eſſe debeant, tam eligentes quam poſtulantes, aut electi, & poſtulati, ac etiam confirmatores, & prouiſores ſupradictorum. Inſuper qua pœna ſiue pœnis, quomodo, & quando puniendi ſint tranſgreſſores Canonum in materia electionis, & confirmationis reſpectiuè, præſertim circa pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac etiã priuationis poteſtatis eligendi, poſtulandi, vel confirmandi, & ſimilium, vt alia innumera breuitatis cauſa prætermittam, quæ ſigillatim ſuis proprijs locis explanabuntur.

Ad cui-

Ad euitandas igitur frequentes, neceſſarias, & tædioſas digreſſiones in ſequentibus Capitulis tractatus de Electione, & Confirmatione Prælatorum ſæpè immiſcēdas, neceſſarium fuit præmittere tractatum eorum, quæ continentur in prædictis Præludijs. Eo magis quia nullus inuenitur ſanæ mentis, qui apertè non cognoſcat, ſimulq́; fateatur hanc veritatem, ſiue neceſſitatem: quodq́; cognitio contentorum in Præludijs, de quibus ſupra, non eſt cunctis ita facilis, neque communis, præſertim Regularibus, qui Altiſſimo per ſingularem famulatum totaliter dicati, ſalutique animarum ſollicitè intenti, ac in alijs quampluribus occupati, vt plurimum ſtudio prædictorum nequeunt operam nauare.

Hoc vno denique adnotato quod ſupradictorum, & ſequentium tractatio ſacræ Theologiæ ambitu abſque dubio cōtinetur, vt affirmant inter alios quamplures S. Thomas 2.2.*q.*57. Dominicus Soto de iuſtitia, & iure, Bañes de iure, & iuſtitia ad exordium, Alphonſus de Caſtro *de leg. pœn.* & Suar. *de legibus ad initiū.*

In quo ſingulari glorioſos habeo anteſignanos, Magiſtrum ſententiarum, Alenſem, Beluacenſem, Gerſonē, Driedonem, S. Antoninū; ſed inter alios egregium Ducem Theologorum Thomam Aquinatem Doctorē Angelicum, præſertim 1.2.*q.*90. *& ſeqq.* pluſquam Salomonem in fortitudine animi, & ſapientia ab Innocentio V. in ſuo ſermone, *Ecce plus quàm Salomon hic*, acclamatum. In hoc enim inuictiſſimo Duce, & cæleſti Doctore, ex teſtimonio Ioannis XXII. in Bulla Canonizationis eiuſdem ſancti viri veriſſimè impletum eſt illud Pſalmi, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra:* cuius doctrina vniuerſa illuſtratur Eccleſia, ex teſtimonio Vrbani V. in Bulla ab eo directa Archiepiſcopo Tholoſano eiuſdem Eccleſiæ Cancellario, vniuerſisq́; Magiſtris & Doctoribus, &c. in Ciuitate, & Prouintia Tholoſana commorantibus.

Huius ſanctiſſimi viri doctrinam nedum Apoſtoli Petrus, & Paulus, atque Beatiſſima Virgo commendant, ſed ille quoque, qui veritas eſt, Pariſijs, ac Neapoli miraculoſa voce approbat, ex teſtimonio innumerabilium grauiſſimorum ſcriptorum, præſertim ex atteſtatione expreſſa Pij V. in Bulla inſtitutionis feſtiuitatis S. Thomæ pro Ciuitate Neapolitana.

Summa Cap. I.

1 *Omnes, etiam Regulares, tenentur in electionibus canonicis ſuorum Prælatorum, obſeruare quæ in ſacris Canonibus traduntur titulo de Electione & Electi poteſtate.*

2 *Vbi ſacri Canones loquuntur præcipiendo aliquid vniuerſaliter, eorum diſpoſitio extenditur etiam ad Regulares.*

3 *Capitula, ſiue Congregationes quorumcumquè Regularium, ſine ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ, non poſſunt aliquid ſtatuere contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum, neque contra ius commune, præſertim in materia electionis; & ſi fiat, totum erit irritum ac inane.*

4 *Ideò in Ordine Prædicatorum ſunt quamplurima Statuta, quibus præcipitur, vt electiones Superiorum eiuſdem Ordinis fieri debeant ſecundum formam à ſacris Canonibus ſtatutam.*

5 *Ex Nauarro, & alijs, declaratur nullum Statutum illud conditum per Generalem S. Auguſtini in Diffinitorio Generali ſuæ Religionis, quo auferebatur toti Ordini, ſiue parti illius, modus eligendi conformis Iuri communi.*

Quot

6 *Quot modis aliqua Electio dicatur Canonica.*

7 *Quæ ſit verè Electio Canonica.*

8 *Adducitur diffinitio Electionis atque Poſtulationis canonicæ.*

9 *Aſſignatur differentia, & conuenientia, inter electionem, & poſtulationem canonicam.*

10 *Sub nomine Electionis generaliter ſumptæ, cadit etiam Poſtulatio in materia pœnali.*

11 *Quicumque poſſunt de iure eligere, poſſunt etiam poſtulare.*

12 *Aſſignantur aliqua in quibus differunt Electio, atque Poſtulatio Canonica: Vbi etiam animaduertitur, quod per electionem Canonicam initiatur matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam, & perſonam electam; quod poſtea perficitur per confirmationem.*

13 *Poſtulantes non conſentiunt in poſtulatum; ſed eorum vota dirigunt ad Superiorem, vt dignetur ex gratia illum admittere: Hine oritur, quod electio innititur Iuri, poſtulatio vero gratia.*

14 *Vniuerſaliter loquendo, cæteris paribus, Electio Canonica Regulariter præponenda eſt ſemper Poſtulationi.*

15 *Ex Tabiena colligitur quod in Ordine Prædicatorum nulla, aut minima ſaltem inueniatur differentia inter electionem, & poſtulationem, quoad libertatem confirmandi vnum vel alium, dummodo cætera ſint paria.*

16 *Poſtulatus, ex vi poſtulationis nullum ius acquirit de iure communi.*

17 *Ius acquiſitum per electionem, præuia Canonica electione, appellatur ius ad rem, & non in re.*

18 *Vel ſecundum aliquos dicitur ius acquiſitum in habitu, non autem in actu..*

19 *Simpliciter loquendo, omnis electio Prælatorum Regularium, quantumuis Canonica, indiget confirmatione ad ſui complementum; Ideò nullus electus, ſub quouis titulo, ſiue colore valet adminiſtrare quæ ſunt propria illius officij, ſiue Prælaturæ, ad quam eſt electus, ante confirmationem, niſi adſit ſuper hoc ſpeciale priuilegium, ſiue declaratio Sedis Apoſtolicæ.*

20 *Si quis electus ante confirmationem ſe ingerat adminiſtrationi, nedum deperdit omne ius acquiſitum per electionem; ſed remanet ineligibilis, ita vt egeat ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ; alias remanet ſemper inhabilis ad quamcumque Prælaturam.*

21 *Immo qui erat Oeconomus, ſiue Procurator, antequam eligeretur, vigore illius tituli quem antea habebat, non poteſt adminiſtrare, alias incurret pœnas taxatas in can. Auaritiæ.*

22 *Hoc tamen venit intelligendum in Italia, extra enim Italiam Prælati Eccleſiaſtici in concordia ab omnibus electi, ex diſpoſitione Capituli, nihil poſſunt in temporalibus, & ſpiritualibus adminiſtrare quæ ſunt ſui muneris.*

23 *In Ordine Prædicatorum Electio quantumuis vnanimis, & canonica, nullum ius tribuit electo: Itaut neque poſſit iuri ſuo renunciare, cum remaneat ſemper in poteſtate Superioris, confirmare, vel nullam declarare electionem ſubſequutuam.*

24 *Idem repetitur per modum neceſſariæ illationis.*

25 *De iure communi, Epiſcopus vnius Eccleſiæ, non poteſt eligi ad aliam Eccleſiam, neque poſtulari: & à ſimili Prælatus.*

26 *In Ordine vero Prædicatorum ex ſpeciali Priuilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt eligi Prior actualis vnius Conuentus, in alio Conuentu.*

27 *Authoritate tamen Apoſtolica hoc prohibetur in Prouincijs Romana, & Lombardiæ; & ſi ſiat, nulla eſt electio.*

28 *Declarationes, atque confirmationes factæ in Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorum, obligant Profeſſos eiuſdem Ordinis*

dinis ad illorum obſeruantiam: Idem dicitur de declarationibus factis per Magiſtrum Generalem; quadam etiam inſeruntur de præſtantia eiuſdem Ordinis Prædicatorum.

29 *Reuocatur omnis, & quæcumque declaratio, in qua male dicitur quod Ordinationes Generalis Capituli Prædicatorum non obligant Fratres, niſi ſolum quando Acta Capituli fuerunt recepta in illa Prouincia.*

30 *Authoritate Apoſtolica declaratur, ac præcipitur, quod vnaquæque Prouincia in Ordine Prædicatorum, teneatur acceptare, publicare, & obſeruare contenta in actis Capitulorum Generalium.*

31 *Ideò nulla Prouincia valet recuſare acta Capitulorum Generalium: reuocatur ſuper hoc omnis vſus, conſuetudo, atque priuilegium.*

32 *Iulius II. concedit Magiſtro Generali eiuſdem Ordinis Prædicatorum, vt pro ſecuritate conſcientiæ ſuorum ſubditorum, poſſit declarare Conſtitutiones, priuilegia, indulta, gratias, & exemptiones à Sede Apoſtolica conceſſas, & concedendas Fratribus ſui Ordinis; cui declarationi ſtandum eſt.*

33 *Aſſignatur regula generalis, quando aliquod Statutum in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorum confirmatum habeat vim Conſtitutionis.*

34 *Explicantur quamplura ſcitu digna, & fortè neceſſaria, circa vim obligatiuam legum Capitulorum Generalium, etiam in Ordine ad ſupremos Prælatos, & Superiores illorum; ac aliarum legum reſpectu conditorum illarum.*

35 *Declaratur vis atque efficacia Epijchiæ, & quando; ac quomodo illa vtendum ſit: adducitur pariter reſolutio valdè vtilis Caietani ad quoddam difficile dubiũ.*

36 *Quomodo electio in alternatiuis ex debito fieri debeat, de vno ex nominatis in ipſa alternatiua declaratur.*

CAP. I.

De Electione Canonica Prælatorum in communi.

QVAE igitur Pontificio iure diſponuntur circa Electionem canonicam Prælatorum Eccleſiaſticorum, titulo *de Electio-*
1 *ne, & Electi poteſtate*, † neceſſario veniunt obſeruanda in Electionibus quorumcumque Prælatorum etiam Regularium. Butr. *de electione, cap. quia tua, nu.6.* expreſſis verbis inquit: *Nota quod vt valeat electio, debet eſſe facta ſecundum canonum formam*; Idem repetit de Electione in Eccleſijs conuentualibus, *cap. cum terra, nu.7.*

Hanc aſſertionem, ſiue concluſionem principalem huius cap. proponit, ac defendit inter alios Franciſcus Suarez *tom.4. operis de Religione lib.2. cap.5.* aſſerens: *Quamuis cap. quia propter, & alia iura de elect. generalius loquantur, abſque dubio iuxta communem Doctorum interpretationem, prædictorum iurium diſpoſitio, locum habet in electionibus Abbatum, Eccleſiarum, Regularium; quæ etiam dicuntur viduatæ, mortuo, vel deficiente Abbate, cap. ne pro defectu eod. tit. & per conſequens etiam in omnibus Prælatis localibus Religionum quarumcumque, qui licet non vocentur Abbates, ferè ſolo nomine differunt quoad munus, ad quod eliguntur.* Igitur à fortiori idẽ dicendum erit de electione Prælatorum Regularium altiorem, ſiue vniuerſaliorem habentium iuriſdictionem; maximè verò de electione ſupremi Prælati, vel Generalis vniuſcuiuſque inſtituti; ſubdens, *& hæc eſt communis doctrina Doctorum in dict. cap. quia propter.*

Cuncta hæc ante ipſum Suarez, licet non cum tanta expreſſione, ſiue apparatu ver-

tu verborum docuerant poſt innume-
ros Iuriſtas nonnulli Summiſtæ Regu-
lares, præſertim Silu. *tit. elect.* 1. *num.* 1.
elect. 2. *nu.* 2. *&* 4. Tabiena *ibidem*, Ang.
& Armilla *eod. tit.* Qui Silu. & Angel.
verb. Prælatus num. 6. palàm affirmant
quod Superiores Regulares locales; vti
Abbates, Priores, Guardiani, & Recto-
res vnius Conuentus, vel Monaſterij,
ſiue Collegij, ac etiã Prouinciales, ſunt
verè Prælati Eccleſiaſtici; & à fortiori
Generales, ſunt verè, ac propriè Prælati
Eccleſiaſtici, quamuis diuerſis nomini-
bus appellentur, & inter alios inuenia-
tur aliqua differentia ſecundum Statuta,
& Priuilegia vniuſcuiuſque Religionis,
quæ meritò appellatur differentia acci-
dentalis. Hos enim declarauit verè Præ-
latos Sixtus V. in ſecunda Conſtitutio-
ne, quam edidit de illegitimè natis,
qua priorem à ſe editam de eadem ma-
teria declarauit. Immo Suarez *vbi ſu-
ra lib.* 2. *cap.* 2. ex auctoritate Panormi-
tani *in cap. vlt. de Regularibus*, & Cor-
duba *in annotat. ad Compendium Priuile-
giorum tit. Guardianus*, idem demõſtrat.
Expreſsè enim in præcitato titulo de
2 Electione, amplioribus verbis † præci-
pitur obſeruatio ſacrorũ Canonum in
electione Prælatorum Regularium;
euidentius tamen *in cap. indemnitatibus
in* 6. vbi Bonifacius, §. *ad hæc.* proteſta-
tur *iura ſumm. Pontif. circa electionem vi-
rorum in Monaſterijs, Conuentibus, vel
quibuſuis Eccleſijs, non poſſe, nec debere im-
mutari; ſed omnino eſſe obſeruanda.* Et *in
cap. vlt. de ſtatu Monachorum*, in quo
loquitur Honor. III. vti adnotat præ-
ſertim Panormit. *ſacri Canones ſimplici-
ter loquentes extenduntur etiam ad Regula-
res, prout in tit. de electione, & electi pote-
ſtate.* Hoc idem inſinuant verba Con-
ſtitut. Pij IV. ſuper Reformatione Con-
clauis, edita 7. Idus Octobris 1462. in
exordio dum, inquit; *In eligendis Epiſco-
pis, & alijs Prælatis, quanta adhibenda
ſit cura, teſtantur Patrum noſtrorum ſa-
cratiſſimæ conſtitutiones, de Epiſcoporum,
& aliorum Prælatorum qualitate editæ.*
3 Vndè generaliter † in *cap. quod ſuper his,
tit. de maior. & obed.* expreſsè per Inno-
cent. III. præcipitur, ne in ſynodis, con-
gregationibus, ſiue Capitulis, quorum-
cumque habentium iuriſdictionem,
ſtatuatur aliquid, quod ſit contra vel
præter ſtatuta in ſacris Canonibus ex-
preſſa; & ex Concilio Melden. *cap.* 12.
recenſito, *in cap. canonum, tit. de Conſtit.*
adiuncta etiam gloſa, præcipitur, quòd
vbi Papa intendit per ſuas Conſtitutio-
ns aliquos obligare, illi tanquam ſub-
diti, leges Superioris obſeruare tenẽtur;
vt latè probat Franciſcus Suarez *de legi-
bus lib.* 4. *cap.* 19. Quamobrem Nauar.
to. 1. *lib.* 1. *conſil. tit. de conſtit. conſ.* 9. *n.* 14.
expreſsè aſſerit Statutum quoddam fa-
ctum in materia Electionis in Ordine
Minimorum, eſſe nullum, quia eſt con-
tra ius commune; & fundat ſuam inten-
tionem præcipuè *in cap. quod ſuper his de
maior. & obed.* Hoc idem repetit *lib.* 3.
tit. de Regul. conſil. 26. *nu.* 8. *&* 9. dum
inquit, *Capitula omnia Generalia, cum
ſint Papæ inferiora, nihil condere poſſunt
contra ius commune canonicum ipſiuſmet
Papæ.* Et *lib.* 1. *tit. de electione conſil.* 3.
nu. 1. *&* 2. inquit: *Sine facultate expreſ-
ſa à Pontif. Maximo conceſſa, nulli ei infe-
riori licet edere legem contrariam iuri com-
muni, in materia electionis.*
Forma igitur tradita *in cap. quia pro-
pter, de electione*, debet ad vnguem ſer-
uari, cùm habeat decretũ irritans in or-
dine ad electiones aliter factas, vt voluit
Innoc. *in dicto cap. nu.* 6. Compoſtellan.
nu. 20. *verſic. nunquid de iſta*, Roman.
conſ. 322. *n.* 12. Mandagot. *de elect. cap.* 22.
cum alijs per Rotam relatis *in Treueren,
Abbatiæ S. Maximini* 24. *Nouemb* 1624.
coram Reuerendiſſ. Coccino Rotæ Decano.

Nec inferiores Papa poſſunt contra formam traditam *in dicto cap. quia propter*, aut contra alia iura de electione Canonica, aliquid in contrarium ſtatuere; vt de Cœtu Cardinalium eſt text. *in Clement. ne Romani in princ. de elect.* vbi ſtatuitur quod ſede vacante Cœtus Cardinalium non poſſit Conſtitutionem Gregorij X. modificare, corrigere, vel immutare, aut quicquam ei detrahere, ſiue addere, vel diſpenſare quomodolibet circa ipſam vel aliquam eius partem, aut eidem etiam renuntiare, Imol. *in 3. notab. & notab.* 4. Cardin. §. *1. n. 7. in princip.* Vitalin. §. *1. num. 15. & 36.* Barbat. §. *fin. nu. 11. & ſeqq.* Gloſſ. *ibid. verb. Inferiorem, & in cap. vbi periculum* §. *hoc ſacro, verſ. intromittant. de elect. in 6.* Archidiac. *ibid. nu. 4. col. 3. verſic. item quaro de elect. in 6.*

Et de Capitulo quocumque quod nõ poſſit ſtatuere contra dictum cap. *quia propter*, dixit Oldrad. *conſ. 259.* Alberic. *de Roſat. in l. de quibus, n. 147. ff. de legib.* vbi etiam firmat non valere ſtatutum irritans ipſo iure electionem factam non vocatis abſentibus; & ita dicit fuiſſe determinatum in Romana Curia ſuper electione facta in Eccleſia Dertuſenſi, & ſequitur Felin. *in cap. quod ſuper his, nu. 9. vero item de validitate ſtatuti*; quæ locum habent etiam reſpectu Capitulorum ac Superiorum Regularium, vt nõ poſſint aliquid ſtatuere contra diſpoſitionem Canonum in materia electionis Nauar. *conſ. 3. nu. 1. de elect.* & *conſil. 26. num. 4. lib. 3. de Regular.* vltra prædicta. Ratio clara eſt, quia inferior non poteſt ſtatuere contra legem ſuperioris, *cap. cum inferior de maior. & obed.* immo vt dicit Abbas *in cap. cum tanto. num. 9. ad fin. de conſuetud.* Papa non poteſt dare Clericis poteſtatem ſtatuendi contra Canones.

Quapropter in Conſtit. Ord. Prædicatorum *diſt. 2. in cap. de electione Prioris Conuentualis*, & *de Electione Prioris Prouincialis*, & *de Electione Magiſtri Ordinis*, frequenter præcipitur, vt ſupradictorum Superiorum Electiones ſemper fiant, ſecundum formam canonicam, hoc eſt, à ſacris canonibus ſtatutam, vti eſt videre clarè in textu & in declarationibus præcitatorum Capitulorum; Quibbus addit Tabiena, *par. 2. tit. Inquiſitor, circa finem nu. 39. Si aliquid dimitteretur, cum proceditur per ſcrutinium quod ſit de ſubſtantia formæ electionis* (in Ordine ſcilicet Prædic.) *caſſaretur electio.*

Quamobrem in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis Prædicatorum *text. 5.* & clarius in gloſſa eiuſdem text. expreſſis verbis dicitur. *Item declaramus quod electio canonica debet eſſe digni, & idonei viri, & ideò nullus poteſt eligi in Priorem qui non habeat conditiones à ſacris canonibus requiſitas.*

Quocirca nulla Religio, quantumuis priuilegijs decorata, ex ſe, condere po-
5 teſt Statuta, ſiue leges † contrarias diſpoſitioni iuris communis, circa electionem canonicam ſuorum Superiorum, niſi habeat ſuper hoc priuilegium à Sede Apoſtolica ſibi conceſſum in forma ſpeciali, *cap. quod ſuper his, tit. de maiorit. & obedien.* Nauar. *lib. 1. conſil. tit. de elect. conſil. 3.* Ibi enim *ad 1. quæſt.* reſpondendo, tanquam certum ſtatuit, non potuiſſe Generalem S. Auguſtini, in Diffinitorio Generali ſuæ Religionis, auferre toti Ordini Auguſtiniano, nec parti eius, modum eligendi conformem iuri communi, ſine ſpeciali, & expreſſa facultate S. D. N. cum nulli inferiori eidem Santiſſimo liceat edere legem contrariam iuri communi, *cap. quod ſuper his de maior. & obed.* & *cap. inferior. 21.* Quod redditur manifeſtum ex ipſamet ſequenti diffinitione electionis Canonicæ paulo inferius adducenda.

Ante-

Digitized by Google

Antequam diffiniatur Electio, prout de more, diſtinguenda eſt multiplex ſignificatio eius.

6 Electio aliqua † dici ſolet canonica triplici modo, *largè, ſtrictè, & ſtrictius*, ex Gemin. *conſ.* 88. *nu.* 4. Strictius dicitur canonica electio, quando in ea omnia ſeruata fuere, quæ ſunt de ſubſtantia, & ſolemnitate; quæ ſi omittantur, electio eſt nulla, vt *in cap. quia propter*. Strictè verò illa dicitur, in qua ſeruantur quæ ſunt de ſubſtantia electionis, omiſſis ijs, quæ pertinent ad ſolemnitatem, vt puta vocatio abſentium: quo caſu electio non eſt nulla, ſed venit annullanda, *cap. quod ſicut* 28. *de elect.* Largè autem illa dicitur electio canonica, in qua non fuerunt ſeruata ſubſtantialia, nec alia quæ pertinent ad ſolemnitatem ſecundum diſpoſitionem iuris poſitiui: hæc Electio habet validitatem tantùm iuris naturalis, quia habet conſenſum eligentium, & ipſa de iure non eſt valida, vt latius dicitur *in cap. quia propter*, & *in cap. ſicut de elect. in* 6.

Electiones quas Papa appellat Canonicas, ſunt illæ, quæ dicuntur Canonicæ ſtrictiori modo, cùm iura illas ſolas approbent: & illud eſt proprium ſignificatum alicuius nominis, quod communiter iura recipiunt: dum enim di-
7 cunt † canonicam electionem, intelligunt de electione valida, & per conſequens de illa quæ dicitur canonica ſtrictiori modo, vt patet *in cap. poſtulaſti, de Cleric. excomm. miniſtr.* cùm à propria verborum ſignificatione recedendum non ſit, *l. non aliter, ff. de legat.* 3. *cap. in noſtra, de iureiur.* & *in cap. propterea de verb. ſignif.* Ita inter alios quamplures Gemin. *conſ.* 88. *nu.* 4. & *Rebuf. in praxi tit. canon. inſtit. qua dicatur*; vbi concludunt illam eſſe canonicam electionem, quæ fit ſecundum canones, *cap. cum aliter, de dolo, cap. grauis de cenſ. cap. vnic. de ætat. & qualit. in* 6.

Nec poteſt dici illa electio canonica, quæ ſecundum diſpoſitionem iuris facta non ſit: *cap.* 1. *de elect.* Deciſ. Rom. *coram Reuerendiſſimo Coccino Decano Treueren. Abbatiæ ſancti Maximini Veneris* 24. *Ianuarij* 1625. §. *neque facit*.

Electio enim canonica, propriè dicta, ſecundum Hoſtienſem & alios gra-
8 uiſſimos Doctores, † eſt *alicuius idoneæ perſonæ ad dignitatem, ſiue Prælaturam, vel fraternam ſocietatem, ſeruata forma canonica legitima vocatio*. Ita *cap. cum in cunctis tit. de elect.* Poſtulatio verò eſt *eius qui eligi non poteſt in Prælatum, concors Capituli facta petitio*: Panorm. & alij *in Rub. eod. tit. de elect.* Hoſtien. *in ſum. eod. tit.* de qua materia poſtulationis diffuſius agetur in ſeq. Capitulo.

Conueniunt autẽ electio, & poſtulatio
9 canonica in hoc, quod † ſi fiat electio, vel poſtulatio, alicuius perſonæ indignæ, ſiue contra formam à ſacris Canonibus ſtatutam, vtraque ipſo iure eſt nulla, vel ſaltem de iure venit annullanda; *cap. quia propter, tit. de elect.* Doctor. *ibidem*.

Sub nomine electionis generaliter
10 ſumptæ cadit † poſtulatio, etiam in materia pœnali, Panorm. *in cap. in cauſis de elect. nu.* 2.

11 Regulariter omnes illi qui † poſſunt eligere de iure, poſſunt etiam poſtulare, vt patet in eiſdem præcitatis titulis.

Differunt inter ſe poſtulatio, & ele-
12 ctio: Primo quia † illegitime natus, non ordinatus, & qui non habet legitimam ætatem, poſtulari quidem, non tamen eligi poteſt, *cap. cum nobis*, & *cap. dudum*, & *cap. innotuit, extra de electione*.

Secundo, quia electores dum eligunt ſecũdum formam canonicam dignum, per talem Electionem conſentiunt in electum, tanquam in ſponſum ſpiritualem Eccleſiæ Cathedralis, ſiue Regularis, pro cuius regimine eſt electus.

Initiatur enim inter Eccleſiam, & perſonam electam, per ſubſequtam electionem, vinculum matrimonij ſpiritualis, quod poſtea perficitur per ſuperuenientem confirmationem Superioris; *cap. cum inter canonicos, eod. tit. de electione*, & *cap. inter corporalia, tit. de tranſlatione Epiſcopi*. Hoc idem aſſerit Silu. *in ſua ſumma, verb. Electio 2. nu. 3*. Doctores id ſuadent multis rationibus, & argumentis, *cap. etſi vnanimiter de poſtul. in princip.* Panorm. *ibidem, nu. 4. 5. & 6*.

13 Poſtulantes autem aliquem † nequaquam conſentiunt in poſtulatum; ſed eorum vota ſimpliciter dirigunt ad Superiorem, vt dignetur ex gratia, ſi ſibi bene viſum fuerit, admittere poſtulatū ab illis, Panorm. *tit. de poſtulat. Prælat. in princ. rubr. 1. nu. 2*. vbi etiam citat Innoc. & alios ſapientiores Doctores. Ex quo namq. diſcrimine oritur illud commune Iuriſtarum aſſerentium, quod *electio canonica innititur iuri, poſtulatio vero gratiæ*. Hinc eſt, quod Poſtulationis admiſſio, tota pendere dicitur à gratia Superioris, *cap. gratum tit. de poſtulat.*

14 Electio cæteris paribus præponenda ſemper venit poſtulationi, excepto caſu; quando ſcilicet poſtulatio habet pro ſe duas partes ex tribus; electio vero, excedit quidem medietatem; ſed in paruo numero, *cap. ſcriptum, tit. de elect.*

15 In Ordine vero Prædicat. † quemadmodum animaduertit Tabiena, *in tit. poſtulat. nu. 1*. ex priuilegio Apoſtolico, nulla prorſus dignoſcitur differentia inter Electionem, & Poſtulationem, quoad effectum confirmationis, dummodo cætera ſint paria. Vnde poteſt confirmator electum, vel poſtulatum ſufficienter, ſeruatis ſeruandis, confirmare; attenta ſemper neceſſitate, vel vtilitate Conuentus, vel Collegij, cui præficiendus eſt Prælatus.

Cui dicto Tabienæ, ſuffragatur etiam Priuilegium Alexandri, & Sixti IV. inferius citandum, quod intelligitur ſolum, & tantum, quoad poteſtatem confirmandi electum, vel legitimè poſtulatum.

16 Poſtulatus inſuper ex vi poſtulationis de iure communi † nullum ius acquirit, etiam quod poſtulatio iam fuerit præſentata Confirmatori: Et ſi enim Electores, qui & poſtulatores ſunt, nequeāt recedere à poſtulatione poſt tempus factæ præſentationis, id tamen euenit non ratione alicuius iuris acquiſiti per illam: ſed hoc totum prouenit ob reuerentiam Superioris, cui facta eſt præſentatio poſtulationis; ne ſcilicet illudatur, *cap. poſtulationem tit. de poſtulat.* Panorm. *ibid. nu. 1*.

17 Per Electionem namque,† qui eſt electus canonicè, licet de iure communi, ſibi acquirat aliquod ius, illud non eſt plenum, ſed eſt ius ad dignitatem, ſeu Prælaturam, ad quam eſt electus; quod ius nominari ſolet communiter, ius ad rem, & non ius in re, ſiue alio nomine ius petendi confirmationem. Hoc ius, ex ſola Electione proueniens, eſt reuocabile, vel confirmabile, ſecundum quod rationabiliter iudicauerit expedire confirmator: Deum, & iuſtitiam eius præ oculis ſemper habens, *cap. nihil, cap. qualiter*, & *cap. cum dilectus, tit. de elect.* idque clarius affirmant Doctores, *ibidem*. Dato caſu quod moriatur quis iam electus ad aliquam Prælaturam, ante confirmationem, non dicitur vacare talis Prælatura, niſi per mortem primi, qui ante illum eam habebat, in ſignum quod nullum ius in re acquiritur per ſolam Electionem, ſed neceſſaria ſit confirmatio Superioris; (In Electione enim Prælatorum curam animarum habentium, niſi adſit priuilegium ſpeciale ſuper hoc conceſſum à Sede Apoſtolica,

lica, requiritur ſemper confirmatio de qua ſupra, vt infra latius dicetur; præſertim *cap.* 14.)

18 Vel tertio vt tradūt † Doctores *in cap. ſi tibi abſenti, tit. de prebend. in* 6. & *cap. tranſmiſſam*, & *cap. auaritiæ in* 6. *tit. de elect.* Dicitur ius acquiſitum per Electionem in habitu tantum, in actu vero, per ſolam confirmationem; quia nihil actum dicitur, quoties aliquid agendum ſupereſt, *l. cum Silanium, C. de his quibus:* ideò electio confirmanda.

19 Regulariter enim omnis electio Prælatorum Regularium, † quantumuis canonica, confirmatione indiget, niſi adſit ſpeciale priuilegium conceſſum à Sede Apoſtolica, aliter diſponens; *cap. nihil eſt, cap. dum dilectus, tit. de elect.* & clarius id tradunt Doctores *in cap. poſtquam eod. tit.* Ex quo oritur quod electus ante confirmationem, nequit exercere in totum, vel in partem, ea quæ pertinent ad munus, ſiue adminiſtrationem dignitatis, vel Prælaturæ, ad quam eſt canonicè electus, nec locum eiuſdem dignitatis arripere. Confirmatio etenim ius adminiſtrandi, & exercendi ea quæ ſunt ſpectantia ad munus, ſiue præfecturam, ad quam eſt electus, confert electo: *cap. noſti, cap. qualiter, tit. de elect.* & *cap. dudum, tit. de præbendis.* Extat inſuper circa hoc deciſ. Rot. Rom. *Rom. Capellaniarum die Veneris* 22. *Iunij* 1602. *coram Illuſtriſſimo Cardinali Bononien.* quæ eſt in ordine earum quas collegit Proſper Farinaccius, 62. *in* 1. *tom.* 2. *par.* vbi *nu.* 2. traditur quod electio factum alterius, hoc eſt Superioris confirmantis requirit, conformiter *ad cap. nihil, tit. de elect.* Et eſt in proprijs terminis circa hoc *conſil.* 246. *Oldradi, num.* 1. in quo reſoluit poſt multas allegationes immediate vt ſupra. Ideò conſuetudo admittens vt quis electus ante confirmationem adminiſtret quæ ſunt muneris illius officij vel Prælaturæ, ad quam eſt electus, tamquam ſacris Canonibus inimica, non eſt ſeruanda, imò extirpanda, vt patet *in cap. cum venerabilis, tit. de conſuetudine,* §. *vel vt poſſit:* Azorius *par.* 2. *inſtit. moral. lib.* 6. *de quarto decalogi præcepto, cap.* 16. §. *ad quam pœnam.*

Ideò Panormit. *in cap. qualiter tit. de elect. num.* 2. poſt citatum textum Leuit. poſt author. Hieronymi, Archidiaconi, Oldradi, & aliorum, rectè concludit duo: quorum primum eſt, Electum non poſſe ante confirmationem, adminiſtrare quæ pertinent ad ſuam dignitatem, vel officium, etiamſi adſit conſuetudo in contrarium.

20 Secundum eſt, † quod *nu.* 8. *eiuſdem cap.* præmiſſa citatione diuerſorum textuum, ac iurium, infert quaſi neceſſarium corollarium. Qui adminiſtrauerit ante confirmationem, efficitur ineligibilis, ita vt egeat ſpeciali diſpenſatione Sanctiſſimi: & ſi abſque præuia diſpenſatione, etiam à Papa hoc ignorante promoueatur, talis promotio cenſeri debet ſurreptitia, nec habet verum titulum Prælaturæ.

21 Io. Andr. relatus à Butr. † *lib.* 1. *ſexti Decret. de electione, & electi poteſt. cap.* 5. *nu.* 3. *&* 4. fundatus in verbis *cap. auaritiæ*, & præcipue in illis *gerere, vel recipere, &c.* conſtanter tenet quod ille qui anteà erat Oeconomus, ſiue Procurator, ſi eligatur ad officium, vel dignitatem vigore tituli, ſiue officij quod anteà habebat, ſi adminiſtret, incurrit nihilominus pœnas taxatas *in Canon. Auaritiæ;* & ad illas effugiendas tenetur, pro tunc, antiquam dimittere adminiſtrationem, donec fuerit negotium confirmationis determinatum.

22 Hodie tamen, † licet non ſit immutatum in Italia ius de quo ſupra immediate dictum eſt, ex generali tamen diſpenſatione Papæ, extra Italiam conſtituti,

ſtituti, ſtatim poſtquam ſunt in concordia electi, poſſunt in temporalibus, & ſpiritualibus miniſtrare, *cap. nihil, tit. de elect.* Hocque illis conceditur, ne eccleſia interim patiatur propter loci diſtantiam.

23 In Ordine autē Prædicatorum † electio, etſi ſit vnanimis, nullum ius tribuit electo; prout manifeſtè traditur in Conſtitutionibus eiuſdē Ordinis auctoritate Apoſtolica ſæpius confirmatis, ſecundum quas iam ab hinc quadringentis, & ſeptem annis regitur prædictus Ordo: Nam *diſt.* 2. earundem Conſtitutionū. *cap. de electione Prioris Conuentualis*, in declaratione textus tertij, ſequentia continentur.

Declaramus, quod ille qui eſt electus canonicè in Priorem alicuius Conuentus Ordinis noſtri, non poteſt incontinenti pronunciata electione iuri ſuo renuntiare; cùm taliter electus, nullum ius acquirat, & nullam prorſus habeat adminiſtrationem; imò nec velle, nec nolle habet, propter ſuum ſolemne votum obedientiæ præſtitum, conformiter ad *cap.* 2. *tit. de teſtamentis, & vltimis voluntat. in* 6. vbi liquido apparet, quod voluntas ſubditi, à voluntate Superioris in omnibus depēdet. Imò in declaratione eiuſdē præcitati tex. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis additur, *Quod ſi aliquis Frater dicti Ordinis Prædicatorum fuerit electus in Priorem à maiori parte electorum, vel etiam ab omnibus electoribus; In poteſtate nihilominus Superioris eſt, ipſum confirmare, vel non confirmare: & dato, quod non ſit confirmatus, propter hoc non remanet tali electo locus appellandi, nec aliquam cauſam proſequendi, nec aliquid in foro contentioſo repetendi.* Ex quibus omnibus, tamquam ex quodam certiſsimo antecedenti, eadem declaratio Conſtitutionum per modum neceſſariæ conſequentiæ infert quæ ſequuntur, ad verbum.

24 *Apparet ergo ex prædictis, † talem non habere ius aliquod in tali electione, ac proinde non poſſe cedere iuri ſuo, quia ex vi talis electionis nullam ius dignoſcitur acquiſiuiſſe.* Hæc in Conſtitutionibus dicti Ordinis, vbi ſupra.

25 De iure communi † licet Epiſcopus actualis vnius eccleſiæ, non poſſit eligi propter vinculum matrimoniale, ad aliam eccleſiam; poteſt tamen poſtulari, vt dicetur cap. ſequenti.

26 In Ordine autem † Prædicatorum, Prior actualis vnius Conuentus non poterat antiquitus eligi, ſed ſolum poſtulari in Priorem alterius Conuentus. vt patet euidenter in tex. 3. *cap. de electione Prioris Conuentualis*. At verò in Capitulo Generali celebrato Placētiæ 1310. auctoritate Apoſtolica fuit ordinatum, & declaratum, quod non obſtantibus verbis præcitati text. de cetero poſſent eligi Priores actuales vnius Conuentus, in alio Conuentu. Quæ declaratio fuit appoſita in Conſtitutionibus dicti Ordinis Prædicatorum, ad eundem text. *ſub litera I.*

In Prouincijs verò Romana, & Lom-
27 bardiæ, † propter Ordinationem quintā in ſerie earum Ordinationum quas edidit Cardinalis Alexandrinus, Ordinis Prædicatorum Protector, pro bono regimine earundem Prouinciarum; *Prior actualis vnius Conuentus non poteſt eligi, aut poſtulari in Priorem alterius Conuentus, ante completum officium ſui Prioratus; & ſi ſecus fiat, electio eſt nulla, & irrita.* Propter quæ verba, *ante completum officium*, &c. ad remouendas fraudes illorū qui renuntiabant officio Prioratus ante expletum tēpus primi Prioratus, certi de electione facienda in eorum perſona, pro alio Prioratu, ſæpius declaratum eſt, & vſus eandem approbauit declarationem, dato quod quis renuntiet Prioratum iam acceptatum, ac

exer-

exercitum, ante tempus completum duorum annorum in Prouincia Lombardiæ; in Romana autem trium annorum: toto illo temporis ſpatio remanet inhabilis, vt eligatur pro alio Prioratu. & ſi fiat de illo electio, abſque præuia diſpenſatione ab habente auctoritatem diſpenſandi ſuper prædictas Ordinationes Cardinalis Alexandrini, confirmatas auctoritate Apoſtolica, talis electio nulla erit: præſertim propter dicenda inferius cap. 4. 11. & 14.

Quia verò ſuperius facta eſt mentio de Conſtitutionibus, & Ordinationibus Ordinis Prædicatorum, & inferius frequenter ſunt adducendæ Declarationes, Ordinationes, Interpretationes, & Admonitiones Capitulorum Generalium præfati Ordinis; æquum eſt breuiter aperire quantum ſit faciendum, de prædictis Declarationibus, Confirmationibus, Ordinationibus, Interpretationibus, & Admonitionibus à Profeſſis dicti Ordinis Prædicatorum. quod proportionaliter poteſt extendi ad Regulares cuiuſcumque approbatæ Religionis.

28 Quamobrem ſciendũ eſt, † Declarationes Capitulorum Generalium, obligare quidem Profeſſos eiuſdem Ordinis Prædicatorum ad eorum obſeruãtiam: & idem, (proportionaliter tamen) poteſt affirmari de Ordinationibus, & Cõfirmationibus Capitulorũ Generalium, maximè verò ſi fuerint confirmatæ per tria Capitula Generalia continua.

Hoc enim clarè traditur *in tex.* 9. prolog. Conſtit. Ordinis Prædicatorum per ſequentia verba: *Ordinationes tam Capitulorum Generalium, quàm Magiſtri Ordinis, durare volumus, donec fuerint reuocatæ per ſimilem poteſtatem*. Et in Declaratione eiuſdem text. dicitur: *Interpretatio, vel declaratio, facta per Capitulum Generale, vel per Magiſtrum Ordinis, licet non habeat vim Conſtitutionis, eſt tamen à ſubditis tenenda, & obſeruanda*; quod fuit in diuerſis Capitulis Generalibus à principio Ordinis, vſque ad hæc tempora, pluries ordinatum, atque confirmatum, eſtque in viridi obſeruantia in omnibus Prouincijs non deſolatis eiuſdem almæ Religionis, de cuius præſtantia ſcribit inter alios P. Suarez *tom. 4. ſui operis de varietate Relig. lib. 3. cap. 6. per tot. Habuit*, inquit ille, *auctorem magnum Eccleſiæ propugnatorem, S. Dominicum, cuius vita, & ſanctitas notiſſima eſt, & à grauioribus viris latè conſcripta.* ſubdens: *Prima fuit inter Religiones, quæ approbationẽ ſolemnem, & authenticè ſcriptam, ſtatim in ſuo ortu obtinuerit, vt aſſerit Pius V. in ſuo motu proprio 69. cuius exordium eſt: Diuina diſponente*, &c. vbi inter quamplura affirmat, ſacrum Ordinem Prædicatorum inter Mendicantes Ordines primò fuiſſe ab Eccleſia approbatum, atque confirmatum. Ante enim celebrationem Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. non erat vſitatum Ordinum confirmationem in ſcriptis recipere, vel expectare. Additque Suarez *vbi ſupra*, Religionem Prædicatorum eſſe veram, perfectamque; & declarans ſeipſum, quòd non loquitur de communibus, & per communia alijs Ordinibus, ſubdit: *Dico autem eſſe perfectam non ſolum quo ad ea, quæ ſunt de ſubſtantia talis ſtatus, quod eſt per ſe notum; ſed etiam quo ad gradum, ſeu excellentiam Inſtituti; quod vt ſæpe diximus, ex finis nobilitate, & mediorum ad illum aſſequendum aptitudine dignoſcitur. Et quidem finis is eſt, quo excellentior religioſo ſtatui præfigi non poteſt (propria ſcilicet, cuiuſcumque religioſi ſpiritualis perfectio, & proximorum æterna ſalus) vt facile intelligitur ex ijs, quæ ſuperiori lib. c. 6. à nu. 8. cũ D. Thoma, & alijs plerìſque oſtendimus.* hæc ille. Vbi

defendit, validiſque argumẽtis demonſtrat Ordinis Prædicatorũ eminentiam ſuper cunctos alios, finemq́. principalẽ de quo ſupra, eſſe proprium priuilegium dicti Ordinis Prædicatorum.

Tandem *nu.* 14. *eiuſdem cap.* 6. *lib.* 2. *de varietate Religionum*, in ſpecie poſt multa ſuperius ab eodem adducta, & optimè ſtabilita pro nobilitate & excellentia dicti Ordinis Prædicatorum concludit per ſequentia verba: *Non poteſt igitur prædictum Ordinis Prædicatorum Inſtitutum non eſſe perfectiſſimum, ac in ſupremo gradu Statuum Religioſorum numerari; cùm talem finem taliaq́ media amplectatur, totque, ac tam ingentes fructus in Eccleſia Dei produxerit, cùm acerbis odijs ſit impugnatum ab externis*. Hæc ille

Et in Conſtitutionibus Ordinis Præ-
29 dicat. *diſt.* 2. *cap. de ſolemni* † *celebratione Capituli Generalis*, *textu* 5. in declaratione illius hæc habentur. *Ex quibus omnibus patet reuocatio cuiuſcumque Ordinationis dicentis quòd Ordinationes, & Præcepta, quæ apponuntur in Actis Capitulorum Generalium, vel Prouincialium, non obligant Fratres, niſi ſolum vſque ad receptionem Actorum Capituli Generalis immediate ſequentis: oppoſitum enim exprimitur, ac præcipitur in Capitulis apud Coloniam, 1245. apud Londonas, 1250. Bononiæ, 1275. Florentiæ, 1281. Oxoniæ, 1280. apud Treuerim, 1289. apud Montem Peſſulanum, 1294. apud Argentinam, 1296. apud Toloſam, 1304. Genuæ, 1305. Cæſarauguſtæ, 1309. apud Caſtras, 1352. Bononiæ, 1547. In quibus declaratur, quod ordinationes, confirmationes, admonitiones, & declarationes Capitulorum Generalium, cùm pro bono communi vniuerſitatis Conuentuum, & Fratrum, auctoritate Ordinis, & Conſtitutionum ſint facta; cumque ipſe Ordo, & Conſtitutiones ſemper durent, præfatæ Ordinationes ſemper durabunt; quouſque fuerint reuocatæ, & non obligant Fratres ad culpam; ſed ad pœnam taxatam, & taxandam à Prælato, niſi propter præceptum, vel contemptum*. Hæc vbi ſupra

Ad quorum omnium, & ſingulorum maiorem claritatem, ac firmitatem hic apponuntur per extenſum verba declarationis 12. factæ in Capitulo Generali Romano 1589. ſequentis tenoris.

30 *Conformiter ad ea quæ in* † *pluribus Capitulis Generalibus ſancita fuerunt, Declaramus non eſſe in poteſtate alicuius Prouinciæ, prætextu cuiuſcumque conſuetudinis, aut priuilegij, non acceptare acta Capituli, ſiue Statuta Capitulorum Generalium; ſed omnes, & ſingulas Prouincias, decretis, & ordinatis in eiſdem Capitulis ita ſubiectas eſſe, vt vnaquaque earum teneatur ipſa acta in vnoquoque Conuentu publicare, acceptare, & inuiolabiliter obſeruare, vtpote pro communi bono vniuerſitatis Prouinciarum, Conuentuum, & Fratrum facta, quatenus opus eſt, auctoritate Apoſtolica, reuocamus, & annullamus, quamcumque conſuetudinem, aut priuilegium, quomodolibet prætenſum, aut in contrarium exiſtens. Idem Pariſijs, 1611. Admonit. ſecunda.*

31 Ex quibus omnibus † liquido apparet nullam Prouinciam poſſe rationabiliter non acceptare acta Capitulorum Generalium: Imò de rigore teneri omnes Prouincias, & Conuentus, acta Capitulorum Generalium acceptare, & ſingula obſeruare in illis Statuta, pro beneficio totius Ordinis: nec aliqua Prouincia poteſt pro ſe allegare non vſum, ſed ſolum abuſum, & corruptelam, qui abuſus, & corruptela, veniunt extirpanda, vt omnes leges clare tradunt, propter mala quæ inde ſequuntur; idque ſingulariter cauetur in Ordine Prædicatorum, vti clarè patet in prologo Conſtitut. eiuſdem Ordinis.

Et Iu-

Digitized by Google

32 Et Iulius II. in ſuo Breui † directo Thomæ de Vio Caietano, tunc Generali Ordinis Prædicatorum, Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 13. Decembris 1509. cuius initium eſt: *Conſiderantes, &c.* concedit Generali pro tempore, *vt poſſit declarare Conſtitutiones, priuilegia, indulta, gratias, & exemptiones, à ſancta Sede Apoſtolica conceſſas, & concedendas, Prouincijs, Conuentibus, & Patribus, ſuæ curæ ſubiectis; cuius declarationi ſtandum erit.* & in Capitulo Generali celebrato apud Coloniam 1245. Et in Capitulo apud Biſuntium 1353. ita habetur. *Imponimus diſtrictè omnibus, & ſingulis Prioribus, & Prouincialibus, vt declarationes huius anni, & omnes alias, præteritis temporibus factas, in ſcriptis redigant, Conuentibus ſuis eas communicent, legi faciant, & obſeruari, &c.* Et in Capitulo apud Tholoſam, 1362. *Imponimus omnibus Prioribus Conuentualibus ſub pœna abſolutionis ab officijs ſuis, quatenus declarationes Capitulorum Generalium ſemel in menſe legi faciant, Fratribus ſimul congregatis in Capitulo, vel in menſa.* Quibus additur illud commune Iuriſperitorum: *Qui declarat legem, nihil noui agit; ſed legis ſenſum aperit.* Bald. *in authentic. C. de iuramentis, & calumnijs, &c.*

Cùm ſuperius facta fuerit frequens mentio de declarationibus, atque confirmationibus quæ fiũt in Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorũ ex vi ſuarum Conſtitut. hoc vnum ſingulariter animaduertendum eſt, quod ordinata, & confirmata in Capitulo aliquo Gene-
33 rali, numquam † cenſentur habere vim, ſiue robur Conſtitutionis, niſi fuerint ordinata per modum inchoationis, & pariter confirmata in tribus Capitulis Generalibus ſequentibus continuatis, ſiue in vno Generaliſſimo; quemadmodũ manifeſte traditur in prologo Conſtitut. eiuſd. Ord. Prædicatorũ, *tex. 7. ſub littera, Q. §. Interpretationes;* vbi dicitur, quod *Interpretationes Regulæ, vel Conſtitutionum factæ à Generali Capitulo, non habeant vim Conſtitutionis, niſi per tria Capitula Generalia continua, in modum aliarum Conſtitutionum, ſcilicet per viam inchoationis, & confirmationis, continuatæ, fuerint approbatæ.* Per quæ verba traditur regula certa, & infallibilis, qua dignoſcuntur, quæ nam ſint illa quæ habeant, vel non habeant vim Conſtitutionis in præfato Ordine.

Et hoc ideo fuit ſapienter ſancitum, ne Conſtitutiones in infinitum creſcerent: quod eueniret, ſi cuncta confirmata in tribus Capitulis, redigenda eſſent in Conſtitutiones: cumque innumerabilia fere ſint; & ſupradicta Regula fuit ſemper in Ordine Prædicatorum exacte ac fideliter obſeruata, ſicut teſtantur acta Capitulorum Generalium.

Multitudo ſane ac mutatio frequens Conſtitutionum reddit ſtatum Religio. grauem ac fluctuantem; vt alia omittam innumeta mala, quæ inde oriuntur, prout experientia rerum doctrix euidenter demonſtrat.

34 Cumque Prælati ſupremi † Religionum obligentur præceptis, & Statutis eiuſdem Ordinis latis in Capitulo Generali: nam Capitulum Generale eſt ſupra ipſum Generalem, ordinariè, & regulariter loquendo; hinc eſt quod ſuis legibus æquè obligat Generalẽ ipſum, Diffinitores, aliasq. perſonas actionem habentes in eodem Capitulo Generali. Quod nonnulli Doctores affirmãt, præſertim S. Tho. 1. 2. *q.* 21. *art.* 1. *in corpore, & q. 96. art. 5. in reſp. ad tertium argumentum,* illiusq. Commentatores *ibidem*, & Dominicus Soto *lib. 1. de iuſtit. & iure q. 6. art. 7.* Emmanuel Rodericus *in ſuis quæſtionibus Regularibus, & Canonicis tom. 1. q. 68. art. 2.* & Suarez *de Relig.*

lib. 2.

lib. 2. cap. 8. dub. 2. num. 18. exponunt primò,& principaliter quantum ad vim directiuæ legis. Quod fundat S. Thomas maximè *in cap. cum omnes, extra de conſtitutionibus*, & ſuper illud commune ſapientum, quo dicitur, *Patere legem quam ipſe tuleris.* ac demum in illo *Matthæi 23.* vbi improperatur etiam ijs à Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui alijs onera grauia imponunt, ipſi tamen renuunt digito ea mouere.

Ex doctrina quoque tradita à S. Doctore *in reſpõſione ad tertium argumentum articuli præcitati*, colligit Caietanus reſponſionem ad dubium illud difficile, Quomodo Princeps, & proportionaliter Prælati ſupremi obligentur quo ad Deum, ita quod peccent non ſeruando legem, nedùm à Superiori ſuo latam, (ſi quem habent) verùm etiam ſi nõ ſeruent legem ab ipſiſmet conditam: quia communiter dicitur, quod lex non habet vim coactiuam, ſed directiuam ſuper eos; ideò hæc videntur pugnare inter ſe. Reſponſioquè formalis continetur illis verbis eiuſdem Caietani, vbi ſupra §. *ex his autem*, dum inquit: *Nulla repugnantia eſt dictorum, quia alia eſt vis obligatiua legis humanæ in foro conſcientiæ, ſeu quo ad Deum, & altera vis coactiua eiuſdem, qua homo hominem puniendo iudicat:* ſtatim, ac immediatè ſubdens: *Prima habet locum in Principe; non ſecunda, quia hominem non habet ſupra ſe, vt in littera dicitur. Et ex hoc prouenit, quòd Papa nulla iuris humani pœna ligatur, quãtumcumque contra leges faciat*. hæc ille.

Ex qua doctrina ſimpliciter colligitur, quod vnuſquiſque remanet adſtrictus obſeruare legem à ſuo Superiore latam, quo ad vim directiuam, & coactiuam; non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam quo ad hominum punitionem, ſiue iudicium ſubeundum.

Occaſione prædictorũ dubitant nonnulli Regulares, an valeant Generales declarare, diſpenſare, vel immutare Statuta edita in Capitulo Generali; & proportionaliter an Prouinciales eamdem habeant facultatem ſuper actis Capituli Prouincialis. Cui difficultati occurrendum eſt reſponſione affirmatiua; vniuerſaliter, & abſolutè loquendo de Generalibus, & Prouincialibus reſpectiuè quorumcumque Ordinum; dummodò per Conſtitutiones particulares, præſertim auctoritate Apoſtolica editas, ſiue confirmatas, id eis ſpecialiter non ſit prohibitum, atque interdictum. Hanc reſponſionem approbat, & confirmat multiplici auctoritate Iuriſperitorum, quos in particulari citat, Emmanuel Rodericus *tom. 1. quaſtionum Regularium q. 68. art. 5. & 6.* addens, hanc doctrinam eſſe communem conſenſum omnium Iuriſtarum; præſertim Baldi, Bartoli, Panormitani, Ioannis Andreæ, & Innocentij. Vbi adducit limitationem Panormitani, dicẽtis: *Quando declaratio eſt clara, & Iuri conſona, non autem quando interpretatio eſſet valde dubia, & ex illa aliquod arduum contra ius poſſet reſultare*. Tandem adducit verba Martini V. & Eugenij IV. deprompta ex Compendio priuilegiorum Ciſtercienſium *tit. Conſtitutiones, ſiue Diffinitiones*, §. 1. Quibus clarè habetur, quod prædicti Pontifices conceſſerunt Generalibus reformatoribus illius Congregationis facultatem declarandi, dilucidandi, interpretandi, & diſpenſandi ſuper dubijs, ambiguitatibus, & obſcuritatibus circa Regulam, & eius obſeruantiam occurrentibus. Inſuper Statuta, & Ordinationes interpretandi, modificandi, dirigendi, reformandi, mutandi, variandi, tollendi, reuocandi, caſſandi, & alterandi; & noua quoque addendi, & condendi Statuta.

Conſimile Priuilegium conceſſum fuit

fuit à ſancta ſede Apoſtolica nonnullis Generalibus Monachorum, Mendicantium, & Clericorum Regularium, præſertim Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti Ordinis Prædicatorum; de quo Priuilegio ſuperius habitus eſt ſermo. eamdem ſententiam approbat, & defendit Suarez, *vbi ſupra*.

Reſpondetur ſecundò, quod Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum habet facultatem expreſſam, & ſpecialem, de qua ſupra, in toto ſuo Ordine Prædicatorum, vti eſt videre ab immemorabili tẽpore, in actis Capitulorum Generalium ad calcem, vbi leguntur ſequentia. *Damus Reuerendiſſimo Patri noſtro Magiſtro Ordinis, omnem noſtram auctoritatem circa præmiſſa omnia, vt ea declarare poſsit, quæ declaratione indigent, & eiſdem addere, vel minuere; omnia denique, & ſingula facere, quæ nos agere poſſemus.* & in declaratione *text. 6. cap. 9. diſt. 3.* Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorum expreſſis verbis dicitur, ſub littera f. *Declaramus, quod Magiſter Ordinis quamprimùm electus fuerit, ſtatim plenè, & liberè curam gerit animarum Fratrum totius Ordinis, eoſque propria auctoritate ligare, & abſoluere poteſt; nec non in ipſo Ordine ea agere valet, quæ ipſe, & Diffinitores Generalis Capituli iuxta Ordinis Conſtitutiones, & ſecundùm Deum Fratribus, & Religioni viderint expedire; ac Fratres omnes in ijs, quæ ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones ſunt, tenentur ei deuotè, atque humiliter obedire, ſicut habetur in Mari magno. Et quamuis Ordinationes, atque acta Capitulorum non debeat mutare, illa tamen quo ad aliqua in particulari ex vtili, vel neceſſaria cauſa limitare, vel tollere poteſt. Similiter quamuis Generale ſtatutum Ordinis, vel conſuetudinem diù retentam, & communiter in Ordinem approbatam non poſſit auferre, poteſt tamen ex rationabili, vtili, vel neceſſaria cauſa in prædictis omnibus diſpenſare.*

Idem clarius in ampliori forma concedit eidem Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum Iulius Papa II. per ſuum Breue directum Thomæ de Vio Caietano, tunc Generali Ordinis Prædicatorum, cuius initium eſt, *Conſiderantes*, de quo alias. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub Annulo piſcatoris die 14. Decembris 1509. Pontificatus ſui anno 7. per ſequentia verba: *Itaque volumus, & tibi concedimus, quòd ſi in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, aut circa priuilegia, indulta, gratiaſq. & exemptiones ab ipſa ſancta Sede illi conceſſa, aut concedenda, conceſſas ve, aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & eiuſdem Sedis auctoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerſerit: Tu illam (quo ad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quæ tibi ſubiectæ ſunt dumtaxat) poſſis auctoritate Apoſtolica declarare.*

35 Semper tamen memores † ſint in obſeruatione legum humanarum, quòd in manifeſtis non eſt opus ſimpliciter Superioris interpretatione; ſed virtus epijchia, ſiue æquitas, quæ eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ, & quaſi ſuperior Regula humanorum actuum, ſufficit. De qua virtute copiosè tractat S. Thomas 2. 2. q. 120. *per totam*. Et *in corp. primi articuli*, poſtquã ſtatuit quoſdam caſus, in quibus malum eſt ſequi legem poſitam, expreſsè docet: *Bonum autem eſt prætermiſſis verbis legis ſequi id quod poſcit iuſtitiæ ratio, & communis vtilitas, ad hoc enim ordinatur epijchia, quæ apud nos dicitur æquitas.* ſtatim, ac immediatè concludens. *Vnde patet quod epijchia eſt virtus.* ideò in reſponſione ad ſecundum argumentum animaduertit, *Quod dicit verba legis non eſſe in hoc caſu ſeruanda, non iudicat de lege, ſed de aliquo negotio particulari, quod occurrit.* Et *in reſpon-*

ſione

Digitized by Google

ſione ad ſecundum argumentum, ſecundi articuli eiuſdem quæſtionis, poſt deductam auctoritatem Philoſophi *lib. 10. ethicor. cap. 5.* aſſerentis, quod *epijchia eſt melior quadam iuſtitia*, ſcilicet legali, addit ſanctus Thomas: *Quæ obſeruat verba legis: quia tamen & ipſa eſt iuſtitia quædam, omnino non eſt melior omni iuſtitia.* Et *in reſponſione ad tertium argumentum*, inquit: *Ad epijchiam pertinet aliquid moderari, ſcilicet obſeruãtiam verborum legis.* Vbi non eſt prætermittenda reſolutio Caietani ad dubium illud difficile ab eo propoſitum, quomodo ſcilicet cohæreant ſimul, quæ paulò ſuperius dicta ſunt, quod Princeps poteſt legem tollere, mutare, & in ea diſpenſare, & quod ipſe in foro conſcientiæ ſubdatur legi, ita quod abſque ſcrupulo non ſeruabit eam, vtpotè non obligatus. Ad quam difficultatem reſpondet Caietanus *ad primam ſecundæ Diui Thomæ quæſt. 96. art. 5. §. Ad hoc dubium præmittenda ſunt*; animaduertens aliqua certa, & ab omnibus acceptata eſſe: & ſunt: *Certum, & confeſſum eſt ab omnibus, quod Princeps* (& proportionaliter Prælatus, ſiue Superior Regularis) *poteſt ſecum diſpenſare, ſicut cum alijs, propriè, & formaliter loquendo de diſpenſatione. Poteſt etiam, quando, & quantum expediens fuerit, eximere aliquem ſubditum, & ſeipſum quoque à lege. Poteſt etiam, vt ſupra dictum eſt, legem mutare, ſiue aliam condendo loco eius, ſiue totaliter tollendo.* His poſitis, inquit Caietanus, vbi ſupra: *Et nihil horum contradicit determinationi factæ, ſcilicet quod Princeps ſubijciatur legi in foro conſcientiæ. Subijcitur namque vt Princeps poteſtatem habens præcepta faciendi. Hæc ſunt confeſſa communiter*, ait Caietanus.

Deinde pro reſponſione formali ad dubium ab eo motum, adducit tres opiniones, & validis rationibus meritò confutat primam, & ſecundam; tertiam verò approbat. Ideò breuitatis cauſa omiſſis duabus prioribus, tertiam tãtum hic referam, quæ eſt ſequentis tenoris. *Inter has autem extremas opiniones, media occurrit opinio, quæ ſola vera eſt, ſcilicet quod Princeps poteſt ad libitum ſe, & ſubditum aliquẽ eximere à lege communi iam promulgata; ſic quod exemptus non ſit reus violati præcepti legis, non ſeruando illam: non tamen poteſt eximere ſic, vt ipſe eximens, & exemptus ad libitum non ſit reus violati iuris naturæ, quo qualibet pars conſonare debet ſuo toti, & præcipuè caput. Hæc opinio duo dicit, vt patet. Et in primo conuenit cum prima opinione, & diſcrepat à ſecunda: in ſecundo autem conuenit cum ſecunda aliqualiter, & diſcrepat à prima. Et ſi bene conſideretur opinio hæc, apparebit quod ſaluat vtrumque, quod mentibus humanis impreſſum videtur, ſcilicet, & quod Princeps malè facit eximendo ſe, vel alium ad libitum à legis iugo, & quod nihilominus exemptus, non eſt reus fractæ legis. Si enim Papa licentiet ſe, vel alium, quia placet, ad non dicendum Horas canonicas, vel carnes comedendum in Quadrageſima: licentiatus male facit non dicendo Horas, aut carnes comedendo, quia turpis eſt pars, quæ non conſonat ſuo toti, ex naturæ iure, quod violatur à ſubdito, & multò magis à capite, cui etiam à diuino iure improperatur; Dicis, & non facis; Alligas onus graue, &c. Matth. 23. Et nihilominus licet peccet ſic licentiatus, non tamen eſt reus violati præcepti de horis canonicis dicendis, aut de carnibus non comedendis. Fundatur hæc opinio quo ad primam partem ſuper poteſtate Principis, qua poteſt tollere legem, & ſimpliciter, & quod ad aliquem, vt quotidiana experientia teſtatur in priuilegijs eximentibus hos, vel illos à ſolutione decimarum, in quibus etiam ſi nulla cauſa exprimatur, ſed ſolo motu Principis fiant, robur non deeſt. Quo ad ſecundam*

Digitized by Google

dam verò partem ſuper naturali iure, quo turpis eſt omnis pars, quæ non conſonat ſuo toti; & quod in moralibus magis mouent exempla, quam verba: quod Princeps non ſolùm vt præſit, ſed proſit, creatur; & alijs huiuſmodi, quæ naturalis ratio dictat. Et *ſecundum hanc opinionem nihil eſt ridiculum, omnia conſonant, omnes obiectiones ſoluuntur, obſeruantiarum, & reprehenſionum ratio reddetur: vnde vt ſententia vera in medio poſita amplectenda eſt.* Hæc Caietanus

36 Electio in alternatiuis dicitur debitoris, quia eligentes tenentur eligere ex nominatis in alternatiua, quæ regulariter fit per Sedem Apoſtolicam, vel auctoritate ſpeciali eiuſdem ſanctæ Sedis. Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect.* miras, ac luculentas iuris deciſiones, complectente, *cap. 35. 3. par. nu. 4.* pro quo citat Felin. & alios Iuriſtas idem docentes: quamuis Capitula Generalia ex permiſſione, & approbatione eiuſdem Sedis Apoſtolicæ, pro pace & quiete ac pro ſeruanda iuſtitia diſtributiua inter Regulares eiuſdem Prouinciæ, eandem alternatiuã inſtituere poſſint & valeant; quemadmodum de facto inſtituerunt, ac mandarunt quamplurima Capitula Generalia Ordinum Prædicatorum, & Minorum de obſeruantia, ac aliorum Ordinum mẽdicantium, etiã non mendicantium, vti ſunt Canonici Regulares & Monachi. Quæ alternatiua nõ eſt contra neque præter diſpoſitionem iuris Canonici, cum ſit coarctata non ad perſonas, ſed ad genus perſonarum vt copioſe declarabitur in ſequentibus, cap. præſertim cap. 3. nu. 3. & 13. non enim aufert libertatem Electionis, ideò paſſim conceditur, & inde optimos percipiunt fructus Prouinciæ quæ habent alternatiuam Prouincialium.

Summa Cap. II.

1 *Adducitur diffinitio poſtulationis canonicæ.*

2 *Aſſignantur diuerſa genera poſtulationis.*

3 *Poſtulatio facta concorditer ab omnibus, vel ſaltem à duabus partibus ex tribus, non poteſt reijci à Superiore ſine iniuria, ac debet præponi Electioni.*

4 *Poſtulatio facta non in concordia, libere poteſt reijci.*

5 *Illegitime natus, licet non poſſit eligi, poteſt tamen poſtulari.*

6 *In Ordine Prædicatorum, in eodem ſcrutinio, ex priuilegio Alexandri IV. & Sixti IV. poteſt fieri poſtulatio vnius, vel plurium, vltra perſonam electam.*

7 *In decreto, ſiue ſcrutinio Electionis mittendo confirmatori, debent nominari vltra Electum, qui fuerunt legitime poſtulati.*

8 *Quinam dicantur legitime poſtulati, in Ordine Prædicatorum. Pro quo etiam adducitur declaratio ſacræ Congregationis Regularium.*

9 *Vbi non ſubeſt vera, & realis electio, nec eſſe poteſt vera poſtulatio.*

10 *Non poteſt poſtulari in Prouincia Romana, & Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, qui eſt Prior actualis alterius Conuentus.*

11 *Conditiones quas habere debent poſtulationes admittendæ pro legitimis.*

12 *Referuntur priuilegia Ordinis Prædicatorum ſpecialiter conceſſa ab Alexan. IV. & Sixto IV. circa poſtulationem faciendam in Electionibus Canonicis præter Electionem; & declaratur quomodo vtendum ſit hoc priuilegio.*

13 *Adducuntur nonnulli caſus neceſſarij pro intelligentia materiæ poſtulationis in eodem Ordine Prædicatorum.*

14 *Aſſignatur diſcrimen inter poſtulationem, atque nominationem.*

15 *Prælati varia nomina, & eius munus.*

16 *Quæ ſint neceſſaria adhoc vt quis ſit verè & pro-*

& propriè Prælatus ſiue Clericorum, ſiue Regularium.

17 *Abbas, & Prior quales eſſe debeant, & num. 18.*

CAP. II.

De Poſtulatione in communi.

LIcet titulus de Poſtulatione de ſui natura, & ſecundum diſpoſitionem iuris communis præcedat titulum de Electione; tamen, quia frequentius prouidetur Eccleſijs per Electionem, quàm per Poſtulationem, ideò primo tractaui de Electione quàm de Poſtulatione. Quibus addi poteſt quod nomen ſiue verbum *Electio* latè ſumptum comprehendit poſtulationem, & prouiſionem, *cap. 1. de poſtul. Prælat. §. ſed ſi.* Quamuis in rei veritate inueniatur differentia inter electionem, & poſtulationem latè explicata in præcedenti Capitulo.

1 Poſtulatio igitur Canonica eſt † *eius qui eligi non poteſt in Prælatum, concors Capituli facta petitio*; vt copioſè in ſuperiori capitulo immediatè fuit declaratum. Vel ſecundum Abbatem, *rubrica de poſtulatione*, eſt *quædam gratiæ petitio facta Superiori de promouendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de iure communi propter defectum aliquem eligi, ſiue promoueri non poterat.*

2 Poſtulationes fiunt † vel ſecundum ius commune, aut ex priuilegio: & regulariter omnes qui poſſunt eligere, poſſunt poſtulare, *cap. bonæ tit. de elect.* non tamen qui poſſunt poſtulari, regulariter poſſunt eligi, modo explicato in primo capite.

3 Poſtulatio facta concorditer † ab omnibus Electoribus propter vtilitatē Eccleſiæ, vel Collegij, vel ſaltem à duabus partibus ex tribus, non poteſt reijci à Superiore ſine iniuria: Panorm. *tit. de poſtulat. cap. poſtulationem, nu. 2.* Et *in eodem tit. cap. bonæ*, & *de elect. cap. cupientes, §. Denique*; & Doctores *ibidem*, præſertim Archidiacon. quando nulla adeſſet legitima electio. & gloſſa *in cap. bonæ memoriæ il primo, de poſtulat. Prælat.* ad illa verba; *in tanta diuiſione*, inquit. *Ad hoc enim vt poſtulatio præiudicet electioni, requiritur vt numerus poſtulantium ſit duplo maior numero eligentium.*

Et quamuis eadem gloſſa proponat ibi aliqua dubiola contra prædictum aſſertum, illa tamen mirabili breuitate, ac facilitate reſoluit dicendo, quòd etſi ex gratia admittatur poſtulatio omnis, etiã illa de qua ſupra, abſque tamen iniuria repelli nequit; nec ideò præferendi ſunt eligentes poſtulantibus, etſi electio iuri innitatur, poſtulatio verò gratiæ: nam in caſu propoſito eligentes ſunt quaſi minima pars in comparatione poſtulantium; ideò poſtulantes eligentibus, & non eligentes poſtulantibus videntur præferendi. ita Doctores communiter ex Ioanne Andrea *in cap. ſcriptum, & cap. ſi quando, de electione in 6.* & ex gloſſa *in eodem cap. ſcriptum, verb. Maiorem*, colligit Petrus de Baiſio *in Directi. elect. cap. 35. 3. par. nu. 21.* quod poſtulatio à duplo maiori parte; vt puta ſi eligentes ſint duodecim, quatuor eligant vnum, & octo poſtulent alium: talis poſtulatio dicitur facta à duplo maiori parte: quo caſu præfertur poſtulatus electo. ita tradunt Innoc. & Panorm. *in eodem cap. ſcriptum de elect.* dummodo poſtulatus fuerit aliàs dignus.

Ratio horum deſumi poteſt ex textu *capituli, nullus, de iure patron.* Si iuſta enim cauſa exigit, (quemadmodum apparet in caſu præmiſſo) poteſt tunc compelli cõfirmator per Superiorem, vt poſtulatum modo dicto concedat: hoc

enim

enim etiam videtur valde conforme diſpoſitioni *cap. poſtulationem tit. de poſtul. Prælat.* vbi Papa Innocentius II. Cap. Strigonen. reſcribit. *Licet ergò per poſtulationem huiuſmodi nullum ius ſit alicui acquiſitum, ideoq; ſine præiudicio alicuius, poſtulationem potuiſſemus repellere memoratam: vt tamen vobis de ſpeciali gratia conſulamus, ita duximus prouidendum, quod per Procuratores idoneos ad omnia ſufficienter inſtructos, noſtro vos conſpectui præſentetis, quatenus vtraque parte præſente quod iuſtum fuerit decernamus.*

Quamuis enim *totum dependeat ab arbitrio Superioris* (inquit gloſſa) *in eodem cap. poſtulationem*, & ex gratia ſola debent petere poſtulantes cõfirmationem poſtulati; tamen iniuriam ei facere videtur ſi non admittetur, *ff. de aqua quot. & æſti. l. 1. §. penul.* Quæ omnia confirmantur, & robur recipiunt ex diſpoſitione, *cap. ſcriptum eſt, de elect. & electi poteſtate*.

4 Poſtulatio verò non facta † in concordia, modo prædicto, poteſt liberè reijci, abſque præiudicio. Panorm. *vbi ſupra*. Secundùm enim diſpoſitionem iuris communis præcisè nulli dubium eſt, quin poſſit dari caſus Canonicæ poſtulationis, etiam abſque Canonica electione, vti patet legentibus *tit. de poſtul. Prælat.* idque aſſerunt *ibidem*, omnes ferè Iuriſtæ. Hodie tamen raro, aut nunquam fit poſtulatio ſine præuia electione; præſertim in Ordine Prædicatorum, & ob inferius dicenda, nulla prorſus admittitur poſtulatio ſine legitima, & canonica electione.

5 Illegitimè natus † poteſt poſtulari, licet non eligi: *cap. cum in cunctis, de electione*, Gulielmus Mandagotus Archiepiſcopus, & Cardinalis *in ſuo tractatu de electione nouorũ Prælatorum 1. par. cap. 53. circa fin.* poſtquam dixit illegitimos, homicidas, ac irregulares poſtulari poſſe, conſiderat quod, huiuſmodi irregulares, & alios poſtulari poſſe, intelligendum eſt, *dum tamen pœnitentiam egerint*, addens: *Nam ſi pœnitentiam non egiſſent propter indignitatem, aut vtilitatem eorum, facta de ipſis poſtulatio non valeret*. Subdens immediatè. *Ceterũ ſupradicti omnes, & alij quilibet, qui officium ad quod aſſumuntur, ſine diſpenſatione nequeunt exercere*, & concludit, *ſunt poſtulandi, & nullatenus eligendi*. & poſt pauca inquit: *Religioſi autem, & Clerici Diœceſis alienæ, poſſunt eligi, prout credo, licet quidam eos aſſerant poſtulandos*. Ratio quare patientes impedimentum, de quo ſupra, non poſſint eligi, neque poſtulati exercere officium, ad quod poſtulantur, aſſignatur à Nicolao Boerio *in additionibus ad Capitulum, de quo ſupra, Cardinalis Mandagoti ſub littera, B.* dicente: *Perſonis enim vilibus, & indignis portæ dignitatis patere non debent*, extra *de exceſſib. Prælat. inter dilectos. C. de dign. l. neque famoſi lib. 12.*

Si quis cupit ſcire rationem, quare ſpurius, ſiue illegitimè natus non poſſit abſque diſpenſatione confirmari, ſi ſit legitimè poſtulatus, eam adducit Silu. *in ſua ſumma*, quæ *Summa ſummarum* meritò nuncupatur, *tit. de Prælatis, nu. 2. §. tertiò quæritur:* ex Paludano *4. ſenten. diſt. 41.* per ſequentia verba; *interdicitur ei cura ordinaria:* quam curam ordinariam, ſiue iuriſdictionem ordinariam, paulò ſuperius dixerat eſſe neceſſariam ad hoc vt ſit, & dicatur quis verè Prælatus. Hinc eſt quod eget diſpenſatione, quamuis poſſit ex diſpoſitione iuris ritè poſtulari.

6 In Ordine verò Prædicatorũ † præter Electionem, poteſt in eodem ſcrutinio fieri poſtulatio alterius, ſeù aliorum, ex priuilegio Alex. IV. conceſſo per ſequentia verba, videlicet: *Auctoritate præſentium de gratia ſpeciali concedimus,*

mus, vt cùm in aliquo Ordinis veſtri Capitulo, vel Conuentu, de Prouinciali, aut Priore occurrit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa factam Electionem à Fratribus, quorum intereſt, non contingat confirmari, Superior, ad quem confirmatio pertinet, aliquem de illis, quos ipſi Electores (intellige omnes) *vel maior pars, per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt, eis de noſtra licentia concedere valeat in Priorem: per hoc enim & diſcurſus fratrum, & alia impedimenta, quæ poſſunt occurrere credimus vitari*; prout latius in Breui eiuſdem Alexandri inferius adducendo. Ex verbis quidem Alexandri, præſertim faciendo vim in illis, *quos ipſi Electores per litteras ſuas poſtulauerint*, habetur deciſio clara & certa, quod qui non poſſunt eligere, neque poſtulare valent, præcipuè in Ordine Prædicatorum; cui veritati fauet vſus & antiqua conſuetudo dicti Ordinis.

Ex text.4. *cap. de electione Prioris Con-*
7 *uentualis* clarè habetur, quod † in ſcrutinio, ſeu decreto electionis, mittendo confirmatori, neceſſario debent poni vltra electionem, poſtulationes eorum, in quibus maior pars electorum conſentit per poſtulationem. Et in ſummario maiori Magiſtri Fratris Petri Martyris Feſti de Vrceis, Ordinis Prædicatorum 3. *par. cap. de electione ſecundùm formam Concilij Tridentini*, habetur, *Qui ſufficienter ſunt poſtulati, idest à maiori parte, tales debent notari in ſcrutinio*, intellige neceſſario.

8 In tex.4.† *cap. de electione Prioris Conuentualis*, & clarius in declaratione eiuſdem text. hæc habentur, *Ille qui legitimè electus, vel poſtulatus, poteſt confirmari à Prouinciali*; & ille dicitur legitimè poſtulatus, in Ordine Prædicatorum, qui à maiori parte eorum ad quos pertinet electio, in alio tamen Conuentu aſſignatus, fuit poſtulatus. Vnde ſi non eſt ſufficienter vltra medietatem poſtulatus, etiamſi ex decem habeat quinque poſtulationes, & duas electiones, non ſufficienter cenſetur poſtulatus. Idem dicitur de electo.

Hoc idem fuit reſolutũ à ſacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium 1618. menſe Decembri, in caſu cuiuſdam Prioratus Ordinis Prædicatorum: quod ſcilicet, qui non eſt poſtulatus ſufficienter modo explicato, non cenſeatur legitimè poſtulatus; nihil tamen determinando, an electus ſit, vel non ſit præferendus ſemper poſtulato: nam aliquando, vt dictum eſt, poſtulatus poteſt præferri electo. & *in capit. auditis, in primo, de electione*, expreſsè dicitur, quod ſoli nominati ſufficienter in electione, id eſt vltra medietatem, à maiori parte, illi habent ius in electione; ergo fortius in poſtulatione, cùm innitatur gratiæ, & maiora requirat ad ſui validitatem. Nam quemadmodum electus de alieno Conuentu, ritè dicitur electus, dum à maiori parte vocalium eligitur, ita etiam poſtulatus. Si verò fuerint de corpore Capituli, & electus, & poſtulatus, vt poſſint confirmari, debent habere duo vota vltra medietatem. Bonon. 1564. & Romæ 1589. declarat. ſexta: alij etiam adducunt Capitulum Generale Roman. 1552. confirm. ſecunda.

9 Vbi tamen non ſubeſt † electio canonica, nulla eſſe poteſt poſtulatio, ex verbis præcitati priuilegij Alexandri, & Sixti, Tabiena *in Summa, tit. electio*, 1. *num.* 1. & ex declarationibus *cap. de electione Prioris Conuentualis*, in Conſtitut. Ordinis Prædicatorum.

10 In Prouincia Romana, † & Lombardiæ, non poteſt poſtulari qui eſt Prior actualis vnius Conuẽtus, in altero Con-

uentu

uentu eiuſdem Prouinciæ, ex Ordinatione 5. Cardinalis Alexandrini.

Ex Conſtitutione Ordinis Prædicatorum, excluſis duabus nominatis Prouincijs, poteſt Prior actualis vnius Conuentus, eligi, & poſtulari in Priorem alterius Conuentus, eiuſdem Prouinciæ, ex text. 3. *cap. de electione Prioris Conuentualis*.

Poſtulatio cadit ſub nomine electionis generaliter ſumptæ, etiam in materia pœnali, *cap. in cauſis titul. de electione*, Panormit. *ibidem num.* 10.

11 Et ex text. 4. Conſtit. † Ordinis Prædicatorum, *cap. de electione Prioris Conuentualis*, in principio, hæc habentur: *Electiones, ſeu poſtulationes in noſtro Ordine per ſcrutinium, ſi hoc ſolum obſeruatum fuerit, quod maior pars mediatè conſenſerit ante publicationem ſcrutinij, poſſint à Confirmatore pro Canonicis approbari.* Quod eſt conforme diſpoſitioni *cap. ad hæc, de poſtulat.* vbi Doctores, & Panorm. *num.* 34. clare docent, poſtulationem à Superiori rite admiſſam, habere vim electionis. Qua occaſione inſinuando dicam, quod pius Lector optimè inueniet Statuta Fratrum Prædicatorum ſingula; præſertim in materia electionis, eſſe valdè conformia diſpoſitioni ſacrorum Canonum, & ex illis collecta.

Vtile exiſtimaui fideliter, & per extenſum pro maiori dilucidatione eorũ, quæ ſuperius explicata fuere in hoc Ca-
12 pitulo, hic † referre verba Breuis, de quo ſupra, Alexandri IV. ſequentis tenoris, quod extraxi ex libro authentico Priuilegiorum Ordinis Prædicatorum, *fol.* 38.

ALEXANDER EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filijs Magiſtro, & vniuerſis Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VT ea, quæ vobis interdum circa electionis negotium incumbunt expedienda pro tempore, citius, & ſalubrius valeant expediri; vobis auctoritate præſentium de gratia concedimus ſpeciali, vt cùm in aliquo Ordinis veſtri Capitulo, vel Conuentu, de Prouinciali, aut Conuentuali Priore, occurrerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa factam electionem ab ipſis Fratribus eiuſdem Ordinis, quorum intereſt, non contingat forſitan confirmari: Superior, ad quem confirmatio electionis huiuſmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipſi electores, vel maior pars eorum, per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt, eis, de noſtra licentia, concedere valeat in Priorem. Per hoc enim & diſcurſus Fratrum, & alia impedimenta, quæ poſſent occurrere, credimus euitari. Nulli ergo, &c. Dat. Laterani 17. Cal. Aprilis Pontificatus noſtri anno tertio.

Quam conceſſionem, ſiue priuilegium inuenio confirmatum à Sixto IV. in ſuo Mari magno, cuius initium eſt: *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ Dei. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1474. *Pontificatus ſui anno* 4. vti videre eſt §. *Quando verò in aliquo Capitulo, vel Conuentu veſtri Ordinis de Prouinciali, vel Conuentuali Priore occurrerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa factam electionem à Fratribus eiuſdem Ordinis, quorum intereſt, non contingat forſitan confirmari; Superior, ad quem*

confirmatio electionis huiuſmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipſi electores, vel maior pars eorum, per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt, eis, de noſtra licentia, concedere valeat in Priorem. In electionibus quoque eorundem Magiſtri, & Priorũ Prouincialium ipſius Ordinis, Fratribus qui debent electionem huiuſmodi celebrare (cùm eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire) tempus ſuper hoc ſtatutum à iure non currat, nec ipſi in hac parte iuris regulis coarctentur.

Ex Capitulo verò Generali Ordinis Prædicatorum Bonon. 1564. de poſtu-
13 lationibus † ſolitis fieri in Ordine Prædicatorum dicitur: *Declaramus, vt in illis Prouincijs, in quibus, vel ex indulto Apoſtolico, vel ex conſuetudine recepta, præter nomen electi, ſolent apponi nomina eorum, qui ſimul poſtulantur; hæc conſuetudo deinceps ſeruetur, & nomina poſtulatorum, numeruſque poſtulantium in Capitulo publicentur.* In Formulario etiam eiuſdem Ordinis, *cap. de poſtulationibus*, hæc habentur: *Non oportet multum ſollicitos eſſe in electionibus noſtris, ad ſciendum, & quærendum quid ſecundùm iura, & rigorem ſacrorum Canonum ſeruandum ſit; cùm Ordo Prædicatorum ſit optimè munitus in hoc priuilegijs Apoſtolicis, de quibus ſupra, à quibus ortum habet practica, quæ in dicto Ordine ſeruatur, circa poſtulationem.* Quid ſimile traditur in Capitulo Generali Romano dicti Ordinis 1553. cùm dicitur: *Quos per litteras petierint*, per has litteras intelligi debent ſcrutinia electionis. Hæc autem ſunt verba præfati Capituli: *Si electio fiat per ſcrutinium, iuxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum, electores exhibeant ſchedulas ſcrutatoribus; in quibus ſi aliquos poſtulare cupiant, ita notent: Eligo in Priorem Fratrem A. & poſtulo Fratrem B. & Fratrem C. & quos, ac quot quiſque voluerit. Et qui inuentus fuerit præter electum à pluribus vltra medietatem nominatus, dicetur in illo ſcrutinio ritè poſtulatus; ita vt aliquando contingere poteſt præter electum plures eſſe ſufficienter poſtulatos, & poſtulatum habere plura vota, quàm habeat electus, & electũ à pluribus eſſe etiam ab alijs poſtulatum, & poſtulatum à pluribus ab alijs electum eſſe.* In quibus caſibus poſtulationes multum fauent nominatis; adeò vt electoribus exiſtentibus decem, ſi quis eligeretur à ſeptem, & poſtularetur à tribus, perinde eſſet, ac ſi eſſet electus ab omnibus. Item ele- 11
ctoribus exiſtentibus decem, ſi quis poſtularetur à ſex, & eligeretur à duobus, dicetur poſtulàtus à maiori parte, & poſſet confirmari. Non tamen poteſt mitti ad confirmatorem ſola poſtulatio, nec poſſet confirmari poſtulatus nulla exiſtente canonica electione: quoniam priuilegium Apoſtolicum, de quo ſupra, concedit vt poſſit confirmari poſtulatus, quando aliquo caſu electus non poſſit præfici. Vbi ergo electio non eſt canonicè facta, non habet locum priuilegium poſtulationis cõfirmandæ. Præter itaque electum ſi cõtingat aliquem, vel aliquos poſtulari à maiori parte vltra medietatem, debẽt nominari in decreto verbali vna cum electo, dicendo: *Ego vice electorum eligo in Priorem Fratrem N. & poſtulo Fratrem N. & Fratrem N.* &c. Et idem exprimi debet in ſcrutinio, quod mittitur ad Confirmatorem, videlicet *Pater N. habuit tot vota in electione; & Pater Frater N. tot in poſtulatione*; dummodò ſemper vota excedant medietatem omnium eligentium; alias nulla eſt poſtulatio.

His omnibus addenda eſt declaratio Conſtitutionis Ordinis Prædicatorum, qua expreſsè confirmantur ſupradicta, quemadmodum habetur diſt. 2. cap. 2. text. 1. §. *Declaramus præterea, vt in illis*

Prouin-

Digitized by Google

Prouincijs, in quibus, vel ex Apoſtolico indulto, vel ex approbata, & iam diu recepta conſuetudine ſolent præter nomen electi apponi in eadem ſchedula nomina eorum, qui ſimul poſtulantur, ea conſuetudo deinceps conſeruetur. intellige ſemper de ſufficienter poſtulatis, hoc eſt ſaltem à maiori parte electorum, ſiue vocalium.

Ad prædictorum maiorē claritatem, præſertim eorum quibus dicitur non eſſe vndequaque legitimam, & admittendam poſtulationem alicuius idonei, niſi facta fuerit à maiori parte ad minus vocalium, notanda ſunt, quæ docet Abbas *in cap. Bona memoriæ, de poſtulat.* & *in cap. Scriptum, de elect. Poſtulatio* (inquit ille) *quæ fit à minori, quam tertia parte Collegij, non eſt admittenda*. ſtatim ſubdens: *facta à maiori parte Capituli, & ſi non à duabus partibus, contradicente minore parte, poteſt admitti*.

Gloſſa *in cap. Bonæ memoriæ, de poſtul. Prælat.* aſsignans diſcrimen inter poſtulationem, & nominationem Canonicam,
14 † inquit: *Nominatio Canonica poteſt dici quando omnes concordant in aliquo ineligibili aſſumendo, & vadunt ad eum, à quo petendus eſt conſenſus, & requirunt eius conſenſum, vt cum ipſo diſpenſet. Et hæc poteſt dici nominatio Canonica, quæ non poteſt dici poſtulatio propriè; quia poſtulatio ſolemniter debet fieri. Quia tamen talis nominatio ſimilis eſt poſtulationi, immo quaſi idem eſt, ideò dicit, poſtulationem, ſeu nominationem*.

Ex quibus verbis gloſſæ poteſt colligi primò diſcrimen iam in littera tex. expreſſum inter poſtulationē, & nominationem Canonicam. Secundo, quod nominatio canonica bonū eſt, vt præcedat poſtulationem, ad effectum impetrandi conſenſum, & diſpenſationem poſtulandi quo ad exercitium officij, ad quod aſſumendus eſt poſtulandus, ab habente talem auctoritatem, vt latè dictum eſt ſuperius in hoc capite, num. 5.

In præcedentibus, & ſequentibus Capitulis huius tractatus frequentius fit ſermo de Prælato Eccleſiaſtico, præſertim
15 de † Epiſcopo græcè dicto Ἐπίσκοπος, hoc eſt *Adminiſtrator*, de quo nonnulla ſparſim in diuerſis cap. dicentur; pariter quoque de Abbate, & Priore. Ideò breuiter conſiderandum eſt quod Prælatus circa officium ſibi iniunctum Præconis, Ducis, Rectoris, Patris, Paſtoris, & Præfecti Vigilum, cui animarum Regimen commiſſum eſt, tamquam pia nutrix tenetur lac paruulis, ac debilioribus miniſtrare, vinum, & oleum infundere vulneribus ſauciatorū, peruicacibus fortiter reſiſtere; Memor quod Deo redditurus eſt rationem de animabus ſibi commiſſis. Neque ſatis eſt, ſe electionem, & orationem amplecti; ſed oportet illum manus extendere ad opera pietatis, ac recti Regiminis. Ita communiter Concilia, ſancti Patres, Theologi, Iuriſtæ, & Catholici omnes. Hinc eſt quod voces græcæ, quæ Præſuli, ac Prælato reſpondent, munera ſuperius relata inſinuant: vti κορυφαῖος primum inter Salios Martis Sacerdotes ludis, & choræis præeuntem ſignificat; vt inde agnoſcamus Prælatum in omnibus quæ ad animarum ſalutem ſpectant, præire debere. Ἔφορος autem dicitur à Regimine quod habet. Vnde Ephori Senatus Lacædemoniorum erant. Hanc eandem præcellentiam ſuper alios exprimunt ἔξαρχος, καὶ ἡγέμων, quæ voces *Præſulem*, ſeù *Prælatum* in communi ſignificant.

16 Duo itaque ſunt neceſſaria † ſimpliciter, & abſolutè, vt aliqua perſona Eccleſiaſtica appelletur, & ſit verè, ac propriè Prælatus Clericorum, vel Regularium. Primum eſt, quod habeat curam cum iuriſdictione ordinaria. Secundum quod hanc curam, & iuriſdictionem ordina-

riam in ſubditos de iure communi non acquirat niſi per electionem Collegij, ſiue Vniuerſitatis Clericorum, vel Regularium, adiuncta confirmatione Superioris Eccleſiaſtici, vt optimè colligit ex Panorm. & alijs Doctoribus Silueſter *tit. de Prælat. num. 1. ad fin.* addens, quod ex ſpeciali priuilegio Apoſtolico poteſt alicui iuriſdictio ordinaria committi, abſque electione; exemplificans de Prouincialibus, & Prælatis localibus Regularium auctoritate Apoſtolica per Diffinitorium inſtitutis, qui ſunt verè Prælati, vt habetur *in Clement. exiui, de verb. ſign.*

17 De Abbate † autem ſpecialiter, qui *Patrem ſpiritualem* ſignificat; is non ex laicis, ſed ex Monachis eligendus eſt, ex epiſtola Gregorij Primi ad Caſtorium Ariminenſem Epiſcopum, & ex illa Pelagij Primi Melito Subdiacono directa, quique dignis moribus, vitę ſanctitate, doctrina, & exemplo fulgeat; propter rationem quam adducit S. Cyprianus *lib. 3. Epiſtolarum, epiſt. 21. ad Presbyteros, & Diacones Romæ.* in qua dicit: *Quantum pernicioſa eſt ad ſequentium lapſum ruina Præpoſiti, in tantum contra vtile eſt, & ſalutare cum ſe Epiſcopus per firmamentum fidei Fratribus præbet imitandum.* & in Conc. Turonenſi tertio, ſub Leone III. *cap. 24.* dicitur: *Sint Abbates ſibi ſubditis bene viuendo Duces, & prauij, viamque demonſtrent, qua rectè gradiendo ad meliorem vitam peruenire valeant.* Idem mandatur, quamuis ſub alijs verbis, in Conc. Remēſi *cap. 23.* in Pariſien. tertio, & Aquiſgranenſi ſecundo *cap. 1.* de ordine Rectorum, & in Conc. Lateranen. ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* ac etiam in Conc. Trident. Qui Abbas ex Concilio Auguſtenſi *cap. 8.* nonniſi intra Monaſteriorum ſepta cum fratribus habitet, nec moram longam extra ea trahere præſumat.

18 Prior verò, † ſiue Præpoſitus, vel Rector, prouidus, diſcretus, & potens in opere, & ſermone eſſe debet, ex Concilio Viennen. & copioſius ex tit. de elect. & electi poteſt. ac alijs qualitatibus ornatus, prout copioſè dicetur infra in ſequentibus Capitulis; in quibus etiam agitur de illius electione, & confirmatione. De cuius amotione extat illud Lateranen. Concilij ſub Alexandro III. 1. pat. cap. 10. vbi ſtatuitur. *Priores cum in Conuentualibus Eccleſiis fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta cauſa, & rationabili non mutentur; videlicet ſi fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint; aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi meritò videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officij de conſilio Fratrum fuerint transferendi.*

Summa Cap. III.

1. *Electio vitiata in totum, vel in partem circa eſſentialia, eſt ipſo iure nulla.*
2. *Ab hoc numero, vſque ad 3. adducuntur per extenſum eſſentialia, obſeruanda neceſſario in electione canonica.*
3. *Inter quæ eſſentialia, illud ſumme neceſſarium eſt, vt vera electio canonica, ſit totaliter aliena ab omni, & quacumque ſpecie coactionis, ſiue violentiæ, cum debeat procedere cum ſumma libertate.*
4. *Metus omnis, etiam reuerentialis, ſi auferat libertatem in eligente, poteſt irritare electionem.*
5. *Pacta, conuentiones, & ſimilia, cum auferant libertatem electoribus, reddunt electionem irritam, & nullam; & qui talia agunt, grauius puniri debent.*
6. *Quæ intelligi debent de ſubornatione mala.*
7. *Nullus inferior Papa, poteſt, aut debet limitare electionem ad tres, vel quatuor perſonas, cum aliorum excluſione, niſi Electores, ob eorum malitiam, præſtiterint*

terint occaſionem talis reſtrictionis.

8 Quid ſimile ſtatuitur obſeruandum in Capitulis Generalibus Bononiæ, & Valliſoleti Ordinis Prædicatorum.

9 Si electores compellantur etiam à Superioribus eligere determinatam perſonam, talis electio eſt nulla.

10 Statuuntur pœnæ in Ordine Prædicatorum cōtra impedientes libertatem eligentium.

11 Declarantur aliqua circa validitatem aſſignationum, quæ fiunt in Ordine Prædicatorum, à Diffinitoribus Capituli Prouincialis.

12 Quæ debent conſtare Conuentui per duos menſes ante electionem, iuxta Decretum Clement. VIII.

13 Aſſignatur differentia, quæ eſt inter eligere certam perſonam, & aliquem de certo genere perſonarum.

14 Quando iam ſequuta eſt electio alicuius digni, licet contra voluntatem confirmatoris, ſi impediatur publicatio talis electionis, cum comminatione, ſi elegeritis hunc, vel illum, dabo vobis extraneum; & propter hoc procedant ad ſecundam electionem, hæc ſecunda cenſetur irrita, & nulla.

15 In electione canonica, ſtatim poſt collationem numeri ad numerum, ſine interuallo, debet procedi vſque ad formationem decreti verbalis.

16 Conſuetudo qua tolluntur ſubſtantialia electionis, tamquam nulla extirpanda venit.

17 Ex Nauarro colligitur, quod electio facta poſt moram, ob malitiam, & dolum eligentium, dummodo in hoc nulla adſit fraus, ex parte electi, poteſt ſuſtineri.

18 Subſtantialia neceſſario obſeruanda in electione canonica, de quibus fit mentio in præſenti cap. debent obſeruari, eodem ordine quo narrantur, aliter electio ruet.

19 In Ordine Prædicatorum facienda eſt collatio numeri ad numerum, non autem zeli, ad zelum.

20 Adducitur excommunicatio lata ſententiæ contra illos, qui moleſtant electores, recuſantes votum præſtare ad eorum libitum.

21 Videtur etiam inter obſeruanda in electionibus canonicis connumerari debere iuramentum ab electoribus præſtandum, de eligendo magis idoneo, ſecundum Deum, & eorum conſcientias.

22 Quod videtur ordinatum ſpecialiter à Clemente VIII.

23 Quod Decretum Clem. VIII. redigendum venit inter Conſtitutiones perpetuo valituras, circa quas nullus valet diſpenſare.

CAP. III.

De qualitatibus neceſſarijs Electionis Canonicæ.

VTile erit, propter dicta in præcedentibus, ac dicenda in ſequētibus Capitibus, vt in electionibus canonicis eligentes, vel electores vtantur modo procedendi per ſcrutinium, eligendo idoneum ætatate, moribus, & ſcientia, qui ſit de legitimo matrimonio natus: nam electio
1 vitiata † in totum, vel in partem, circa eſſentialia, ac ſubſtantialia, eſt ipſo iure nulla, vel ſaltem venit irritanda; *cap. publicato, tit. de elect.* Panorm. *ibidem nu. 9.* Hoc idem habetur. *cap. gratum, tit. de poſtulat. Prælat.* & Doctores communiter id tradunt.

2 Subſtantialia verò, † ſiue eſſentialia ad electionem canonicam, adducuntur paſſim vniformiter à Doctoribus *in cap. quia propter, de elect.* & ſunt quæ ſequuntur ordinate.

Primo, Electio canonica, vt ritè ſit facta, requirit vt fiat à maiori parte legitimorum vocalium, ſeu electorum, qui

qui ſint ſimul cōgregati collegialiter in aliquo publico, & honeſto loco, Eccleſiæ, vel Conuentus; *cap. quia propter, cap. in Geneſi, tit. de elect.* Innoc. Hoſtien. & alij celeberrimi Doctores *ibidem*.

Secundo, aſſumi debent ad minus tres ſcrutatores de Collegio, ſiue Capitulo ſupradictorum electorum præſentium, *cap. quia propter*. Et hoc idem præcipitur in Ordine Prædicatorum *cap. de elect. Prioris Conuentualis in declaratione text. 1. eiuſdem Capituli*, in quo determinatur, antiquiores in habitu poſt profeſſionem, vt latius dicetur cap. de ſcrutatoribus, aſſumendos fore.

Tertio, Scrutatores recipere debent non turmatim, ſed ſigillatim vota electorum in ſcriptis iam redacta, vt liberius vnuſquiſque votum ſuum valeat præſtare, *cap. quia propter, in verbo, & ſigillatim vota cunctorum*. Ita tenent Ioan. Andr. Panorm. & Hoſtien. & hoc maxime in Ordine Prædicat. obſeruatur vt patet in declarat. text. 1. *cap. de elect. Prioris Conuentualis*, & clarius in Capitulo Generali Bononiæ 1564. *tit. de Sacri Concilij Tridentini Decretis*.

Quarto, prædicti ſcrutatores vota omnium eligētium præſentium in electione diligenter, & fideliter inter ſe ſcrutari debent, nullo eorum omiſſo, *vbi ſupra*.

Quinto, apertis, & lectis ſchedulis, fieri debet per ſupradictos ſcrutatores, collatio numeri ad numerum, maxime vbi electio non erit vnanimis. Vnde irrita eſt ipſo iure electio, quam collatio numeri ad numerum non præceſſit, dummodo in illa plures fuerint electi, ſiue in electione, vel poſtulatione nominati; *cap. Cumana, cap. in Geneſi, tit. de elect.* Doctores, *ibidem*, Butr. *in cap. in Geneſi, num. 3. & 10.* eo quia collatio pertinet ad formam eſſentialem Electionis, vt latius habetur *in cap. cum poſt petitam, eod. tit. de elect.* Procedere autem per ſchedulas, non eſt de eſſentia ſimpliciter electionis; ſed communiter ita proceditur in electionibus canonicis, aſſumpto ſupradicto modo per ſcrutiniū, poſt Concil. Trid. vt dicitur *cap. 6.* & præcipuè *cap. 7.* In Ordine tamen Prædicatorum hoc abſolute eſt de eſſentia: Vide *cap. 7.* Etiam collatio fieri debet ſecundùm aliquos, etſi electio fuerit celebrata in concordia, Doct. & præcipuè Io. de Anan. *c. cum poſt petitam; per tot. tit. de elect.*

Sexto, poſt dictam collationem numeri ad numerum, nullo actu extraneo ſiue interuallo, vel intermedio, publicanda eſt electio, *cap. cum poſt petitam, de elect.* Hoſtien. *in ſumm. de elect. §. qualiter*. Ioan. Andr. Panorm. *in cap. quia propter*, Butr. *in cap. cum poſt petitam, nu. 2.* vbi dicunt quod electio protracta ex ignauia, vel ignorantia electorum non tenet; ſecus eſt ſi id fiat in fraudem electi, malitioſè ſcilicet ab aliquo, vel aliquibus de corpore Capituli, vel extra, etiam ad impediendam legitimè electi iam celebratam canonicam electionem. Statim itaque & incontinenti publicanda eſt electio, combuſtis prius ſchedulis, in oculis omnium; & publicanda ſunt in communi, vota electorum ab vno ex ſcrutatoribus, vel ab vno ex electoribus, nomine omnium, per hæc, vel ſimilia verba. *Cùm eſſemus viginti vota, Pater Frater. N. fuit nominatus à maiori parte, & habuit vota 13.* Quo facto pro complemento electionis, requiritur pro forma ſubſtantiali, verbalis ſiue vocalis electio facienda ab vno ex ſcrutatoribus, vel electoribus, per ſequentia verba: *Ego F. N. vice mea, & omnium electorum, eligo in Priorem iſtius Conuentus, P. F. N. In nomine Patris*, &c. *cap. Eccleſiam, de elect.* Abbas *ibid. nu. 3.* inquit, *quod non ſufficit factum electorum; ſed requiritur verbalis electio*. Et in caſu eiuſdem cap. aperte

dici-

dicitur, quod *ideò Papa caſſauit electionem*; de qua in dicto cap. *quia poſt publicationem conſenſuum, & collationis tractatuum, nulla ſubſequuta fuit electio, ſed deportatio per appellationem ad Sedem Apoſtolicam*. Et gloſſa, *ibidem*, ſuper illud verbum *proceſſus*, idem clarius innuit. Abbas pariter *in cap. Eccleſia veſtra de elect.* addit, quod *vbi verba ſunt de ſubſtantia rei* (vt in caſu noſtro) *non ſufficit factum pro verbo*. Idem habetur in Conſtit. Ord. Præd. text. 1. de electione Prioris Conuent. & text. 5 cap. de electione Magiſtri Ordinis: Vnde Magiſter F. Petrus Vrceanus eiuſdem Ordinis, in ſuo ſummario conſtitutionum Ordinis Prædicatorũ Cremonæ impreſſo 1613. pag. 237. circa finem, inter eſſentialia electionis canonicæ Prioris in Ordine Prædicatorum enumerat formationẽ decreti modo ſupradicto. Imò addit quod in ſcrutinio mittendo confirmatori, debet apponi clauſula, *Nihil fuiſſe omiſſum eorum quæ ad canonicam electionèm requiruntur*, & præcipuè vocalem formationem decreti, de quo immediatè. Idem clarius traditur *cap. in Geneſi, tit. de elect.* Gloſſa *ibid. ſub littera, G.* vbi Papa annullat quandam electionem, quia non fuit poſt collationem formatum Decretum, vt optimè animaduertunt Doctores, maximè Butr. *nu. 1. §. ſecunda, &c.*

Septimo, ſupradicta publicatio ſcrutinij, & votorum fieri debet mox incontinenti, ſine mora, & interuallo, poſt expletam collationem numeri ad numerum, vt paulo ante dictum eſt. Gloſſa *in cap. præcit. quia propter*. Et idem habetur *in cap. Eccleſia veſtra, de elect.* Imò Panorm. *in præcit. cap. quia propter*, multis rationibus, & argumentis *nu. 16.* addit, & probat, quòd omnia ſupradicta nedum ſunt obſeruanda, verùm & eodem ordine quo narrata ſunt; exiſtimans ordinem etiam ſupradictorum pertinere, & connumerari debere inter eſſentialia electionis canonicæ: Quando ſcilicet non protrahitur ab eligentibus electio in fraudem electi: non enim omnis dilatio circa collationem vitiat electionem; nam dilatio naturalis, ſiue mora ex aliqua neceſſitate corporis non vitiat; ſed extranea tantum. Item modica dilatio non impedit, Doctores *in cap. publicato, & in cap. cùm poſt petitam de elect.* Anton. de Butr. *ibidem, num. 6. §. dic ſimiliter, verb. Elect. 2. nu. 12.* in fine dicens. *Si ordo varietur, electio nihil valet.*

Octauo, Gulielmus Mandagotus, *in tract. de elect. nouorum Prælatorum cap. 19. 1. par.* vbi citat Abbat. & Cardin. Zabarellam, & quoſdam Canones, credit hodie eſſe de ſubſtantia electionis Miſſam de Spiritu ſancto, atque Euchariſtiæ Sacramenti ſuſceptionẽ. & Petrus de Baiſio *in Direct. Electionum, cap. 24.* vbi citat & adducit Conc. Baſileen. *ſeſſ. 38. decret. de electionibus*, in quo ſtatuitur, vt in electionibus per viam ſcrutinij, præmittatur ſacra Communio, aliàs electio eſt nulla, ſiue annullanda; quod confirmauit Nicolaus in ſua Bulla, *Vt pacis*, data Spoleti 1449. 14. Kal. Iulij Pontificatus ſui anno 3. Hoc idem clarioribus verbis decernitur in eodem Concil. Baſileenſi *ſeſſ. 12. decret. de electione, & confirmat. Prælat.* ac refert alios graues Doctores, addendo quod requiritur vt eligentes ſint contriti, & confeſſi, & ſacroſancta Communione refecti, aliter electio erit nulla. Ad quæ omnia obſeruanda, poſſunt compelli per Superiorem; Nicolaus Boerius *ad præcit. cap. 19.* Mandagoti ſub littera, D. *Dicunt* (ait ille) *Doctores quod circa Miſſam Spiritus ſancti præmittendam ad electionem, ſic fieri conſueuit*. pro quo citat Innoc. & Hoſtien. quam conſuetudinem appellat laudabilem, & obſeruandam.

Rodriquez *tom. 2. quæſtionum Regul. q. 52. art. 1. §. & ſic videmus*, inter alia docet, quòd antequã electores ad eligendum accedant, debet præcedere Miſſæ celebratio, cum inuocatione Spiritus ſancti; cui Miſſæ omnes Electores intereſſe congruit: quamuis olim forte ſacrificium Miſſæ non eſſet neceſſarium; de more tamen hoc ſeruari certum eſt: immo non ſolum Miſſæ auditio, ſed etiam ſanctæ Euchariſtiæ ſumptio, exigitur iuxta Concil. Baſileenſe. Pro qua ſententia citat Petrum de Baiſio, aſſerentem ſupradictorum omiſſionem vitiare ad minus electionem.

Miſſa autem de Spiritu ſancto, tunc eſt de electionis eſſentia, quando ex particulari conſtitutione cum clauſula irritante requiritur, Abbas *in cap. cum Eccleſia, 1. not. de cauſ. poſſ.*

3 Nono, ſumme † neceſſarium atque eſſentiale eſt, vt electio omnis quorumcumque Prælatorum Eccleſiaſticorum, præcipuè vero Regularium, ſit totaliter aliena ab omni, & quacumque ſpeciecoactionis, ſiue violentiæ; imò ſumma libertate omni ex parte prædita eſſe debet; itaut Electores libere præſtent conſenſum, qui ſit omninò liber, & voluntarius; non obſtante in contrarium quacumque conſuetudine, quæ potius corruptela, & abuſus intolerabilis dici debet, *cap. quiſquis de elect.* vbi gloſſa inquit, *Debet eſſe liber omnino conſenſus eligentium: ſi vero coactus non valet, immo irrita eſt electio.* & antea dixerat quod ſi electus conſentit tali electioni, remanet inhabilis ad omnem dignitatem & Prælaturam. Et Panorm. *ibidem, n. 6.* dicit quod electio facta per metum, eſt ipſo iure nulla; quia licet ibi adſit conſenſus electorum, non tamen liber conſenſus, quemadmodum in *cap. licet de euitanda, tit. de elect.* electio canonica neceſſario requirit conſenſum, cum hac qualitate, vt ſit plene liber; Panorm. *ibid. nu. 12.* quod etiam repetit, *cap. bonæ memoriæ, nu. 11.* & ita communiter omnes Doctores.

4 Quamobrem metus † omnis, etiam reuerentialis, ſi auferat libertatem in electionibus, eaſdem potens eſt irritare, & de facto nullas illas efficit, *cap. vbi periculum, §. ceterum in 6. tit. de electione.* vbi etenim metus, vel coactio intercedit, deficit conſenſus, *cap. cum locum, & cap. gemma, de ſponſalibus.* Et in Conſtit. Ordinis Prædicatorum, *cap. de electione Prioris Conuentualis*, repetitis vicibus, ſtrictius præcipitur, vt electiones quæ fiunt in dicto Ordine, ſint omnino liberæ. & *in cap.* cui titulus eſt, *de certis detractionibus, text. 4.* aperte dicitur, *electiones noſtræ, maximè liberæ eſſe debent, & omni nota coactionis carere.*

5 Vnde pacta, conuentiones, intendimenta, & ſubornationes, cùm auferant libertatem, reddunt actiones irritas & nullas; & inducentes ſupradicta grauius puniendi ſunt, *cap. quia propter, cap. cum terra de elect.* Abbas, & Panorm. *ibidem, & cap. ſi cui, §. cùm præter formas Concilij.* Nauar. *lib. 1. conſil. tit. de electione; conſil. 3.* Rodericus *in ſua ſumma, tit. de elect. cap. 103.* vbi adducit Bullam circa hoc editam à Pio V. pro Fratribus Minoribus, datã ſub die 28. Maij 1571. cuius initium eſt, *Paſtoralis officij*, in qua ſtatuit Pontifex, quod electio reſtricta, ad tres, vel quatuor perſonas, cum excluſione aliorum, ſi hoc fiat ſine vrgentiſſima cauſa, & abſque legitima auctoritate Apoſtolica, ſi de nominatis fiat electio, talis electio cenſetur coacta, & per conſequens nulla; & Superior qui hoc agit, debet grauiter puniri. Idem ſentit *tom. 2. quæſtion. Regular. quæſt. 56. art. 1.* vbi inter cetera fundat ſuam intentionem ſuper Bullam præcitatam Pij V. & ſuper aliam Gregorij XIII.

Datam

Datam apud S.Marcum die 8. Septembris 1573. Pontif. ſui Anno primo: in qua rigoroſè prohibet, ne quis audeat ſubornationem quamcumque in electionibus canonicis inferre; cùm id ſit prohibitum à ſacris Canonibus, & euidenter repugnet libertati electionum, ſine qua libertate nullæ ſunt electiones canonicæ. Quibus omnibus accedit illud Clement. VIII. ſtrictius obſeruandum, & ab eo ſpecialiter mandatum, vt patet in Decret. eiuſdem, pro Reformatione Regularium tã Monachorum, quàm Mendicantium cuiuſcumque Ordinis, & Inſtituti, *ſub num.* 35. per ſequentia verba.

Vt omnis officiorum ambitus occaſio precludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta votum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras, hactenus contra huiuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque inhabiles pariter habeantur: Super quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris; & pro qualitate culparum, grauius etiam plectantur. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, & ſimpliciter ſcientes, & non reuelantes, extendimus. Monachis etiam S. Benedicti omnino prohibetur ne in electione Definitorum, directè, vel indirectè, practicam faciant, ſub pœna excommunicationis latæ ſentent. & inhabilitatis ad omnes dignitatis gradus, officia, & adminiſtrationes; vt patet in Bull. Leonis X. ſub Dat. 12. Cal. Martij 1515.

6 Occaſione cuius non eſt † prætermittendum, quod in dictis Bullis fiat ſermo tantum de ſubornatione mala, proueniente ſcilicet ex aliquo affectu inordinato, vel paſſione humana, per quam ſubornationem indignus digno, & minus dignus digniori antefertur; cùm hoc euidenter ſit in damnum communitatis, & Reipub. vt clarius traditur *cap. nihil, de electione*. Quæ animaduerſio deſumitur ex doctrina Nauarri *in ſuo manuali, cap.* 23. *num.* 209. vbi explicans Bullam Pij Quinti, de confidentia beneficiali, validiſſimis rationibus demonſtrat dictam Bullam eſſe intelligendam de mala confidentia, non autem virtuoſa, & bona. Quicumque ergo modeſtè, religioſè, & charitatiuè ſuadendo electoribus virtutes veras, reales, & regimini neceſſarias alicuius perſonæ idoneæ, vt Electores ſuauiter inducat ad illam eligendam, procurando, vt dignus indigno, & dignior minus digno præferatur; talis non incidit in pœnas taxatas à ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis; ſed meretur laudem, cùm det operam rei-licitæ, & valde vtili Reipublicæ Eccleſiaſticæ.

7 Et tanti facienda eſt libertas in † electionibus, quòd Rodriq. *vbi ſupra q.* 51. *art.* 11. multis rationibus, & auctoritatibus, euidenter oſtendit, quod nullus Superior, inferior Papa, poteſt, aut debet limitare electiones ad tres, vel quatuor perſonas, cum aliorum excluſione; intellige, quando electores non dederint reſtrictionis veram, & realem cauſam non patientem moram, tentando omni eorum poſſe eligere non idoneos: ſecus autẽ ſi electores præſtiterint cauſam reſtrictionis; tunc enim poteſt Superior reſtringere ad tres, non tamen ad vnum. Butr. *ſuper prima Primi Decretal. tit. de electione, cap. cum in iure, num.* 30. aliter tolleretur libertas, & per conſequens electio eſſet nulla.

8 Quid ſimile habetur in Ordine Prædicatorum, in Capitulo Generali Bononiæ 1564. *tit. de ſacr. Concil. Trident. decretis*, per ſequentia verba, *Quia electionum libertati quammaximè ſancta Synodus conſultum voluit; Admonemus in primis Reuerendos Patres Prouinciales, & alios Superiores, quibus poteſtas eligendi, & confirmandi electiones commiſſa eſt, vt ea modeſte vtantur. Quare vbi ſpecialis neceſſitas non fuerit, nullus electoribus proponatur. quod ſi neceſſarium exiſtimabunt, non pauciores quam tres, pro ſingulis electionibus proponant. Ceterum ſi electores aliquem dignum, quamuis non de propoſitis elegerint, eam tamen electionem Confirmator Diuini Iudicij memor, niſi iuſta ſubſiſtat cauſa, confirmare non differat.*

Et in Cap. Valliſoletano 1605. Ordinat. 11. habetur, *Libertati electionum, quam tantopere ſacra Trid. Synodus commendauit conſulere volentes, ſtrictiſſimè mandamus obſeruari, quod in Capitulo Generali Bononiæ celebrato 1564. ſtatutum fuit: ne videlicet Prouinciales, in ſingulis electionibus, aliquos eligendos electoribus proponant, niſi vbi ſpecialis, & vrgens neceſſitas id poſtulauerit; & eo caſu, non pauciores quam tres proponant.*

9 Panorm. *in cap. licet. de elect. num. 7. cap. fin.* inherendo auctoritatibus grauiorum Doctorum, inquit: *Si electores compellantur à Superiore eligere perſonam, vel perſonas determinatas, tunc, & eo caſu, talis electio eſt nulla, cùm eligitur ille ſpecificatus à Superiore.* Eſt enim euidenter contra ſubſtantiale, immo contra ſignificatum huius vocis, electio, ſeu eligere; nam eligere *eſt vnum ex pluribus voluntariè capere*. Quare ceſſat electio, vbi in electionibus adimitur libertas eligẽdi, vt patet *in 6. c. vbi periculum, §. Ceterum.* Si verò Superior, vel Capitulũ Generale determinet electionem nõ ad certas perſonas, ſed ad genus perſonarũ, dummodo idonei inueniantur in tali genere perſonarum, electio non eſt nulla. Et in eodem præcitato cap. §. *qui autem;* hæc habentur: *Qui vigore pactionum aliquem elegerint, Diuinæ ſubiaceant vltioni, eorum culpa, niſi graui per hoc peracta pœnitentia, nullatenus abolenda.* Et ibid. loquens Gregor. X. ſubdit: *Et nos nihilominus pactiones, conuentiones, obligationes, condicta, intendimenta, ſiue iuramenta, ſiue cuiuſlibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, caſſamus, irritamus, & iuribus decernimus omnino carere; ita quod nullus ad illa obſeruanda quomodolibet ſit adſtrictus, nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione notam vereatur fidei non ſeruatæ, ſed non indignæ laudis potius titulum mereatur; cum lex etiam humana teſtetur, Deo magis tranſgreſſiones huiuſmodi, quam iuriſiurandi obſeruantiones, acceptas*, dicente Auguſtino, & Iſidoro: *In male promiſſis reſcinde fidem.*

In Ordine Prædicat. *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis*, ſuper tex. 6. circa medium, hæc habentur, in declaratione: *Declaramus, quod ex inductionibus, & practicis indebitis, libertati electionum plurimum detrahitur, & turbationes, & ſcandala plurima conſequuntur, & ſinceritas ſtatus noſtri Ordinis multipliciter læditur. Propter hoc in multis Capitulis fuit ſtrictiſsimè prohibitum, ne prece, pretio, promiſſione, communicatione, & certa ſcien-*
10 *tia, & ex animi deliberatione, † præſumeret quempiam ad eligendum, vel non eligendum inducere. qui vero contrarium fecerit, pœnis priuationis vocis per triennium ſubiaceat, ac alijs pœnis acrius puniatur: quam pœnam etiam incurrunt illi, qui hoc ſciuerint, niſi ſtatim habita opportunitate, Prælato ſuo talem inductorem reuelauerint; ſicut fuit ordinatum Pariſijs 1280. & apud Placentiam 1310. & apud Neapolim 1311. & apud Carcaſſonam 1312. & apud Treuerim 1289. &*

apud

apud Burdegalam 1287. & apud Luccam 1288. Et propter eandem rationem, vt electiones ſint liberæ, Declaramus, quod à die mortis, ſeu remotionis Prioris, non debent fieri aſſignationes, ſeu mutationes vocalium, nec augere, ſeu diminuere voces, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus; Bononiæ 1315. Ex Conſtit. Clement. VIII. non poſſunt fieri aſſignationes, per duos menſes ante electionem: & ſi fiant, nullæ ſunt quoad vocem, Valliſoleti 1605. & Pariſijs 1611. Debent inſeruiſſe effectualiter Conuentui per duos menſes ante electionem. & in ſacris canonibus, de elect. c. ſciant cuncti, excommunicantur qui grauauerint aliquam perſonã Eccleſiaſticam, ſiue eius conſanguineos, ſiue bona, pro eo quod rogatus, ſeu alias inductus, eum pro quo rogabatur, ſiue inducebatur, eligere noluerit.

11 Aſſignationes vero quæ fiunt in Capitulo à Vicario Prouinciæ, & Diffinitorio; ſpatio illorum decem dierum, quibus durat auctoritas Diffinitorum Capituli Prouincialis Ordinis Prædicatorum, eo quia præſumuntur factæ ſine fraude, ad quas tollendas conditum eſt Decretum Apoſtolicum, quibus ſecundùm noſtras Conſtitutiones, durat eorum auctoritas, vel in alijs caſibus expreſſis in noſtra Conſtitutione, non cõprehendũtur in ſupradicto decreto Apoſtolico. Ita vſus, & conſuetudo, à ſupradictis Maioribus approbata, ſemper declarauit in omnibus caſibus, iuxta illud, *Quando ceſſat ratio, ceſſat legis diſpoſitio*, vt habetur de Regulis iuris; at in prædictis caſibus ceſſat ratio legis ordinata ad tollendas fraudes: igitur.

12 Quæ Aſſignationes, factæ ſcilicet extra Capitulum, & caſus prædictos, debent conſtare Conuentui per duos menſes ante electionem, imò perſonaliter debent inſeruire Conuentui per duos menſes; licet ante Decretũ Clem. VIII.

ſatis eſſet, vt fierent per menſem, vt patet in Capitulo Generali Bonon. 1564. admonitione vltima, in qua habetur: *Admonemus Reuerendos Prouinciales, vt cum celebrandæ electionis in Conuentu aliquo tempus inſtat, etiamſi Priori menſis ſuperſit ſui officij, maximè abſtineant à mutationibus Fratrum, in dicto Conuentu, in quo inſtat electio, niſi in his caſibus, qui in noſtris Conſtitutionibus exprimuntur; ne propter hoc, eligentium libertati aliquod præiudicium fieri videatur.* Et ſi quis euadat electus à maiori parte, ex vi, ſiue in virtute voti emiſſi ab aliquo, vel ab aliquibus aſſignatis contra prædictam formam, electio eſt nulla, & irrita, vt latius traditur infra cap. 4. §. *Ex verbis cap.*

Et ſi quis obijciat contra prædicta Decretal. illam *in tit. de poſtulatione Prælatorũ, cap. 1.* vbi priuantur electores voce, quia renuerunt eligere ex nominatis à Papa: Reſpondetur, quòd in littera dictæ Decretalis, adiuncta Gloſſa, & alijs Doctoribus, euidenter apparet prędictos electores fuiſſe priuatos à Papa, non propter hoc, quia non elegerunt, vel poſtulauerunt aliquem ex nominatis; ſed ideò hoc fuit, quia pertinaciter nominarunt, & poſtularunt indignum, & inhabilem, ita declaratum antea per Sedem Apoſtolicam.

Panorm. *in cap. licet de vitanda, circa*
13 *finem* diſtinguit, dicendo: † *Si electores compelluntur eligere certam perſonam, tunc ipſo iure non valet electio, quia eſt contra proprium ſignificatum, & ſubſtantiale vocabuli. Nam eligere, eſt vnum ex multis voluntariè capere: vnde non eſt electio, vbi non eſt voluntas libera,* vt patet *in cap. vbi periculum, §. ceterum, tit. de elect. in 6.* vbi dicitur, *Caſſatur electio, vbi adimitur libertas eligendi.* Si verò electores cõpellantur eligere aliquem de certo genere perſonarum, talis electio valet, quia non adimitur libertas, ſed aliqualiter reſtrin-

ſtringitur, modo tamen inferius expli-
cando cap. 9.

Rodericus *in ſua ſumma, tit. de elect.*
cap. 103. ſapienter animaduertit pro li-
bertate electionis, ſequentem caſum,
quem dicit eſſe conformem *cap. de ele-*
ctione, vbi periculum. Et Nauar. *in ma-*
nuali cap. 17. *num.* 19. 22. *&* 51. &
lib. 1. *conſ. tit. de electione, conſ.* 5. quando
maior pars electorum alicuius Collegij,
vel Conuentus, eligit aliquem dignum
14 in Prælatum, † licet ſit contra volunta-
tem Superioris, & propter hoc impedia-
tur per mandatum Superioris, ne publi-
cetur electio; ſed potius præcipiat quod
eligant iterum, dicẽdo, niſi eligatis aliũ,
dabo vobis extraneum hunc, vel illum:
quo metu, & comminatione eligunt
alium; non valet in conſcientia ſecun-
da electio, quia omnis electio facta me-
tu, eſt ipſo iure nulla; & omnis metus,
licet ſit iuſtus, facit actum nullum in
foro conſcientiæ. Et ſi Superior ſæpius
ſine vrgenti neceſſitate faciat iterare
actionem electionis, vltra quod prauum
perhibet exemplum, inſuper peccat etiã
mortaliter; & hoc videtur conforme
doctrinæ Panormit. *num.* 3. *in cap. cum*
terra, de electione, vbi habetur, *quòd ſi*
conſuetudo auferat libertatem electoribus,
eligendi quem voluerint, non valet; ſecus
autem eſt, ſi reſtringat ſolum electores ad
genus perſonarum tantum.

16 Conſuetudo, † per quam tolluntur
ſubſtantialia actus electionis, non valet,
immo extirpanda venit, *de electione, cap.*
cum Monaſterium, & cap. cum terra,
Gloſ. & Doctores ibidem, & Panorm.
cap. cum cauſa nu. 4. inquit. *Non debet*
attendi ad id quod factum fuit in præterito;
ſed potius ad id quod de iure fieri debuit,
quia non omnis conſuetudo tollit ius,
in cap. final. de conſuet. immo mala
conſuetudo eſt radicitus extirpanda,
nec poteſt habilitare prorſus inhabilem,
ſecundum regulam communem, quod
factum contra legem, non debet haberi
pro rato.

17 Quibus omnibus † pro maiori clari-
tate dictorum, addenda eſt doctrina
Nauarri *vbi ſupra, de elect. conſ.* 7. *nu.* 4.
dicentis quod electio facta poſt moram
ob malitiam, & dolum eligentium,
dummodo fiat ſine fraude electi, valet
& poteſt ſuſtineri.

Quod etiam inſinuatur *in cap. publi-*
cato, & in cap. cum poſt petita, immo ſatis
clare hoc docet text. *eiuſdem cap. publi-*
cato, de elect.

18 Omnia ſupra narrata † ſubſtantialia,
& eſſentialia electionis canonicæ de-
bent obſeruari, aliter non cenſetur com
pleta forma electionis per ſcrutinium.
Et quidem per publicationem ſcrutinij,
ſiue votorum in communi, electio non
dicitur completa, ſed incepta; licet poſt
publicationem ſcrutinij vota non poſ-
ſint mutari, aut variari, per decret. Gre-
gorij IX. imò compellendi ſunt ele-
ctores perficere quod ceperunt, conti-
nuando vſque ad formationem verba-
lem decreti electionis. *Ego N. eligo*, &c.
cap. publicato ſcrutinio in primo de elect.
Nauar. *conſil.* 7. *num.* 4. *de elect. & cap.*
in Geneſi, clare dicitur quod electio ce-
lebrata contra formam Concilij Gene-
ralis, traditam in cap. quia propter, eſt
irrita, & inanis. Hoc idem docent Pa-
norm. Gloſ. & Butr. *in eodem cap. quia*
propter. Quare vnius tantum ex prædictis
ommiſſio ſufficiens eſt nullam reddere
electionem.

19 In Ordine Prædicatorum, † cùm ex
priuilegio, & conſtitutionibus, ex an-
tiqua conſuetudine ſemper fuerit ob-
ſeruatum in electionibus, vt fiat ſolum
collatio numeri ad numerum, & illa
cenſeatur canonica electio, quæ eſt ce-
lebrata à maiori parte electorum præ-
ſentium; non eſt diſputandum id quod
propo-

Digitized by Google

proponitur à Gloſſa, & Doctoribus, *in cap. Eccleſia veſtra, de elect.* an ſemper ſtandum ſit numero in electionibus, vel aliquãdo zelo, & merito; eo magis, quòd circa hãc materiam diuerſi ſunt inter ſe Doctores, licet Panor. *cap. Eccleſia nu.* 13. cõcludat quod *electio non celebrata à maiori parte vocalium, non debeat confirmari.*

20 In *cap. ſciant cũcti* † *de elect. in* 6. dicitur, *Sciant cuncti, qui clericos, vel quaſlibet alias perſonas Eccleſiaſticas (ad quos in aliquibus eccleſiis, monaſterijs, aut alijs pijs locis ſpectat electio) pro eo, quòd rogati, ſeu aliàs inducti, eum, pro quo rogabãtur, ſiue inducebantur, eligere noluerint: vel cõſanguineos eorũ, aut ipſas eccleſias, monaſteria, ſeu loca cetera, beneficijs, ſiue alijs bonis ſuis, per ſe, vel per alios ſpoliando, ſeu alias iniuſtè perſequendo, grauare præſumpſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos.* Diſpoſitionem huius textus ponderare debẽt omnes, præſertim Superiores Regularium, præcauendo ab omni, & quacũque actione contra illos, qui non elegerunt, quem, ſiue quos ipſi deſiderabãt, ad tollendam omnem, & quamcumque ſuſpicionem, quæ contra illos oriri poſſet, qua dicantur perſecutores eorum qui non elegerunt, pro quo rogabantur vocales, ſiue eligentes. Hinc eſt quod Patres Ordinis Prædicatorum in Capitulo Generali Bononien. 1615. rite congregati, *tit. Admonitiones, admonit.* 3. ad memoriam reuocarunt diſpoſitionem textus, *Sciant cuncti*, de quo ſupra, per ſequentia verba: *Vt electiones canonicæ in Ordine noſtro iuxta ſacri Concilij Tridentini, & Conſtitutionum noſtrarum præſcriptum liberæ ſint, & nullo incuſſo vocalibus metu in ſanctitate, & iuſtitia perficiantur; idcirco Patres, ac Fratres Ordinis noſtri vniuerſos monemus, ne alij alios ſub pœnis in Cõſtitutionibus noſtris taxatis, ad prædictas electiones quauis arte inducãt; ipſiſq; ad memoriam reuocamus ea quæ in*

Ttractatus de Electione.

Decret. lib. 6. cap. ſciant cuncti, habentur.

21 Inter omnino obſeruanda in electionibus canonicis Prælatorum regulariũ, videtur connumerandum iuramentum ab electoribus publicè præſtandum de eligendo magis idoneum, ſecundum Deum, & eorum conſcientias. Hoc namq. præcipitur in Cõcilio Baſileenſe *ſeſſ.* 23. quod repetit *ſeſſ.* 38. *Decret. de elect.* cui iuramento Concilium ſuperaddit, tanquam neceſſarium, & ſubſtantiale, ſacram Communionem ab electoribus ante ſcrutinium deuotè ſuſcipiendam, prout ſupra.

22 Ad hæc accedit † expreſſum mandatum Clementis VIII. contentum in Decretis generalibus ad Regularium reformationem ſpectantibus, editis ab eodem Clemente die 25. Iulij 1599. confirmatis à Paulo V. ac iuſſu illius nuper impreſſis Romæ 1607. & nouiſſime de anno 1624. iterum confirmatis à Sanctiſſimo Domino noſtro VRBANO VIII. vbi ſub nu. 36. leguntur verbatim quæ ſequuntur, *Iurentq; electores ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ, probiores, ac magis idoneos electuros.* Quod etiam de iuramento præſtando tradit Io. Aloyſius Riccius *in ſua praxi rerum quotid. tom.* 3. *reſol.* 224. *§. decimum.* Quod aſſerit colligi ex gloſ. *in c.* 1. *de elect.*

23 Et ſub nu. 40. ſubdictorum decretorum Apoſtolicorũ diſtrictè præcipitur Generalibus, ac omnibus alijs quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, vt reponant ea omnia (videlicet ſuperiora decreta) inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras; interdicta omnino eorum ſingulis facultate illa declarandi, & aduerſus ea vnquam diſpenſandi.

Hoc idem, ſaltem per viam illationis, colligi poteſt ex Conſtitutione nouiſſimè edita à S. D. N. Gregorio XV. de Electione Romani Pontificis, de qua

Digitized by Google

latè infra, in qua ſtrictiſſimè præcipit Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus, Summi Pontificis Romani electoribus, vt ante electionis ſcrutinium, alta, & intelligibili voce præmittant iuramẽtum, de eligendo quem ſecundùm Deum iudicauerint eligi debere.

Summa Cap. IV.

1 *Electio quæ non eſt facta per vota ſecreta, eſt nulla.*

2 *Quoties in lege aliqua dicitur, v. g. quòd talis electio facta non ſuſtinetur, hæc verba habent vim decreti irritantis.*

3 *Si quis ex electoribus oſtenderit alicui ſuam ſchedulam, vt videat quem ipſe eligat; an talis oſtenſio reddat electionem nullam.*

4 *Nominatio electorum facta per electores ad aures ſcrutatorum, an vitiet electionem, ac illam efficiat non ſecretam.*

5 *Omiſſio formationis verbalis decreti electionis, publicato iam ſcrutinio, reddit electionem nullam.*

6 *Si quis conſentiat electioni de ſua perſona faciendæ, priuſquam fiat, talis electio venit caſſanda. & ſub num. 58.*

7 *Electio, in qua ante, vel poſt, vel in ipſo actu admittitur vſus ſortis, eſt ipſo iure nulla.*

8 *Electio indigni, & inhabilis, eſt ipſo iure nulla. & num. 10. 23. 26. item facta contra formam in iure expreſſam.*

9 *Si electio fiat poſt elapſum tempus præſcritum à iure communi, vel particulari; eſt nulla.*

11 *Electio facta ante Papæ inhibitionem, non eſt vitiata.*

12 *Electio excommunicati quacumque excommunicatione nulla eſt. Item facta cum interuentu Electorum excommunicatorum lata ſententia; vel de iure inhabilium, eſt ipſo iure nulla. Et quomodo hoc intelligatur. num. 13. Et quid, ſi electores ſint ſuſpenſi, vel interdicti. n. 22.*

14 *Electio ſymoniaca, eſt ipſo iure nulla. Item facta per fauorem poteſtatis ſæcularis. num. 27.*

15 *In Ordine Prædicatorum electio alicuius præſentis, eſt nulla, ſi non excedat duo vota vltra medietatem.*

16 *Electio procurata per ambitionem, vel ſeditionem, eſt retractanda. & nu. 37.*

17 *Quando electio dicatur concorditer facta.*

18 *Si quis electus, ante confirmationem exercet ea, quæ ſunt officij, vel dignitatis, ad quam aſſumitur, illius electio an reddatur nulla. & num. 19. & in quas pœnas incidat.*

20 *Non profeſſi alicuius Ordinis electio, eſt nulla ipſo facto.*

21 *Electio facta contra formam Priuilegiorum Apoſtolicorum, retractari debet. & n. 35.*

24 *Illiteratus, vel litterarum ſcientia carens quis dicatur.*

25 *Contemptus plurium, ſiue vnius ex vocalibus, ſi probetur, electio caſſari debet. & num. 42.*

28 *Si Papa præcipiat electoribus, vt eligant Prælatum de conſilio aliquorum, ſi ipſi eligant non expectato tempore congruo conſilio, electio non tenet.*

29 *Si in Ordine Prædicatorum eligatur Prior ille qui fuerat ſufficienter electus in alio ſcrutinio caſſato à Prouinciali iuſtis de cauſis; talis electio ſine noua rehabilitatione, eſt nulla. Et quomodo hoc intelligatur. num. 30.*

31 *Defectus occultus vnius, vel aliquorum ex electoribus an vitiet electionem.*

32 *Vbi in aliqua lege dicitur, quod electio ſic facta, v. g. non valeat, per hæc verba inducitur nullitas electionis ipſo facto.*

33 *Pœnam priuationis vocis actiuæ, quando, & quomodo eligentes incurrant.*

34 *Electio canonica, quomodo debet eſſet ſemper à maiori parte vltra medietatem omnium vocalium.*

Quando

36 *Quando ex priuilegio, ſiue conſuetudine debet eligi aliquis ex certo gremio, ſiue natione; ſi electio aliter fiat, eſt inualida.*

37 *In Ordine Prædicatorum eligendus debet habere duodecim annos completos à Profeſſione. Quid autem, ſi Conuentus, cui præficitur, habeat curam ſanctimonialium annexam. num. 38.*

39 *Negatiua præpoſita verbo, Poteſt, neceſſitatem importat, denegatque omnimodam potentiam.*

40 *Sub hoc numero adducitur regula receptiſſima, qua docetur quod Vbi lex prohibet ſubſtantiam actus, tunc ſola prohibitio ſufficit ad inualidandum actum, etiamſi lex ſpecialiter non dicat, inutile eſſe debere quod geſtum erit.*

41 *Recenſentur determinationes factæ circa caſus aliquos ſpeciales in Ordine Prædicatorum, quibus ritè fuerunt declaratæ nullæ, electiones quædam canonicæ. & n. 44.*

43 *Electio de ſe non valida, nequit validari ex ſuperuenientibus, ſi ab initio verè fuit nulla.*

45 *Electio nulla ob defectum ſolemnitatis iuris poſitiui, poteſt confirmari ab habente auctoritatem diſpenſandi ſuper conſimilibus defectibus.*

46 *Quæ obſeruanda ſint circa excluſionem Electorum excommunicatorum.*

47 *Quique notoriè dicantur excommunicati.*

48 *Quid agendum ſit, quando dubitatur de inhabilitate alicuius vocalis, ſiue electoris, tempore electionis.*

49 *An liceat vniuerſaliter argumentari, electio eſt caſſanda, ergo non eſt bona.*

50 *Quid agendum ſit, caſu quo fuerint celebratæ duæ electiones eodem tempore; itaut maior pars electorum eligat indignum, minor verò dignum.*

51 *Electio celebrata à maiori parte antequam voce priuentur, contradicente minori parte ſuſtinenda eſt, niſi in contradictione interponatur appellatio in debita forma.*

52 *Celebrata iam electione Prælati à maiori parte vocalium, contradicente minori, & opponente contra maiorem delicta concernentia excommunicationem latæ ſententiæ, ante electionem non ſufficienter probata, etiam quod probentur poſt remiſſionem decreti electionis ad confirmatorem, minor pars non poteſt procedere ad aliam electionem. Quod habet locum ſingulariter in Ordine Prædicatorum abſque notitia caſſationis prioris electionis.*

53 *Declaratur quomodo intelligendum ſit illud quo dicitur, Electionem illam eſſe nullam, in qua conueniunt aliqui excommunicati.*

54 *Omnis electio canonica, celebrata, debet publicari Conuentui, ſiue Capitulo, aliàs caſſanda venit: Immo ex doctrina Silueſtri, connumeratur inter clandeſtinas electiones, & quomodo.*

55 *Simonia realis, commiſſa cum vno ſolo electorum, nullam reddit electionem.*

56 *Metus impediens omnimodam libertatem vitiat electionem, ita vt non poſſit confirmari.*

57 *Ex Decreto Gregorij IX. habetur, quod eligentes indignum, etſi ſint in maiori numero, electio eſt ipſo iure nulla, & ipſo facto decidunt à ſuo iure, ſtatim completo actu electionis indigni: quo caſu, ius eligendi deuoluitur ad alios electores etiã in minori numero; licet tutius ſit expectare Superioris declarationem ſuper hoc.*

58 *Electio Vſurarij, ſiue publici Aleatoris, eſt nulla; quemadmodum & illa, in qua eligendus præbet, aſſenſum ſuum etiam requiſitus, ante electionem de ſe faciendã.*

59 *Quid agendum ſit circa electionem celebratam, pendente appellatione ritè interpoſita ab aliquibus vocalibus, in ordine ad priorem iam celebratam electionem.*

60 *Electio celebrata ex vi renunciationis antequam acceptetur ab habente auctoritatem, eſt nulla, & irrita.*

61 *Electio, in qua vna, vel multiplex ſche-*

Digitized by Google

dula obſignata ſigno aliquo euidenti reperitur, nulla eſt.

62 *Electio facta per ſcrutinium, in qua non ſtatim comburuntur coram eligentibus ſchedulæ eligentium, eſt nulla, & irrita.*

63 *Quoties eligitur in ſcrutatorem aliquis, qui non ſit de corpore vocalium, ſiue eligentium, electio talis ſi ſit facta per ſcrutinium, eſt ipſo iure nulla.*

64 *Defenduntur ea, quæ reſoluta fuere in hoc eodem cap. num. præcedenti de nullitate electionis, in qua eligitur quartus ſcrutator qui non ſit de numero eligentium, & adducuntur tres deciſiones ſacræ Rot. Rom. hoc confirmantes.*

65 *Omiſſio ſcrutandi vnicum ſolum votum reddit electionem inualidam.*

66 *Electio, in qua Præſidens Capituli, ſiue alius Superior præcipit ſcrutatoribus ne recipiant ſuffragia pro tali perſona, eſt nulla ex declaratione Congregat. Concilij Trid.*

67 *Electio illius qui eſt diffamatus in loco in quo eligitur in Prælatum, caſſanda, & annullanda eſt.*

CAP. IV.

De caſibus principalioribus, in quibus electio eſt nulla, vel de iure annullanda.

1 ELectio ſi non fuerit † per vota ſecreta, iuxta præſcriptum Concilij Trid. eſt nulla. Quare die 25. Ianuarij 1591. Sacra Congregatio Concilij reſoluit, omnes electiones Superiorum, Diffinitorum, & Officialium regulatium fieri debere per vota ſecreta. Et in cap. Generali Bononiæ 1564. idem in Ordine Prædicat. præcipitur. Silu. *in ſua ſumm. tit. elect. 2. nu. 12.* tradit neceſſe eſſe in electionibus canonicis, vt vota ſingulorum electorum ſint ſecreta: & ſi aliquis illorum manifeſtauerit votum ſuum, vidente, vel conſentiente Capitulo, vel maiori parte illius, electio eſt nulla, per regulã illam generalẽ; *Actus contrarius diſpoſitioni iuris eſt n[illegible]us*, l. non dubium; C. de legibus.

Qua occaſione ſciendum eſt, quod
2 quoties † lex aliqua in materia electionis dicit, talem electionem factam non ſuſtineri, vel non valere, hæc verba habent vim decreti omnino irritantis conſimilem electionem, & importánt annullationem ipſo iure abſque aliqua ſententia. Gloſſa *in cap. quia propter in verb. vice omnium, de elect.* Compoſtell. *num. 20. verſic. numquid de iſta:* Ioan. Andreas, *num. 37. in ver. non valeat*, & alij, & latius *in deciſ. ſacræ Rotæ Romanæ ſub Illuſtriſſimo Coccino Decano die 5. Iulij 1621.* quæ inſcribitur *Meten. Monaſterij:* & in alia deciſione *coram eodem in Cauſa Treuer. Abbatiæ ſancti Maximini die 20. Nouembris 1624.*

Nauar. *lib. 1. conſil. tit. de elect. conſ. 4.* & Roderic. *in ſua ſumma tit. de elect. cap. 102. nu. 4.* ſapienter conſiderant, quod
3 † etſi aliquis ex electoribus, ſecreto oſtẽderit alicui ſuam ſchedulã ad effectum vt videat quem ipſe eligat, hæc pura, & ſimplex oſtenſio, non tollit quin electio ſubſequens immediatè ſit ſecreta. Oſtenſio enim facta prædicto modo, nihil de ſe nocumenti adfert reliquis electoribus: aliter eſſet in poteſtate cuiuſcumque electoris, irritam, & nullam reddere quam voluerint electionem; quod eſt magnum, & intolerabile inconueniens: quandoquidem iuxta ſententiam grauiſſimorum Doctorũ, mens, & intentio Concilij fuit prohibere, vt nullo vnquam tempore publicarentur vota electorum; & caſu quo id ſequatur, culpa, & dolo totius, vel maioris partis Capituli, electio ſit irrita, & nulla. Quod dicendum eſt quando manifeſtatio vnius, vel plurium votorum

etiam

Digitized by Google

etiam ſecreta, eſt realis cauſa, vel præſumptiua rationabiliter quod electio ſequatur in hanc, vel illam perſonam particularem ex vi illius oſtenſionis: in quo caſu tale votum, vel talia vota publicata, non debent computari in numero electorum.

Ex *cap. quia propter de elect.* & ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de regul. cap. 6.* graues Doctores, ac etiam moderni, inter quos Garzias, *par. 5 de beneficijs, cap. 4. nu. 183.* & Andreas Molfeſius *in 1. par. ſuæ ſummæ moralis, tract. 6. cap. 16. nu. 153.* colligunt quod oſtenſio vnius ſchedulæ, ſiue fiat per malitiã, vel per errorẽ, dummodo nõ cauſet effectum de quo ſupra, non officit ſecretæ electioni: ſi tamen maior pars ſuffragiorum oſtenderetur, eſſet nulla electio, ex quo ante publicationem ſcrutinij electio manifeſtaretur, contra formam Concilij Trident. ſuperius citati; quod totum habet locum in electione quæ fit per ſchedulas, & ſcrutinium.

4 Eſſet tamen † ſecreta electio, etiam ad mentem Trident. Concilij, quoties ad aures ſcrutatorum ſinguli electores nominarent ſecreto perſonam eligendam. Ad cuius confirmationem Garzias *vbi ſupra, cap. 6. num. 189.* adducit declarationem Congregationis Concilij dicentis: *Si electi fuerunt à Superioribus aliqui, qui vota omnium eligentium recipiant, electio reputabitur ſecreta, & Canonica.* Alia vero pertinentia ad hunc numerũ require in cap. de electoribus.

Immo ipſemet Garzias, num. 190. refert aliam declarationem eiuſdem Congregationis, circa electionem Abbatiſſarum, ſiue Prioriſſarum monialium & eſt ſequentis tenoris. *In electione Abbatiſſarum poteſt Epiſcopus cum ſuo Vicario, vel Secretario, vel alio ab ipſo aſſumpto, vota ſingularum monialium oretenus expreſſa audire.* Et aliam adducit ſequentis tenoris: *In electione Abbatiſſarum, vota oretenus accipi poſſunt à ſuis Superioribus, licet quatuor, aut quinque id ſciant, ſi hoc eſt iuxta formam ſtatutorum Religionis.* Hoc totum eſt intelligendum, dummodo non publicentur vota electorum, modo proximè declarato.

5 Quando pro complemento † electionis, publicato iam ſcrutinio, omittitur formatio verbalis decreti electionis, tũc electio eſt nulla, vt in præcedenti cap. inſinuatum eſt. Primo, quia deeſt ei vnum ex eſſentialibus aſſignatis, cùm ſupradicta formatio decreti, ſit de ſubſtantiali forma electionis, cap. Eccleſia, tit. de elect. Abbas in eodem cap. nu. 3. Secundò, in Formulario Ordinis Prædicatorum, edito, & impreſſo poſt Conſtitutiones, iuſſu Reuerendiſſimi Generalis Iuſtiniani 1566. Romæ, in Cap. cui titulus eſt, *Forma eligendi Priorem per Prouincialem, propter vitium actionis,* ibi inter cauſas, ob quas declarari debet electio iam celebrata à Vocalibus nulla, hæc vna aſſignatur per ſequentia verba: Quia ſcilicet, *vocales Conuentus N. intolerabiliter defecerunt, eligendo illegitimè natum, non diſpenſatum, nec formatum eſt decretũ electionis, &c.* ergo omiſſio, de qua ſupra, nullam, ac irritam efficit electionem.

6 Electio illius, qui † requiſitus ante electionem conſentit electioni de ſua perſona faciendæ, priuſquàm fiat, quia præſumitur talis enormiter ambitioſus, electio venit caſſanda, *cap. cum poſt petitam, tit. de electione, & electi poteſt.* Butr. *ibid. num. 2.* quia inuitus, & fugiens eſt quærendus; conſentiens vero, & ambiens prælaturas reprobandus: nã præſtitus conſenſus eligendi modo explicato, ſufficit ad caſſandam electionem de illo factam, *cap. cum poſt petitam, de elect.* Doctores *ibidem*, in ſpecie Antonius de Butr. *num. 7. §. licet enim,* hanc quæſtio-

nem

nem mouet, & reſoluit, dicendo: *Conſenſus præſtitus eligendi ante electionem, ſufficit ad caſſandam electionem.*

7 Electio Prælatorum † Eccleſiaſticorum, maximè vero regularium, in qua ante, vel poſt, vel in actu electionis admiſſus eſt vſus ſortis, eſt ipſo iure nulla, non obſtante in contrarium quacumque conſuetudine, *cap. fin. tit. de ſortilegijs, in fine.* Doctores, & Gloſſa *ibid.* in ſpecie Cardin. *q.* 2. Abbas *num.* 3. Ancar. *num.* 3. S. Thomas 2. 2. *q.* 95. *artic.* 8. Caiet. *ibid.* & *in ſua ſumma, tit. Sors*, alijq. Summiſtæ, *in eodem tit. Sors*, Sanchez *in opere ſuo morali, lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 58. 72. *vſque ad num.* 79.

8 Electio qua eligitur † indignus, vel inhabilis, eſt ipſo iure nulla, *cap. cum in cunctis, de elect.* Siluester *in ſua Summa, tit. electio* 2. *num.* 13. Item ſi fiat contra formam à iure ſtatutam, omiſſis in totum, vel in partem eſſentialibus, eſt ipſo iure nulla, *cap. gratum, tit. de poſtulat. Prælat.* & Doctores communiter id tradunt, maximè verò Abbas, Butr. & Panormit. id repetunt, *tit. de elect. & electi poteſtate.*

Quando de nouo eligitur aliquis, præſertim in Ordine Prædicatorũ, iam electus, vel poſtulatus in priori præcedenti immediata electione, cuius electionis ſcrutinium fuit caſſatum vitio, & defectu perſonæ, electio ſubſequens eſt nulla, ex *cap. de electione Prioris Conuentualis, diſt.* 2. in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum.

9 Quando celebratur † electio poſt elapſum tempus à iure communi, vel particulari præfixum, talis electio eſt nulla; *cap. quia propter, cap. cum inter vniuerſas*, & *cap. de elect. Prioris Conuentualis in Ordine Prædicatorum.*

Si maior pars vocalium eligit indi-
10 gnum † ſcienter, & minor in eodem ſcrutinio eligit dignum, electio maioris partis eſt nulla, illa vero minoris partis eſt rite facta, & debet confirmari, *cap. congregato, tit. de electione, in* 6. Nam tunc poteſtas deuoluitur ad illos qui eligunt dignum, licet ſit minor pars Capituli, maximè ſi electus à maiori parte ſit ignarus, prout in textu, & clarius in Gloſſa *ſub littera l.* Totum hoc habetur clarè *in cap. cum in cunctis, cap. quia propter, cap. Vintonien. tit. de electione.*

11 Si Papa ſibi reſeruat † prouiſionem alicuius eccleſiæ Cathedralis, vel Regularis, inhibueritque electoribus, ne procedant ad electionem; non eſt per hoc vitiata electio, ſi quæ præceſſerit talem iuridicam inhibitionem; ſed omnia quæ fiunt poſt inhibitionem, remanent infecta, & ſuſpenſa, *cap. ſi eo tempore, tit. de electione, in* 6. vbi dicitur, *Si electus adierit Superiorem ordinarium, & immediatum, & ab eo ſuſceperit confirmationem ſuæ electionis, talis confirmatio eſt nulla.*

12 Electio qua eligitur † ſcienter excõmunicatus, maiori, vel minori, excommunicatione, nulla eſt, etiamſi excommunicatus realiter fuerit occultus tempore electionis; Siluester *tit. de electione, num.* 15. vbi adducit multa iura: & idem inquit tenendum eſſe de electione, in qua eligitur ſuſpenſus, vel qui interdictum non ſeruauit de electione, *cap. cum inter*, Panormit. *ibidem, num.* 15. & alij Doctores.

Electio facta cum interuentu electorum excommunicatorum, latæ ſententiæ, vel de iure inhabilium, ſi contingat fieri ſcienter ab omnibus, ſiue à maiori parte, electio eſt ipſo iure nulla, imò ſunt priuati electores poteſtate eligendi pro illa vice. Vſus tamen inualuit, vt priuati declarentur in ſimili caſu à Superiore. Gloſſa, & Doctores *ſuper cap. ſi quando, tit. de elect. in* 6. Si ve-
13 ro † fuerit aliquis excommunicatus occultus, inter ipſos electores, vel de iure inha-

inhabilis etiam occultus, & ex vi talis voti fiat electio, neceſſario venit caſſanda; id eſt ſi aliquis in virtute illius voti, euadat ſufficienter electus. imò ſimpliciter nulla cenſeri debet electio, in qua interfuit excommunicatus latæ ſententiæ, vt latius dicam inferius cap. 5.

14 Electio facta † per ſymoniam, ipſo iure nulla eſt: imò electus per ſymoniam, etiam ignoranter, amplius reeligi non poteſt, *cap. ſi alius, de elect.* Abbas, & Panorm. *ibid. num.* 1. S. Thom. *quodlib. 5. art. 23.* inquit, *Qui eligit conſanguineum, vel amicum, aut alium, intendens aliquam habere recompenſationem pro ſe, vel pro alijs, peccat peccato ſymoniæ:* Intellige de mentali, quæ non irritat electionem.

15 Electio alicuius † præſentis in Ordine Prædicatorum, ſi non excedat duo vota vltra medietatem, eſt nulla, & irrita: qui defectus ſe tenet ex parte electionis, non autem perſonæ electæ; vnde poteſt de nouo ſine præuia diſpenſatione reeligi in eodem Conuentu, & ab eiſdem electoribus in Ordine Prædicatorum. Hæc declaratio habet quatuor Capitula, vt patet Romæ 1583. Ordinatione 3. Hoc Statutum ſpeciale Ordinis Prædicatorum fundatur in Gloſſa, & Abbat. *cap. licet, de elect.* dicentibus: *Electi vox non computatur in numero eligentium.* quod certè non poteſt melius præcaueri, quàm cum obſeruatur diſpoſitio Statuti, de quo ſupra.

16 Electio procurata † per ambitionem, vel ſeditionem, eſt retractanda, & per conſequens annullanda, *tit. de electione, cap. Bona memoriæ,* Panorm. *ibid. nu.* 13. & alij.

Electione caſſata ob defectum temporalem electi, eodem defectu ceſſante iſte reeligi poteſt; ſecus ſi fuit caſſata propter crimen perſonæ electæ, *in tit. de elect. cap. officij,* Panorm. *ibid. num.* 3.

17 Electio dicitur † concorditer, & vnanimiter facta, ſi ſit celebrata nemine diſcrepante ex illis electoribus, qui ſunt præſentes in capitulo ad electionem celebrandam, *cap. Bona memoriæ, tit. de poſtulatione Prælatorum;* licet contradicant qui contempſerunt venire tempore à iure præfixo procedēdi ad electionem; *cap. cum nobis,* Panormit. *ibid. num.* 4. inquit: *Qui contempſerunt venire ad locum Capituli, non reputantur de Capitulo, pro illo actu ad vocem actiuam.*

18 Electio illius † redditur nulla, qui ante confirmationem adminiſtrat ea, quæ ſunt officij, vel dignitatis ad quā eligitur, niſi aliter caueatur priuilegio Apoſtolico communi, vel ſpeciali; vti in electione Generalis Ordinis Prædicatorū, & Minorum; qui ſtatim ritè electi, intelliguntur confirmati propter ſpeciale priuilegiū à Sede Apoſtolica ſuper hoc obtentum, *cap. auaritiæ, in 6.* Imò conſuetudo communis in contrarium nulla eſt, *cap. qualiter,* Panorm. *ibid. num.* 2. Oldrad. *conſil.* 47. ſuper quo extat deciſio Rotæ Romanæ, *coram D. Buratto die Lunæ, 22. Iunij 1615. num. 2. Verdunen. Abbatiæ,* quæ eſt in ordine deciſionum recollectarum à Proſpero Farinaccio, *in 1. tom. 2. part. 645. fol. 273.* vbi declaratur nulla electio cuiuſcumque Abbatis, ex eo quod adminiſtrauit ante confirmationem, conformiter *cap. auaritiæ, in 6.* & fruſtra legis auxilium inuocat, qui cōmittit in lege, ſeu errat contra legem, maximè ſcienter, *cap. 1. tit. de Conſtitutionibus, in 6.* Idem clarius, & latius poſt multas citationes, traditur in deciſione ſacræ Rotæ, *coram D. Mantica die Veneris, 4. Februarij 1544. nu. 1. 2. & 3. deciſ. 251.* vbi inter alia habetur, eſſe valde clarum hoc totum in Auditorio Rotæ; vnde idem fuit etiam reſolutum *coram Illuſtriſſimo Card. Seraphino, 14. Ianuarij 1582.*

Hæc

19 Hæc omnia habent locum † intra Italiam. Nam extra Italiam ex generali diſpenſatione Papæ, in concordia electi, ſtatim poſſunt ſuum exercere officium, *cap. nihil, de elect.* Gloſſ. *in cap. cum venerabilis*, & Innoc. Et hoc illis conceditur, ne eccleſia interim patiatur. Si vero adſit Legatus Sanctiſſimi in Prouincia, ante adminiſtrationem tenentur petere confirmationem; Compoſt. *in cap. cum venerabilis, in fine cap.* Quare admittentes electum, vel poſtulatum ante cõfirmationem, reddunt ſe indignos, vt ea vice, nec eligere, nec poſtulare poſſint, prout *in cap. Bonæ memoriæ*, & *ibid.* Abbas. Quo caſu Superior Regularis, præſertim in Ordine Prædicatorum, poteſt prouidere de Priore, ſiue Prouinciali, ex diſpoſitione *cap. de elect. Prouincial. in Ordine Prædicatorum*, deſunt enim illo caſu eligentes.

20 Electio, in qua eligitur † non profeſſus, expreſsè eiuſdem Ordinis, eſt nulla ipſo facto. nam *in Clement. de elect. cap. 1. cum rationi, §. ſi contra fiat*, apponitur prohibitio per verba de præſenti irritantia actum contrarium. & quoniam vbi lex prohibet ſub huiuſmodi verbis, *ipſo facto*, &c. actus contrarius non eſt per ſententiam irritandus, ſed ipſo iure nullus, & per ſententiam ſequentem ſolum declaratur vt nullus; vt notatur *in cap. quia propter*, & *l. non dubiũ, C. de legibus.* Quotieſcumque vero textus aliquis loquitur in futurum, quòd ſunt priuandi electores, niſi alia verba præcedant, vel conſequantur, ipſo iure non ſunt priuati, ſed veniunt per ſententiam iudicis priuandi: Doctores *in cap. quiſquis, tit. de elect.* & in ſpecie Ant. de Butrio, *ibid. num. 11. §. tertiò quæro. cap. cum ad noſtram, in principio*, & clarius *cap. nullus, in 6.* vbi ipſo iure nulla cenſetur: nam expreſſa profeſſio eſt hominis; tacita eſt iuris: Io. Andr. hoc docet inter alios, *in fine dicti cap. nullus*: non enim ſufficit tacita profeſſio, ſed requiritur expreſſa, alias electio eſt ipſo iure nulla, *dicto cap. nullus. cap. cum in Magiſtrum, & in cap. cum in cauſam, de elect.* idem clarius tradunt.

21 Electio facta contra † formam priuilegiorũ Apoſtolicorum alicuius eccleſiæ, licet ipſo iure non ſit nulla, retractanda tamen venit, *cap. conſiderauimus*, Abbas *ibid. num. 2.* Et ratio huius eſt, quia cùm priuilegia ſint quid facti, poſſunt probabiliter ignorari; etſi leges cõmunes non poſſint probabiliter ignorari, imò eas ignorare, eſt latæ culpæ. Hinc eſt, quod factum contra iura communia eſt ipſo iure nullum; factum vero contra priuilegia, annullandũ venit.

Electio, ſiue poſtulatio facta à minori parte vocalium, ordinariè non eſt admittenda, *cap. bonæ memoriæ, tit. de poſtulatione*, Gloſſa, & Doctores *ibidem*, & *cap. Cumana, de elect.* vt latius dictum eſt cap. 2.

22 Electio celebrata † à vocalibus ſuſpẽſis, vel interdictis, cum ſit ſpecies quædam iuriſdictionis, & officij, quod ſuſpenſis eſt interdictum, nõ tenet, & electio eſt annullanda, *cap. cùm inter, tit. de elect.* Abbas *ibid. num. 6.* Gloſſa *in eodem cap. Pro non dato* enim *habetur, quod datur ab eo, qui non habet facultatem illud dandi.*

23 Electio, in qua eſt electus ille † qui non habet ſufficientem ſcientiam, eſt nulla, *cap. cum in cunctis, cap. cum in nobis, & cap. quali, eodem tit.* & *cap. de electione Prioris Conuentualis* in Ord. Prædicatorum, *diſt. 2.*

Ex quo *capit. cum in cunctis*, colligit
24 Abbas *num. 2. & 4.* quod ille † dicitur illitteratus, vel litterarum ſcientia carens, qui Grammaticam neſcit; quo caſu deponendus eſt ab officio, ſi fuerit confirmatus. Idem docent Nauar. *Miſcel. 40.*

ſect. 40. *de Orat. nu.* 8. & Bañes 2.2.q.63. *art.* 2. *dub.* 1. *condit.* 2. Quod etiam alij colligunt ex diſpoſitione *cap. illitteratos, diſt.* 36.

25 Electio, in qua fuit † contempta minor pars vocalium, ad quos de iure ſpectabat electio, etiamſi ſit vnus ſolus, illo inſtante, & probante contemptum, caſſanda eſt, *cap. bona memoria*, 2. *tit. de elect.* etiam poſt confirmationem. Cæleſtinus III. ad Epiſcopum Parmen. reſcribit *in cap. bona memoria*, electionem Archipresbyteri, quamuis ſit vir probatæ vitæ, eſſe caſſandam, quia *inuentus eſt N. fuiſſe contemptus, licet vnus ſolus extiterit; cùm plus in talibus conſueuerit contemptus vnius obeſſe, quam multorum contradictio in præſenti*.

Ex verbis itaque text. *cap. bona mem.* §. *electionem autem*, ex text. *cap. in Geneſi* §. *Nos his*, *tit. de elect.* adiunctis verbis Gloſſ. vtrobique duo clare, & euidenter eliciuntur: Primũ eſt, quod ſi quis euadat electus, ex vi vnius, vel multorum vocalium qui contempti fuere, electio debet declarari nulla, quia non cenſetur facta à maiori parte legitimè vocalium; qui omnes conuocandi erant ad electionem, iuxta formam traditam in Concil. Lateranen. ſub Innocentio III. vti, ſi vota eligẽtium fuerint duodecim, & aliquis ſit electus à ſeptem vocalibus, quia præſentes tantum in electione fuerunt vndecim vocales, & duodecimus non fuit vocatus, ſed vere contemptus; propter contemptum illius duodecimi, electio non cenſetur facta à maiori parte eorum qui legitime poterant, & debebant intereſſe electioni, iuxta diſpoſitionem *cap. quia propter eod. tit. de elect.* Secundum vero eſt, quòd ſi vocales præſentes eligẽtes aliquem in Priorem, vel Abbatem, fuerint numero viginti, & vnus legitimus vocalis fuerit cõtemptus; licet electio celebrata ab illis viginti, ſit rata, & bona, ſi tamen ille vocalis contemptus (etſi vnus tantum ſit) inſtiterit pro caſſatione ſupradictæ electionis, etiam poſt confirmationem, electio venit caſſanda, & iam confirmatus deponendus eſt à ſuo munere, *cap. ſupracitat. bona mem.* §. *tum quia*; dato etiam quod perſona electa ſit laudabilis, & digna.

26 Electio, in qua eligitur † non inſtructus in Regula, & Conſtitutionibus ſui Ordinis, venit caſſanda: graue eſt enim vt quis ſit aliorum Magiſter, antequam fuerit diſcipulus: *cap. officij eod. tit.* ex decretis Clementis VIII.

27 Electio, in qua eligitur † quis per abuſum, ſiue per fauorem poteſtatis ſæcularis, eſt nulla; immo electus efficitur ineligibilis ſimpliciter, itaut abſque diſpẽſatione Sedis Apoſtolicæ ad aliquam dignitatem eligi non poſſit: cap. quiſquis, & cap. Meſſana, tit. de elect. & gloſſa ibid. & Abbas, cap. quiſquis nu. 1. ac alij.

28 Si Papa præcipiat † vocalibus habentibus eligere Prælatum, quod eligant ipſum de conſilio aliquorum, id eſt, præuio illorum tractatu, & conſilio, vt eo mediante poſſint per rationes trahi electores ad electionem maturius faciẽdam; licet tale conſilium quando non ponitur pro conſenſu, non ſit de neceſſitate ſequendum: attamen ante dictum conſilium, ne videatur deluſorie indictum, non eſt rationabile procedere ad electionem, niſi expectato tempore congruo dicto conſilio: quod tempus congruum relinquitur arbitrio iudicis; & talis electio aliter facta, non tenet, *cap. cùm in veteri*; *tit. de elect.* Abbas *nu.* 8. 10. *&* 13. Gloſſ. *ibidem*.

29 Si eligatur in † Ordine Prædicatorum iterum in Priorem, ille qui fuerat ſufficienter electus, vel poſtulatus in alio ſcrutinio caſſato à Prouinciali de conſilio Pa-

lio Patrum, iuſtis de cauſis, ſine noua rehabilitatione, talis ſecunda electio eſt irrita, & nulla, *cap. de electione Prioris Conuentualis, text. 3.* & clarius in eiuſdem textus declaratione, in Capitulo Generali apud Montem Peſſulanum 1271. & in Capitulo Generali Florentiæ 1272. conformiter *ad cap. ſuper eo, de electione;* præſertim quando electio caſſatur ob defectum perſonæ. nam in dicto cap. expreſsè dicitur quod ſi
30 caſſetur ob non † ſeruatum modum electionis, nihil obeſt quin poſſit in eadem vel aliena Eccleſia, & proportionaliter in eodem vel alieno Conuentu iterum reeligi. Ex quibus colligi poteſt quod non ſit in libera poteſtate confirmatoris abſque legitima, & reali cauſa caſſare ad arbitrium electionem; & ſi fiat, abſque rationabili cauſa, in rigore non remanet inhabilis nominatus, ſiue nominati in primo ſcrutinio. Et hoc modo exponi debet Ordinatio facta in Religione Prædicatorum, de qua ſupra, cùm ſubijciatur neceſſario diſpoſitioni iuris cõmunis, & ab illo patiatur expoſitionem: alias eſſet non recta, & contra diſpoſitionem iuris communis, contra quam nulla Religio poteſt condere Statutum, ſiue Ordinem vim legis habentem, ſine ſpeciali facultate S. Sedis Apoſtolicæ, vt latius demõſtratum eſt cap. 1. huius tractatus ad initium; hac tamen ſeruata conditione, vt quando caſſanda eſt electio vitio aliquo perſonæ, illud vitium ſiue delictum debeat non ſolum eſſe obiectum, ſed etiam probatum, vti animaduertit gloſſa *in dicto cap. ſuper eo* ad illa verba, *non vitio perſonæ,* &c.

31 Electio non † vitiatur ob defectum occultum vnius, vel aliquorum ex electoribus. Nauar. *tit. de elect. conſ. 9. nu. 1.* Aliqui excipiunt caſum excommunicationis maioris latæ ſententiæ, prout explicatur inferius cap. 5. num. 18.

Electio igitur omnis facta contra formam expreſſam in antecedenti Capitulo, aliquo ſcilicet eorum quæ pertinent ad formam ommiſſo, irritatur, & annullatur, ſiue irritari debet ad minus per ſententiam Superioris, *cap. Cumana tit. de elect.* Hoſtien. & Archid. *ibid.* In aliquibus vero caſibus eſt ipſo iure nulla. Immo Panor. Compoſtell. Innoc. & communiter Doctor. tradunt ſecundum veriorem ſentẽtiam, quod ſi omittatur aliquid de pertinentibus ad formam eſſentialem electionis canonicæ, talis electio, ipſo iure ſemper eſt nulla.
32 Vnde quando dicitur † quod *electio non valeat,* per iſta verba inducitur nullitas ipſo facto. Ita tradunt Doctores, *vbi ſupra.*

Diſtinguẽdum tamẽ remanet quoad
33 † priuationis pœnam, contra eligentes: nam gloſſa *in cap. Cumana, tit. de elect.* ait: *Si electores peccant in materia,* id eſt in perſona electa, *eligentes ſcienter indignum, ſunt priuati ipſo facto, iure eligendi, pro prima vice ſequenti:* Immo Doctores *in cap. Cumana,* & *cap. ſimiliter,* docent defectum omnem prouenientem ex omiſſione alicuius attinentis ad formam eſſentialem electionis ſtatutam *in cap. quia propter,* ſtatim, & illico, inducere nullitatem, ipſo facto actus electionis; & ſunt etiam puniendi electores omittentes vt ſupra. Hoc idem traditur *in cap. cum in veteri, §. aliàs electio non tenet;* nam inquiunt Doctores, quod *actus geſtus contra formam mandati eſt ipſo iure nullus, cap. cum dilecta, de reſcript.* & gloſſ. *ibid.* Hoc idem inſinuatur *in cap. in Geneſi, §. irrita eſt electio, de elect.* vbi Doctores paſſim aſſirmant quę ſequuntur immediatè: *Quoniam defectus formæ reddit actum nullum ipſo facto.* Silueſter *verb. Electio 2. nu. 13.* ait: *Verius eſt quod in omnibus prædictis pertinentibus ſcilicet ad formam electionis relatam in cap. quia propter, vt tenet In-*

noc.

noc. Compoſtell. Panorm. & communiter Doctores, inducitur nullitas ipſo facto. Extat deciſio Sabinen. penſionis *coram Illuſtriſſimo Domino Mantica, die luna 14. Decemb.* 1594. in qua *nu.* 2. dicitur, quod *non obſeruatio forma reddit actum nullum*. Nota quod quando agitur de nullitate actus, ligat etiam ignorantes; *cap. dudum, cap. penult. de prabendis*; & ita habetur latius in deciſione *coram eodem Mantica, in Valuenſi, ſeu Sulmonen. Prioratus, luna 3. Iulij 1589. nu. 4. & 5.* vbi citat alios text. multorumque Doctorum conſilia, & alias deciſiones ad idem tendentes, per cap. cum in cunctis, de elect.

Si vero peccant contra formam, non tamen contra ſubſtantialia electionis, non ſunt ipſo iure priuati, vt in primo caſu, ſed veniunt priuandi per ſententiam Superioris, ſeruato ordine iuris, vt *in cap. quia propter*, & Panormit. ibid. *In quibus caſibus*, vt inquit Silueſter, tit. de electione 2. nu. 13. circa finem, *multi viri perfecti defecerunt, practicam iuris ignorantes*: & addit ſequentia. *In Ordine tamen Prædicatorum traditur certa forma, in qua etiam non omnia ſunt ſubſtantialia; vt quod habens primam vocem in electione, Decretum electionis formet, & alia iuris ſubtilitates reſecantur*. Conſideranda ſunt prędicta verba, quæ inſinuãt, quod ſubſtantialia iuris ſunt obſeruanda in omnibus electionibus, etiam in Ordine Prædicatorum, licet ſubtilitates in iure expreſſæ, ad ſolam ſolemnitatem, & ornatum attinentes, poſſint omitti, vti quod publicatio ſcrutinij fiat ad ſonum campanæ, & ſimilia, &c.

Circa oppoſitiones quæ fiunt circa electionem celebratam, in qua aliquis eſt electus à maiori parte; licet illæ quæ reſpiciunt defectus reales, & manifeſtos ex parte formæ ſubſtantialis non ſeruatæ, ſint ponderandæ, vt patet in caſibus ſupra explicatis: attamen illæ oppoſitiones quę fiunt propter defectus, & vitia perſonæ electæ, dummodo ſint tales defectus ſufficienter probati, egent ſine dubio maiori conſideratione, & diſcuſſione: nã defectus perſonales damna maiora de ſui natura inferre poſſunt, & in dies de facto inferunt Eccleſijs, Conuentibus, & perſonis, quibus habentes talia vitia præſunt. Hoc enim experientia rerum magiſtra liquido docet. Id etiam aſſerunt communiter Doctores, & maximè Geminian. *in cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* Quod ſtrictè præcipitur obſeruari in Ordine Prædicatorum in declaratione *text. 3. ſub littera, I, cap. de electione Prioris Conuentualis*, vbi dicitur quod *non confirmetur electus etiam vnanimiter, qui non eſt bonorum morum, ac ſufficientia, & qui non eſt reuera daturus operam efficacem honeſtati, ac reformationi Ordinis*.

34 Electio facta à maiori parte, † non ſimpliciter reſpectu omnium vocalium præſentium, ſed ſolum, & tantũ, dicitur maior pars in ordine ad alias duas partes vocalium præſentium: nam cùm poſſint diuidi in tres partes omnes electores præſentes, ſi quis euadat electus ab illa maiori parte non ſimpliciter totius Collegij, ſed maiori reſpectiuè ad duas alias partes minores; tunc nullus eſt legitimè electus, propter ſuperius pluries dicta, quod omnis electio canonica debet eſſe à maiori parte vltra medietatem omnium vocalium præſentium electorum; non enim ſufficit à maiori parte reſpectiuè ad alias duas, vel plures partes: nam poteſtas Capituli electorum reſidet de ſui natura apud totum Capitulum: licet ex permiſſione iuris, ad tollendam difficultatem, vt omnes conueniant in vnam ſententiam, & ad facilitandam negotiorum expeditionem, fuerit introductum, vt apud maiorem

partem Capituli ſeruetur poteſtas eligẽdi; vnde non ſufficit minor, neque æqualis pars, modo iam dicto. *cap. Eccleſiam, & cap. auditis, de elect.* Doctores, *ibid.* & in *cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte.* Et in Ordine Prædicatorum ſimiliter habetur, quòd illæ tantum electiones ſunt cenſendæ canonicæ, quæ fiunt ab omnibus, vel à maiori parte legitimorũ electorum, *in declaratione text.* 2. *cap. de electione Prioris Conuentualis, ſub littera, E.*

35 Electio celebrata contra † priuilegia Eccleſiæ, Collegij, vel Conuentus, à Sede Apoſtolica conceſſa, etiamſi ſit canonicè facta, caſſanda tamen venit, vt ſuperius dictum eſt in hoc Capitulo, propter rationes ibidem aſſignatas, & propter auctoritatem Panorm. & aliorum grauiſſimorum Doctorum, *in cap. conſiderauimus:* nam attentatum contra ius commune, regulariter eſt ipſo iure nullum: *cap. vide* 10. *diſt.* & *l. non dubium, C. de legibus;* Attentatum vero contra priuilegia licet ſit caſſandum, attamen ipſo iure non eſt nullum: *cap. priuilegia, diſt.* 3.

36 Electio facienda † de digno, & certo gremio, ſiue natione, introducta ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine approbata, ſi aliter fiat, eſt inualida; *cap. cum dilectus, tit. de conſuetud.* Petrus de Baiſio *in Director. elect. cap.* 4. vbi citat multos alios canones; & grauiſſimos Doctores; dummodo tamen eligatur dignus.

37 Eligendus in Ordine † Prædicatorum electione canonica, debet habere 12. annos à Profeſſione; in multis Capitulis Generalibus, & vltimo Pariſijs 1611. confirmatur *confirmatione* 4. & debet eſſe duodecimus annus completus; & ſi arctior ſit conſuetudo in aliqua Prouincia, illa ſeruari debet.

In Conuentu S. Dominici de Taurino, facta fuit electio Prioris, 1619. de Menſe Septembris. Erant vocales numero vigintiduo; vnus renunciauit, vndecim elegerunt præſentem de numero eligentium; quatuor eundem poſtulauerunt. Fuit delatus caſus ad Superiores Religionis, qui habito maturo conſilio Patrum grauiorum, Romæ congregato; conformiter ad declarationes Capitulorum Generalium, decreuerunt nullam extitiſſe electionem: quia quando eligitur præſens, debet habere duo vota vltra medietatem eligentium, ad tollendas omnes fraudes.

Et ad illud de poſtulationibus, quæ conuertuntur in electionibus, fuit ſapienter reſponſum, hoc eſſe intelligendum conformiter dicti Ord. Conſtitutiones: quando quis eſt ſufficienter electus, tunc poſtulationes tranſeunt in electiones; vt latius demonſtratum eſt cap. 2. de poſtulatione. Vnde nullus cenſetur verè electus, niſi habeat ſufficientes electiones, id eſt vltra medietatem ad minus, ſi non ſit preſens. Quemadmodum etiam poſtulatus, niſi ex vi poſtulationum extiterit ſufficienter nominatus in ſcrutinio, non cenſetur verè poſtulatus.

Abſens debet habere vnum votum vltra medietatem, quemadmodum & præſens de corpore Capituli duo vota vltra medietatem, tam in electione, quam in poſtulatione. Et hoc eſt adeo ratum, & certum, maximè de poſtulationibus, vt contrarium nullatenus poſſit admitti, vti demonſtratum eſt cap. 2. ex verbis Alexandri IV. & ſecundum diſpoſitionem iuris communis, nullus cenſetur in rigore vere poſtulatus, ita ut poſtulatio ipſius non poſſit ritè reijci, qui in poſtulatione non fuerit nominatus à duabus partibus ex tribus, *cap. poſtulationem, & cap. bonæ tit. de poſtulatione.* Idem tradit Andreas Molfeſius, 1. *par. ſuæ ſummæ moral. ſiue caſuum, tract.* 6. *de beneficijs, cap.* 6. *nu.* 17.

Ex Or-

Ex Ordinationibus auctoritate Apoſtolica confirmatis ab Illuſtriſſimo Cardinali Alexandrino, tunc Protectore Ordinis Prædicatorum, pro Prouincia Romana, & Lombardiæ eiuſdem Ordinis, hæc vna eſt.

Ne ex grauiorum Patrum penuria, multis Conuētibus perquamdifficile de Prioribus prouideri poſſe contingat, cùm certè omnium domorum Præfectos, & ætatis maturitate, & morum, prudentiaque ſingulari præſtantia præfulgere maximè deceret: Statuimus
38 † *vt nullus Frater eligi poſſit, electusue, aut poſtulatus confirmari in Priorem cuiuſcumque Conuentus, cui Sanctimonialium cura quouis modo annexa ſit, qui quadrageſimum annum ætatis ſuæ, & 20. ab habitus receptione non expleuerit.*

Quæritur an eligentes aliquem contra diſpoſitionem prædictæ ordinationis, dicantur eligere inhabilem, & an electio ſit valida; & an pariter ante electionem requiratur diſpenſatio ordinationis de qua ſupra.

Reſpondetur, quod cum in ſupradicta Ordinatione Apoſtolica authoritate confirmata, ſtatuatur vt nullus Frater poſſit eligi, aut electus vel poſtulatus confirmari in Priorem, qui 40. annum ætatis, & 20. ab habitus receptione non expleuerit; non eſt dubitandum, quin ab eadem Ordinatione ad Prioratum inhabiles reddantur illi Fratres, in quibus hæ duæ qualitates ſimul non concurrunt; eo quod incluſio eorum in quibus cadunt hæ duæ qualitates, eſt excluſio eorum qui harum qualitatum non ſunt capaces. cap. nonne, de præſumpt. & quia conſtitutio, incipiendo à negatiua, dicit quod *nullus eligi poſſit*, qui non habeat prædictas qualitates, excludit manifeſtè ab electione alios; & eos proinde reddit inhabiles, ac incapaces vt ritè eligi poſſint.

Amplius hic modus loquendi, quod *nullus Frater eligi poſſit*, continet negati-
39 uam præpoſitam, verbo *poteſt*, quæ † inducit neceſſitatem præciſam, denegatq. omnimodam potentiam; inducit formam electionis, & reddit actum in contrarium factum, ipſo iure nullum, Gloſſ. *in cap. 1. verſic. non poteſt de Regulis iuris in 6.* Doctores *in l. 1. in principio* vbi Iaſ. *num. 2. ff. de verb. oblig.* & *in l. Gall. in 1. num. 7. ff. de liber. & poſthum.* quæ inductio neceſſitatis, & formæ, & denegatio omnis potentiæ, & annullatio actus contrarij, manifeſtè oſtendit alios Fratres non habentes dictas qualitates, eſſe prorſus inhabiles nec poſſe eligi.

Ex quo etiam neceſſario ſequitur vt electio facta contra hanc formam, ſit inualida, quemadmodum inualidus eſt actus, quando non ſeruatur forma, *cap. cum dilecta*, & *ibi* Felin. *col. 12. de reſcript. cap. Piſanus, de reſtit. ſpoliat.* & *cap. venerab. de offic. deleg.* Sequitur etiam vt non aliter poſſit inhabilis eligi, niſi prius diſpenſetur ſuper præfata ordinatione.

Neceſſitatem præmittendi diſpenſationem ad actum electionis docuit Honorius III. *cap. etſi vnanimiter, de poſtulat. Prælat.* vbi nullam declarat electionem factam à Capitulo Calaritano in perſonam actualis Epiſcopi Sutrinen. antequã diſpenſaretur per Sedem Apoſtolicam; addens quod poterat tantum poſtulari, ſed non eligi, ſine præuia diſpenſatione: ideò nullam declarauit electionem ſecutam in perſona Epiſcopi Sutrinen. Et eo magis ſupradicta corroborantur ex illa receptiſſima iuris re-
40 gula: *Vbi † lex prohibet ſubſtantiam actus, tunc ſola prohibitio ſufficit ad inualidandum actum, etiamſi lex ſpecialiter non dixerit inutile eſſe debere quod geſtum erit:* cap. quæ contra de regul. iuris lib. 6. l. non dubium, §. ad omnes, C. de leg. ibique Bald. nu. 15. ver. Petrus dixit.

Iacob. Simanca, Epiſcopus Pacenſis,

de Catholicis inſtitutionibus, tit. 40. de matrim. num. 22. inter alia adducit, tamquam communiter admiſſum ab omnibus: *Quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habentur, licet Legiſlator prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, Inutile eſſe debere quod factum eſt. Nam legiſlatori, quod fieri non vult, tantum prohibuiſſe ſufficit; cetera quaſi expreſſa, ex legis licet voluntate colligere. l. non dubium, C. de legibus.* Et paulò ſuperius *eodem nu. 22.* inquit: *Quod ſi quis dicat, multa prohibentur, quæ facta valent: huic equidem obiecerim iuris regulam, prorſus cõtrariam: lex enim dicit. Quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licet legiſlator fieri prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere quod factum eſt; ſed & quod fuerit ſubſecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum eſt, iſtud quoque caſſum, & inutile eſſe præcipimus.*

41 Electio facta per † renunciationem Prioris, in qua præſumitur rationabiliter fraus, & dolus ex parte renunciantis, ſiue dantis licentiam renunciandi, vel ex parte electorum; vt accidit quando Prior iam diſpoſito Conuentu de vocalibus ad effectum eligendi hunc, vel illum ſingulariter ad ſui voluntatem, tunc officium Prioratus renunciat; eo caſu electio debet declarari nulla, & irrita, cum contra illam iura communia, & particularia, in materia electionis edita, clament, electionem ſcilicet eſſe irritam, & nullam, in qua præſupponitur dolus, fraus, ſiue coactio, prout in prænominata.

Quamobrem die 20. Februarij 1620, fuit per grauiores Patres ſapienter reſolutum, electionem factam in Conuentu N. Prouinciæ N. Ordinis Prædicatorum, ob renunciationem Patris Fr. N, eo quod nonnullæ apparebant fraudes, & ad electionẽ fuerat admiſſus aſsignatus de nouo in eodem Conuentu, intra menſem præcedentem immediatè ſubſequutam electionem; à qua fuit etiam excluſus alius vocalis, aſsignatus extra præfatum Conuentum, intra menſem, qui ſcilicet non fuit vocatus. Nam iuxta diſpoſitionem Decreti Clementis VIII. de non faciendis aſſignationibus, ſiue remotionibus intra duos menſes ante electionem; qui aliter aſſignantur extra, debent vocari ad electionem; & qui aſſignantur intra, carent voce, donec Prior fuerit confirmatus.

Et licet ad fauorem præfatæ electionis, in qua electus, ex ſeptem habuit quatuor vota tantum, adduceretur Decretum præfatum, dicendo, neque Ordinationem Capituli Pariſien. 1611. habere locum in caſu prædicto; cùm poſsit præſumi, quòd fuerit caſualis remotio facta, & noua aſsignatio.

Huic meritò fuit per omnes reſponſum, quod ex narratis apparebat fraus, & dolus: ideò hoc ſufficit. Secundò, quòd cùm excipiatur in Actis Capitulorum Generalium ſolum, & tantum caſus mortis, vbi pro ratione adducitur, quia in illo (mortis videlicet caſu) nulla ordinariè præſumitur fraus: Ideò, cum ſecundùm Iuriſtas, exceptio firmet regulam, omnes alij caſus ab illo, excepto illo caſu mortis, veniunt comprehenſi in decreto, & ordinationibus, de quibus ſupra: Ideò, &c.

Imò ſi in caſu mortis, ob longam ægritudinem interueniat aliqua fraus, ob doloſas aſsignationes Fratrum, ſiue remotiones ab eodem Conuentu factas, conſtito de fraude, talis electio ſubſequuta ex vi vocalium de nouo aſsignatorum, nulla eſt declaranda.

Nam in Capitulo Generali Bononiæ 1564. *tit. admonitiones, num. vlt.* admonentur Prouinciales, vt in Conuenti-

bus, in quibus celebrandæ ſunt electiones Priorum, etiamſi Priori vnus menſis ſuperſit ſui officij, maximè abſtineant à mutationibus Fratrum, exceptis tamen caſibus in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum expreſsis. Et ſubdit rationem huius per ſequentia verba: *Ne propter hoc eligentium libertati aliquod præiudicium fieri videatur*. Quoties igitur fit præiudicium libertati eligētium, electio eſt ad minus annullanda.

Et in Capit. Generali Veneto 1592. *tit. declarationes, num.* 7. habentur infraſcripta: *Declaramus in declaratione 5. præcedentis Capituli Romani 1589. vbi dicitur: Niſi de aſſignatione ipſa Prælato, &c. reuera ante menſem conſtiterit, immediatè ſubſequi debere hæc verba: Excipitur caſus mortis ipſius Prioris, quando iam nulla fraus præſumi poteſt*. Quæ verba ritè, & rectè conſiderata, prohibent mutationes fieri, in caſu etiam mortis, quando aliqua fraus poteſt præſumi, vel ex parte Prouinciali, vel ex parte Vocalium. Vnde elicitur regula generalis ſequentis tenoris: *Quotieſcumque in mutationibus Fratrum factis ante duos menſes electionis, poteſt præſumi aliqua fraus, habendæ ſunt tales mutationes tanquam nullæ, & irritæ in ordine ad futuram electionem*. Intellige aſſignationes, tam intra, quàm extra Conuentum in ordine ad futuram electionem celebrandam intra duos menſes, proximè, & immediatè futuros.

Cùm enim in ſupradictis caſibus lædatur libertas electionis per fraudem, neceſſario ab omni canonica electione depellendam; quoties rationabiliter timeri poteſt de fraude inferente aliquod præiudicium libertati eligentium, talis electio omnis, iuſtè poterit declarari nulla, ac irrita. Quod inſinuant nedum antecedentia, verum & ſequentia.

Inſuper, cùm in electionibus canonicis agatur de exercēda poteſtate iuriſdictionis, etiam circa Sacramentorum adminiſtrationē, iuxta communem Theologorum ſententiam, tenemur opinione probabili relicta, probabiliorem, ac tutiorem amplecti. Quare ſecurius fuit in caſu prædicti Prioratus reſolutum, & per Reuerendiſſimum Magiſtrum Generalem approbatum, vt iterum ſeruatis ſeruandis procederetur ad nouam electionem, declarata priori ob inſinuatas rationes irrita, & nulla; dummodo conſtaret de veritate facti, ac eorū quæ exponebantur de fraudibus, ac dolis.

Electio canonica, in qua quis de corpore Capituli, ſiue de numero eligentium, eligitur in Priorem alicuius Conuentus in Ordine Prædicatorum, ex vi renūciationis ſuę vocis, talis electio irrita eſt, ex Declarationibus Capitulorum Generalium Romæ 1571. Barchinon. 1574. confirmatione 14. iterum Romæ 1580.

Quamobrem in Congregatione N. dicti Ordinis, cùm eſſet electus in Priorem vnius Conuentus, vnus de numero eligentium, hoc modo: Nam cùm eſſent octo vota, vnus illorum renuntiauit (& fortè abſque fraude) votum, remanſeruntque ſeptem electores, ex quibus quinque, illum qui renunciauit elegerunt: Re delata ad Reuerendiſſimum Patrem Generalem, de conſilio grauiſſimorum Patrum reſoluit præfatam electionem fuiſſe irritam: nam niſi renunciaſſet ille electus, cùm eſſet de numero electorum, iuxta ordinata in Capitulo Generali Bononiæ 1564. debebat habere duo vota vltra medietatē; vnde ex octo, debebat habere ſex, vt ritè eſſet electus: Euidenter enim conſtat, quod fuit electus à quinque ex ſeptem, ſufficienter quidē, ſed ex vi ſuæ renunciationis. Ideò præfata electio fuit iudicata nulla die 19. Martij 1620. Quòd

Digitized by Google

totum fuit denunciatum Patribus Congregationis N. propter citatas ſuperius declarationes Capitulorum Generalium, vt procederent ad aliam electionem.

Ex verbis *cap. in Geneſi, tit. de elect. §. nos his;* clare habetur omnem electionem canonicam, nullam, & irritam eſſe, in qua quis euadit electus à maiori parte vltra medietatem, ex vi vnius vocalis non legitimi, ſed malè admiſſi. Nam hic defectus eſt contra formam eſſentialem electionis, quæ eſt, vt electio fiat *à maiori parte legitimè vocalium*, vt patet *in cap. quia propter*, vbi traditur pro forma electionis, *vt fiat à maiori parte Capituli;* nam quę contra ius fiunt, pro infectis haberi debent, *cap. quæ contra, de regulis iuris*.

Sed quoniam poſſet ſuboriri dubium an conſimiles electiones ſint nullæ ipſo iure, vel per ſententiam ſint tantum annullandæ, vt notat Gloſſ. *in l. non dubium, C. de legibus;* ideo ad maiorem declarationem, vbi prohibita ſunt valdè enormia, apponitur clauſula irritans, *ipſo facto*, abſque alia ſententia, vt notatur ſupra *in cap. licet Canon.* & Gloſſ. *in d. cap. quæ contra*.

42 Electio facta cõtempta maiori † parte electorum, adeò nulla, & irrita eſt, vt non poſſit ratificari; ad differentiam illius electionis, quæ fit à maiori parte, contemptis ſolum aliquibus, quæ poteſt ratificari conſenſu, & approbatione paucorum contemptorum. *cap. auditis, tit. de elect. §. electio per minorem partem:* Butr. *ibid. num.* 1. Et huius ratio aſſignari ſolet, quia electio debet fieri in communi, & collegialiter, non autem ſingulariter: vnde conſenſus particularis ſuperueniens, non poteſt validare electionem nullam; imò ſi cuncti de Capitulo præſtarent, ſingulariter conſenſum, & votum ſuum, non propter hoc reſultaret communis, & legitima electio, Butr. *vbi ſupra num.* 18.

43 Electio de † ſe non valida, non poteſt validari ex ſuperuenientia poteſtatis, ſi ab initio fuerit nulla; & maximè contra formam ſtatutam in iure; quia forma eſt, quæ dat eſſe rei. *l. Iulianus, § ſed & ſi quis, ff. ad exhib.* Butr. *in cap. congregato, num.* 6. §. *non obſtat contrarium*. Innoc. III. *in cap. quod ſicut, tit. de elect.* Io. Andr. Felinus, & alij tradunt, quoties in electione concurrunt requiſita eſſentialia, quæ dicũtur eſſe iuris naturalis, vt perſona electa ſit digna, electio fuerit facta ſine fraude, & fuerint obſeruata alia requiſita ſubſtantialia; vel iuris cõmunis, vel requiſita ordinata per Concil. Trident. licet deficerent aliqua requiſita accidentalia, electio eſſet ſuſtinenda; ſecus autem ſi deficiant requiſita eſſentialia.

Fuit aliquando diſcuſſum Romæ in-
44 ter † Iuriſtas, & Canoniſtas, 1618. An vocales Conuentus N. Ord. Prædicatorum eſſent priuati voca actiua, eo quia elegerunt in Priorem, non habentem requiſita, iuxta tenorem Ordin. 3. Cardinalis Alexandrini, de quibus ſupra. Et fuit ſapienter concluſum; Primò, talem electionem nõ eſſe ſuſtinendam, conformiter ad textum *in cap. congregato, tit. de electione, & electi poteſtate*. Pro qua reſolutione extat deciſio Cardinalis Seraphini *num.* 5. Secundò, non eſſe priuatos, nec priuandos voce actiua electores, nec per conſequens eſſe deuolutam electionem ad Prouincialem; cùm lex expreſſa in præcitata Ordinatione, non imponat hanc pœnam, iuxta diſpoſitionem *cap. final.* & ibi gloſſ. *de iure patron.* Item inſinuat gloſſa *in cap. Apoſtolus*, 80. Bernard. Diaz *in ſua praxi criminali, cap.* 131. *ſub tit. beneficio puero. num.* 2. Et in terminis electionis idem videtur tenere Abbas, *in cap. cum in cunctis*,

ctis, §. *finali*; quem ibi ſequitur etiam Dec. *de electione*; Et cùm ſimus in pœnalibus, ſtrictiſſima eſt facienda interpretatio.

Qui fuit ſchiſmaticus, cum de iure remaneat ineligibilis, niſi præcedat diſpenſatio Apoſtolica, electio eſt nulla; Io. de Anania, *cap. quia diligentia, tit. de elect. nu.* 1. *&* 2.

45 Electio, quæ dicitur † nulla propter defectum ſolemnitatis iuris poſitiui, poteſt confirmari ab habente authoritatem diſpenſandi ſuper illis defectibus. Secus autem eſt, ſi deſit conſenſus maioris partis, Innoc. Ioan. Andr. Imol. & Ioan. de Anan. *in cap. quod ſicut, tit. de elect. nu.* 7.

Electio facta de crimino ſo, non eſt ipſo iure nulla; ſed venit annullanda, Ioan. Andr. & alij *in cap. auditis, de elect.* Io. de Anan. *ibid. num.* 3. Imò Io. de Imol. *vbi ſupra*, inquit quòd ex quo textus *cap. cum in cunctis* prohibet criminoſum eligi, electio illius eſt nulla.

Antonius de Butr. *in cap. illa quotidiana, nu.* 15. *de elect.* proponit, ac etiam

46 † reſoluit difficultatem de electione celebrata cum admixtione excommunicatorum, & ſuſpenſorum, per ſequentes propoſitiones; I. Quando excommunicati admittuntur ſcienter ab omnibus, electio non valet, 2. *q.* 1. *cap. fin.* & *cap. nos in hominem*, Gloſſa *de elect.* II. Excommunicati, ſiue ſuſpenſi, admiſſi ſcienter, nolentes eos repellere de iure, quia ſunt excommunicati, tunc valet electio; dummodo alij electores non excommunicati, neque ſuſpenſi, declarent publicè, quod ſecum non intendunt coeligere, & quòd ſuis tantum volunt electionibus inniti, proteſtando de hoc in forma, &c. Innoc. *in cap. cum dilectus*, & *cap. cum Vintonien. de elect.*

III. Admittentes ſupradictos, ſcienter quidem, eo quia non valent eos repellere de facto, quia ſunt potentes, dummodo publicè proteſtentur nolle cum eis eligere, tunc electio valet.

IV. Si vero eoſdem admittant ſcienter, valentes eos repellere, quia ſunt publicè excommunicati, electio non valet, etiamſi excommunicati eligant vnū, & non excommunicati eligant alium: quia vna eſt tela electionis, & vna coelectio, licet diuerſi ſint coelectores, & diuerſi actus eligendi.

Hæc omnia procedunt etiam ſi ab initio fuerint ignoranter admiſſi, & poſtea in ſucceſſu electionis certificatis illis de Capitulo, eos ſcienter admittant; quia tunc ſe declarant quod volunt cum eis eligere.

V. Quando verò admittuntur omnibus ignorantibus, tunc electio valet. Si autē excommunicati eligunt vnum, & non excommunicati eligunt alium, planum eſt quod valet electio facta ab illis qui non ſunt excommunicati; cùm apud illos reſideat poteſtas eligendi, *cap. congregato*, & *cap. bona, de poſtulat. Prælat.* Si autem excommunicati, & non excommunicati concurrant in vnum, Innoc. tenet quod valet electio, etſi vnus ſolus ſit non excommunicatus inter illos, cùm apud illum tunc reſideat poteſtas eligendi.

VI. Dato quod maior pars vocalium, ſcienter coeligat cum excommunicatis, electio non valet, quia intendunt coeligere ſecum; non tamen ſunt priuati ex hoc poteſtate eligendi; nec adhuc tranſlata eſt ad minorem partem: ideo nō valet electio facta à maiori parte, propter mixturā excommunicatorū; nec facta à minori, propter defectum minoritatis Capituli. Vocales etenim ex coelectione ſupradicta, non incurrunt maiorem excommunicationem, ſed minorem, quæ non priuat poteſtate eligendi. Quæ vera ſunt, niſi inſtaret ter-

ret terminus electionis, quia tunc valeret electio minoris ex deuolutione poteſtatis, propter imminentiam lapſus termini electionis.

Quandoque minor pars ſcienter admittit excõmunicatos, maior vero pars eoſdem admittit ignoranter; tunc valet electio maioris, quia videntur velle eligere, prout melius poſſunt, & minoris partis delictum non debet eis nocere.

Quando admittuntur excommunicati, aliquibus ſcientibus, & contradicentibus, vel ſaltem non conſentientibus, non tamen appellantibus, alijs vero ignorantibus; valet electio facta in perſona habili, dum tamen ſcientes non conſenſerint expreſsè excommunicato.

Et ſi dicatur eis imputandum, cùm poſſint excommunicatos repellere; & non repellant: Reſpondendũ eſt, quòd illis non imputatur, quia non eſt præſens Iudex coram quo poſſint hoc probare; cùm Capitulum in hoc non ſit iudex. Tutius tamen eſt, quòd proteſtentur, vel alia via declarent, quòd ſecum non intendunt coeligere, aſſignata cauſa in particulari, quia ſunt excommunicati, vel ſuſpenſi.

Tandem *num.* 17. quærit, quinam ſint illi qui verè dicantur inhabiles ad eligendum actiuè. Et reſpondet hos eſſe, excommunicatos, & ſuſpenſos, & illos qui ex delicto priuati à iure, vel ab homine inueniuntur; de quibus fit mentio *in cap. cùm in cunctis. cap. cùm Vintonien. cap. cùm dilectus*, quibus etiam adduntur iuxta diſpoſitionem *cap. Meſſana*, & *cap. ſacroſancta*, bigami, milites facti, vxorem ducentes, priuati canonicatu, vel loco ſuo.

47 Et *num.* 18. quærit quando † notoriè dicatur quis excommunicatus. Et poſt relatam ſententiam Compoſtel. dicentis, eſſe notoriè excommunicatum, qui à ſuo iudice eſt excommunicatus, intellige nominatim, vt in prædicatione, in Communione publica, vel in eccleſia, præcipuè in ſolemnibus Feſtiuitatibus, vel pronunciatiuè eſt condemnatus de excommunicatione, vel vitatur vt excommunicatus, vel qui in iudicio eſt confeſſus, vel quem conſtat per euidentiam rei, incidiſſe in canonem latæ ſententiæ, *cap. quæſitum, de rerum permut.* ſubdit, *& ſic dicit Innoc.* Superaddens, *notorium excommunicatum eſſe eum, quem iudex competens in præſentia Capituli, vbi de electione agitur, excommunicat*. Hæc ſummariè ex Butrio, quẽ multi ſequuntur, etſi non ſimpliciter, in omnibus ſaltem pro maiori parte.

Ex quibus vltimis verbis apertè conſtat, quod inſtante electione, imò in actu eiuſdem electionis, quis poteſt, (duce ſemper veritate) declarari excommunicatus. Ad quod reſpicientes Patres congregati in Capitulo Generali Romano Ordinis Prædicatorum, die 21. Maij 1589. declararunt, vt patet in Actis eiuſdem Capituli, *tit. declarationes, num.* 4. quod *nullus debet excludi à quacumque electione, prætextu alicuius criminis, vel delicti, niſi ſententialiter ſit antea condemnatus; & per ſententiam voce priuatus*. & ſtatim ſubdunt: *Quamuis ad electionem non debeat admitti ille, de quo manifeſtum eſt incidiſſe in excommunicationem latæ ſententiæ, etiam nulla alia declaratione ſubſequuta; cùm ſufficiat apertè conſtare commiſiſſe aliquid, per quod reuera ipſo facto in excommunicationem latæ ſententiæ inciderit*.

Singulare eſt, & in iure ſæpius expreſſum, ne in canonica electione, vllo 48 pacto admittatur † excommunicatus maiore excommunicatione, ſiue ſuſpenſus, atque priuatus voce actiua, neve cum regularibus eligant ſeculares, *cap. Meſſana*, & *cap. illa quotidiana*. Si vero admit-

admittatur non legitimè vocalis, vtpu-ta habens impedimentum impubertatis, vel aliud ſimile, ſuſtinetur electio, ſeruatis alijs de iure ſeruandis: quia ſeparatus eſt actus cuiuſlibet de Capitulo dantis vocem; ideò non vitiatur vtile per inutile, modo tamen explicando inferius in hoc cap. num. 64.

Optimum tamen eſt, quotieſcumque ſcitur, vel probabiliter dubitatur de inhabilitate alicuius vocalis, proteſtari publicè de illius excluſione, ſaltem in communi, palam oſtendendo nolle cum inhabili coeligere. Innoc. *in cap. illa quotidiana*. Io. de Imol. *ibid. num. 6.* & eſt Doctorum cōmunis ſententia. Etenim in dubio ſemper præſumitur contra eligentes. Imò Innoc. *vbi ſupra* expreſsè tenet, quòd ſi electores, ſaltem pro maiori parte, nulla proteſtatione facta, oſtendant velle coeligere, nedum cum excommunicato, aut ſuſpenſo, modo ſupradicto; verùm etiam cum vno, vel pluribus inhabilibus; electio veniat ad minus annullanda.

Animaduertūt etiam Doctores, præcipuè vero Io. de Imol. *cap. cùm Vintomien. num. 50.* quòd ſuſpenſus ab officio, vel beneficio, poteſt eligere, niſi fuerit per ſententiam voce priuatus.

Vniuerſaliter loquendo, non † valet conſequentia, electio eſt caſſanda, ergo non eſt bona, ſiue canonica. In caſu enim vnius vocalis verè contempti, eo inſtāte pro caſſatione celebratæ electionis, electio in qua fuit ipſe contemptus, venit neceſſario caſſanda, etiā poſt confirmationem, vt ſuperius dictum eſt: nihilominus prædicta electio, vt inquit Innoc. & alij, eſt bona, cùm fuerit celebrata à maiori parte vocalium; & omnis electio quantūmcumque bona, poteſt aliquando caſſari, propter defectum electi, vel aliud ſimile. Ita docent communiter omnes Canoniſtæ, præcipuè verò Innoc. cit. à Bellamer. *in cap. quod ſicut, tit. de elect. num. 31. & 32.*

Qui opponit electioni defectum formæ, vel de poteſtate electorum, ſiue de defectibus perſonæ electæ, vel aliud ſimile, tenetur probare quod opponit, *ff. de probat. l. ab ea parte, 2. reſp.* & *l. & qui*; Compoſtella, & alij citati à Bellamera *in d. cap. quod ſicut, nu. 40. & 46.*

50 Si duæ electiones † celebrantur eodem cōtextu temporis, itaut maior pars eligat indignum, minor vero dignum; In hoc caſu inquit Hoſtien. in Sum. *tit. de elect. nu. 34.* & *c. cùm in cunctis, de elect.* quòd ſi maior pars ſcienter deliquerit, eligendo indignū, electio minoris tunc erit ſuſtinenda: *præſupponitur tamen*, inquit ille, *contra maiorem partem, niſi probet ignorantiam*. Et hoc videtur conforme diſpoſitioni *cap. innotuit*: Bellamera *in cap. ſcriptum, tit. de elect. nu. 13.*

51 Electio celebrata à maiori † parte, antequam voce priuetur, contradicente minori parte, tenet, & eſt bona, niſi in contradictione interponatur appellatio in debita forma. Ita tradunt Innoc. Hoſtien. Io. And. & Archid. citati à Bellamera *in cap. quia propter, num. 13. tit. de electione*.

52 Celebrata electione † Prioris alicuius Conuentus à maiori parte vocalium, etiam contradicente minori parte, & opponente contra maiorem partem delicta concernentia excommunicationē, ſed ante electionem non rite, ac euidenter probata, ſiue non notoria; tranſmiſſoque iam ad Superiorem Prouinciæ, vel Religionis, decreto præfatæ electionis, antequam caſſetur prima electio, ſiue nulla declaretur à Superiore; non licet minori parti, (dato quod poſt celebratam electionem conſtiterit de oppoſitis delictis) procedere ad aliam electionem, & caſu quò procedat, illa ſecunda iudicari debet nulla, & irrita, vt patet

ſupra

ſupra hoc eodem cap. vbi citantur multi textus ſacrorum Canonum, & authoritates grauiorum Doctorum; in ſpecie autem Statutum Capituli Generalis Ordinis Prædicatorum, Romæ celebrati 1589. in quo ſtatuitur debere conſtare euidenter ante electionem, de illo qui dicitur incidiſſe in excommunicationē, vt rite excludatur ab electione. Hoc idem manifeſtius habetur infra in cap. 5 Tandem id apparet manifeſtum in Ordine Prædicatorum verbis declar. tex. 3. *cap. de electione Prioris Conuentualis, diſt. 2. ſub littera, L,* vbi dicitur. *Si verò Electores non caſſata prima electione alium elegerint, erit nulla, donec prima fuerit caſſata*. Non enim poſſunt Electores procedere ad ſecundam electionem, niſi caſſetur prima, licet ſit in cauſa caſſationis; ſed non euidenter nulla. Et aſſignat rationem ſui dicti, poſt citatos Panorm. Io. Andr. Gloſſ. & alios text. ſacrorum Canonum, Rodriq. *tom. 2. qq. Regular. q. 51. ar. 11. ad 3.* dum inquit; *Antequam nullitas actionis declaretur à Superiore, vt valida debet haberi, & iudicari*. Pro quo citat Doctores, *in cap. quod ſicut, & in cap. bona memoriæ tit. de electione*, Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect. cap. 5. nu. 1.* idem ſentit.

53 Iuxta tradita ſuperius † in hoc cap. veniunt etiam intelligenda ea quæ docent multi Theologi, præcipuè verò Suarez *in 3. par. D. Tho. tom. 5. de cenſuris, diſp. 14. ſect. 2. circa 3. punctum, nu. 17.* dum aſſerit eſſe ſententiam Canoniſtarum, illam electionem dici nullam, in qua conueniunt aliqui excommunicati, alijs contradicentibus; vel ſi excommunicati voluntariè admittuntur: vbi citat *cap. cum inter, de electione*, in quo cap. fit ſermo de admiſſione ſuſpenſorum: quæ electio caſſanda dicitur; id eſt caſſa declaranda, inquit Gloſſ. & Hoſtien. *ibid.* Et *nu. 18.* de ſuffragijs excommunicatorum, ait quod vocales non excommunicati poſſunt obijcere excommunicatis, de iure illos non debere concurrere ad electionem.

Electio celebrata à vocalibus, antequam illis conſtet legitimè, ac iuridicè de caſſatione præcedentis electionis, eſt nulla, *cap. cum terra, tit. de elect.* Panor. *ibid.* vbi addit, *niſi prima electio ſit notoriè nulla*. Et idem habetur in Conſtit. Ord. Prædicatorum, *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis*.

Electio pariter facta poſt appellationem, & prima iam celebrata ante appellationem nondum declarata irrita, & ſi ſit reuocabilis, dummodo tamen non ſit actu reuocata, ab habente authoritatem, dicitur adhuc perſiſtere. Ideò alia ſecunda celebrata modo dicto, id eſt poſt appellationem, venit annullanda; *cap. conſiderauimus tit. de elect.*

54 Caſſanda inſuper † venit electio illa, quę etſi ſolemniter fuit celebrata, electores nihilominus inter ſe, ſecretam per cōuentionem inter illos factam, ſiue per præceptum electoribus impoſitū à Præſidente electionis, eandem reticent, non publicando perſonam electam Conuētui, contra diſpoſitionem *cap. quia propter*, vt optimè animaduertit Silueſter, *tit. elect. 1. ad finem, §. 2.* Pro qua ſententia adducit nonnullos textus, & authoritates Archid. & aliorum.

55 Ex dictis ab eod. Silueſt. *vbi ſupra*, licet inferre quòd ſupradicta electio poſſit connumerari, ſaltem ſecundario, inter clandeſtinas electiones: cùm clandeſtina prioris ordinis illa dicatur, quæ in cameris poſt occulta conuenticula fit: Quæ clandeſtina electio, etiam ſecundi ordinis, iuxta diſpoſitionem *cap. quia propter, de elect.* nulla eſt atque irrita, vt optimè tradunt inter alios *in eod. cap.* Hoſtien. in expoſitione verborum, *§. electionis*, & Zabarella, *ibidem*, & Antonius

de Bu-

de Butrio, *eodem cap. nu.* 18. *&* 71. Vbi duo paſſim animaduertunt: primum eſt, quod clandeſtina electio illa dicitur, de qua ordinat Capitulum quod clandeſtina remaneat, & quod nihil de illa extra electoribus dicatur; pro qua citat Innocentium, & Compoſtellam: Niſi id fiat animo maligno electorum, vel ſcrutatorum nocendi electo. Secundum eſt continens Regulam generalem ſequentis tenoris; *Electiones clandeſtinæ non valent, ſed quamcito debent publicari.*

Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. electionum, cap.* 14. *nu.* 2. aſſerit quòd Simonia
55 † realis commiſſa cum vno ſolo electorum, nullam reddit electionem, *cap. nobis, de ſimon.* Panorm. & Felin. *ibidem.*

56 Metus impediens † omnimodam libertatem, vitiat adeo electionem, vt non poſſit confirmari; & talis electio, eſt contra ius naturale, ſecundum Innoc. *cap. quod ſicut de elect.* Ita tenet Bald. *l. his qui C. de his qui per metum iud.* Imò ſuperaddit Bald. quòd talem attentans confirmare electionem, potius confirmat diſſenſum, quam aſſenſum; quamplures Doctores ex gloſſa *in cap. bonæ memoriæ il* 1. *de electione, verb. Metuebant:* & Panorm. *ibid. nu.* 11. Et ratio horum ea eſt, quia in electione requiritur non ſolum conſenſus, ſed liber conſenſus; quem liberum conſenſum tollit metus, iuxta tradita à Panorm. *in cap. quiſquis, de elect. nu.* 5.

Ex diſpoſitione text. *cap. congregato de elect.* per reſcriptum Gregorij IX. Epiſcopo Siluanecten. directum in eodem cap. contentum, manifeſtè colli-
57 gitur, † qualiter eligentes indignum, etſi ſint in maiori numero, ita vt excedant medietatem eligentium, eorum electio eſt ipſo iure nulla; & à ſuo iure decidunt ſtatim completo actu electionis indigni: quo caſu ius eligendi reſidet ſolum apud alios Electores, etiamſi ſint in minori numero; & electio minoris partis facta de digno habetur pro rata, vnde poteſt confirmari. Quod clarius habetur in gloſſ. eiuſdem *cap. ſub littera, N,* ibi, *irrita:* Vbi verbatim inquit Gloſſ. *Irrita, ipſo iure, cap. cum in cunctis. Cùm indignam perſonam elegerint; vnde eligendi poteſtas remanſit penes alios, quamuis numero pauciores, cum primi eligendo talem* (ſcilicet indignum) *reddiderint ſe indignos. Vnde confirmatur hæc electio à minori parte celebrata, non obſtante priori electione.* Tandem concludit: *Et ita electio quæ nulla eſt, non præſtat impedimentum ſecundæ.* Hæc Gloſſ. de qua ſupra. Quæ omnia corroborantur ex relatis *in text. cap.* 2. *de poſtulat.* in *cap. cum in cunctis, & in cap. cum Vintonien. de elect.* adiuncta Gloſſ. eorundem textuum.

58 Electio Vſuratij †, ſicut & publici aleatoris, eſt ipſo iure nulla, licet poſſit Epiſcopus, vel Generalis cum aleatore iam correcto diſpenſare: Quare cauendum eſt ne eligatur ſine præuia diſpenſatione, Monald. *in ſua ſum. tit. de elect. cap. quando electio eſt nulla.*

Electio, in qua quis ante electionem de ſe faciẽdam præbuit aſſenſum, etiam requiſitus, ex iuſtitia caſſanda venit, *cap. cum poſt petitam, de elect.*

59 Electio facta † à vocalibus pendente appellatione, legitimè interpoſita ab vno, vel pluribus Electorum, de qua appellatione latiùs diſſeritur cap. 16. tamquam attentata, & nulla reuocari debet, regulariter, & ordinatiè loquendo iuxta diſpoſitionem *cap. non ſolum, de appell. in* 6. *l. ſi vnica*, §. *nihil innouari, appellatione interpoſita, ff. de appellat* & *cap. conſiderauimus, de elect.* In Ordine Prædicatorum præſertim habet locum diſpoſitio Decretalis *cap. conſiderauimus, de elect.* In quo cap. caſſatur electio celebrata poſt appellationem interpoſitam: præcipuè vero, quando contra diſpoſitio-

nem Conſtitutionum eiuſdem Ordinis, *cap. de elect. Prioris Conuentualis*, & *cap. de electione Prioris Prouincialis*, inſtante electione fiunt mutationes vocalium; cùm eadem ratio, & iudicium ſit faciendum in conſimilibus caſibus; iuxta textum *cap. inter cæteras de reſcript*, & *cap. 2. de tranſlat. Prælat.* quibus addenda eſt ratio multiplex aſſignata à gloſſa *in cap. conſiderauimus*: Nam non debet fieri ſecunda electio, prima non caſſata. Item quæ fiunt poſt appellationem, debent in ſtatum priſtinum reuocari. Inſuper licet caſſetur electio alicuius propter modum electionis, non præiudicatur electo, quin poſſit iterum eligi.

60 Electio celebrata † ex vi renunciationis alicuius Prælaturæ vel officij, antequam fuerit acceptata, & approbata per Superiorem illius, qui renunciauit, nulla eſt, atque irrita: quia ex vi ſolius renunciationis, propriè & realiter non vacat Prælatura, ſiue officium renunciatum, niſi poſt acceptationem, & approbationem factam à Superiore habente talem auctoritatem. Hæc concluſio eſt communis inter Iuriſtas, eamque cum innumeris probationibus adducit copioſè, ac expreſsè Ioannes Aloyſius Riccius *in ſua praxi rerum quotidianarum, tom. 3. reſolut. 399.* Pro qua concluſione citat innumeros Doctores, præſertim Abbatem *in cap. ad aures*: Bartolum *in l. fin. C. de defenſoribus Ciuitatum*, Cardin. *in cap. quod de dubijs.* Ioannem Andream *in cap. ratum*; Nauar. *conſil. 2. num. 3. & 7.* & *conſ. 5. nu. 1.* Menochium, & Rebuffum, Alciatum, Butrium, Henricum, & Alber. cum alijs innumeris. Et *nu. 5. eiuſdem reſtitutionis*, animaduertit ex Nauar. *in cap. accepta poſſit*; ex Burſato *conſ. 393. nu. 3. vol. 4.* Flamin. Pariſ. *lib. 1. de reſignat. benef. quæſt. 12. nu. 12. & 13.* & ex Vgone Celſo, *conſ. 43. num. 6.* quod etſi renunciatio fuerit Superiori præſentata, poteſt renuncians pœnitere antequam admittatur. Et *nu. 1. eiuſdem reſtitutionis*, celeberrimorum Doctorum auctoritate demonſtrauerat, Beneficium, & à ſimili etiam Prælaturam, non poſſe renunciari ſine licentia, & auctoritate Superioris: conſiderando quod hic fit mentio de Superiore, qui non ſolum poteſt conferre prædictam Prælaturam; ſed illius renunciationem acceptare, & approbare.

61 Electio, in qua † vnus eligentium data opera ſignauit aliquo patenti ſigno ſuam ſchedulam, vt innoteſcat ſcrutatoribus, vel vni ex illis, quod talis elector eligit illum nominatum in ſchedula, quæ obſignatio abſque dubio facit electionem non ſecretam contra formam Concilij Trident. *ſeſſ. 25. de regularibus, cap. 6.* in quo inter alia ſtatuitur ad euitandas fraudes, vt nomina electorum numquam publicentur, adiuncta declaratione ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium, ſancti Concilij Tridentini interpretum: cùm etiam prædicta obſignatio fiat ex conuerſione inuoluente, vt plurimum, & quaſi ſemper, manifeſtam fraudem; ad quam omnem euertendam conditum eſt Decretum Concilij, de quo ſupra, vt manifeſtè demonſtrant prima verba eiuſdem Decreti: & clarius id exprimunt verba declarationis Congregationis Concilij ad ſupradicta verba, *Nomina nunquam publicentur, &c.* quæ ſunt immediate ſequentia. *Ita ſtrictè hoc Decretum eſt intelligendum, vt ſi poſt electionem factam in Bullis confirmationis, ſeu Patentibus, exprimerentur nomina eligentium, electio eſſet nulla.* Quibus verbis duo præſertim exprimuntur: primum eſt, quod in actu electionis, nec poſt celebratam electionem, pandenda ſunt nomina eligentium: ſecundum eſt, quòd non dicitur, *nomina omnium eligentium*; ſed in-

ſed indefinitè *eligentium*, hoc eſt vnius, vel plurimorum. Ideo multi Doctores tradunt, conſimiles eligentes per ſchedulam ſignatam modo dicto, peccare mortaliter; quia in re graui, & expreſsè prohibita cõtrafaciunt decretis Concilij. Addentes quod talis ſic electus, factus de hoc certus, tenetur renunciare prælaturam, ſiue officium poſt confirmationem, vel petere à Sanctiſſimo nouam confirmationem cum diſpenſatione, &c. Laurentius Peirinus Ordinis Minimorum *tom. 1. de Religioſo ſubdito, & Prælato. q. 1. de obedientia, cap. 21.* aſſerit hoc de obſignatione ſchedulæ, ita fuiſſe declaratum prout ſupra immediatè, à ſacra Congregatione Concilij.

Ex quibus liquido conſtat à fortiori, electionem, in qua reperta fuit à ſcrutatoribus vna ſchedula eligentium, cum 62 patenti ſigno non ſolito, & ante electionem, dignis de cauſis fuerit promulgata excommunicatio latæ ſententiæ contra obſignãtes ſuas ſchedulas, eſſe abſque dubio nullam, & irritam, propter rationes ſuperius immediatè adductas; ac etiam quia vt latius dicitur, & probatur hic inferius cap. 5. in prædicta electione votum emiſit excommunicatus, etſi occultus, qui inficit electionem. Quæ abſque dubio potiſſimè habent locum in Ordine Prædicatorum, prout eſt videre *textu 1. cap. de electione Prioris Conuent.* præſertim in declaratione eiuſdem textus *ſub littera c.* vbi facta prius mentione Decreti Concilij Tridentini, de quo ſupra: præcipitur vniuerſis Fratribus, vt inter cetera in electionibus Priorum, & aliorum Prelatorum numquam nomina eligentium, nec ſcrutatoribus, nec confirmatori reuelentur; iuxta Statutum Capit. Generalis Bonon. 1564. cum ſequenti additione: *Et ſi ſecus factæ fuerint, irritæ habeantur.* Et in Capitulo Generali Barchinonenſi 1574. præcipitur electoribus in Ordine Prædicatorum, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendæ, ne ſcribant, vel imprimant, neve ſcribere, vel imprimere faciant in ſchedulis electionis aliquod ſignum, vel notam, qua cognoſcatur, ſiue cognoſci poſſit nomen eligentis; & Rodericus *tom. 2. quæſtion. regul. q. 52. art. 9.* inquit, quod intentio Concilij fuit ſtatuere, quod Capitula facerẽt electiones ſecretas in hoc ſenſu, ideſt, quòd non permittant fieri aliquid, ex quo publicari poſſint nomina eligentium; & ſi tale quid factum fuerit, electio non valet. addendo ex doctrina Nauarr. *lib. 1. Conſil. tit. de elect. conſ. 9.* quod hoc habet locũ in electione per ſcrutinium, non autem in electione per compromiſſum.

Electio facta per ſcrutinium, in † qua non comburũtur ſchedulæ omnes poſt numerationem votorum coram Capitulo, eſt irrita ex declaratione viuæ vocis oraculi facti à Pio V. Cardinali Cribello: quod recenſet vna cum alijs eiuſdem Pontificis Emmanuel Rodericus in ſua collectione, & compilatione Priuilegiorum Apoſtolicorum Mendicantium, & non Mendicantium, poſt Bullas Pij Quinti *tom. 2. ſub num.* 4. per ſequentia verba: *Declarauit ſanctiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Pius diuina prouidentia Papa Quintus viuæ vocis oraculo nobis facto die 12. Maij 1568. quo declarauit ad mentem Concilij, cap. 6. ſeſſ. 25. de regularibus, ad ſupplicationem multorum Religioſorum, vt omnes electiones fiant per vota ſecreta medijs ſchedulis, & numquam publicentur eligentium, nomina; & peracto ſcrutinio eorum qui plura habent ſuffragia vltra medietatem, ij habeantur electi. quo facto coram Capitulo crementur ſchedulæ, irritando electiones quæ non ſeruauerint prædictum modum.* Ex qua declaratione colligitur tam-

tamquam certiſſimum, debitum quod habent Regulares in eorum electionibus Canonicis, aſſumendi modum procedendi per ſchedulas; quod ſi omiſerint, eorum electiones erunt nullæ, ac irritæ; quod abſque dubio ſignificant illa verba oraculi citati, *irritando electiones, quæ non ſeruauerint prædictum modũ*. Ideo in declaratione *text. 1. de elect. Prioris Conuent.* in Ordine Prædicatorum *ſub littera a, §. decimum eſt*, præcipitur, vt habito ſchedularum numero, & collatione facta numeri ad numerum, debeant ſcrutatores, vota in ſcriptis redigere; deinde ſchedulas coram eligentibus ante publicationem ſcrutinij comburere. Idem de ſchedulis comburendis mandauit Sixtus V. in quadam Bulla pro Franciſcanis ab eodem edita, de qua latius dicetur cap. 12. de ſcrutatoribus, num. 2.

63 Quoties in aliqua † electione canonica per ſcrutinium celebrata aſſumitur, ſiue eligitur in quartum, vel quintum ſcrutatorem aliquis non vocalis in illa electione, ſiue non de numero eligentium, eſt talis electio ipſo iure nulla, & irrita; quia non fuit ſeruata forma eſſentialis electionis canonicæ, iuxta diſpoſitionem *cap. quia propter, de electione, & electi poteſtate*. Ita fuit deciſum, & determinatum per ſacram Rotam Romanam coram Reuerendiſsimo Coccino Decano, *in Cauſa Prioratus Meten. Monaſt. die 5. Iulij 1621.* & coram eodem, *in Cauſa Treuer. Abbatiæ ſancti Maximini die 20. Nouembris 1624.*

In quibus deciſionibus, quampluribus argumentis deſumptis ex tex. ſacrorum Canonum, & clariſſimorum Doctorum, tria principaliter demonſtrantur. Primum eſt, quod in omni electione canonica Abbatum, & Priorum ſeruanda eſt forma *cap. quia propter*, præſertim quando proceditur per ſcrutinium. Secundum, quod forma tradita in eodem *cap. quia propter*, eſt præciſe ſeruanda, cum habeat decretum irritans per ſequentia verba, *Electio aliter facta non valeat*. quæ verba dictum decretum important *l. non dubium, C. de legibus. l. ſtipulatio, ff. de verborum oblig.* Ita ſentit Io. Sala *de legibus, q. 96. tract. 14. diſput. 16. ſeſſ. 11. num. 29.* Alex. *conſ. 41. num. 13. & 14.* Socc. Sen. *conſil. 87. num. 6.* Iaſon gloſſ. Compoſtella, Io. Andreas cum innumeris alijs in eiſdem deciſionibus ſigillatim impreſſis latius adductis, & citatis. Tertium eſt, quod ſcrutatores, etiam quod eſſent numero ſex, debent omnes eligi de numero vocalium, ſiue eligentium. Et ratio huius ea eſt, quia præſumitur, eos qui ſunt de Collegio, fideliùs tractaturos electionem; & non eſt honeſtum, vt qui ſunt extra Collegium ſciant conſcientiam eorũ de Collegio. quam rationem adducit Hoſtien. *in cap. quia propter, num. 25. & 43.* Imola *ibidem, nu. 8.* Baiſ. *de elect. par. 3. c. 23.* Rebuſ. *ibidem*, & alij, & *§. neque eſt verum, ac ſeqq. in 1. deciſ.* ac etiam *§. cum N. in d. cap.* Electio Treueren. Abbatiæ, de qua in ſecunda deciſione, in duobus peccat, ac proinde remanet nulla. Primò, quia fuerunt electi tres ſcrutatores extra Collegium. Secundò, quia fuerunt electi ſex ſcrutatores, cùm eligi non debeant niſi tres, iuxta diſpoſitionem *cap. quia propter*, vtrumque enim eſt contra formam ſubſtantialem præd. cap. editi in Concilio Generali. clare quidem ex *cap. eccleſia veſtra, il 2. §. denique, de elect.* habetur quod clauſula illa poſita *in cap. quia propter, Electio aliter facta nõ valeat*, cùm poſt requiſita ad electionem legitimè faciendam ponatur, electio aliter facta eſt nulla. Hæc ſententia eſt communior, inquit Abbas *in cap. quia propter, num. 13. ver. quartum ſubſtantiale*, aſſerens, ac probans, quod ſcilicet hæc opi-

nio

nio ſit communis, ſiue communior ſecundum alios, qua aſſeritur neceſſarium eſſe, ac de ſubſtantia formæ electionis canonicæ, quæ celebratur per ſcrutinium, vt omnes ſcrutatores ſint de Collegio, hoc eſt de numero eligentium; prout apertè nimis declarant verba eiuſdem citati *cap. quia propter*. Pro qua ſententia vltra innumeros grauiſsimos auctores adductos in duabus ſupra citatis deciſionibus, Abbas *ibidem* citat Imolam, alioſq. Auctores idem cum illo docentes. & Regula in iure ea eſt, nota lippis, ac tonſoribus, quod ſemper communior opinio, ſiue ſententia tenenda, ac ſequenda eſt.

In Ordine vero Prædicatorum, duo priora omnino ſeruari debent, iuxta Statuta eiuſdem Ordinis expreſſa in Capitulis de electione Magiſtri Ord. Prioris Prouincialis, ac etiam Prioris Conuentualis. Tertium vero ex ſupradictis, ordinarie ſeruatur & ipſum. Quando tamẽ ſubeſt rationabilis cauſa ab electoribus arbitrãda, poteſt eligi quartus ſcrutator ex diſpoſitione ſuarum Conſtitutionum, quas confirmauit ſemel, atque iterum ſancta Sedes Apoſtolica, ac idem conceſſit pluries per quamplura viuæ vocis oracula, quæ iam ſortita ſunt ſuum effectum, iuxta declarationem ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, factam die 14. Ianuarij 1625. referente Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo D. D. Cardinali de Cremona eiuſdem Inſtituti Prædicatorum, de qua in cap. 5. num. 37. qui quartus ſcrutator neceſſario eſſe debet de numero eligentium, in cuius electione ſeruari debet forma, de qua inferius cap. 12. de Scrutatoribus, & Præſidente electionis.

64 Occaſione electionis canonicæ † cuiuſdam Prouincialis in vna ex Prouincijs Ordinis Prædicatorum, per ſcrutinium iam celebratæ, contra quam electionẽ quamplura opponebantur, præſertim quòd electores elegerant quartum ſcrutatorem, qui non erat de corpore, ſiue numero eorumdem eligentium: ſub titulo Conſultationis, quidam innominatus edidit ſcripturam pro validitate eiuſdem electionis, in qua continebantur nonnulla directè contraria, & oppoſita illis, quæ paulò ſuperius in hoc capite à me non proprio marte, ſed ex clara diſpoſitione ſacrorum Canonum, præſertim *cap. quia propter*, & ex doctrina præclariſſimorum Doctorum vtriuſque iuris; ac pariter ex tribus deciſionibus ſacræ Rotæ Romanæ inferius adducendis fuerant reſoluta. Quamobrem pro defenſione veritatis, & doctrinæ celeberrimorum Doctorum; & quia caſus iſte frequens eſſe poteſt inter eligentes Regulares, ac Clericos ſeculares, vtque mandatis præcipientiam, vt par eſt obtemperarem; reſponſionem edidi, breuem quidem, ſed diſtinctam, & dilucidam, ad Conſultationem opponentis, bono fine, vt exiſtimo factam: & ad prolixitatem effugiendam nõ omnia verba ipſius referre conſtitui, ſed illa tantùm, quæ aliqualem poterant præſeferre difficultatem. vt inferius petabit.

Et ſi pro tuenda doctrina à me ſuperius relata de nullitate electionis canonicæ per ſcrutiniũ celebratæ, in qua eligitur quartus ſcrutator non de numero eligentium, ſufficiens, ac euidens argumentum apud omnes, interiores animi oculos humanarum affectionum caligine obtenebratos non habentes, ſit, quòd eadem doctrina confirmata inueniatur auctoritatibus ſacrorum Canonum, & celeberrimorum Doctorum, ac inſuper expreſsè inueniatur deciſa, & declarata per tres ſacræ Rotæ Romanæ deciſiones coram Reuerendiſs. Coccino Decano *in cauſa Meten. Monaſterij, Luna 1. Iulij 1621.* & *in cauſa Treueren. Ab-*

batiæ Sancti Maximini, Mercurij 20. *Nouembris* 1624. & iterum *Treueren. Abbatia ſancti Maximini, Veneris* 23. *Ianuarij* 1625. non obſtante quod contraria opinio haberet quamplures fautores ſapientes, & valde potentes.

Quia tamen intentio opponentis ad tria puncta principalia dirigitur, ad illarum ſingula ſatisfaciam. Quorum primum eſt, vt oſtendat quòd præter tres ſcrutatores ordinarios, & regulariter neceſſarios in electione canonica, poſſit eligi quartus. Quod aſſertum etſi opponatur diſpoſitioni textus *cap. quia propter*, ſecundum communem ſententiam Iuriſtarum omnino ſequendam, vt optimè demonſtratur in præcitatis deciſionibus, argumento deſumpto ex auctoritate ſacrorum Canonum, ex doctrina præclariſſimorum Doctorum, præſertim in prima citata deciſione: §. *neque eſt verum, verſ. nam huic motiuo fuit reſponſum*; & pariter in ſecunda deciſione, §. *& quod etiam dicti tres*; quod expreſsè docet Petrus de Baiſio *in Direct. elect. cap.* 23. 3. *par. nu.* 1. adducens pro iſta ſententia innumeros Iuriſtas, addens non poſſe plures nec pauciores; cùm hoc non tangat difficultatem caſus electionis Prouincialis, de quo ſupra, quæ in hoc potiſſimè ſita eſt, vt nullus poſſit eligi pro munere ſcrutatoris in aliqua electione canonica per ſcrutinium celebrata, niſi verè exiſtat de numero eligentium, præſcindendo, ſiue parum, aut nihil curando, an ſit tertius, vel quartus, aut quintus: ideo hoc prætermitto.

Secundum diſpoſitionem *cap. quia propter*, & conformiter ad communem interpretationem Doctorum ad prædictum Caput, nullus eligi poteſt in ſcrutatorem alicuius electionis canonicæ per viam ſcrutinij celebratæ, niſi ſit de numero, ſiue corpore eligentium in illa electione particulari, quæ tunc celebratur; aliàs electio eſt nulla, & confirmari non debet. ita docent inter alios Tabiena *verb. Elect.* 1. *nu.* 20. vbi poſt recitatas opiniones multorum hinc, & inde, poſtquam dixit ſcrutatores eligi debere de numero eligentium, addit: *Communis opinio tenet, vt ſint de collegio; aliter, ſit nulla electio; & hoc magis conuenit litteræ capituli, Quia propter.* hæc ille. Idem in ſubſtantia docet *Summa Angelica eod. verb. Electio, nu.* 26. & Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect. cap.* 24. 3. *par. nu.* 3. ſuſtinet eandem ſententiam, de qua ſupra, quòd ſcrutatores in electione celebrata per ſcrutinium, neceſſariò *aſſumi debent de Collegio Eccleſiæ vacantis*. Nota diligenter illa verba, *Eccleſiæ vacantis*; quæ ſignificant, vt ſcrutatores neceſſario eſſe debeant de corpore ſiue numero eligentium, ex quibus integratur Collegium, ſiue Capitulum illius Eccleſiæ Collegialis, ſiue conuentualis, de cuius electione agitur in particulari. De quo *ibidem*, aſſignat rationem, quam colligit ex *cap. cum in officijs, de teſtam.* & *l. ſed etſi*, §. *conſuluit*, *ff. de petit. hæred.* & eſt, quia præſumptio habetur, quòd illi de Collegio fideliùs tractabunt negotium electionis.

Opponens in ſua Conſultatione circa hoc particulare, pace ſua, aſſignat non cauſam pro cauſa; communiter enim Doctores ideò dicunt ſcrutatores eſſe debere de corpore eligentium, non præcisè ac tantũ vt electio ſit ſecreta, quemadmodum aſſerit, & præſupponit opponens; ſed quia *præſumitur eos qui ſunt de Collegio, fideliùs tractaturos electionem*; cumque *non ſit honeſtam vt qui ſunt extra Collegium, ſciant conſcientiam illorum de Collegio.* Ita aſſerunt inter quamplures Hoſtien. *in Summa tit. electio*, §. *qualiter facienda, verſ. ſed verba Concilij*, & Rebuff. *ſuper concor. in tit. de reg. ad Prælat. nomin. facien.* §. *vlt. verb. Formam.*

Neque

Neque ſupradictus opponens rectè citat ſententiam affirmatiuam Cardinalis pro ſe in *d. cap. quia propter*. Nam in rei veritate ſententia affirmatiua circa electionem ſcrutatoris, qui non ſit de gremio eligentium, non eſt ipſius Cardinalis, niſi recitatiuè; cùm contrariam expreſsè tueatur, vti eſt videre apud eumdem *in cap. quia propter, num. 13. q. 12. verſ. & iuxta Mandagotum, hanc opinionem dicunt eſſe in Curia receptam, quamuis ipſi contrarium expreſsè teneant*; vbi verbis clariſſimis declinat ad ſententiam negatiuam.

Ad id verò quod opponens pro ſe adducit auctoritatem gloſſæ: Reſpondetur hanc auctoritatem, tanquam directè oppoſitam doctrinæ grauiſſimorum Doctorum, pro non vera reputari. Ita declarauit frequenter Sacra Rota Romana, præſertim in citatis deciſionibus, vti eſt videre in ſecunda deciſione, §. *& quamuis*; vbi nedum proponitur reſponſio, de qua ſupra immediatè; verùm etiam adducitur radix, & cauſa erroris illorum qui ſequuntur in hoc opinionem affirmatiuam gloſſæ, & eſt *quia mouentur ex confirmatione electionis Abbatis Tullen. in qua fuerunt adhibiti ſex ſcrutatores, tres de Collegio, & alij tres extra Collegium*: quæ quidem electio vt ſapienter Rota animaduertit, vbi ſupra, *potuit per ſummum Pontificem*, plenitudinem poteſtatis habentem, *ex gratia confirmari*; non autem ex eo quod electionem cenſuerit validam. In caſu verò noſtro ſermo eſt de rigore, & ſecundum diſpoſitionem iuris, an confirmator ordinarius poſſit electionem prædicti Prouincialis ſua ſolita facultate confirmare; quemadmodum inferius patebit, dum adducetur modus particularis electionis Prælatorum Congregationis Caſſinenſis: ipſi ſcilicet Monachi eligunt plures ſcrutatores, ſed virtute conceſſionis, ſiue Bullæ in forma ſpeciali Gregorij XIII. igitur neceſſaria eſt auctoritas Papæ.

Facillimè etiam reſpondet ſacra Rota *vbi ſupra*, cumulatis teſtimonijs quamplurimorum celeberrimorum Doctorum, inhærendo etiam nonnullis alijs deciſionibus antiquioribus, & modernioribus, ad illud argumentum relatum ab opponente, fundatum in Regula illa communi quod *vtile per inutile non vitiatur*; dicendo inter quamplura quod illa Regula *non habet locum, quando aliquid inducitur pro forma ſubſtantiali alicuius actus*, prout eſt in caſu noſtro: quia cùm forma ſit indiuidua, vtile per inutile tunc vitiatur. ita communiter ferè omnes.

Secundum punctum ſcripturæ opponentis continet verba, quibus contendit probare quod quartus ſcrutator poteſt eligi, etſi non ſit de corpore, ſiue de numero eligentium: quod certè eſt valde difficile; quia in textu eiuſdem *cap. quia propter, §. ſtatuimus*, duo clarè, & expreſsè præcipiuntur. Primum eſt, vt aſſumantur tres ſcrutatores in electione canonica, quæ fit per ſcrutinium, nulla penitus facta mentione de quarto ſcrutatore. Secũdum, quòd illi tres ſcrutatores habeant ſequentes conditiones; quòd ſint de Collegio eligentium, & fide digni; quod explicans gloſſa, *ibidem*, inquit: *Hoc poteſt fieri per quoſlibet de Capitulo, dum tamen ſint viri digni*. Vbi ponderãdum eſt quod gloſſa dicat ſcrutatores eſſe debere nedum de Collegio, ſed etiam de Capitulo eligentium; quod eſt dicere de numero electorum, ſiue eligentium iam in Capitulo Congregatorum, ad effectum electionis: per quã reſtrictiuam potius concludendum eſt contra opponentem, & ad fauorem noſtræ ſententiæ negatiuæ. Dato enim quod eligi poſſit quartus ſcrutator, ille

neceſſario debet habere hanc qualitatem, vt ſit de corpore Collegij, & Capituli, modo immediatè declarato.

Addo quòd qui facit quod nemo, omnes mirantur. ſola equidem nouitas huius facti oſtendit longè veriorem eſſe partem negatiuam: nunquam enim in Ordine Prædicatorum nec intra, nec extra Italiam auditum eſt electum fuiſſe in ſcrutatorem vocum alicuius electionis canonicæ, aliquem qui non fuerit de numero eligentium.

Tertium punctum principaliter intentum ab opponente in ſua Conſultatione, dirigitur ad probandum, quòd quartus ſcrutator electus modo explicato in electione de qua ſupra, fuerit de corpore, ſiue de numero eligentium: quod ſanè cunctis merito videtur inueriſimile. Primò, quia dictus quartus ſcrutator non dedit vocem in prædicta electione, neque renunciauit illam; alterum enim horum duorum egiſſet, ſi in rei veritate fuiſſet, vel præſumpſiſſet eſſe de numero eligentium. Secundò, quia ſimplices Præſidētes Capitulorum in Ordine Prædicatorum non habent vocem in electionibus, nec ideò numerantur inter illos qui eligunt, vel ſunt de corpore eligentium, niſi hoc ſpecialiter eis concedatur in litteris patentibus: dicuntur enim præſidere electioni non formaliter, ſed ad hoc vt congregentur vocales, & fiant illi actus, qui immediatè præcedunt electionem canonicam, quemadmodum habetur in actis Capitulorum Generalium, præſertim Romani 1601.

Nec eſt ſimile de ſupradictis Præſidentibus, & de Vicario inſtituto in capite à Prouinciali ſupra Superiorem, vt contendit deducere opponens: eo quia inter illos extat diſpar ratio. nam de Vicario in capite extat diſpoſitio textus Conſtitutionum, per quam conceditur eidem, vt poſſit emittere vocem in electione canonica; quod non tribuitur Præſidentibus, de quibus ſupra, vt patet in declaratione *primi textus, cap. 2. diſtinct. 2. ſub littera d, §. item declaramus*, in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum.

Ad id pariter quod adducit opponens de Capitulo Generali Bononiæ 1564. in quo cōceditur facultas eligendi quartum ſcrutatorem in electionibus canonicis celebrandis in Ordine Prædicatorum: Breuiter reſpondetur, verum eſſe quod ibidem per Statutum ſpeciale conceditur facultas vocalibus, vt poſſint eligere quartum ſcrutatorem: In illo tamen Statuto non dicitur directè, nec indirectè, neque expreſsè neque virtualiter, quod dictus quartus ſcrutator non ſit de numero eligentium, licet præcipiat vt eligatur in Capitulo à vocalibus ſimul congregatis per ſchedulas ſecretas; imò verba dicti Statuti, ſtatim fideliter referenda, ad minus inſinuant contrarium ei quod intendit probare opponens, quòd ſcilicet quartus ſcrutator ſit de numero eligentium, & præſentium in Capitulo. quod oſtendo facillimè ex verbis ipſis eiuſdem Decreti, quæ ſunt: *Tres ſcrutatores à conſtitutionibus deputati ſedeant*, &c. deinde ſubditur immediatè, *quibus Conuentus poſſit addere quartū, quem electores eligant*, &c. Sed certiſsimum eſt apud omnes, quod tres ſcrutatores à Cōſtitutionibus Ordinis Prædicatorum deputati, neceſſariò eſſe debent de numero eligentium præſentium in Capitulo; de qua euidenti veritate nullus dubitat. Verum eſt etiam quod verba ſupracitata Statuti Capituli Generalis Bononiæ, copulatiuè, vniuocè, & in eodem ſenſu interpretari debent, quo & illa immediatè antecedentia: ſed illa antecedentia neceſſariò exponuntur de tribus ſcrutatoribus, qui ſint de numero

eligen-

eligentium: igitur eodem modo intelligenda erunt ſequentia, in quibus fit ſermo de electione quarti ſcrutatoris.

Hoc totum euidentius habetur determinatum in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, *diſt. 2. cap. 2. text. 1. ſub littera a.* & clarius in declaratione dicti textus, vbi expreſsis verbis mandatur, *vt ſcrutatores tres, vel quatuor coram omnibus ſedentes debeant primò ſua, deinde aliorum vota per inuolutas ſchedulas in aliquo vaſe recipere*, vbi apertè præſupponitur quod etiam quartus ſcrutator nedum ſit de numero eligentium, ſiue vocalium, qui debent eligere in illa electione; ſed quod actu emittere debent votum ſuum in vrnam ante alios vocales non ſcrutatores.

Vt oſtendam quod conſultatio, de qua ſupra, noua quoque inducit motiua contra electionem Prouincialis, de qua ſupra; animaduerto quod verba Statuti Capituli Bononien. 1564. relata ab ipſo opponente, licet non integrè, ſed truncatè, continent præceptum factum vniuerſis Fratribus Ordinis Prædicatorum cum decreto irritante, *ſi ſecus fiat*, vt quartus ſcrutator eligatur per ſchedulas, *aliàs ſit totum irritum, & inane*: quod omiſerat opponens in ſua Conſultatione, adducens tantum illa verba Statuti, quæ ſibi videbantur fauere, & ſuo negotio: ſed ex litteris teſtimonialibus in forma authentica productis, ac Reuerendiſſimo Patri noſtro Generali exhibitis, quartus ſcrutator, de quo ſupra, non fuit electus per ſchedulas; igitur, &c.

Ideò concludo ſalua ſemper, &c. quòd electio, de qua in caſu, ad cuius fauorem ſcripſit opponens, non eſt ritè facta; neque dici poteſt canonica, cùm in illa fuerit prætermiſſa forma ſtatuta *in cap. quia propter*, & forma ſtatuta in Capitulo Generali Bononienſis, de quo ſupra: ideò nulla, & irrita cenſetur, nec debet confirmari; præſertim cùm verſemur in electione, ſiue confirmatione Prælati habentis iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem; ad quem etiam ſpectat confirmare Priores, & alios Miniſtros eadem auctoritate fulgentes.

Multa quoque adducit opponens in eadem ſua Conſultatione, quæ colligit ex obiectionibus factis in præcitatis deciſionibus, omiſſis illis quæ in eiſdem Deciſionibus ſacræ Rotæ Romanæ, copioſè nimis dicuntur pro reſponſione ad propoſitas obiectiones; quemadmodum videre eſt, præſertim in duabus prioribus deciſionibus, quarum tenores fideliter hic immediatè apponam, vna cum illis contentis in tertia deciſione; præ oculis animi ſemper habens tremendam illam Omnipotentis Dei comminationem, *Veh qui dicitis bonum malum, & malum bonum*; ſiue verum, falſum, & falſum verum: nam teſte D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 4. in reſp. ad ſecundum argumentum, *Verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius*. Ex quibus ſapienter colligit S. Tho. adiuncta auctoritate Ariſtot. 6. ethicorum cap. 2. *ideò vnuſquiſque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet*, non ſecundum propriam animi affectionem, at *ſecundum quod ſunt*. Eadem repetit ſanctus Doctor in reſponſione ad tertium argumentum. Qua occaſione breuiſſimè explicabo quid ſit veritas, & verum: ex eodem enim S. Thoma *q. q. de veritate, q. 1. art. 1. in corp.* nomine veritatis exprimitur conuenientia entis ad intellectum: quare ad calcem corporis eiuſdem articuli ex S. Hilario, & S. Auguſtino; & alijs ſanctis Patribus merito concludit, quod veritas eſt, *qua oſtenditur id quod eſt*: & in reſponſione ad quartum argumentum inquit quod verum eſt di-

eſt diſpoſitio entis, non quaſi addens aliquam naturam, nec quaſi exprimens aliquem modum ſpecialem entis; ſed aliquid quod generaliter inuenitur in ente, non per modum qualitatis, ſed vt ordinem quendam dicit; quod tamen ſolo entis nomine nequaquã exprimitur: ratio enim veri ſequitur rationem entis. non tamen propter illud differunt re ens, & verum; ſed ſola ratione; quia aliquid eſt in ratione veri, quod non includitur in ratione entis, ideò non differentijs appoſitis differunt: Ex reſponſis ad quintum, ſextum, & ſeptimum argumentum eiuſdem articuli. Quamobrem per modum concluſionis aſſerit, præſertim in reſponſione ad ſeptimum argumentum, quod verum non eſt in prius quam ens; addens quod ens dicitur quoque de non ente. Tandem ex Philoſopho, & alijs ſæpe concludit, præſertim artic. 3. quæſt. citatæ in corp. *Veri enim ratio conſiſtit in adæquatione rei, & intellectus componentis, & diuidentis*. Ex Ariſt. 6. Metaph. text. 8. *Compoſitio, & diuiſio non eſt in rebus; ſed in intellectu*. Hinc eſt quod S. Tho. *vbi ſupra, art. 4. in corp.* ſed clarius in reſponſione ad tertium argumentum, docet quod veritas quæ remanet deſtructis rebus, eſt veritas intellectus diuini: Veritas autem quæ in rebus eſt, vel in anima, variatur ad varietatem rerum.

65 Quoties omittitur † ſcrutatio vnius ſolius voti ex præſentibus, electio eſt nulla, ex diſpoſitione *cap. quia propter*, in quo præcipitur, *vt vota cunctorum exquirantur*, ideſt præſentium. ita interpretatur ſupradicta verba Io. Andreas *in dicto cap. col. 3. & col. 5.* ita tenet Spec. *tit. de elect. §. 1. verſ. ſi ergo viam*, vbi dicit: *Vota cunctorum, nullo omiſſo*; ita etiam tenet Hoſtienſis, & Panor. *in eodem cap.* & Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect. cap. 27. 3. par. nu. 1. & 2.*

Error de quo ſupra, deprehenditur quãdo in rei veritate vocales vel eligẽtes eſſent numero quinquaginta, in ſcrutinio ſiue decreto electionis mittẽdo ſcrutatori, diceretur fuiſſe ſcrutata vota tantum quadragintanouem, per ſcrutatores; niſi aliunde appareret, hunc errorem fuiſſe ſcriptoris, cùm in facto electionis vere fuerint ſcrutata ſingula vota numero quinquaginta: debet enim conſtare confirmatori ante confirmationem, quod ſingula vota eligentium fuerunt ſcrutata per ſcrutatores, quando electio celebratur per ſcrutinium.

66 Eſt alius caſus, in quo † redditur electio nulla, nouiſſimè deciſus à ſacra Congregatione Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium Concilij Trid. interpretum ſequentis tenoris.

Cap. 6. ſeſſ. 25. de Regularibus. MDCXXV.

QVæritur, an in Electione Superiorum Regularium Præſidens Capituli poſſit præcipere ſcrutatoribus ſub præcepto ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne recipiant ſuffragia oretenus tradi ſolita pro aliquibus vltra certum numerum electioni inſufficientem; ſed eo completo dicant electoribus ad aures (vt ſeruari dicitur) vt dent alijs eorũ vota.

Et an Electio hoc modo celebrata, ſit valida.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali conſenſui aduerſatur, omnino improbauit; cenſuitque electiones hactenus celebratas, ſi ſcrutatores præcepto Superioris obtemperantes, ſingulorum eligentium vota non receperint, pro canonicis non haberi.

S. Card. S. Suſan.

Locus † Sigilli

Proſper Fagnanus.

Ele-

67 Electio, in qua eſt electus, † qui cauſam ſcandali præbiturus eſt in populo illius loci, cui præficiendus eſt in Prælatum, vel Rectorem, venit annullanda, & caſſanda, ex deciſione ſacræ Rotæ Romanæ *coram Reuerendiſſimo Comitulo in Legionen. Parochialis, Vener.* 30. *Martij*, & 9. *Aprilis* 1590. *num.* 3. quod etiam fuit reſolutum *in cauſa Beneuentana Parochialis, coram Reuerendiſs. Orano, die Mercur.* 13. *Iunij* 1590. vbi ſpecialiter fuit concluſum, quòd ſola ſuſpicio, ſeu diffamatio in loco diffamationis, quando agitur de Prælatione obtinenda, ſufficiat ad excluſionem. Calderinus *conſ.* 9. *de probat.* Accoranbon. *deciſ.* 47. *lib.* 2.

Alia quamplura pertinentia ad nullitatem electionis, inueniet Lector ſparſim inferius in multis Capitibus, præſertim cap. 5. cap. 11. & cap. 14.

Tenor Deciſionum, de quibus paulò ſuperius facta eſt mentio, eſt is qui immediatè ſequitur.

Summa Deciſionum allegatarum in præcedenti Capite.

1 *Duo ſunt, quæ canonizant electionem, ſubſtantia conſenſus, & ſubſtantia formæ; à quibus ſi recedatur, electio eſt nulla ipſo iure.*

2 *Forma cap. Quia propter, eſt ſeruanda in electione Abbatis; & num. 13. Item in electione Prælatorum Regularium. & num. 3. & an poſſit tolli per conſuetudinem. num. 6. 7. & 18.*

4 *Electio per viam Spiritus ſancti duplex eſt, & quænam ſit.*

5 *In electione per ſcrutinium debent interuenire tres ſcrutatores de Collegio. & non plures. & num. 14. & 15.*

8 *Decretum irritans inficit titulum, & poſſeſſionem.*

9 *Doctrinalis interpretatio legis, ſi communis oppinio in ea conueniat, inducit obligationem ſeruandi dictam legem.*

10 *In legis interpretatione eſt ſemper attendenda verborum proprietas.*

11 *Electio niſi valida, confirmari non debet. Et ſi ſit nulla, ob non ſeruatam formam cap. quia propter, poteſtas prouidendi deuoluta eſt ad Sedem Apoſtolicam. numero 12.*

16 *Non eſt credendum Doctori atteſtanti de conſuetudine.*

17 *Regula, Vtile per inutile non vitiatur, an ſit ſemper vera.*

19 *Decretum irritans tollit omnem conſuetudinem in contrarium.*

20 *Lex irritans an poſſit abrogari per conſuetudinem.*

21 *Vota in electione, debent eſſe redacta in ſcriptis; & publicari in communi. & numero 22.*

23 *Electio vnanimis non tollit quin vota publicentur.*

24 *Conſuetudo inducitur per actus vniformes, & ex certa ſcientia, non autem ex errore. & num. 25.*

26 *Ad inducendam conſuetudinem contra Canones requiritur ſcientia, & expreſſus conſenſus Papæ, & num. 28. Secus autem eſt in Lege Ciuili. nu. 27.*

29 *Electio dici poteſt Canonica triplici modo; largè, strictè, & strictius.*

30 *Concordata debent intelligi de electionibus factis iuxta formam præſcriptam à cap. quia propter. non autem ſunt intelligenda iuxta Concilium Baſileenſe. & numero 32.*

31 *Concilium Baſileenſe an vnquam fuerit Oecumenicum, &c. & an eius decreta fuerint confirmata per Summum Pontificem. & num. 32.*

Coram

Coram Reuerendiſs. D. COCCINO DECANO.

Meten.Monaſterij.

Lunæ 5. Iulij 1621.

Dubitaui de ordine ſanctiſsimi Domini Noſtri, An electio, de qua agitur, ſit valida. & Domini negatiuè reſoluerunt. Ratio reſolutionis fuit. quia cùm fuerit proceſſum ad electionem Abbatis per viam ſcrutinij, in qua de neceſſitate ſeruanda erat forma cap. quia propter, de elect. debebant iuxta diſpoſitionem illius text. eligi tres ſcrutatores de Collegio, ibi, *aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorũ diligenter exquirãt*,&c. Quod cùm non fuerit factum, ſed electi fuerint duo Notarij extra Collegium, electio non ſuſtinetur, vt habetur in eod. tex. ibi, *aliter electio facta non valeat*. quæ verba habent vim decreti irritantis. Roman. *conſ.* 322. *num.* 12. & important annullationem ipſo iure abſque aliqua ſententia. Gloſ. *in d. cap. quia propter, in ver. vice omnium*. & ibi Compoſtell. *num.* 20. *verſ. numquid de iſta*. & clarè Io. Andr. *num.* 37. *in ver. non valeat*. & prius Innoc. *num.* 6. *in eodem ver. non valeat*. per text. *in cap. in Geneſi, eod. tit. de elect.* Gulielm. Mandagott. *de elect. cap.* 22. & *ibi* Nicol. Boer. *in littera B*, vbi dicit hanc opinionem veriorem, & omnes Doctores, excepto Hoſtienſi, ita tenere. & eſt bona Gloſſ. *in Clem.* 1. *in ver. inhibentes, de iurepatr.* vbi ſi detur certa forma habenti facultatem eligendi, cum decreto irritanti, ſi non ſeruetur illa forma, electio ipſo iure eſt
1 nulla. Duo † enim ſunt, quæ canonizant electionem, ſubſtantia conſenſus, & ſubſtantia formæ; à quibus recedere non poſſumus. Bald. *in cap. quia propter, nu.* 20. *& ſeq. de elect.* Boer. *deciſ.* 1. *nu.* 70. itaut ſi recedatur, electio ipſo iure ſit nulla. idem Bald. *in conſ.* 318. *ponitur quod electio Rectoris, num.* 2. *verſ. ſed iſte, lib.* 3.

Quod autem in electione huius Abbatis ſit ſeruanda forma cap. quia pro-
2 pter. videtur † clarum. Nam etſi Roffred. *de libellis, tom.* 2. *ſuper iure Pontificio, par.* 3. *tit. quid ſonet hoc nomen Abbatis*,&c. *num.* 8. *littera G, fol. mihi* 633. dicat de mãdato Papæ iudicatum fuiſſe, formam d.cap. quia propter. non eſſe ſeruandam in electione Abbatis, quia hoc eſt nomen ſolicitudinis, non tamen eſt Pater; attamen contrarium probat Io. Andr. *in d. cap. quia propter, num.* 59. & ſubdit omnes tenere, quod in electione Abbatis ſeruãda ſit forma cap. quia propter. & ita ſeruari, prout etiam ita ſeruari dicit Bellam. *ibidem in princ. num.* 3. & de communi dicit etiam Imol. *nu.* 3. Abb. *num.* 7. *in fine; & num.* 8. Butr. *num.* 20. Gloſſ. *in cap. ſicut*. ante figurationem caſus, *de elect. in* 6. Franc. Marcus *dec.* 992. *num.* 1. *lib.* 1. Petrus de Baiſio *in Director. elect. par.* 3. *cap.* 39. *num.* 1. Greg. Lopez *partit.* 1. *tit.* 5. *l.* 19. *gloſ. obiſpo*. Rot. *dec.* 5. *in princ. iuncto num.* 2. *de elect. in nou.* Seraph. *deciſ.* 647. *num.* 4. Et quod forma cap. quia propter. habeat locum nedum in electionibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum eccleſiarum Collegiatarum, qui habent iuriſdictionem generalem in dictis eccleſijs Collegiatis, ſed
3 etiam † in electione Regularium Prælatorum, dicit gloſſ. 1. *in cap. quia propter*. vbi Abb. *num.* 7. *ver. circa iſtam partem primam*. vbi ait, quod iſte text. intendit prouidere ſolũ eccleſijs viduatis per illa verba, *Eccleſia viduata*,&c. & *verſ. & in hanc partem*. vbi teſtatur de communi; & *num.* 8. *verſ. & placet*. Gloſſ. *in cap. ſicut, verſ. formam, de elect. in* 6. Franc. Marcus *d. deciſ.* 992. *per tot.* & benè Rot.

d. de-

d. deciſ. 5. in princ. de elect. in nou.

Quod verò fuerit proceſſum ad electionem per ſcrutinium, ſatis patet, quia eadem die obitus Abbatis, Monachi ſe congregarunt, & duo Notarij, qui de inſtrumento fuerunt rogati, ita loquuntur: *Omni meliori modo, via, iure, & forma, quibus melius, validius, & efficacius potuerunt, & debuerunt, tàm via Spiritus ſancti, quàm ſcrutinij, ad nouam electionem Abbatis procedentes, &c. vnus, & eorum quilibet ſuper Altari maiori in prædictorum Notariorum præſentia, ſua vota, atque ſuffragia ſono (vt moris eſt) campanæ ſcripſit, & ſubſignauit ſuper nouo Abbate eligendo: quibus à nobis diligenter, & fideliter collectis, dictorum ſuffragiorum pars maior, & numero potior Fratri Deſiderio Gerardo, &c. obuenit, &c.* & poſtea dicti duo Notarij publicarunt electionem, quam ratam habuerūt omnes Religioſi cantantes de more Hymnum, *Te Deum laudamus*, &c. Quare negari non poteſt quin Monachi procedere voluerint ad electionem per ſcrutinium, licet non ſeruando bene formā cap. quia propter. vt colligitur ex eodem text. vbi diſponitur, quod poſt legitimam Congregationem Capituli eligantur tres de eodem Capitulo fido digni, qui ſigillatim, & ſecrete vota omnium eligētium exquirant, & in ſcriptis redigant; quo facto incontinenti, antequam ad alia diuertant, vota illa publicent in communi, vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli conſenſerit, vt benè Henric. Caniſius *in Compendio iuris Canonici, in tit. de elect. §. hic igitur ordo ſcrutinij*.

Neque ex eo poteſt dici electionem fuiſſe per inſpirationē, vel quaſi, ex quo in dicto inſtrumento dicatur, tàm via Spiritus ſancti, quàm ſcrutinij; & ſi electio fuit facta per viam Spiritus ſancti, non fuit opus ſeruare formam cap. quia propter, vt notat Innoc. *ibid. nu. 6.* Hoſt. *num. 50.* Abb. *ibid. in §. niſi, num. 1. in fin.* Silueſt. *in ſum. verb. electio 2. num. 27.* Nam pro reſolutione huius articuli fuit animaduerſum, quod duplex eſt electio

4 per † viam Spiritus ſancti. Altera per inſpirationem, & eſt quando nullo inter eligentes ordine ſeruato, ipſi quaſi inebriati, & ſuper ſe quaſi facti eligunt. Altera per quaſi inſpirationem, quando ſubito, & repente vnus poſt alium ſine aliquo interuallo eundem eligunt; Hoſt. *in d. cap. quia propter, num. 50.* Oldrad. *conſ. 155. num. 1. & 2.* Abb. *in d. cap. quia propter, num. 3.* Gregor. Lopez *par. 1. tit. 5. l. 21.* Gloſſ. Alguno. & *ibidem* Alphonſus Diez de Montaluo *in gloſſ. vnic.* & propter verba textus, *ab omnibus*, dicunt DD. ſufficere, quod vnus diſſentiat ad effectum quod electio non dicatur per viam Spiritus ſancti, Ioan. Andr. *in d. cap. quia propter, num. 39.* Bellam. *ibid. in §. niſi forte, num. 1. & 3.* Compeſtell. *num. 21.* Vitalin. *in clem. ne Romani, num. 22. de elect.* In propoſito autem, vt patet ex lectura inſtrumenti, manifeſtiſſimè apparet, quod electio non fuit facta neque per viam inſpirationis, nec quaſi, cùm non concurrant prædicta; imò in eodem inſtrumento dicitur quod pars maior, & numero potior Fratri Deſiderio obuenit; & ſic apparet quod nedum non interuenerunt prædicta, ſed quod neque ab omnibus fuit electus, prout requiritur, ſed à maiori, & ſaniori parte comparatiuè ad minorem partem omnium congregatorum pro electione, prout intelligi debent illa verba, vt *in cap. Eccleſia veſtra, il primo*, vbi Abb. *nu. 4. de elect.* Idem Abb. *conſ. 25 nu. 4. lib. 2. & in d. cap. quia propter, num. 5. verſ. quod ego.* Franc. Marcus *deciſ. 924.* Didacus Perez *gloſſ. 2. poſt princ. in l. 3. tit. 3. lib. 2. ordin.* Vltra quod certum eſt, electionem per viam inſpirationis aucto-

auctore Deo immediatè, peccatis noſtris exigentibus, raro occurrere, vt notat Io. Andr. *in d.cap.quia propter, nu.*40. Petrus de Baiſ. *in director.elect.par.*3.*cap.*16.*num.*2.

Neque opitulatur, quod in inſtrumento dicatur, quod omnes conſenſerint electioni, & propterea verba illa, *maior & ſanior pars*,&c. reducenda ſunt ad concordiam: ita vt ſenſus ſit, quod maior & ſanior pars conſenſit, ex quo omnes conſenſerunt, cùm in toto pars inſit, *l.ſi quis cum totum,ff.de except.* Surd. *deciſ.*188.*num.*3. Nam fuit reſponſum, quod vltra quod non interuenerunt alia requiſita, vt electio poſſit dici per inſpirationem, vel quaſi, de quibus ſupra, ideò fuerunt poſita verba illa in inſtrumento;quia in electione iuxta terminos cap. quia propter, requiritur quod publicato ſcrutinio, & facta collatione ſequatur electio,ſcilicet quod fiat per vnũ nomine Capituli per verba ſingularis numeri, *cap. ſicut, de elect. in* 6.*cap.cum ab vno, de re iudic. in* 6. Abb. *in d. cap. quia propter,ante num.*11.*verſ.electio autem ſi eſt per vnum.*Franc.Marcus *q.*922.*num.*2.*lib.*1. In hoc autem caſu publicato ſcrutinio, & facta collatione, ex qua apparuit, vt refertur in inſtrumento, quod maior, & ſanior pars fecerit electionem, fuit publicatum ſcrutinium; ibi, *Quibus,* ſcilicet votis,*à nobus diligenter,& fideliter collectis,dictorum votorum, ac ſuffragiorum pars maior, & numero potior Fratri Deſiderio Gerardo,&c.obuenit.* poſtea fuit publicatum ſcrutinium, & ab omnibus approbata electio, dum in eodem inſtrumento ſubditur: *Quod nos, noſtra, omnibus, & capitulariter alta, & intelligibili voce pronunciantes, prædictum Fratrem Deſiderium pro legitimè, atque canonicè electo prædicti omnes Religioſi habuerunt, atque vnanimiter tenuerunt.* qui conſenſus omnium poſt publicationem ſcrutinij non operatur, quod electio per antea facta à maiori,& ſaniori parte cenſeatur quaſi per inſpirationem,Hoſt. *in Summ. tit.de elect.*§.*qualiter, verſ. tertia forma,in princ.*Petrus de de Baiſ.*in direct. elect.par.*3.*cap.*16.*num.*4. & expreſsè ſentit Abb.antiq.*in dicto cap.quia propter, num.*17.*in fine, verb. conſenſit.*

5 Neque eſt verum, quod † electio per ſcrutiniũ non irritatur,etiam quod duo ſcrutatores tantum, & non tres, & non de Collegio interuenerint, gloſſ. *in dicto cap. quia propter, in verb. ſanior, in fin. de elect.* & iſta fuit opinio Vincentij, & Tancredi; Abb. antiq. *ibidem, num.*17. vbi quod hoc eſt præter formam illius tex. Mandagot. *de elect.cap.*23.vbi quod licet debeant eligi tres ſcrutatores de Collegio,tamen ſi ſecus fiat electio,non irritatur: ex cuius ſententia in eodem capite dicit Cardin. *in dicto cap. quia propter, quæſt.*12. quod Abbas Tullẽ electus cum ſex ſcrutatoribus, tribus de Collegio, & tribus extra Collegium, fuit per Sedem Apoſtolicam confirmatus;quod dicit etiam Boer.*ibid.ad Mandagot.littera S.* Menoch. *conſ.*63. *nu.*37. Nam huic motiuo fuit reſponſum,contrariam opinionem eſſe communiorẽ, & ſecundum litteram textus ibi, *aſſumantur tres de Collegio*.quam tenet Goffred. *in ſum. tit. de elect. num.*7. & *in cap. quia propter*; Hoſtien. *num.*17.*& ſeq. & num.*25. Butr. *num.*2.*&* 22.*verſ.dicitur ſexto.* & *verſ. dicitur ſeptimo.* Bald. *num.* 31. Io. Andr. *num.*10.*&* 11. & ſenſit Innoc. *num.*3.*&* 4. & tutius eſſe quod interueniant tres ſcrutatores de Capitulo, dicunt Anchar. *num.*1.*verſ. ſecundum ſubſtantiale*; Compoſtell.*nu.*5 Abb. antiq.*nu.*7.*verſ. tres*; Card.q.11. *&* 12.*&* 45.& quod ſit communis opinio,quod debeant interuenire tres ſcrutatores de Collegio, dicit Abb. *in dicto cap. quia propter,nu.*13. Imol.*nu.*7.*&* 8.

Roman.

Roman. *conſ.* 322. *nu.*6. *&* 11. *&* 12. dicit quod electio aliter facta corruit, Franc. Marc. *dec.* 1201. Petrus Baiſ. *in Director. elect. par.* 3. *cap.* 24. *nu.* 1. *& ſeq.* Rebuff. *ſuper concord. tit. de Regia ad Prælatur. nomin. §. per præmiſſa, verb. poſſint, verſ.* 3. *quod tres ſcrutatores*, Rodriquez *in ſum. par.* 1. *cap.* 102. *nu.* 3. *verſ. dize mas la ordenacion.* Silu. *in ſumma, verb. Electio* 2. *nu.* 12. Angel. *eod. verb. n.* 26. Tabiena pariter *eod. verb.* 1. *num.* 20. & vlterius hanc etiam ſententiam tenent Boer. *ad Mandagot. de elect. cap.* 22. *littera, C, & cap.* 23. *littera, Q,* vbi quod iſtud eſt tenendum; Piſanella *in verb. Electio* 1. *col.* 5. *verſic. quando proceditur per formam ſcrutinij*, Io. Bap. de Saliſ. *in ſumm. eod. ver. col.* 5. *verſ. quot ſunt formæ electionis*, Azor. *inſtit. moral. tom.* 2. *lib.*6. *cap.* 14. *col.*7. *q.* 11. *verſ. per ſcrutinium*. Neque eſt curandum quod aliàs fuerit confirmata electio, in qua ſex interuenerunt ſcrutatores, tres de Collegio, & tres extra Collegium, vt referunt Cardin. & Boer. locis prædictis: quia hoc potuit fieri, *vel ex gratia*, vel quia cùm interuenerint tres ſcrutatores de Collegio, vtilis forma per inutile non debuit vitiari, *l.* 3. *ff. de teſtam. milit.* & not. Bald. *in d. cap. quia propter, num.* 2. *de elect.*

6 Neque obſtat quod ex † conſuetudine poſſit tolli forma tradita in d. cap. quia propter, maximè circa ſcrutatores, Bald. *in conſ.* 318. *num.* 1. *circa fin. par.* 3. Rot. *deciſ.*65. *nu.* 11. *par.* 1. *in recent.* Bertachin. *de Epiſc. in* 1. *par. lib.* 3. *q.* 1. *nu.* 1. quem refert, & ſequitur Boer. *ad Mandagot. de elect. cap.* 23. *littera, R, verſic. adde quando.* Fuit enim reſponſum quod nulla conſuetudo probatur; nec Doctores prædicti dicunt, quod induci poſſit, Bald. enim loquitur in terminis electionis ſcholarium, in qua non erat ſeruanda forma cap. quia propter. Rota verò loquitur de pertinentia collationis ex conſuetudine: Bertacchinus autem, & Boer. ſolum dicunt, quod tres poſſunt eligi extra Collegium, qui tamen de conſuetudine poſſunt electioni intereſſe; qui non eſt caſus noſter; quod prius dixit Speculator. *de elect.* §. 1. *nu.* 12. & ſubdit, melius eſſe quod eligatur ex Collegio, non ex illis, qui ex conſuetudine interueniunt electioni; & prius etiam dixit Cardin. *in d. cap. quia propter, q.* 12.

7 & in terminis, quod † forma, de qua in cap. quia propter, tollat conſuetudinem in contrarium, dicit Boer. *deciſ.* 1. *nu.*49. & 50. & probatur euidenti ratione; quia, vt ſupra dictum eſt, electio non ſeruata forma illius tex. ipſo iure eſt nulla, quia verba illa, *electio aliter facta non valeat*, habent vim decreti irritantis, Roman. *d. conſ.* 322. *nu.* 12. & certum

8 eſt quod decretum † irritans inficit titulum, & poſſeſſionem, *cap. ſi eo tempore, de elect. in* 6. Caſſad. *deciſ.* 1. *ſub* 7. *de reſtitut. ſpoliat.* Sarn. *in reg. de trienn. q.*49. *nu.*3. Put. *deciſ.*48. *nu.* 3. *& vlt. & deciſ.* 386. *lib.* 1. *in nou.* Gabr. *de clauſ. concl.* 3. *nu.* 56. Rot. *deciſ.* 24. *nu.* 5. & *deciſ.* 149. *nu.* 2. *par.* 2. & habet oculos retro, & operatur nullitatem ab initio; Caſſad. *deciſ.* 12. *nu.* 5. *ſuper reg.* Sarn. *in reg. de annal. q.* 5. *nu.* 1. *&* 4. Rot. *d. deciſ.* 24. *num.* 5. & *deciſ.* 149. *nu.* 2. *par.* 2.

Neque dicatur quod hic non agatur de conſuetudine inducenda contra ius, ſed contra communem opinionem Doctorum; quia cum ſcrutatores debeant eſſe tres, & de Collegio, ex text. in cap. quia propter, quem ita communiter interpretantur Doctores, non agitur de inducenda conſuetudine contra communem ſententiam Doctorum, ſed contra diſpoſitionem ipſius text. qui ita communiter intelligitur à Doctoribus;

9 nam leges humanæ † admittunt doctrinalem interpretationem, quæ licet per

ſe non iudicat obligationem, quia non habet poteſtatem inducẽdi legem, Suar. *de legib. lib. 6. cap. 1. nu. 5.* tamen ſecus eſt quando communis opinio conuenit in interpretatione: quia tunc facit humanam certitudinem, & inducit obligationem ſeruandi legem, & vtendi illa in praxi, iuxta communem interpretationem, Suarez *d. loco verſ. de hac igitur interpretatione*. Et quamuis ab iſta communi interpretatione aliqui Doctores diſſentiant, non eſt relinquenda communis, quia eſt conformis litteræ textus, ibi, *aſſumantur tres de Collegio*, vt aduertunt omnes Doctores qui hanc communem tenent; nam in interpretatione
10 † legis ſemper eſt attendenda verborum proprietas, ideſt, verborum ſignificatio *l. 1. §. ſi is, qui nauem, ff. de exercit. act. l. proſpexit, ff. qui, & à quibus; cap. 2. §. ſed neque, de tranſlat. Epiſcop.* eleganter Suar. loco præcit. *nu. 7.* vbi exornat.

Neque ſuſtinetur quod hic in omnem euentum agitur de electione mixta ex ſcrutinio, & compromiſſo, ex Speculat. *in tit. de elect. §. 1. nu. 20. verſic. ſi autem,* vbi Io. Andr. *in verb. pro conſenſu,* Compoſtell. *in d. cap. quia propter, nu. 14. verſ. ſed etſi Capitulum*. Nam fuit reſponſum, quod iſti Doctores ſolum dicunt, quod poſt collationẽ ſufficit quod fiat communis electio per vnum ſine mandato Capituli, quia Capitulum tacẽdo videtur hoc habere gratum; quod etiam dixit gloſſ. *in cap. ſicut, in ver. per vnum, de elect. in 6.* Abb. *in d. cap. quia propter, ante nu. 11.* Franc. Marcus, *deciſ. 922. nu. 2. lib. 1.* & ſi omnes tacitè conſentiant, iſta communis electio poteſt etiam fieri per extraneum, vt voluit Petrus de Baiſ. *in direct. elect. par. 3. cap. 33. nu. 4. & ſeqq.* ſed iſta non eſt electio per compromiſſum mixtum, ſed per ſcrutinium; quia communis electio facienda per vnum, eſt pars electionis per ſcrutinium, vt habetur in d. cap. quia propter: publicato namque ſcrutinio, & facta collatione, debet fieri per vnum communis electio nomine Capituli, vt ſupra dictum eſt.

Et quamuis verum ſit poſſe dari electionem mixtam ſcrutinio, & compromiſſo, vt dicit Henric. Caniſius *in compendio Decretalium tit. de elect. §. ac in primis, ante finem*; tamen hoc in iſto caſu non fuit factum, quia vt dicit idem Caniſius, *ibidem in §. interdum*, tum compromiſſum concurrit cum ſcrutinio, ſi ita compromiſſum ſit, vt compromiſſarij, ſiue vnus, ſiue plures, ſecreto, & ſigillatim vota ſingulorum exquirãt, illumque eligant, in quem maior, & ſanior pars Capituli conſenſerit, *cap. cum expediat, 29. de elect. in 6.* iuncto *cap. cum dilectus, 32. de elect.* Vnde quæ in electione per ſcrutinium ſeruanda ſunt, eadem in hac ſpecie adhibenda erunt, *cap. ſi cui 23. de elect. in 6.* & in hac electione nihil minus fuit actum, quam facere electionem per compromiſſum mixtum cum ſcrutinio, vt patet ex lectura inſtrumenti electionis ſupra relata.

Denique non obſtat quod videatur ſufficere, quod vota fuerint ſecreta abſque alia forma, ex diſpoſitione Concilij Trid. *ſeſſ. 25. cap. 6. de regul.* quia licet ibi diſponatur quod omnes electiones regularium debeant fieri per vota ſecreta, non tamen cenſetur ſublata forma cap. quia propter, de election. vt prudenter aduertit Emmanuel Rodriquez *in ſumma caſuum, par. 1. tit. de elect. cap. 102. nu. 2.* Sed adhuc in ſuo robore perſeuerat; Zerola *in praxi Epiſcopal. in ver. Abbatiſſa, verſ. ad ſextum,* & Azor. *inſtitut. moral. lib. 13. cap. 10. q. 2.*

Et ita concluſum, electionem eſſe nullam, itaut non debeat confirmari.

Coram

Coram eodem Reuerendiſsimo Domino Decano.

Treueren. Abbatiæ S. Maximini.

Mercurij 20. Nouembris 1624.

PEtitum fuit, vt Sanctiſſimus Dominus Noſter confirmaret electionem Abbatis, quæ niſi † valida ſit, confirmari non debet, *cap. nihil, 44. §. cæterum, de elect.* Imò ſi eſt nulla,
11
12 † ob non ſeruatã formam cap. quia propter, de elect. poteſtas prouidendi deuoluta eſt ad Sedem Apoſtolicam, tam vigore Iuris communis, vt eſt text. expreſſus *in cap. quamquam, de elect. in 6.* Roman. *conſ.* 332. *num.* 11. quàm vigore Concordatorum, & compactat. Germaniæ. Ideò S. D. N. mandauit, vt in Rota videretur, An conſtet de valida electione, quæ veniat confirmanda. Et reſolutio pendet principaliter ex eo, An fuerit ſeruata forma cap. quia propter,
13 de elect. quod habet locum † in electione etiam Abbatum, vt colligitur ex dicto text. *in verb. Eccleſia viduata,* iuncto text. *in cap. ne pro defectu* 41. *tit. eod.* & *in cap. indemnitatibus, §. ſanè, cum §§. ſeqq. de elect. in 6.* Io. Andr. *in d. cap. quia propter, num.* 59. vbi de communi, Bellam. *ibid. nu.* 3. *in princ.* Imol. *nu.* 3. vbi de communi, Rot. *dec.* 5. *in princip. iuncto nu.* 2. *de elect. in nouis,* cum pluribus allegatis *in cauſa Meten. Monaſterij* 5. *Iulij* 1621. *corã me;* quibus poteſt addi Cuch. *inſtit. maior. lib.* 4. *tit. de elect. nu.* 279. *in fin.* Caniſ. *de elect.* §. *& hac de Epiſcop.* Iodoch. Lorich. *in theſaur. vtriuſque Theolog. in verb. electio in forma ſcrutinij, verſ.* 8. *hac forma.* Et forma, quæ traditur in d. cap. quia propter, eſt præciſè ſeruanda, cùm habeat decretum irritans ibi, *electio aliter facta non valeat;* quæ verba dictum decretum important, *l. non dubium, C. de legib. l. ſtipulatio, ff. de verb. oblig.* Io. Salas, *de legib. q.* 96. *tract.* 14. *diſp.* 16. *ſect.* 11. *n.* 29. Alex. *conſ.* 41. *num.* 13. *&* 14. *lib.* 5. quod duplicatur, Soccin. Sen. *conſ.* 87. *num.* 6. *verſ. confirmatur, lib.* 3. Iaſ. *conſ.* 85. *nu.* 8. *&* 9. *lib.* 3. & in puncto dicti cap. quia propter dicunt Gloſſ. & Doctor. in dicta Meten. allegati, Compoſt. *nu.* 20. *verſ. nunquid de iſta:* Io. Andr. *num.* 37. *in verbo, non valeat,* Innoc. *nu.* 6. *eodem verb.* Guliel. Mandagot. *de elect. cap.* 22. Roman. *conſ.* 332. *nu.* 12. Et Domini negotio maturè diſcuſſo, cùm vna tantum Pars informaret, cenſuerunt non conſtare de valida electione, quæ debeat confirmari.

Cum enim in dicto cap. quia propter, dentur tres formulæ electionis, per ſcrutinium ſcilicet, compromiſſum, & quaſi inſpirationem, quæ vltima verè non eſt formula, vt notant Doctor. *ibidem,* & fuerit electa forma ſcrutinij, non fuit ſeruata forma in dicto cap. quia propter præſcripta. Primò, quia ibi diſponitur, quod aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant; & in hoc caſu fuerunt aſſumpti tres quidem de Collegio, & tres extra Collegium; Vnde electio in duobus peccat, ac proinde remanet nulla. Primò quia fuerunt electi ſex, & tamen non debent eſſe plus quam tres. Secundò, quia fuerunt electi tres extra Collegium, vtrumque enim eſt contra formam ſubſtantialem illius cap. quia propter, vt probatur ex text. claro *in cap. Eccleſia veſtra il* 2. 57. §. *denique de elect.* vbi eſt expreſſum, quod clauſula illa poſita in dicto cap. quia propter, dum poſt requiſita ad electionem legitimè faciendam ſubiungitur, *electio aliter facta non valeat, &c.* refertur ad ea omnia, quæ attentantur contra formam electionis, repertam ſolum à dicto cap. quia propter in Concilio generali, non autem ad alia ibi nar-

rata, quæ ad electionem faciendam reperta ſunt ab alijs etiã Canonibus; quibus tamen omiſſis, illi Canones non inualidant electionem; hoc verò, quod ſcilicet tres de Collegio, & non plures debeant eſſe ſcrutatores, ſtatutum eſt ſolummodo ab ipſo Concilio generali in dicto cap.quia propter, non autem ab alio Canone; igitur electio, omiſſa iſta forma, eſt nulla, cùm illa clauſula, *alias electio facta non valeat*; poſita in fine dicti cap.ad dictam formulam à Concilio generali introductam referatur; vt bene dictum text. *in cap. Eccleſia veſtra* ponderat Roman.*conſil.* 3 3 2.*num.* 1 2.ad quod nullus alius, quem ego viderim, animaduertit.

14 Et quod † etiam ſcrutatores debeant eſſe tres, & non plures, alias electio non valeat, eſt communis,& indubitata ſententia Abb. *in d. cap. quia propter, nu.* 1 3. *verſ.tertium ſubſtantiale*,vbi de communi, Imol. *num.* 7. Innoc. *num.* 4. Bald. *num.* 3 1. Io.Andr. *num.* 9. *verſ aſſumantur*,dum vult,quod ſubſtãtialia cap.quia propter, incipiant à verbo *aſſumantur*. Butr. *num.* 2 2. *verſ. dicitur 6.* Hoſtien. *nu.* 17. & 4 3. dicit hoc eſſe tutius. Card. *num.* 3. *q.* 1 2. Anchar. *col.* 1. *in fin.* Goffred. *in ſum. tit. de elect.num.*7. Hoſtien. *in ſum.* §. *qualiter facienda, verſ. ſed verba Concilij*. Baiſ. *de elect.par.* 3.*cap.*2 3.vbi de communi Bertrand.*conſ.* 1 8 7.*num.* 1. vbi etiam de communi. & quod ab hac opinione non ſit recedendum in conſulendo, neque in iudicando, Rebuff. *ſuper concor. in tit.de reg. ad Prælat. nomin. facien.* §. *vlt. verb.formam,verſ.tres*,vbi de communi;Franc.Marcus *deciſ.*1 2 0 1. vbi pariter de communi; Io.de Friburg. *in ſumm. tit. de elect. q.*7. *col.* 2. *verſ. aſſumantur*; Silueſt. *in ſumm. verb.electio* 2. *num.* 1 2. *verſ. tertium de communi*. Ang. *in ſumm. eodem verb. num.* 2 6. Tabien. *in verb. electio* 1.*num.* 2 0.*verſ.ſecundum quod*; Roſell. *eodem verb.col.* 5. *verſ.quot ſunt forma*; Azor. *Inſtit. moral. part.* 2. *lib.*6. *cap.* 1 4. *col.*7. *verſ.vndecimo queritur*; Rodriq. *in ſum. cap.* 2. *de elect. col.* 3. vbi de communi,alias *cap.* 1 0 2. Iodoch. Lorich. *in theſ.vtriuſque Theol. in verb. electio in forma prima ſcrutinij verſ.* 2. *vt ipſi eligant*. Et ratio huius ſententiæ eſt, vt tres facilius cõueniant, & fidelius negotium tractent;Hoſtien. *in ſum.*Petr.de Baiſ. Butrius,& Bertrandus locis iam allegatis.

15 Et quod etiam dicti tres ſcrutatores debeant eſſe † de Collegio, alias electio ſit nulla, eſt pariter communis opinio Abb. *in dicto cap. quia propter, num.* 1 3. *verſ. quartum ſubſtantiale*; Imol.*num.*8. vbi de communi; Ioan. Andr. *num.* 1 1. Butr. *num.* 2 2. *verſ. dicitur* 7. Hoſtien. *num.* 2 5. *&* 4 3. Card. *nu.* 3. *q.* 1 2. Compoſtell.*num.* 5. *in fin. verſ.de Collegio*; Anchar.*col.* 2.*verſ.circa hoc*; Goffred.*in ſum. de elect.num.*7. Hoſtien. *in ſum.eodem tit.* §. *qualiter facienda, col.* 4. *verſ.de Collegio.* Roman. *conſ.*3 1 2.*num.* 1 2. vbi de communi; Rebuff. *loco præfato, verſ. quarto requiritur*; Baiſ. *de elect. par.* 3. *cap.* 2 4. Franc.Marc. *d.deciſ.* 1 2 0 1. *in fin.* Silueſt. *in ſum.* Ang. Io.de Friburg. Tabien.Roſell. Azor. Iodoch. Lorich. *locis ſupra allegatis*. Et ratio huius dicti eſt,quia præſumitur eos, qui ſunt de Collegio, fidelius tractaturos electionem; & non eſt honeſtum, vt qui ſunt extra Collegium ſciant conſcientiam illorum de Collegio. Hoſtien. Imol. Baiſ. & Rebuff. *ſupra citatis locis*.

Et quamuis ſecundum aliquos ſubſtantialia formæ cap. quia propter,non incipiant à verbis illis, *aſſumantur tres de Collegio*; ſed à verbis immediatè ſequentibus, *qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorũ diligenter exquirant*, prout gloſſ. *in d.cap.quia propter,in verb. ſanior,in fin.* & fuit opinio Vincentij, & Tancredi, Man-

Mandagot. *de elect. cap.* 13. *in verb. irritari*, vbi, quod in Curia fuit confirmata electio Abbatis Tulleñ, licet in ea fuerint electi ſex ſcrutatores, tres ſcilicet de Collegio, & tres extra Collegium, quem etiam refert Card. *in dicto cap. quia propter, num.* 13. *q.* 12. *verſ. iuxta Mandagotum*, & hanc opionem eſſe in Curia receptam dicunt, licet ipſi contrarium expreſsè teneant; Hoſtien. *in ſum. de elect. §. qualiter facienda, col.* 4. *verſ. aſſumendo.* Goffr. *in ſum. num.* 7. Io. de Friburg. *in ſum. tit. de elect. q.* 7. *col.* 2. *verſ. aſſumantur.* Io. Andr. *in d. cap. quia propter, nu.* 9. *in verb. aſſumantur:* Prædicta tamen opinio gloſſ. non eſt vera, vt patet ex ſupradictis, & bene dicunt Doctores modo allegati; neque probatur quod ſit recepta in Curia, quia non eſt credendum
16 Doctori † de receptione atteſtāti, prout nec creditur de conſuetudine atteſtanti Mohed. *deciſ.* 2. *&* 3. *de conſuetud.* & eſt ratio, quia conſuetudo eſt quid facti, & quod tunc fuit, poteſt hodie non eſſe: per quam rationem ſemper meo tempore Rota reprobauit opinionem illorum qui tenent, quod credatur Doctori teſtanti de conſuetudine, quando eſt verſatus in illo foro. Eoque magis non eſt credendum dictis Doctoribus, quia hoc dictum nō videtur congruum; cum ferè omnes prædicti Doctores videantur moueri ex prædicta confirmatione electionis, in qua fuerunt adhibiti ſex ſcrutatores, quæ quidem electio, vt rectè Rota aduertit *in dicta Cauſa Meten. Monaſterij* 5. *Iulij.* 1621. per Summum Pontificem potuit confirmari ex gratia, non autem ex eo, quod electionem cenſuerit validam. Nec prædicta electio adhibitis ſex ſcrutatoribus potuit ſuſtineri, prout nec iſta, ex regula, quod vtile per inutile non vitietur. *cap. vtile, de re-*
17 *gul. iur.* quia iſta regula † non habet locum, quando aliquid inducitur pro forma ſubſtantiali, prout eſt, quod tres tantùm eligantur ſcrutatores de Collegio; quia cum forma ſit indiuidua, vtile per inutile vitiatur. Dec. *conſ.* 532. *num.* 5. Mandoſ. *de communi reg.* 27. *q.* 24. *nu.* 10. Marien. *in l.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *gloſſ.* 4. *num.* 9. Becc. *conſ.* 12. *num.* 30. Guttier. *canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 114. Rot. *deciſ.* 471. *num.* 9. *par.* 1. & in terminis electionis, Roman. *conſ.* 66. *num.* 2. *vſque ad finem:* vbi, quod ſtante ſtatuto, vt electio fiat ad annum, & non vltra, & ſi contra fiat, ſit nulla; electio facta per triennium eſt nulla in totum, quia illa verba dant formam electioni, quæ facit eam indiuiduam, & ibi Add. *in littera C*, quem ſequitur Alciat. *in l.* 1. *§. ſed ſi mihi, nu.* 13. *ff. de verb. oblig.* & Garzias *de benefic. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 59. & optimè ad rem idem Alciat. *loco citato, num.* 11. *&* 12. vbi ex cap. Meſſana, de elect. dicit, quod ſi interueniant in electione laici, & clerici, electio eſt nulla in totum ea ratione, quia non eſt ſeruata forma, cum lex de forma introduxerit, vt laici non interueniant in electionibus, vt tenent Card. & Imol. *in dicto cap. Meſſana.*

Neque prædictis reſiſtit, quod de cō-
18 ſuetudine † poteſt introduci, vt aliqui extra Collegium interueniant in electione Specul. *de elect. §.* 1. *nu.* 12. Card. *in cap. quia propter, quæſt.* 12. *in princ.* Bertach. *de Epiſc. lib.* 1. *par.* 3. *q.* 5. *nu.* 4. quem refert, & ſequitur Boer. *ad Mandagott. de elect. cap.* 13. *littera R, verſ. adde, qui tales poſſunt eligi ſcrutatores;* Card. & Specul. *vbi ſupra*. Quia quicquid ſit de hac opinione, procedit, quando illi extra Collegium de conſuetudine legitimè præſcripta habent vocem; tunc enim, vt conſiderat Card. *loco prædicto*, hi dicuntur de Collegio eligentium. In propoſito autem nullibi probatur, quod tres ſcrutatores exteri de conſuetudine debeant intereſſe electioni; & ſi proba-

retur iſta conſuetudo, non releuaret, quia apertè conſtat, quod hi ex conſuetudine nõ ſunt de Collegio eligentium, cum in electione vocem minimè dederint. Si verò prætendatur, quod de conſuetudine poſſint eligi ſex ſcrutatores, tres de Collegio, & tres extra Collegiũ; Hoc etiam probato, nihil officeret, quia eſſet conſuetudo contra diſpoſitionem

19 dicti cap. quia propter, quod cum † habeat decretum irritans, tollit omnem conſuetudinem in contrarium, vt in puncto illius textus dicit Boer. *deciſ.* 1. *num.* 49. *&* 50. & hoc eſt regulare in omni lege, & canone habente decretum irritans. *cap. quod ſuper his, in fin. de conſanguin. & affinit. cap. ſuper eo, in princ. de cognat. ſpirit.* Couar. *par.* 4. *cap.* 6. §. 10. *num.* 35. *& ſeqq.* Driedon. *de libert. Chriſtian. lib.* 1. *c.* 16. *col. vlt. verſ. & hinc iam conſideranda*; Et confirmatur, quia lex irritans facit perſonã incapacem, quando circa illam verſatur; & conſuetudo non poteſt tollere incapacitatem, Dec. *in cap. nouit, de iudic. nu.* 84. Felin. & Aym. quos allegat Suar. *de Legibus, lib.* 7. *c.* 19. *num.* 13. *in fin.* & quamuis ipſe *num.* 14. hanc ſententiam non probet, dum tenet, quod lex irritans aliqua ratione honeſta poſſit eſſe abrogabilis per conſuetudinem: Tamen quicquid ſit de hac opinione, quatenus etiam eſſet vera, in caſu iſto nihil prodeſſet, quia, vt idem Suarez declarat *num.* 16. *&* 17. proce-

20 deret, ſi vniuerſaliter † in toto Orbe per conſuetudinem contrariam cum requiſitis lex eſſet abrogata: quod in caſu iſto videtur improbabile; ſecus autem, quando in certo loco ſeruatur cõtra id, quod in lege habente decretum irritans diſponitur; iſta enim eſt præſcriptio, quæ introduci non poteſt, obſtante decreto irritanti; quia cum lex generaliter non ſit abrogata, remanet in ſuo robore. Neque hic repetendum eſt, quod alias dicebatur in dicta Cauſa Meteñ Coram me, quod videlicet non agatur de præſcribenda lege, ſed communi Doctorũ ſententia: quia imò de præſcribenda lege agitur; nam licet aliqui Doctores interpretentur ſubſtantiala cap. quia propter incipere ibi, *qui ſecretè inquirant*; nihilominus communis intellectus illius text. eſt, quod ſubſtantialia incipiant à verbo *aſſumantur*; & hoc in alijs iuribus declaratur, ſcilicet in *in dicto cap. Eccleſia veſtra il* 2. *de elect.* vt ſupra relatum eſt, & ſic agitur de præſcribendo contra Ius, non autem contra communem ſententiam, quæ communis ſententia verſatur ſolum circa interpretationem illius tex. Suarez *de Legibus, lib.* 6. *cap.* 1. *nu.* 5. *verſ. de hac igitur interpretatione*.

Secundo principaliter cõſtat de nullitate electionis, quia dicti tres Scrutatores extra Collegium ſcrutati ſunt votum Fratris Antonij primi ſcrutatoris de Collegio; & 2. loco præſente d. Antonio votum Matthiæ ſecundi ſcrutatoris; ac tertio loco præſente Antonio, & Matthia votum Valentini tertij ſcrutatoris. Vnde ſcrutatio Antonij, & Matthiæ corruit, quia, etſi aliqui velint, quod eligatur quartus ſcrutator, qui vna cum Notario ſcrutetur ſcrutatores; rectius tamen & communiter ſeruatur, quod duo ex eis tertium ſcrutentur: & ſic duo ex ſcrutatoribus debebant Antonium ſcrutari, & duo Matthiam, quod minimè ſeruatum fuit; ita Abbas *dicto cap. quia propter, num.* 9. *verſ. quarto quæritur*. Innoc. *in verb. cunctorum, num.* 6. Hoſtien. *num.* 43. *verſ. ſed quis inquiret*. Io. Andr. *num.* 18. Butr. *num.* 26. Compoſtell. *num.* 6. Baiſius *de elect. p.* 3. *c.* 26. *num.* 8. Io. de Friburgo *in ſum. de elect. quæſt.* 7. *col.* 2. *ante fin. verſ. & puto*. Roſell. *in ſum. verb. electio* 1. *col.* 5. *verſ. quot ſunt*. Rodriq. *quæſtion. reg. tom.* 2. *q.* 52. *art.* 3. *verſ. in princ.* & ſic non fuit ſeruata for-

ta forma cap. quia propter, quia modus prædictus ſcrutandi eſt ſecundum formam d. text. ibi, *vota ſingulorum diligenter exquirant*, ac proindè etiam ſui ipſorum, vt ſcilicet ſemper duo tertium exquirant; Hoſtien. *in d. cap. quia propter, num. 3. in verb. Cunctorum*; & ſufficit, quod forma deficiat in his duobus votis, cum ſatis eſſet, quod etiam in vno non ſuiſſet ſeruata, vt electio corrueret, vt fuit opinio Vinc. quem refert, & ſequitur Bellam. *in d. cap. quia propter, §. niſi forte verſ. 3. quæro*; & ratio eſt, quia in parte relinquitur forma, quæ eſt indiuiſibilis; Garz. *de beneſ. par. 3. cap. 4. n. 148.* qui loquitur, quando etiam defectus eſt in vno voto, & quod magis eſt, nec ille vnus, in quo notatur defectus, poteſt poſtea aſſentire; quia cum electio fuerit nulla, non poteſt ratificari; Compoſtell. *in d. cap. quia propter, num. 29.* Bellam. *loco citato*.

Tertio principaliter electio fuit nulla, quia ipſi ſcrutatores extra Collegium ſcrutati ſunt, ſolum aſſidentibus ſcrutatoribus de Collegio, vt patet ex Inſtru- 21 mento cõfirmationis tranſmiſſo S. D. N. in quo ſic habetur. Petrus Abbas Epternaceñ, ſuffraganeus Treuereñ, & Abbas ad S. Matthiam, qui ſunt ſcrutatores electi extra Collegium (in præſentia Notarij infraſcripti: Primo votum Fratris Antonij ſcrutatoris: deinde in præſentia iam d. Antonij votum Matthiæ ſcrutatoris: Tertio ipſo quoque Matthia præſente votum Valentini) qui ſunt tres ſcrutatores electi de Collegio. & poſtea ſubſequitur: Aſſidẽtibus iam dictis ſcrutatoribus, Venerabilis Patris Michaelis Prioris, & poſtea ſingulorum in Ord. ſeqq. Vota præſtita, ab vnoquoque primitus Iuramento conſueto præſtito, inquiſiuerunt, audiuerunt, & exceperunt, &c. Et ſic ſcrutatores extra Collegium ſunt illi, qui ſcrutati ſunt Vota, aſſidentibus ſolum ſcrutatoribus de Collegio, atque ita contra formam cap. quia propter, vbi expreſsè diſponitur, quod tres ſcrutatores de Collegio vota omnium diligenter exquirant: quod verbum (exquirant) importat vt ex ſe, & proprio ore exquirant, imò adhibitis quibuſdam verbis adhortatorijs, quæ tamen non poſſunt dici de ſubſtantia, prout de ſubſtantia eſt, quod ipſi exquirant; Specul. *de elect. §. 1. nu. 17.* quem ſequuntur Bertach. *de Epiſcop. lib. 2. par. 1. nu. 2.* Butr. *in cap. quia propter, nu. 25.* Abb. *num. 5. verſic. nota 3.* Hoſtien. *num. 30.* Innoc. *nu. 6.* quod non fecerunt ſcrutatores de Collegio: Aliud nempe eſt facere, aliud aſſidere, *l. 1. ff. de off. Aſſeſſ.* & aliud eſt facere, & aliud eſt eſſe præſentem actui per alium explicato, Bart. *in l. omnium, nu. 5.* per illum text. & ibi Bald. *num. 9.* Alex. *nu. 9.* Bart. *in l. Modeſtinus, nu. 3. ff. de donat.* Bald. *in l. illud ſub nu. 4. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Quarta etiam principalis nullitas ex verbis ſupra ponderatis reſultat: quia vt ex illis patet, vota † non fuerunt redacta in ſcriptis, contra formam text. in dicto cap. quia propter, ibi *& in ſcriptis redacta*. Abb. *ibidem, nu. 6.* Butr. *nu. 27.* Ioan. Andr. *nu. 19.* Hoſtien. *nu. 31.* vbi expreſsè, quod aliter non ſeruatur forma. Innoc. *nu. 6.* Imol. *nu. 5. in fin. verſ. in gloſſ. redacta,* vbi quod hoc requiritur, quia melius conſtat de voto per ſcripturam, hoc eſt, ne memoria ſcrutatorum pereat. Innoc. *ibid.* Anchar. *ante nu. 1.* Bail. *de elect. par. 3. cap. 28. nu. 1. & ſeqq.* Mirand. *in Manuali Prælat. regul. tom. 2. q. 23. art. 16.*

Quinta adeſt nullitas, quia vota in 22 ſcriptis redacta † publicari debent in communi, vt habetur in dicto cap. quia propter, & hoc eſt etiam ſubſtantiale: in proprio autem fuit publicata ſolum electio, non autem vota, vt in inſtrumẽto, ibi,

to, ibi,

to, ibi, Inquiſitis itaque collectis, & collatis ſingulorum votis, ſuffragijs, & voluntatibus, nos omnes rurſus in vnum; ac in locum Capitularem conuocati, atque pro publicatione noui electi Abbatis, & Paſtoris inſtantes, per ſæpè dictum Dominum Præſidentem expreſsè rogati, num factam per nos electionem ratam, firmamque haberemus, conſentientes in Abbatem, & Paſtorem noſtrum Monaſterij, & Conuentus venerabilem Patrem, &c. Pium, &c. publicari, & proclamari fecimus, prout idem Dominus Præſidēs Dominum electum alta, & intelligibili voce proclamauit, publicauitquo, &c. Vnde cum fuerit publicata tantum electio, non autem vota, electio fuit nulla; Hoſtien. *in dicto cap. quia propter, nu.*44. *verſ. quintum eſt:* Io. Andr. *nu.*28. *verſ.*9. Anchar. & Butr. *eod. verſ.* Baiſ. *d. par.*3. *cap.*29. *in princip.* Mirand. *loco prædicto verſ.*9. Neque dicatur, quod electio fuit vnanimis, & propterea non erat neceſſaria publicatio votorum, cum non eſſet facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum; Abb. *in dicto cap. quia propter, nu.*10. Quia reſpondetur, quod ex tenore narratæ electionis conſtat vota non fuiſſe publicata, ſed ſolum electionem. Et quamuis in petitione confirmationis dicatur quod electio fuit vnanimis, hæc eſt ſimplex enunciatiua; & ſi modo conſtaret, quod
23 fuiſſet † vnanimis, non releuaret; dum non conſtat fuiſſe publicatam, cum vota ſemper publicanda ſint. Licet enim, vt ſupra dictum eſt, quando electio eſt vnanimis, non ſit facienda collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, debet tamen fieri collatio numeri, meriti, & zeli: Abb. *in dicto cap. quia propter, nu.*10. *verſ. ſi vnus:* vel ſaltem eſt facienda collatio numeri, aliàs eſſet in arbitrio ſcrutatorum pronunciare quem mallent: & hoc benè requiritur, prout etiam quando quis eligitur à duabus partibus; quo caſu, licet non fiat collatio meriti, & zeli, *cap. ſi quando de elect. in* 6. Abb. *d. nu.* 10. *verſ. nam maioritas*; Franc. Marc. *deciſ.* 924. *ante num.*6. *lib.*1. nihilominus fit collatio numeri, licet non ad numerum.

Non obſtat, quòd Monaſterium ſit Ordinis ſancti Benedicti & in d. electione dicatur, Et lecto capitulo ex regula de eligendo Abbate, &c. quod eſt c.64. ex quo forſan poſſet prætendi, quod electio facta, iuxta dictam regulam ſubſtineatur: quia, vt aduertit Turrecrem. *tract.*38. illud caput habet duas partes principales; in prima agitur de ipſa electione, in ſecunda de qualitate ipſius electi: & circa primam partem tres ponuntur electionum differentiæ. Prima eſt, ſi tota Congregatio in timore Domini concors fuerit in eligendo: ſecunda, ſi parua pars Congregationis, meliori tamen conſilio freta, eligeret aliquem: tertia, ſi tota Congregatio peruerſa intentione corrupta aliquem elegerit: primam, & ſecundam approbat, tertiam verò reprobat. & hoc eſt, quod diſponitur etiam poſtea in dicto cap. quia propter, vt ſupra relatum eſt. Circa modum autem eligendi, regula nihil diſponit; & ſi diſponeret non releuaret: quia licet verum ſit, quod quando habenti facultatem datur certa forma, illa non ſeruata, actus tenet; licet contraueniens poſſit puniri: ſecus tamen eſt, quando illa forma habet decretum irritans, vel perpetuam prohibitionem, prout in caſu iſto. Nam cum regula S. Benedicti ſit anterior, ſuperuenit conſtitutio Concilij generalis, de qua in dicto cap. quia propter, quæ dat certam formam cum decreto irritanti: ergo quod ſit in contrarium, eſt nullum, vt diſtinguendo dicunt gloſſ. *in Clem.* 1. *in verb. Inhibentes de*

tes, de iurepatr. vbi Imol. *num.* 3. *&* 4. Vitalin. *num.* 13. Anchar. *in cap. Statutum, §. fin. per tot. de reſcript. in* 6. & *in Clement.* 1. *num.* 11. *verſ. & hoc enim videtur, de ſequeſt. poſſ. & fruct.* Felin. *in cap. ex parte, limit.* 2. *de conſtit.* Abb. *conſ.* 91. *col.* 3. *nu.* 6. *verſ. ad prædicta induco lib.* 1. *& q.* 5. *Augerio num.* 6. *verſ.* 2. *probatur;* Apoſtill. ad Roman. *conſ.* 236. *nu.* 8. *in verb. ſingularis.* Suarez *de Legibus, lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 10. vbi materiam exornat. Io. de Salas *de Legibus, quæſt.* 96. *tract.* 14. *diſput.* 16. *ſect.* 8. *num.* 33. Sà *in ſumma, verb. lex, num.* 13. & iſta eſt communis opinio, vt per Brun. *de forma tit. de poteſtate, & effectu formæ, & ſolemnit. in vlt. eff. in* 6. *limit. fol.* 57. *col.* 1. *verſ. ſexto prædicta regula.*

Neque etiam obſtat ſi dicatur, quod vbi agitur de electione Abbatis regularis, ſufficit quod electio fiat per vota ſecreta, iuxta Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regul.* Quia fuit reſponſum, quod aut Concil. loquitur de Abbatibus temporalibus, prout innunt illa verba, In electione Superiorum quorumcúque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, &c. & ſuper diſpoſitione Concilij non eſt inſiſtendum; aut loquitur de Abbatibus perpetuis, & eo magis electio eſt nulla, quia Concilium non derogat diſpoſitioni d. cap. quia propter, vt per Rodriq. *in ſum. cap.* 1. alias 102. *num.* 2. *&* 3. *de elect.* & fuit dictum Coram me in dicta Meteñ Monaſterij. ſolum addidit, quod nedum vota ſint ſecreta, ſed ita, & taliter, vt nunquam eligentium nomina publicentur. Vnde ſi erat ſeruanda forma cap. quia propter, diſpoſitio Concilij nedum non obſtat, ſed operatur, vt eo magis electio ſit nulla, cum eligentium nomina nunquam publicari debeant. ex quo fuit, quod cũ fuerit electi tres ſcrutatores de Collegio, & tres extra Collegium, electio non remanſerit ſecreta: quod certè non eſſet dicendum, ſi tres tantum de Collegio electi fuiſſent, Rodriq. *loco allegato, nu.* 3. Et cenſuit Congregatio Illuſtriſs. interpretum, quam refert Garz. *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 189. vbi quod electio eſt nulla, ſi aliquis ex electoribus vnam ſchedulam tantum vnico nomine ſcriptam recipit de manu ſcribæ, vel duas recipit, & aliam ſcindit: quam declarationem refert idem Garz. *in d. nu.* 193. Sic in propoſito tres ſcrutatores extra Collegium ſciunt votum eligẽtis, vnde poſſunt reuelare, & intrat nullitas electionis, per rationem declarationis præfatæ, cum Concilium habeat decretum irritans, verbis claris, quod inficit titulum, & poſſeſſionem. Et quamuis Nau. *conſ.* 9. *de elect.* & Rodriq. *loco prædicto, num.* 4. & *quæſt. regul. tom.* 2. *q.* 52. *ar.* 9. teneant, quod electio ſubſtineatur, quã do votum alteri oſtendatur ſine culpa Capituli: tamen quicquid ſit de hoc, in caſu iſto, culpa Capituli votum non eſt ſecretum, cum admiſerit tres ſcrutatores extra Collegium. Neque etiam ſubſtineri poteſt electio, ex quo Nauar. poſt Innoc. & alios aſſerat loco citato, quod ſi adſit conſenſus, etiam non ſeruata forma, electio teneat, quia loquitur in foro conſcientiæ; nam in foro fori indubitatum eſt electionem eſſe nullam; ſed ſummus Pontifex poteſt conſenſum eligentium nõ ſolemniter præſtitum conualidare, *cap. vnic. de poſtul. Prælat.* Abb. *in cap. quod ſicut in fin. de elect.*

Neque facit, quod de prædictis ſolum conſtet ex inſtrumento, in quo Capitulum petit confirmationem: quia cum illud ſit manu publica ſcriptum, habeatque ſigillum, & ſubſcriptionem omnium eligentium, indubitatum eſt, quod probet; vt in puncto ſimilis Inſtrumenti dicunt Innoc. *in cap. innotuit, num.* 3. *de elect.* Io. Andr. *num.* 20. Card.

num. 7.

num.7. verſ.6. quaro. Bellam. *num.20. verſ. item dicit*. Burſat. *conſ.159.nu.15. lib.2.* & videtur facere tex. *in cap. Eccleſia veſtra il 2.* & ibi Doctores *de elect.*

Tandem fuit conſideratum, quod in omnem euentũ electio non debet confirmari, cum non fuerit petita iuxta terminos cap. cupientes, de elect. in 6. & Concordata Germaniæ, & impedimenta quæ poſſent allegari, non probantur: vnde merito fuit reſolutum in contumaciam alterius Partis, non conſtare de valida electione, quæ debeat confirmari; neque etiam debere confirmari ex negligentia petitionis confirmationis. Et ita concluſum.

Coram eodem.

In eadem Treueren. Abbatiæ S. Maximini.

Veneris 24. Ianuarij 1625.

Contra deciſionem in hac Cauſa factam, in qua fuit reſolutum, electionem non ſubſtineri, tria opponebantur. Primum, quòd non omnes nullitates oppoſitæ ſubſiſterent. Secundum, quòd electores poſſunt iuuari conſuetudine hoc modo eligendi. Tertium, quòd in omnem euentum iſta erat electio per compromiſſum cum ſcrutinio mixtum, & ideo poterat ſubſtineri. His tamen non obſtantibus, & cauſa maturè bis diſcuſſa, DD. vnanimi voto perſtiterunt in reſolutis. Nullitates enim in deciſione firmatæ ſubſiſtũt; nam cum fuerit actum per viam ſcrutinij, in pluribus non fuit ſeruata forma tradita in cap. quia propter, de elect. Primò, quia fuerunt electi tres ſcrutatores extra Collegium, & tres de Collegio; & tamen numerus non poteſt augeri, nec ſumi extra Collegium. Secundò, quia ſcrutatores extra Collegium ſcrutati ſunt votum Fratris Antonij primi ſcrutatoris, & deinde præſente dicto Antonio votum Matthæi ſecundi ſcrutatoris, & demum præſentibus Antonio, & Matthæo, votum Valentini tertij ſcrutatoris; vnde vota Antonij, & Matthæi corruunt. Tertiò, quia exquiſitio ſuffragiorum fuit facta à ſcrutatoribus ſolum extra Collegium, aſſidentibus tantum tribus ſcrutatoribus de Collegio. Quarto, quia ſuffragia non fuerunt in ſcriptis redacta. Quintò, quia non fuerunt publicata vota, ſed tantum electio, quæ ideo corruit, vt in cap. quia propter, de elect. & latè in alia deciſione fuit dictum: ille enim textus habet decretum irritans, vt in eadem deciſione fuit deductum, & probat tex. *in cap. ſi cui, de elect. in 6.* ibi ... *decernens eas, ſi aliter fierent, non valere*, & gloſſ. ibidem dicit non valere *ipſo iure*. Quare cum electio non fuerit Canonica, S.D.N. illam confirmare non tenetur tam ex diſpoſitione iuris communis, vt *in cap. quamquam, de elect. in 6.* quod licet procedat in electione Epiſcopatuum, habet tamẽ locũ etiam in alijs beneficijs Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis; Roman. *conſ.332.nu.11.* gloſſ. *in dicto cap. quamquam*, in figurat. caſ. Quàm etiam vigore Concordatorum ibi ... *& lapſo dicto tempore*, de quo ſcilicet in cap. cupientes 16. de elect. in 6. *ſi non præſentatæ, vel ſi minus canonicè præſentatæ fuerint electiones, prouidebimus*, &c.

Neque eſt inſiſtendum in eo, quod plerique Doctores circa prædictas nullitates varient. Quia vt fuit in prædicta deciſione firmatum, omnes nullitates deducuntur, ex quo ſecundum communem Doctorum opinionẽ ſunt contra ſubſtantialia formæ c. quia propter, de elect. quæ communis opinio operatur, vt ita debeat intelligi textus: & ſi aliquid contrarium fiat, non fit contra commu-

communem ſententiam Doctorum, ſed contra ipſum textum, quem communis ſchola ita interpretatur. Suarez *de Legibus, lib. 6. cap. 1. num. 5. verſ. de hac igitur interpretatione*. Nec ex verbo, *exceperunt*, deduci poteſt, quod vota in ſcriptis fuerint recepta, cùm non fuerit additum, *in ſcriptis*, prout loquitur Suet. Tranq. de Tito Principe Romano ibi... *è pluribus comperi, notis quoque excipere velociſſime ſolitum*, &c. Et licet ſcriptores, & Notarij vocentur *exceptores* in §. *deinde*, vbi gloſſ. *in verb. exceptorem, auth. de defenſ. Ciuit.* & *in l. exceptores*, vbi gloſſ. 1. *C. de numer. actuar. lib.* 12. id tamen non concludit, quod dicendo *exceperunt*, in ſcriptis excepiſſe intelligendũ ſit; quid enim hoc verbum de per ſe poſitũ importet, ipſi Grãmatici bene diſcutiunt. Ad id verò, quod in deciſ. dicitur, nempè ſcrutatores tantum extra Collegium vota exquiſiuiſſe, aſſidentibus ijs de Collegio, quod eſt contra formam cap quia propter; dum reſpondebatur, quod ſufficiat præſentia, & conſenſus ex Innoc. *in cap. in Geneſ. nu. 5. de elect.* & ex gloſſ. *in cap. ſicut in verb. per vnum, de electione in 6.* fuit replicatum, quod gloſſ. Innoc. & alij alleg. non loquuntur in his terminis. Quidquid autem dicendum eſſet, an vnus ex ſcrutatoribus poſſit tantum ſcribere, cedulaſque recipere; illud certum eſt, quod omnes ſcrutatores debent exquirere: hic verò tres tantum ſcrutatores extra Collegium exquiſiuerunt, ſcrutatoribus de Collegio aſſidentibus. Nec debuit allegari, quod decretum irritans in dicto cap. quia propter, appoſitũ referatur ſolummodo ad formulas electionum, itaut prohibeat omnem aliam formam, quàm ſcrutinij, cõpromiſſi, & quaſi per inſpirationẽ, non autem referatur ad ſolemnitates circa ſcrutinium diſpoſitas. Quia iſte intellectus nedum eſt valdè ſubtilis, & nouus, ſed contra textum expreſſum *in cap. Eccleſia veſtra 57. §. denique, de elect.* Roman. *conſ.* 332. *num.* 12. & contra alium tex. *in cap. ſi cui, eod. tit. in 6.* ibi, *Talis electio, cùm præter formas, quas generale Concilium ſeruari ſtatuit in electionibus celebrandis, decernens, eas, ſi aliter fierent, non valere*.

Quantum attinet ad ſecundum caput, quod ſcilicet in hac electione fuerit ſeruata forma conſuetudinis huius Eccleſiæ, & ideo non fuerit opus ſeruari formam cap. quia propter, cùm lex per contrariam conſuetudinem, etiam quod habeat decretũ irritans, abrogetur, Suarez *de Legib. lib. 7. cap. 19. num. 14.* Tres fuerunt datæ reſponſiones. Prima, illam conſuetudinem non probari. Secunda, non ſuffragari, cum non adſit expreſſus Papæ conſenſus. Tertia, eò magis non ſuffragari, quia nec adeſt ſcientia Papæ. Quod non probetur conſue-
24 tudo ſatis patet, quia illa non † inducitur, ſi vario modo fuit ſeruatum, quia requirit actus vniformes. Bart. *in l. 2. in fin. princ. ff. ſol. matr.* Dec. *conſ.* 214. *num.* 2. *verſ.* 2. *hoc idem*, & *per tot.* & *conſ.* 129. *col.* 2. Alex. *conſ.* 5. *lib.* 5. & *conſ.* 173. *per tot. lib.* 6. Roland. *conſ.* 2. *num.* 118. *& ſeq. lib.* 1. & *conſ.* 87. *num.* 53. *lib.* 2. & *conſil.* 13. *num.* 18. *& nu.* 20. vbi quod nullus diſcrepat, *lib.* 4. Aym. *conſ.* 96. *nu.* 5. Rimin. Iun. *conſ.* 264. *num.* 28. *&* 29. *lib.* 3. & *conſ.* 265. *num.* 25. Et quando conſuetudo eſt varia, quod non recedatur à iure communi, Natt. *conſ.* 132. *in fin.* & *conſ.* 309. *nu.* 9. Roland. *d. conſ.* 87. *nu.* 53. *lib.* 2. Curt. Iun. *conſ.* 260. *nu.* 20. *lib.* 3. In propoſito autem, electiones, in quibus ſit fundamentum, vniformes minimè ſunt. In illa enim de anno 1502. ſub Alexan. VI. vota fuerunt redacta in ſcriptis, & tam ſcrutatores de Collegio, quam extra, ſuffragia exquiſiuerunt. In alia facta de anno 1514. ſub Leone X.

fuerunt electi tres ſcrutatores de Collegio, & vota in ſcriptis redacta. In alia de anno 1525. ſub Clemen. VII. tres tantum de Collegio ſcrutatores fuerunt electi, & ſuffragia pariter redacta in ſcriptis. Sub Pio V. de anno 1565. tres etiã ſcrutatores de Collegio tantum fuerunt adhibiti. Sub Gregor. XIII. de anno 1581. ſuffragia fuerunt per Notarios ſcripta, quod eſt de Iure permiſſum, gloſſ. *in dicto cap. quia propter in verb. Redacta:* ſola enim quæſtio eſt, An laicus Notarius poſſit ſcribere, vt per Doctores ibidem. Vltima verò ſub Sanctæ mem. Gregor. XV. de anno 1621. ſatis annuit vota fuiſſe in ſcriptis redacta, cum in ea dicatur quod in præſentia Notarij vota ſcrutata fuerunt.

Fuit præterea ex abundanti conſideratum, quod tempore Clem. VII. fuit electus Ioannes de Cellis, & non datur alia electio vſque ad tempus Pij V. & tamen electiones intermedias affuiſſe non eſt ambigendum, cum ſub Pio V. non fuerit facta electio per obitum dicti Ioannis; ſed cuiuſdam Petri, pro vt fuerunt etiam electiones intermediæ inter Gregor. XIII. & S. mem. Greg. XV. tempore enim illius fuit electus quidam Bernerus, & ſub vltimo Gregor. fuit facta electio per obitum Nicolai, & ſic non rectè deducitur ſtatus electionum.

Fuit inſuper ponderatum quod in electione ſub Alexand. VI. fuit facta mentio electionum, de quibus in cap. quia propter, & ſub Pio V. dixerunt electores, quod volebant precedere per viam ſcrutinij. Sub Gregor. XIII. expreſsè etiam fuit dictum, quod ex tribus modis eligendi, nimirum per ſcrutinium, per compromiſſum, & quaſi per inſpirationem, viam ſcrutinij elegerũt. Et in poſtrema ſub S. mem. Greg. XV. dicitur, quod viduatæ Eccleſiæ, per viam ſcrutinij intendebant prouidere. Ex quo igitur viam ſcrutinij cenſuerunt eligendam, cenſendum eſt viam ordinariam elegiſſe, ſcilicet iuxta terminos cap. quia propter, Specul. *in rubr. de elect. num.* 12. Si verò dictam formam ſeruare neſcientes errarunt, non poteſt dici aliquam conſuetudinem induxiſſe, quæ
25 ex † certa ſcientia, non ex errore debet induci, gloſſ. *in cap. fin. in verb. Legitimè verſic. item quod ex certa ſcientia*, & *ibi* etiam Abbas *nu.* 12. *de conſuet.* Silueſt. *in verb. Conſuetudo, q.*4. Tabien. *notab.*7. *nu.*8. Medic. *de leg. par.*2: *q.*14. *nu.* 5.

Secũdo fuit principaliter reſponſum,
26 quod ad † inducendam conſuetudinem contra Canones, requiritur ſcientia; & expreſſus cõſenſus Papæ, alias nunquam per contrariam conſuetudinem lex abrogatur. Quia Summus Pontifex non habet poteſtatem à Populo, ſed immediatè à Deo: & ideò non eſt populus, qui inducit conſuetudinem contra Canones, ſed auctoritas Papæ permittentis, Abb. *in cap. fin. nu.*8. *in fin. de conſuet.* Salas, *de legib. q.*97. *tract* 14. *diſput.* 19. *ſect.*6. *nu.* 59. *verſic. hac ſententia*. Quod
27 in lege Ciuili † ſecus eſt, nam lex Ciuilis tendit ad bonum publicum, & in vtilitatem priuatorum: vnde ſi populus vult ſibi præiudicium inferre, Principes ab eodem Populo poteſtatem habentes nõ curant, *l. de quibus, verſ. nam eum ipſe*, *ff. de leg.* S. Tho. 1.2. *q.*47. *art.*3. *in reſp. ad* 3. Abb. *in cap. fin. num.*9. *de conſuet.* Driedon. *de liber. Chriſt. cap.*11. *ante fin.* Ius autem Canonicum principaliter intendit hominem in Deum dirigere, & venit ad bonum publicum Eccleſiaſticum; & cum ſit inſtitutum à poteſtate ſpirituali, illa non poteſt in laicos cadere, Abb. & Driedon *locis præcitatis*. Hinc ergo cum conſenſus Papæ operetur ad iſtam conſuetudinem inducendam, requiritur illius certa ſcientia, itaut non ſufficiat error, vt dictum eſt; & ſimul

requi-

requiritur animus inducendi conſuetudinem, gloſſ. *in dicto cap. fin. in verb. Legitimè*, vbi Abb. *num.* 17. & facit text. *in leg.* 1. *C. quæ ſit long. conſuet.* Quare ſi conſenſus Papæ eſt ille, qui conſuetudinem inducit, & etiam ad hunc effectum requiritur certa ſcientia, & voluntas inducendi conſuetudinem; non poteſt deduci voluntas, niſi expreſſus conſenſus adſit; multa enim per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio exigente iuſtitia toleranda non eſſent, vt dicit text. *in cap. cum iam dudum* 18. *in fin. de preb.* quem in puncto allegat gloſſ. *in* §. *leges in verb. Abrogatæ diſt.* 4. & ex iſtis rationibus conuincitur Vaſquez 1.2. *art.* 97. *diſp.* 177. *cap.* 12. dum dicit nihil referre, quod Papa recipiat poteſtatē à Deo, & non à Populo, vt conſenſus eius tacitus non poſſit operari ad derogandum ſuæ legi: vt enim ex prædictis apparet, multum refert, quod Papa immediatè poteſtatem habeat à Deo. In hoc autem caſu nedum non adeſt expreſſus conſenſus Summorum Pontificum, ſed nec etiam ſcientia, vt in tertia reſponſione oſtendemus.

28 Et quod requiratur † nedum ſcientia, ſed etiam expreſſus Papæ conſenſus ad inducendam conſuetudinem contra Canones, etiam quantocumque temporis ſpatio illa fuerit ſeruata, tenent gloſſ. *in dicto* §. *leges, in verb. Abrogat. diſt.* 4. Archid. *in cap. cum de benefic. nu.* 2. *circa med. verſ. nam*, & ibi notat *de preb. in* 6. vbi optimè dicit caſum eſſe expreſſum in *cap. conſequens*, & *in cap. nollte* 11. *diſt. cap. facta* 9. *q.* 3. & *cap. illud*, & *cap. ridiculum* 12. *diſtinct.* Io. Andr. *in dicto cap. cum de beneficio poſt princip.* Gemin. *nu.* 6. Franch. *nu.* 3. & 4. S. Antonin. *in ſum. par.* 1. *tit.* 16. *cap. vnic.* §. 2. *ante fin. verſ. dicit autem Ioannes.* Io. de Salas *de Legibus q.* 97. *tract.* 14. *diſp.* 19. *nu.* 62. *in fin.* quam ſententiam ſequuta fuit Rota in *Tractatus de Electione.*

Romana obſeruationis contractus 23. Octobris 1551. coram Chiſſaneñ relata apud Verall. *deciſ.* 204. *num.* 3. *par.* 3. & in Romana concordiæ S. Petri 12. Febr. 1610. corā Reuerendiſſimo Domino meo Caualerio, nunc S.D.N. Datario: quæ eo magis de plano procedunt, cùm cap. quia propter habeat decretum irritans, vt conſiderant Archid. Ioan. Andr. Gemin. & Franch. *locis prædictis*; cui ſententiæ conſonat etiam dictum Goffr. & Innoc. *in cap. ad noſtram in princ. de probat.* vbi lex, quæ eſt contra ius commune, non debet ſeruari, cum non ſit inducta de certa ſcientia eius, cuius eſt condere, & mutare legem, *l. de quibus, ff. de legibus.*

Tertiò principaliter etiā fuit reſponſum, quod communis, & indubitata concluſio eſt, legem Papæ non poſſe abrogari, ſaltem abſque illius ſcientia, vt egregiè probat Driedon. *de libert. Chriſt. d. lib.* 1. *cap.* 2. *in fin.* Vaſquez *ad S. Tho.* 1.2. *q.* 97. & hanc opinionem ab omnibus teneri affirmat Petrus de Lorca *ad* 1.2. *S. Thom. in tit. de legibus diſp.* 19. *in princip.* & latè fuit deductum in dicta cauſa Romana concordiæ S. Petri. Quæ ſcientia, ex qua arguitur conſenſus, hic non adeſt, ſed error, qui non ſufficit ad inducendam conſuetudinem, vt ſuprà eſt dictum. Scientia enim ſummorum Pontificum, quæ deducitur ex confirmationibus, non adeſt, cum electiones nullas cōfirmauerint abſque certa ſcientia, Bar. *in l. ſi conſtet,* 12. *nu.* 2. *ff. de appellat.* vbi quod per confirmationem non confirmatur electio inualida, niſi fieret ex certa ſcientia, Bald. *in l. nominationis* 27. *nu.* 2. *verſ. tu dic. C. de appellat.* vbi quod confirmatio Superioris non purgat vitium electionis, niſi Princeps confirmet ex plenitudine poteſtatis: & loquitur in terminis electionis, in qua non fuit ſeruata forma cap. quia pro-

Digitized by Google

pter, Franc. Marc. *deciſ.227. nu.5. & 6. par.1.* Innoc. *in cap. cum dilecti 32. nu.1. de elect.* Alex. *conſil.59. nu.8. lib.1.* vbi quod nec certa ſcientia præſumitur, niſi probetur. In propoſito autem ſiue dicamus, verba confirmationum de per ſe importare, quod Papa ex certa ſcientia confirmauerit, ſiue non; Nihilominus vtcunque ſit, veritas eſt, quod cum Summi Pontifices confirmauerint electiones tamquam Canonicas, & verè non ſint tales, cum in illis non fuerit inſertus tenor, præſumuntur circumuenti ab ijs quibus electiones examinandas mandarunt, Felin. *in cap. cum à nobis, nu.3. de teſt.* Ruin. *conſ.41. nu.15. verſ.2. reſpondendum lib.1.* Gabr. *concl.2. nu.42. & ſeqq. de probat.*

Neque facit, quod quando interuenit conſenſus de iure naturali requiſitus, electio dicatur Canonica; Innoc. *in cap. cum ſicut, num.7.* Compoſt. *col.6. in princip. nu.17. verſ. item quæro de elect.* Archid. *in cap. nullus, nu.2. eod. tit.* Franc. Marc. *deciſ.1322. num.1. in fin. par.1.* & in dictis electionibus interuenerit conſenſus de iure naturæ requiſitus, & propterea tanquam Canonicæ potuerunt confirmari, Innoc. *in d. cap. quod ſicut, nu.23. verſ. circa primum,* Io. Anan. *nu.7.* Bellam. *num.50.* Quia fuit reſponſum ele-
29 ctionem triplici modo dici ‡ Canonicam; largè, strictè, & strictius, vt per Gemin. *in conſ.88. num.4.* Strictius dicitur Canonica electio, quando omnia interueniunt, quæ ſunt de ſubſtantia, & ſolemnitate; quæ ſi omittantur, electio eſt nulla, *vt in d. cap. quia propter.* Strictè dicitur, quando ſeruantur illa, quæ ſunt de ſubſtãtia, omiſſis tamen his, quæ pertinent ad ſolemnitatem, vt puta vocatio abſentium; & iſto caſu electio non eſt nulla, ſed venit annullanda, *vt in cap. quod ſicut 28. de elect.* Largè dicitur Canonica, quando non ſunt ſeruata ſubſtantialia, nec alia ſolemnia requiſita à iure poſitiuo, ſed habet tantum validitatem iuris naturalis, vt quia ſcilicet habet conſenſum eligentium; & iſta de iure non eſt valida, *vt in dicto cap. quia propter, & in cap. ſicut de elect. in 6.* Vbi autem Papa appellat electiones Canonicas, cenſendum eſt intellexiſſe de electionibus Canonicis ſtrictiori modo, cũ iura tales approbent; & illud eſt proprium ſignificatum, quod communiter iura recipiũt: dum enim dicunt Canonicam, intelligunt de valida, vt patet *in cap. poſtulaſti in princip. de cleric. excommun. miniſtr.* & à propria verborum ſignificatione recedendum non eſt, *l. non aliter, ff. de legat.3. cap. in noſtra de iureiur.* & *in cap. propterea de verb. ſignificat.* Ita egregiè Gemin. *d. conſ.88. nu.4.* & benè Rebuff. *in praxi tit. Canonica inſtit. quæ dicatur*; vbi quod ſolum illa dicitur Canonica, quæ fit ſecundum Canones, *cap. cum aliter de dolo, cap. grauis, de cenſ. cap. vnic. de ætat. & qualit. in 6.* nec poteſt dici Canonica, quæ iure facta non ſit, *cap.1. de elect.* Etſi diceremus Summos Pontifices non ita ſenſiſſe electiones Canonicas, confirmationes tanquam non factæ ex certa ſcientia corruerent, vt ſupra oſtenſum eſt.

Neque debuit allegari, quod in Concordatis habeatur Papam confirmaturum electiones canonicas, & concordata debeant intelligi iuxta terminos Concil. Baſileeñ *ſeſſ.38. de elect.* in quo fuit ſtatutum, quod electiones factæ ab omnibus, vel à maiori parte, etiamſi reliqua electionis formam concernentia omiſſa fuerint, cõfirmari deberent. Nam vt plenè ſatisfiat huic prætenſæ vanitati, & minus dignæ, vt à Catholicis allegetur, Concordata continent: *Placet nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus, &c. & Monaſterijs immediatè ſubiectis Sedi Apoſtolicæ fiant electiones canonicæ,*

nica,

nicæ, quæ ad dictam Sedem deſerantur; quas etiam ad tempus conſtitutum in conſtit. fel. rec. Nicolai PP. III. incipit: Cupientes, expectabimus; & lapſo dicto tempore, ſi non præſentata, vel ſi minus canonicè præſentata fuerint, prouidebimus, &c. & ſi canonicæ fuerint, eas confirmabimus, niſi ex rationabili, & euidenti cauſa, &c. de digniori, & vtiliori perſona duxerimus pro-
30 *uidendum, &c.* Huiuſmodi † Concordata, quod ſint intelligenda de electionibus ſtrictiori modo acceptis, hoc eſt iuxta formam cap. quia propter, dicit Henr. Caniſ. *in adnotat. ad d. Concordata*, & probatur ex verbis illis, *ſi præſentatæ minus canonicè fuerint*; quæ verba ſunt deſumpta ex text. *in cap. quamquam de elect. in 6.* vbi minus canonicas appellat illas electiones, quæ fiunt cõtra formam Concilij generalis, quæ eſt forma cap. quia propter, vt notat gloſſ. *ibidem*; & hæc ſatis probant omnia ſuperius deducta ad interpretationem verbi *Canonicas* poſiti in cõfirmationibus; & Aeneas Silu. *in epiſt.* 338. Martino Mayer Archiepiſcopi Moguntini Cãcellario miſſa ſub Dat. Romæ 12. Kalen. Octobris 1457. & ſic ſtatim poſt concordata videtur illa intelligere de electionibus Canonicis, prout de iure communi. Inquit enim: *Nulla electio reiecta eſt, quam conſtitit fuiſſe Canonicam: Pontificalis Eccleſia in Alemania nulla reſeruata eſt ſpecialiter D. N. contra Concordata veſtra, &c.*

Et hoc poſito, inanis etiam eſt prætenſio, quod concordata ſint intelligenda iuxta determinationem Concilij Ba-
31 ſileeñ: quia licet † illud in principio fuerit Oecumenicum, eò quod auctoritate Summi Pontificis fuerit indictum ſub præſidio Iuliani Card. Cæſarini, & proſequutum, donec illicita poteſtate vſurpata, & in Pontificem Romanum, omni iudicio & ſubiectioni coactiuæ iure diuino exemptum, iudicium ſuum ipſi cõuerterent, & Pontifex Legatum ſuum, omneſq. alios Epiſcopos auocaret. Quãdo verò poſt horum diſceſſum Synodus ſub præſidio Cardinalis Arelateñ continuata, inuitoque Pontifice prorogata eſt, non tantum Oecumenica, verum etiam legitima Synodus eſſe deſijt. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem ſentẽtiam pronunciare auſum eſt, omneſque præcipui Epiſcopi diſceſſerant, & Cardinalis Arelateñ præſidendi ſibi munus aſſumpſerat, quia Epiſcopi pauciſſimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem presbyterorum multitudinem, ita vt cõtra omnem formam Conciliorum non Epiſcoporum, ſed presbyterorum Synodus eſſet: & Deus opt. max. ſententiam ſuam dicere volens; tam horribili peſte Baſileam affligebat, vt maior pars eorum, qui remanſerant in Conciliabulo, vel extincti, vel ſecedere coacti fuerint, vt refert Aen. Silu. *in hiſt. Concil. Baſil.* cui ipſe interfuit. Quod Concilium in Concil. Lateraneñ vltimo ſub Iulio II. Seſſ. 4. ſub Leone X. ſeſſ. 11. appellatur ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis: & Sanctæ memoriæ Eugenius IV. ad oratione habitam per Ioannem Bachenſtein, & petitionem factam nomine Cõcilij Baſileeñ, inter alia cùm peteretur obſeruatio decreti de electionibus; præmiſſa reſponſione, quod ſemper eius intentionis fuit inuigilare in his, quæ honorem Dei, ſalutem animarum, ac bonum totius Eccleſiæ, & Reipub. Chriſtianæ concernerent, ſignanter ad extirpationem hæreſum, reformationem morum, ac pacem populi Chriſtiani; ad ſpecialiter petita ſic reſpondit. Quantum autem ad negotium indulgentiarũ, electionum, annatarum, cauſarum, & vacationum ſcriptorum, & abbreuiatorum Romanæ Curiæ, quia mate-

materiæ grandes ſunt, & diſcuſſione & declaratione indigent, ſe vna cum Fratribus ſuis S.R.E. Cardinalibus decreuiſſe reſpondere per ſuos Concilio, quod quam primum facere intendit, ſperans reſponſiones ſuas tales eſſe debere, quæ iuſtitiæ, & honeſtati conueniant, ipſiq. Cōcilio, & omnibus piè ſentientibus ad Dei honorem, charitatem, & pacem, ac bonum vniuerſalis Eccleſiæ gratæ, & acceptæ meritò ſint futuræ. Ita habetur *tom.4. par.1. concil. Colon. impr. in append. fol.177. & ſeq. & fol.179.* habetur prædicta reſponſio.

32 Neque dici poteſt Concordata † eſſe intelligenda iuxta Concil. Baſileeñ, ex quo Nicolaus V. qui Concordata fecit, decreta Concil. Baſileeñ confirmauerit, vt patet in eius Bulla, & refert Aeneas Silu. & Gobilin. *locis citatis*; & ideò Concordata debent intelligi iuxta ſtatuta Concil. Baſileeñ per eundem Pontificem confirmata. Quia hoc eſt merum figmentum, cùm Concordata habeant dat. *Kal. Aprilis* 1447. Bulla autem habet datum *ſub* 14. *Kal. Iul.* 1449. Et ſic tempore Concord. Bulla non erat in rerum natura. Veritas tamen eſt, quod Nicolaus V. non confirmauit decreta Concilij, ſed pro bono pacis electiones factas in obedientia Concil. Baſileeñ, vt patet in prædicta Bulla, quæ habetur *in d. tom.4. par.1. fol.69.* cuius hæc ſunt verba formalia: *Nicolaus, &c. quaſcunque promotiones, electiones, confirmationes, poſtulationum admiſſiones, tranſlationes, commendas, adminiſtrationes, prouiſiones, reſeruationes, vniones, incorporationes, reuocationes, pallij dationes, conſecrationes, perſonarum benedictiones, de ordine ad ordinem tranſlationes, infeudationes, abſolutiones, liberationes, quietationes ſuper quibuſcunque debitis ratione decimarum, indulgentiarum, annatarum, diſpenſationes tam ſuper ætatis, quam natalium, & aliarum inhabilitatum defectus, &c. ac omnia & ſingula tam iuſtitiam, quàm gratiam concernentia, ſiue in foro conſcientiæ, vel contentioſo, in perſonis, & locis, quæ tempore conceſſionis, & aliorum præmiſſorum obediuerunt prædicto Vener. ac Chariſſ. Fratri noſtro Amodeo Cardinali Felici V. nominato, ac congregatis* (ſcilicet in Concil. Baſil.) *aut alterius eorum auctoritate, etiam de latere Legatis, ſeu delegatos ab eis poteſtatem habentes coniunctim, vel diuiſim qualitercunque facta, geſta, conceſſa, indulta, data, diſpoſita, & ordinata, etiamſi maiora, aut grauiora, aut alterius cuiuſcunque naturæ à præmiſſis exiſtant, & ſpecialem requirentia expreſſionem, cum omnibus, & ſingulis inde ſequutis, ac etiam omnia, & ſingula per ordinarios in dictis locis facta; pro bono pacis, & vnionis Eccleſiæ, motu proprio, & ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de conſenſu venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium præſentium, ſeriè approbamus, ratificamus, & confirmamus, rataque & firma fieri volumus, &c.* Et quamuis prædicta clariſſ. ſint, poteſt tamen addi, quod ſi geſta Concil. Baſil. fuiſſent confirmata, fruſtra in Concil. Lateraneñ ſub Iulio II. & Leone X. ſeſſ.4. & 11. vt ſupra relatum eſt, illud fuiſſet appellatum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis; & incaſſum, dum in eod. Concil. Lateraneñ improbantur acta Baſileeñ, fuiſſent facta Concordata cum Rege Franciæ.

Et Æneas Silu. *epiſt.* 369. ſub Dat. Romæ 8. Auguſti 1457. ſcribens dicto Martino Mayer Cancellario Archiepiſcopi Maguntini, nō dicit decreta Concilij fuiſſe confirmata, imò totum oppoſitum; ſicque aliter diceret, falſum eſſet. Audiatur ipſemet loquens ibi: *Sed vt ad querelas tuas veniamus, dicimus tibi dignū eſſe, vt compactata cum veſtra natione*

tione ſeruentur, &c. Verùm cum dicis decreta Concilij Baſileenſis nõ cuſtodiri, idque putas iniurioſum eſſe nationi, indignam dicimus eſſe querelam tuam: propter decreta enim Baſileenſis Concilij inter Sedem Apoſtolicam, & nationem veſtram diſſidium cœpit, cum vos illa prorſus tenenda diceretis; Apoſtolica verò Sedes omnes reijceret. Itaque fuit denique compoſitio facta (ſcilicet concordata) *in qua nos Imperatorio nomine interfuimus.* Eam certam legem dedit, deinde inuiolabiliter obſeruandam, per quam aliqua ex decretis Concilij prædicti recepta videntur, aliqua reiecta; hoc eſt, fuerunt facta concordata, per quæ aliquid fuit conceſſum nationi: non autem ſimpliciter dicit, quod per concordata, geſta in Concilio Baſileenſe fuerunt confirmata. & ſubditur; *Itaque non iuſtè agis, ſi per omnia ſeruanda eſſe decreta contendis*; & ſequitur ibidem: *Sed venio ad electiones, quas paſſim contemni refers; hoc non inuenimus, ità eſſe, vt aſſeris; nam poſtquam ex Alemania huc venimus, plures Eccleſiæ Cathedrales eiuſdem nationis vacauerunt; in quibus, vel poſtulationes factæ, vel electiones fuere. De poſtulationibus, nihil eſt quod obijci poſſit, nam illæ ex gratia pendent etiam vetuſto iure; liberumque eſt Pontifici Maximo eas admittere, vel reijcere; Electiones autem ſi canonicæ fuerint, compactatorum vigore confirmationem merentur, nec repelli poſſunt niſi de vtiliori perſona Romanus Pontifex de conſilio Fratrum ſuorũ S.R.E. Cardinalium duxerit prouidendũ: ſed neque hic eſt aliquid, quod reprehendi meritò poſſit.* Et ſic apparet quod refert tenorem concordatorũ, & intelligit de electionibus Canonicis, prout de iure communi, nõ autem iuxta diſpoſita in prædicto Conciliabulo. & ſubſequitur idem Æneas: *De tempore dicimus, quo Romanam Curiam ſequimur. neque (iam biennio tantum eſt, quod hic ſumus) vlla electio huc allata eſt, quæ ritè, & canonicè comperta ſit; nam Traiectenſis electio, de qua magni rumores habiti ſunt, in perſonam excommunicati ceciderat. Aliæ verò alios defectus habuere,* & concludendo dicit: *Itaque vides non eſſe, cur veſtra natio circa electiones iuſtam querelam habeat*, &c.

Et non aduerſatur idem Æn. Silu. ſed fauet in Apologia ad eũdem Martinum Mayer fol. 672. ſecundum paruam impreſſionem: ibi enim recenſet obitum Eugenij IV. & creationem Nicolai V. quòdque miſerit Legatum in Germaniam Ioannem Cardinalem S. Angeli; *Coram quo*, inquit, *diſceptatum eſt, quonam pacto Pontifici Nicolao parendum eſſet. Erant, qui decreta Baſileenſis Concilij omnia ſuſcipienda contenderent, illiſque ſaluis, Papæ obediendum. Contra Legatus Apoſtolicus eius Concilij legibus, quod Romana Sedes refutaſſet, nullam ineſſe vim aiebat. Alij, quibus media ſententia placebat; verum Baſileæ Concilium aliquando affirmabant, eiuſque temporis conſtitutiones, haudquaquam reijciendas eſſe putabant. Poſtremò eo modo concordiæ locus fuit, vt ſententia quorumdam decretorum Baſileenſis Concilij reciperetur: reliqua verò eius ſtatuta reiecta viderentur.* Hæc verba non ſunt intelligenda, quod decreta Concilij fuerint approbata, ſed quod in Concordatis aliquid fuerit conuentum, prout diſpoſitum fuerat in Conc. Baſileen. & quoad formam electionum, quod concordata non ſequantur diſpoſita in Concil. Baſileen. litteris rotundis idem Æn. aſſerit ibi. *Sed pergis vlterius, & concordiæ formulam attingens, decretum ſuper electionibus in Baſilea promulgatum, tanquam receptum in conuentionibus videatur, infringi reijcique contendis; inexcuſabilem eſſe Romanum Pontificem arbitraris, & prorſus iniuſtum, qui cunctis electionibus aduerſetur; nec tolerabile hoc tuæ genti eſſe exiſtimas, nec tibi reſponderi poſſe*

in hac

in hac parte confidis. Sed ſubſequitur prædictæ obiectioni talis reſponſio. *Falleris haud modicè noſtro iudicio, quemadmodum .. clarius tibi oſtendemus; nam formula concordiæ, quæ reſpicit electiones, hunc ſenſum habet; illas enim in Eccleſijs Cathedralibus, & ex monaſterijs expectari iubet per tempora, quæ ſunt à iure ſtatuta, eoſque ſi canonicæ fuerint, confirmari, niſi Romanus Pontifex de perſona, quæ ſit magis idonea electo, vacanti Eccleſiæ de conſilio Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium prouidendum duxerit.* Et ſic verbis, quibus nihil poteſt obijci, dicit concordata circa electiones non eſſe intelligenda, vt ſcilicet electiones ſubſiſtant, ſi iuxta tenorem Concil. Baſileen. fiant; ſed ſolum quod ſubſtineantur, ſi ſecundùm Canones factæ fuerint: & tamen recenſet plures electiones, quas Summi Pontifices tanquam Canones confirmarunt, alias verò tanquam minùs canonicas reiecerunt. Denique Gobelin. in comm. Pij II. qui fuit idem Æneas Silu. ita in minoribus appellatus, *fol.* 12. ſecundū magn. impreſſ. & *fol.* 20. ſecundam paruā, *verſ. interea Ioannes*, refert, quod Legati Romam miſſi retulerunt Eugenium duriſſimè reſpondiſſe; & quod Æneas Siluius alias notulas compoſuit, quæ Eugenio mitterentur; vt verè poſtea Romam miſſæ fuerunt. Sed hoc non tangit negotij veritatem, quæ clarè elucescit ex ſupra deductis.

Quantum attinet ad tertium principale caput oppoſitum, nempe, quod iſta non fuerit electio ſimpliciter per ſcrutinium, ſed per compromiſſum cum ſcrutinio mixtum, quæ forma eligendi eſt canonica... puta ſi ita compromiſſum ſit, vt compromiſſarij ipſi exquirant vota ſingulorum, illumque eligant, in quem maior, & ſanior pars conſenſerit, vt eſt conſtitutio Innocentij III. de qua *in cap. cum dilectus* 32. *de elect.* quæ non fuit reuocata per conſtitutionem Alex. III. in Concilio generali de anno 1215. de quo in dicto cap. quia propter, vt declarat Bonif. VIII. *in c. cum expediat* 29. *de elect. in* 6. *cap. ſi cui* 27. *eodem tit.* Caniſ. *in compen. iur. canon. in tit. de elect. cap. de concurſ. comprom. cum ſcrutin.* Baiſ. *de elect. par.* 3. *cap.* 17. *num.* 4. *verſ. aliquando autem*. Ceterum, quod iſta forma ſit canonica nō negatur, ſed factum negatur: non enim fuit proceſſum per viam compromiſſi cū ſcrutinio mixti, quia compromiſſum, aut fit expreſsè, aut tacitè ex verbis inducitur, vt ſentit Petr. de Baiſ. *eadem par.* 3. *cap.* 17. *nu.* 1. *in fin. de elect.* & Specul. *in rubr. eiuſdem tituli, num.* 13. In hoc autem caſu neutrum adeſt. Non expreſſum, quia congregato Capitulo is, qui habet in Capitulo primam vocem, vel alius de mandato Capituli, ſeu quiuis etiam ſine mandato, Capitulo tamen non contradicente, requirit primo ſingulos ſingillatim, an placeat procedere hac forma compromiſſi; & omnibus conſentientibus, itaut nullus omnino diſcrepet, debet requirere eos iterum, quibuſnam perſonis, & per quem modum velint eis committere vices ſuas; & omnibus de perſonis concordantibus, & de modo, tunc omnes ſimul, vel vnus nomine omnium, in perſonas huiuſmodi eligendas traſferat poteſtatem. Si vero Capitulum nolit in compromiſſarios conuenire, poſſunt eo caſu, vt citius ad concordiam deueniatur, vni, vel pluribus, qui vice omnium eligant compromiſſarios, committere vices ſuas. Ita Mandag. *de elect. par.* 1. *cap.* 39. Compoſtell. *in cap. quia propter, num.* 26. *verſ. quæro modo*, & ibi Bellam. *in §. vel ſaltem, nu.* 7. *eodem tit.* & de hoc debet confici publicum inſtrumentum, Specul. *in tit. de elect. §.* 2. *in princ.* Bertach. *de epiſc. par.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 49. *num.* 93. Idem Specul. *in*

cap.

*cap. de via compromiſſ. num.*4. & hoc caſu quæſtio eſt, vt per Bart. *in l. inſtitutio, num.* 3. *ff. de cond. inſtit.* an duo ſint conficienda inſtrumenta, vt ſcilicet vnum contineat: *Nos eligimus, quem tales compromiſſarij nominabunt*: & alterum: *Eligimus illum, quando tales compromiſſarij nominabunt.* Tamen idem Bart. concludit, quod licet de iure duo eſſent conficienda, de conſuetudine contrarium ſeruatur. Hanc autem formam hic non fuiſſe ſeruatam certum eſt, cum nihil tale legatur in inſtrumento S. D. N. tranſmiſſo.

Reliquum eſt, vt videatur an adſit compromiſſum cum ſcrutinio mixtum ſaltem tacitè. Abbas Ricardotus fuit electus Præſidens Capituli, & ea, quæ vti talis geſſit, geſſit in præſentia Abbatis Treueren. & S. Matthiæ; fuerunt etiam electi tres ſcrutatores de Collegio, quibus, & ante nominatis Abbatibus fuit data, & conceſſa omnis auctoritas, & poteſtas ſecreto, & ſigillatim vota omniũ, & ſingulorum ſcrutandi: quapropter hi fuerunt electi ſcrutatores, non compromiſſarij, vt ſcilicet eligerent per compromiſſum cum ſcrutinio mixtum. Vt enim ſuperius firmatum eſt, debet dari facultas, vt compromiſſarij vota ſingulorum exquirant, illumque eligant, in quem maior, & ſanior pars conſenſerit, *d. cap. cum dilectus* 32. *de elect.* quem ita explicat gloſſ. *in cap. cum expediat*, quæ eſt prima, & incipit, *pro intellectu, de elect.* Et quamuis in dicto inſtrumento ſubdatur: Et facta collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum, fuit data poteſtas, illum in Abbatem nominandi, & publicandi, in quem omnes, vel maior pars Capituli inueniretur conſenſiſſe; hæc tamen verba ſunt intelligenda, vt ſcilicet ſcrutatores poſſint nominare, hoc eſt verbo pronunciare, ſeu proclamare, & publicare electionem factam à Capitulo; non autem quod ipſi tanquam compromiſſarij poſſint eligere: quia poſt electionem factam à Capitulo, electio pronunciatur, & publicatur, vt bene Rebuff. *ſuper concord. rubr. de reg. ad Prælat. nomin.* §. *vlt. in verb. forma in* 13. 15. *&* 16, *requiſ. fol.* 230. *&* 231. & tunc demum data facultate nominãdi, cenſeretur data etiam facultas eligendi, ſi conſtat arbitros fuiſſe electos. & in iſtis terminis procedit tex. *in cap. cum in iure peritus* 33. *de elect.* vbi Hoſtien. *num.* 13. *verſ. ſed quidquid dicat.* Io. Andr. *num.* 8. Rebuff. *in pract. de nomin. quæſt.* 1. *num.* 24. Hic autem non fuerunt electi arbitri, ſed ſcrutatores, vt dictum eſt, & ideo illa facultas nominandi debet quoad publicationem cenſeri, vel ad ſummum data ad electionem nomine Capituli faciendam; cum de ſubſtantia ſit, vt vnus nomine Capituli eligat, vt in cap. quia propter, & ibi Doctores: quod clarius ex modo procedendi, de quo ſtatim dicam, colligi poteſt.

Ceſſat denique omnis difficultas, quia in inſtrumento, quo petitur confirmatio, Capitulum his verbis loquitur: Atque pro publicatione noui electi Abbatis, & Paſtoris, inſtantes per ſæpe dictum D. Præſidentem expreſsè rogati, num actam per nos electionem, ratam, firmamque haberemus; ex qua ſerie apparet, quod Abbas non vocatur Compromiſſarius, ſed Præſidens; & non agitur de electione facta à compromiſſarijs, ſed ab ipſomet Capitulo: & quamuis in compromiſſis Capitulum cenſeatur eligere, quem arbitri nominabunt, Compoſtell. *in cap. licet, num.* 7. *de elect.* Hoſt. *num.* 14. *verſ. vtique, quia ex compromiſſis*: Hìc tamen Capitulum non loquitur de electione ipſius nomine facta à compromiſſarijs, ſed de electione ab ipſomet Capitulo facta: quod euidentius demon-

demonſtratur, quia Capitulum proclamari, & publicari fecit electionem per ipſum Præſidẽtem Richardotum; quod propriè conuenit electioni per ſcrutinium, facta enim collatione debet ſequi communis electio per vnum nomine Capituli per verba ſingularis numeri, vt *in cap. cum ab vno, de re iudic. in 6. cap. ſicut de elect. in 6.* Franc. Marc. *deciſ. 922. nu. 2. lib. 1.* & iſta communis electio poteſt etiam fieri per extraneum, dummodo electores tacitè, vel expreſsè conſentiant, Baiſ. *in director. elect. par. 3. cap. 33. num. 4. & ſeqq.* Si igitur fuiſſet proceſſum per viam compromiſſi, vnus compromiſſarius omnium compromiſſariorum vice eligere debuiſſet, vt puta dicendo: *Ego N. compromiſſarius de conſenſu, & voluntate compromiſſariorum meorum eligo, &c.* hanc formam ponit Miranda *in manuali Prælat. regul. par. 2. q. 33. art. 38. concl. 2.* & bene adaptatur, quãdo pronũciatio fit ſine ſcriptis. Mandagot. *de elect. q. 59. form 9.* ponit aliam, quæ idem in ſubſtantia continet; & ſubijcit opus eſſe, vt vnus vice omnium eligat, alias electio eſt nulla, Oldrad. *conſ. 184. in princ.* Roman. *conſ. 216. num. 4. verſic. 4. eiuſdem nullitas.* In propoſito autem neque expreſsè, neque per æquipollens, verba poſſunt importare, quod Præſidens tamquam compromiſſarius nomine aliorum compromiſſariorum elegerit.

Dato tamen, abſque eo quod veritati præiudicetur, quod electio fuerit per cõpromiſſum cum ſcrutinio mixtum, nec etiam ſubſtinetur. licet enim iſta dicatur melior, & expeditior forma, cùm non omnes formã ſcrutinij bene ſciant, vt ait gloſſ. *in cap. cum expediat in verb. Inquiſitus de elect. in 6.* Mandag. *de elect. cap. 41. in littera, E.* Nihilominus iſto caſu non poſſunt omitti ſubſtantialia ſcrutinij, *cap. ſi cui de elect. in 6.* vbi ſi fuerit actum, quod electio facta per cõpromiſſum cum ſcrutinio mixtum, vt ſcilicet eligatur ille, in quem maior pars reſpectu numeri; non autem reſpectu totius Capituli conſenſerit, valeat; non tenet. & gloſſ. ibidem exemplificat in verbo *ſecreto*; ſi fuerit actum, quod vota non ſint ſecreta, quia ſemper habet locum ratio finalis illius textus. & merito hoc dicit: ex ea enim ratione text. dicit electionem factam vigore compromiſſi non tenere, ſi actum fuit, vt eligatur nominatus à maiori parte reſpectu minoris, cum hoc ſit præter formam, quam generale Conc. ſeruati ſtatuit in electionibus celebrandis, decernens eas ſi aliter fierent non valere: & gloſſ. ibidem explicat, ipſo iure. & ſic iſta ratio militat quotieſcunque omittitur aliquod ſubſtantiale, de quo *in cap. quia propter*, & bene Abb. *in d. cap. quia propter, §. vel ſaltem, nu. 2. verſ. non tamen, de elect.* vbi dicit quod etſi prædicta gloſſ. *in cap. cum expediat*, hanc formam vtiliorem nominet; non tamen intelligas, quod compromittentes poſſint in aliquo tollere huius Capituli ſubſtãtialia (ſcilicet cap. quia propter) Butr. *in dicto cap. ſi cui nu. 5. in fin. de elect. in 6.* Lap. Abb. *num. 2.* Caniſ. *in ſumm. iur. canon. tit. de elect. cap. de concurſ. ſcrut. cum compr.* & expreſsè ſentiũt Doctores mox allegandi, dum firmant, quod in electione per compromiſſum cum ſcrutinio mixtum, nõ requiratur collatio plena; ſed aliqualis, cùm forma compromiſſi non requirat illam de ſe, quam requirit forma ſcrutinij, illa enim arctior, iſta liberior; nec tenetur compromiſſarius ad aliud, quam ad id, quod in compromiſſo expreſſum eſt, quia non eſt neceſſaria collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum; ſed numeri tantum ad numerum, vt nimirum videatur, an adſit maior pars totius Capituli, Monach.

in cap.

Digitized by Google

in cap. cum expediat 29. num. 9. ad ſin. verſic. item quæro, & num. 10. de elect. in 6. Ioan. Andr. *in princip.* Geminian. *num. 3. verſic. quæro an iſta forma*, Compoſtell. *in cap. in geneſi 59. col. 3. verſic. in forma vero compromiſſi*, vbi Abb. *nu. 2. in 4. notab. de elect.* & in hoc iſta forma compromiſſi cum ſcrutinio mixti poteſt ſecundum dictam gloſſ. vtilior appellari. In noſtro caſu autem omnes defectus conſiderati in forma meri ſcrutinij, in hac etiam electione militarent; excepto tamen, quod non dicerentur adhibiti ſex ſcrutatores, quia tres primi extra Collegium, compromiſſariorum nomine venirent. & alia nullitas poſſet addi, quod vnus ex compromiſſarijs nomine aliorum compromiſſariorum electionem minime publicauerit. Et ex forma ipſius compromiſſi corrueret etiam electio, quia ſcrutatores de Collegio non exquiſiuerunt ſuffragia, & illa non fuerunt redacta in ſcriptis, prout fuerat ordinatum in inſtrumento compromiſſi; quæ omiſſio formæ vitiat cōpromiſſum, cùm forma data ſit ſeruanda, & illius verba debeant potius reſtringi, quam ampliari, vt per Doctores *in illo cap. cum expediat, loco citato*; & bene Bald. *conſ. 101. nobiles viri nu. 8. verſic. videtur concludendum, in fin.* & *conſ. 103. lib. 3. in princ.* Soc. *conſ. 20. in princ. lib. 1.* vbi quod eſt ſtricti iuris, & in ea veniunt ſolum ea, de quibus ſpecialiter eſt dictum, Din. *conſil. 45. incipit quæſt. quæ vertitur.*

Et ita concluſum.

Summma Cap. V.

1 *Electores, ſiue eligentes, eſſe debent ætatis matura, & conſilio præditi; nulluſque illorum ſub prætextu cuiuſcumque criminis, debet excludi ab electione canonica, niſi ſit antea ſententialiter condemnatus, vel euidenter excommunicatus.*

2 *In Ordine Prædicatorum, idem mandatur obſeruari; & additur, vel niſi conſtet euidenter, quod reuera inciderit in excommunicationem latæ ſententiæ.*

3 *Factus Abbas, ſiue Prior, alterius Monaſterij, non habet vocem electiuam in Monaſterio, ſiue Conuentu, in quo erat antea aſſignatus.*

4 *Vota conditionalia, & alternatiua, ſiue incerta, ipſo iure ſunt nulla.*

5 *Sufficit vt legitimi electores, ſint in quaſi poſſeſſione eligendi.*

6 *Itaut non poſſit excludi ab electione ille qui eſt in quaſi poſſeſſione eligendi, etiamſi ius in veritate non habeat.*

7 *Non poſſunt electores compromittere ius eligendi, niſi ſint omnes concordes nemine excepto.*

8 *Non ſufficit ad canonicam electionem vt conueniat ſanior pars; ſed requiritur ad minus vt ſit maior pars eligentium præſentium vltra medietatem.*

9 *Electores tenentur inquirere de perſona eligenda præcipuè, an ſit idonea.*

10 *Quando liceat eligere minus dignum.*

11 *Maior pars electorum deſumitur in ordine ad electores præſentes in Capitulo, ſiue Conuentu, tempore electionis.*

12 *Eligentes, ſiue poſtulantes ſcienter indignum, remanent priuati voce.*

13 *Quiſnam dicatur indignus, ita vt non poſſit ritè eligi in Prælatum.*

14 *Electores dum eligunt contra formam cap. quia propter, remanent ipſo facto priuati voce actiua, pro vna vice.*

15 *Suſpenſi non poſſunt eligere Prælatum.*

16 *Excommunicatus notoriè maiori excommunicatione, non debet, nec poteſt, admitti ad electionem canonicam.*

17 *Adducitur declaratio Martini V. circa excommunicatos euitandos.*

18 *Electio facta ab excommunicato, etiam occulto, non tenet, & quare.*

In Or-

19 *In Ordine Prædicatorum excommunicantur qui multiplicant ſchedulas in electione.*

20 *Non profeſſi, nec Converſi admitti debent ad electionem canonicam.*

21 *Neque illi quibus id prohibetur per eorum regulam, & Conſtitutionem.*

22 *Si aliquis electorum renunciet voto, ſiue votum, pro tali electione, poſtea verò pœnitens, velit ad eandem concurrere, etiam quod ſit iam incepta, debet admitti ad ea quæ remanent perficienda circa dictam electionem, dummodo non fuerit iam expleta.*

23 *Excommunicatus minori excommunicatione, poteſt eligere; ſed non eligi.*

24 *Eligentes illegitimè natum, niſi probent id feciſſe ignoranter, incidunt in pœnas taxatas in Concil. Lateranen.*

25 *Vota eligentium debent eſſe ſecreta, nec poſſunt obſignari aliqua nota, vel ſigno: qua occaſione declarantur aliqua loca Concilij Tridentini, circa ſecretum in electione ſeruandum.*

26 *Si quis electorum velit ſuum votum præſtare publicè in electione, non debet permitti à ſcrutatoribus, neque à Capitulo.*

27 *Si quis euadet electus ex vi ſchedularum obſignatarum, electio eſt nulla: & hoc eſt conforme diſpoſitioni Concilij Tridentini & Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum.*

28 *Circa electionem Abbatiſſarum, quid determinauerit S. Congregatio Concilij.*

29 *Eligentes ſcienter indignum, dummodo non ſequatur effectus electionis, non remanent voce priuati; ſecus ſi ſequatur effectus.*

30 *Qui elegerunt aliquem, quando non poſſint opponere contra electum.*

31 *Qui eligunt ſuſpenſum, eorum electio eſt nulla.*

32 *Quid agendum ſit in caſu, quando vocales non ſunt ipſo facto priuati, ſed priuandi voce.*

33 *Qui ponunt ſchedulam albam, ſunt connumerandi inter illos qui renunciarunt vocem pro illa electione.*

34 *Eligentes aliquem in Prælatum regularem per abuſum poteſtatis ſæcularis, ſiue ad inſtantiam poteſtatis ſæcularis, electio eſt nulla, & electores ſunt priuati voce.*

35 *Qui eligunt eundem quem elegerant in præcedenti electione, quæ fuit caſſata vitio perſonæ, niſi de nouo ſit habilitatus, eorum electio eſt nulla, & electores remanent voce priuati.*

36 *Vota data vni perſonæ, ſi alteri attribuantur per ſcrutatores, electio eſt nulla.*

37 *In Ordine Prædicatorum, electores debent eſſe Sacerdotes, & habere ſex annos à profeſſione tempore electionis, licet non ſint tales tempore vacationis, & aſſignati per duos menſes ante electionem in Conuentu in quo facienda eſt electio.*

38 *Quomodo intelligatur illud Statutum Ordinis Prædicatorum, quod vocales debent inſeruiſſe Conuentui per duos menſes ante electionem; quandouè dicatur conſtare de aſſignatione Priori, & Conuentui.*

39 *Electores debent neceſſario refici Sacramento Euchariſtiæ in die electionis, ante electionem.*

40 *In Prouincijs Romana, & Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, imò per totum Ordinem, electores non poſſunt eodem anno eligere Priorem in diuerſis Conuentibus, neque ſocios pro Capitulo Prouinciali: excipiuntur tamen aliqui ex vi Ordinat. quinta Cap. Vlyſſiponen. 1618. non tamen in prænominatis Prouincijs.*

41 *In Ordine Prædicatorum qui habent licentiam officiandi extra Ordinem, carent voce in electionibus.*

42 *In Ordine Prædicatorum, non debet tractari de electione Priorum, per quindecim dies antequam fiat.*

43 *Collegium ſalutatur in tribus perſonis ordinariè ab exordio.*

44 *Si omnes electores delinquāt præter vnum, ius eli-*

ius eligendi deuoluitur ad illum vnum.

45 Nullus poteſt eligere ſeipſum quocumque caſu.

46 Qui ſcienter celebrant in loco interdicto, remanent voce priuati.

47 In Ordine Prædicatorum extranei, ſiue non incorporati in illa Prouincia in qua ſunt aſſignati, non poſſunt habere vocem in electione, niſi manſerint in eodem Conuentu per annum; pariter degentes extra clauſtra, ſunt priuati voce actiua, & paſſiua illo tempore.

48 Defectus occultus, non vitiat electionem ordinariè.

49 Sanior pars electorum illa cenſetur, quæ eſt maior.

50 Si vnus electorum non fuerit vocatus, ſed contemptus, illo inſtante debet caſſari electio, etiam iam confirmata.

51 Declaratur ſtatutum illud Ord. Prædicatorum, quo præcipitur ne fiant aſſignationes intra menſem electionis.

52 Electio ordinariè pertinet ad illos qui ſunt de Collegio, vel Conuentu.

53 Deſcribuntur electores Prouincialium, in Ordine Prædicatorum.

54 In eodem Ordine Prædicatorum Vicarius Generalis Prouinciæ, poſt mortem Prouincialis, non poteſt augere, ſiue minuere numerum electorum.

55 Quando dubitatur de aliquo vocali, an ſit admittendus ad electionem, inſtante electione, eo caſu admitti debet cum proteſtatione.

56 Quando vota excommunicatorum, nullam, & irritam reddant electionem.

57 Furioſi non ſunt admittendi ad electionem in vllo caſu.

58 Religioſi Mendicantes, tranſeuntes ad alios Ordines non Mendicantes, non habent vocem, neque locum, etiam quod eorum tranſitus fiat auctoritate Apoſtolica.

59 In Ordine Prædicatorum, aſſignati intra duos menſes in aliquo Conuentu, in quo facienda eſt electio, carent voce, vſquequo fuerit confirmatus Prior, & acceptauerint. Excipiuntur aliqui.

60 Declaratur quid, & quomodo agendum ſit cum electore iam effecto cæco.

61 Elector qui peccat temerariè eligendo, priuari debet voce.

62 In electionibus canonicis, credendum eſt magis ſcrutatoribus quam vocalibus.

63 Electores, etiam ſinguli, poſſunt petere confirmationem, imò etiam ipſe electus.

64 Enumerantur defectus, ſiue impedimenta canonica eligentium, atque eorum qui eligi debent.

65 Requiritur vt electores collegialiter ſimul ſint congregati, in actu electionis.

66 Quando eligitur aliquis præſens de corpore Capituli, debet habere duo vota, vltra medietatem, ne quis eligat ſeipſum.

67 Quando maior pars electorum ignoranter elegerit indignum, neutra earum electionum confirmari debet.

68 Electores animaduertentes erraſſe circa perſonam, ſeu formam electionis, ante publicationem ſcrutinij poſſunt corrigere errorem ſuum.

69 Tres electores poſſunt eligere; ſi verò fuerint duo tantum, neceſſariò debent eligere extraneum: Idem clarius habetur. num. 72.

70 Item declaratur, quinam dicatur notoriè excommunicatus: Declaratur inſuper quid agendum ſit cum excommunicato, qui non poteſt repelli ſine ſcandalo ab electione: Idem etiam proportionaliter dicendum eſt, de illis qui prohibentur eligere de iure communi, vel particulari.

71 Suſpenſi poſſunt eligere, ſed non eligi, quomodo intelligatur.

72 In Ordine Prædicatorum quicũque de lapſu carnis manifeſtè conuictus fuerit, non poteſt admitti ad aliquam electionem, ad minus ante triennium.

73 *Quid agendum ſit in caſu diſcordiæ electorum, ſiue eligentium.*

74 *Aperitur, quid agendum ſit in Ordine Prædicatorum, caſu quo, poſt tres, aut quatuor menſes declaretur nulla electio Prioris; & ad quos vocales pertineat electio noui Prælati.*

75 *Quid agendum ſit quãdo vocalibus fuit inhibitum ne procederent ad nouam electionem, ipſi verò ob non petitam licentiam negligenter non elegerunt tẽpore ſtatuto.*

76 *Quando Superior poſſit inhibere electoribus ne procedant ad electionem, abſque eius licentia: quidue agendum ſit caſu, quo abſque legitima cauſa denegetur eis licentia procedendi tempore debito.*

77 *Declaratur ad quas electiones extendatur Decretum Clement. VIII. circa aſſignationes non faciendas in Ordine Prædicatorum, duobus menſibus ante futuram electionem.*

78 *In Ordine Prædicatorum non poſſunt fieri aſſignationes, ſiue mutationes vocalium, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus, poſt Septuageſimam; debent verò notificari Priori, & Conuentui aſſignationes vocalium ante Septuageſimam: vbi referuntur Bullæ Iulij Secundi, & Leonis X. circa electionis celebrandas in Ordine Prædicatorum.*

79 *In toto Ordine Prædicatorum, nullus elector poteſt eodem anno in diuerſis Conuentibus, eligere duos Priores, aut Socios.*

80 *Aſſignantur cauſæ iuſti impedimenti, quibus detineri poſſunt electores abſque eorum præiudicio, ne tempore à iure ſtatuto procedant ad electionem.*

81 *Priores in Ordine Prædicatorum, qui non curarunt fieri carceres in ſuis Conuentibus, carent voce actiua in Capitulo Prouinciali.*

82 *Declaratur quomodo intelligatur diſpoſitio ordinationis Cardinalis Alexandrini, qua prohibet vocalibus Prouinciæ Romanæ, & Lombardiæ ne poſſint eligere plures Priores in diuerſis Conuentibus eodem anno.*

83 *Electores, & electus poſſunt proſequi cauſam electionis Canonicæ iam celebratæ.*

84 *Electores poſſunt delicta illius, quem certo ſciunt futurum eſſe pernicioſum Reipublicæ, ſiue communitati, manifeſtare, quando alias conſimilem electionem nequeunt impedire.*

85 *Electores, ſiue eligentes debent refici ſacramento Euchariſtiæ ante electionem Canonicam.*

86 *Quid agendum ſit quando in aliquo Conuentu ſunt tantũ tres vocales, & vnus illorũ, & aliquando duo renunciant, nec volunt eligere; & an ille tertius, quamuis vnicus, valeat eligere Prælatum.*

87 *An ſit obſeruandum ſtatutum cuiuſdam Religionis, in quo diſponitur, vt diſcretus pro Capitulo Prouinciali eligatur ad minus à ſex electoribus, ſiue vocalibus; & ſi tot non adſint in vno Conuentu, aſſumantur de alio viciniori.*

88 *An Suppriores Ordinis Prædicatorum, in aliquo Conuentu, in quo infra duos menſes eſt celebranda electio Prioris illius Conuentus, poſſint dirigere electionem, & in illa emittere votum.*

89 *In Ordine Prædicatorum non poſſunt fieri mutationes, & aſſignationes Fratrum, inſtante electione infra menſem, in ijs Conuentibus, in quibus electio fieri debet.*

90 *Elector legitimè impeditus, an valeat conſtituere Procuratorem, qui loco, & nomine ſui præſtet votum in electione canonica. Et quid in hoc caſu ſeruetur in Ordinibus Prædicatorum, Minorum, & Minimorum. & num. 96. 97. 98.*

91 *Quænam ſint legitima impedimenta, quorum cauſa poſſit Elector conſtituere Procuratorem ad eligendum; & quandiu debeant perſeuerare.*

92 *Conſtituendus Procurator ad eligendum debet eſſe de Collegio, & numero eorum,*

qui

qui iam ſunt legitimi electores; & ita habebit duplicem vocem. Contrarium num. 102. Item debet eſſe liber ab omnibus impedimentis, quæ de iure inhabilem reddunt quemquam, vt ſit Elector, &c. & num. 93.

94 *Procurator conſtitutus ad eligendum, quæ iurare debeat, & quando, & quomodo.*

95 *Iuramẽtum à Procuratore in electione præſtandum, poteſt à Capitulo relaxari, etiam minori parte contradicente.*

99 *Electores abſentes, ſi iuſto impedimento detineantur, poſſunt conſtituere Procuratorem ad eligendum. & num. 100.*

101 *Si Electores præſentes renuant, iuſtis de cauſis, recipere Procuratorem conſtitutum ad eligendum, an Elector abſens poſſit per litteras voluntatem ſuam in electione explicare, &c.*

103 *Elector, qui ex ſola confeſſione Sacramentali nouit, eligendum in Prælatum eſſe indignum, poteſt illi denegare votum ſuum, &c.*

CAP. V.

De legitimis Electoribus, & eorum qualitatibus.

ELigentes, ſiue electores,
1 eſſe debent † ætatis legitimæ, & conſilio prudentes, vt latius dicam inferius: alias eligere non poſſunt. ex *cap. ex eo, de elect. in 6.* Ratioque aſſignari poteſt, quia in electionibus requiritur conſilij maturitas, vt melior, atque vtilior eccleſiæ eligatur. *cap. conſtitutis, de appell. il 2.* Ad illos enim ſpectat eligere Prælatos officium Magiſtri exercentes, & recta docentes, ad imitationem Chriſti, de quo cecinit Iſaias cap. 45. *Ego Dominus Deus loquens iuſtitiam, & recta annuncians,* ad quos ſpectat regimen animarum ſubditorum ſuorum; quod eſt ars artium.

Nulluſque elector poteſt, aut debet excludi ab electione canonica Prioris, Abbatis, vel alterius Prælati, ſub prætextu alicuius commiſſi delicti, etiam pendente cauſa, niſi fuerit prius ſententialiter condemnatus, Hoſtien. Io. And. & Felin. *cap. minimè, de accuſat.*

Hoc idẽ ſtatuitur pro Fratribus Prædicatoribus, in Capit. Romano 1589.
2 declaratione 4. vbi dicitur, † quod *nullus intelligatur priuatus voce, niſi antea ſit per ſententiam condemnatus; vel niſi conſtet euidenter aliquid mali egiſſe, per quod reuera inciderit in excommunicationem latæ ſententiæ:* & hoc totum habet fundamentum *in cap. illa quotidiana, tit. de electione:* vbi in textu, & gloſſ. dicitur, quod crimino ſi non repelluntur à ſuo iure, niſi ſint excommunicati maiori excommunicatione.

Nam in text. 4. procemij Conſtitutionum Ordinis Prędicatorum expreſsè habetur, quod non incurritur in pœnã priuationis vocis actiuæ, vel paſſiuæ, vel grauioris culpę, niſi poſt ſententiam latam virtute proceſſus formati contra illum qui eſt priuandus. In quo caſu, non ſolum ex antiqua, & approbata conſuetudine in Ordine Prædicatorum, verum diſpoſitione citati textus, comprehenduntur etiam abſolutiones Priorũ, quæ ſecum ferunt priuationem vocis actiuæ ad minus, in electione Prioris Prouincialis; & æquiparantur, maximè inſtante tempore celebrationis Capituli Prouincialis, pœnis contentis in cap. de grauiori culpa, cùm ſint verè Prælati, vt latè probatum eſt cap. 2. ad finem.

Neque pariter repellendi ſunt ab electione, illi electores, qui non ſunt ipſo iure priuati, ſed ſolum veniunt priuandi. *cap. cum Vintonien. tit. de elect.* Panor. *ibid. nu.* 13. & clarius *in cap. quia propter,* & *num.* 14. *citat. cap. cum Vintonien.* in-

quit Panorm. *Non ſunt tales violenter expellendi, ſed ſat eſt vt veri electores præmittant proteſtationem de non admittendo non admittendos*, &c. dummodo notoriè non ſint priuati per excommunicationem, aut ſuſpenſionem; in quibus caſibus poſſunt violenter repelli à loco electionis.

3 Monachus vnius † Monaſterij, factus Abbas alterius Monaſterij, & proportionaliter Frater vnius Conuentus, factus, & confirmatus Prior alterius Conuentus, non habet vocem in electione Abbatis, vel Prioris, Monaſterij, ſiue Conuentus, à quo eſt tranſlatus; *cap. conſtitutis, tit. de elect.* vbi Gloſſa inquit: *Monachus tranſlatus, non habet vocem in Capitulo, à quo eſt tranſlatus*; Butr. *in eod. cap. num.* 1. expreſſis verbis inquit, *Monachus vnius Monaſterij factus Abbas, in electione Abbatis prioris monaſterij, vocem non habet, etiam ſi tale ius ab Abbate, & Monachis prioris Monaſterij, ſibi fuerit reſeruatum*. Hoc idem clarius, & explicatius habet num. 10. & 11. ſemper concludens id quod ſupra, auctoritate Gloſſ. Compoſtell. Hoſtien. Io. Andr. nam conceſſio omittendi votum, erat perſonæ, non dignitatis. Quare, &c. Et in Cõſtitutionibus Ordinis Prædicatorum *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis*, in declaratione text. 6. *ſub littera, Q.* ita habetur, *Declaramus quod in diuerſis Conuentibus ſeparatis, quorum vnus ab alio non dependet, non poteſt Frater vnius Conuentus, habere vocem in electione alterius Conuentus; ſicut nec Prior in vno Conuentu, poteſt habere vocem actiuam in alio Conuentu, niſi ſit inſtitutus Vicarius electionis, vt fuit declaratum in multis Capitulis Generalibus*, præſertim *Bononiæ* 1305. Tabien. *verſ. electio* 1. *nu.* 3. poſt multos ibi citatos auctores concludit, quod eſt conforme ad iuris diſpoſitionem: quod intelligitur de Priore confirmato, qui iam acceptauit.

4 Vota conditionalia, † & alternatiua, pariter & incerta, reprobantur pro non votis in electionibus canonicis, *cap. in electionibus, tit. de elect. in 6.* vbi gloſſa inquit, *Talia vota conditionalia, ipſo iure ſunt nulla*; & eo caſu tota poteſtas eligendi reſidet apud illos, qui certè elegerunt, & vota determinata præſtiterunt, etiamſi ſit minor pars.

Sufficit, vt legitimi electores ſint in
5 quaſi poſſeſſione eligendi, † licet nullum aliud ius pro ſe habeant: *cap. querelam, tit. de elect.* Panorm. *ibid. num.* 5. & Gloſſ. *ibid.* & Imol. *cap. in Geneſi, num.* 6. Ius enim vocis dandæ in electione, magis ſequitur poſſeſſionem, quàm proprietatem. *cap. querelam, cap. in Geneſ. de elect. cap. bona, 2. de poſtul. Prælat.*

In *eod. cap. in Geneſ. de elect. §. nec præ-*
6 *miſſi duo canonici*, † adiuncta maximè gloſſa, ſub littera, K. clare habetur non poſſe excludi ab electione illum qui eſt in quaſi poſſeſſione eligendi. Imò additur per Gloſſam, vbi ſupra, quod poteſt eligere, & valet talis electio, etiamſi ius in veritate non haberet, dummodo poſſideat quietè, quia credit habere ius, niſi habeat contra ſe aliquod ius expreſſum; nam pro ſe dicitur habere ius commune ille Regularis, qui actualiter degit ſub obedientia in omnibus, Prioris Conuentus in quo eſt aſſignatus, cui in omnibus paret; maximè ſi exerceat ibidem aliquod officium Conuentus requirens permanentiam continuam in Conuentu, cum ſubiectione ad Priorem; dummodo renunciauerit legitimæ exemptioni, quam prætendere poteſt ex vi ſui officij extra Ordinem Prædicatorum, vt latius patet in cap. 13. de electione Diffinitorum, ſiue Sociorum Priorum Conuentualium.

7 Electores non poſſunt † de iure communi compromittere ius eligendi, niſi

omnes ſint cócordes; & ſi vnus ſolus diſſentiat, nō poteſt fieri cōpromiſſum, *cap. cum Vintonien. tit. de elect.* Panor. *ibid. n.* 4.

Electores ad hoc † vt rite eligant, debent eſſe ad minus in maiori numero vltra medietatem: nec ſufficit vt ſit ſanior pars; ſed requiritur ad canonicam electionem, vt fiat per maiorem partem vocalium: *cap. Eccleſia veſtra, eod. tit. de elect.* & in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum idem habetur in declaratione text. 1. & text. 6. de electione Prioris Conuentualis.

9 Electores tenentur † inueſtigare de perſona eligenda ab illis, an ſit idonea, & hoc ſub pœna priuationis vocis actiuæ pro prima vice. Etenim qui non facit quod de iure tenetur facere, præſumitur in dolo, *cap. innotuit de elect.* Abb. *ibid. nu.* 9. 21. *&* 22. vbi inquit, ideò electores ad remouendam huiuſmodi præſumptionem contra illos exiſtētem, debere probare ſe illum ignoranter elegiſſe; aliter incidunt in pœnam Lateranēn Concilij, de qua *in cap. cum in cunctis, de elect. §. clerici, & cap. bon. mem. de poſtulatione Prælatorum,* in text. eiuſdem cap. & in Gloſſ. ſed clarius inquit Panor. in eodem cap. num. 15. *Eligentes non ſaluant conſcientiam ſuam eligendo illum, cuius plenam notitiam non habent.* Vnde dicit Io. Andr. & bene, quod *ignota perſona, non eſt eligenda.* Quamobrem Doctores tradunt, quod electores debent per ſe, vel per alium fide dignum, habere notitiam perſonæ, quam eligere debent. Tabien. *verb. Electio primo, nu.* 15. Digniorem eligere tenentur, vt communiter tradunt theologi, & canoniſtæ, præcipuè verò D.Tho. *2.2.q.63.art.1.2.* & *q.185.art.3.quodlib.4.art.15.quodlib.6.art.9.* qui in reſponſione ad tertium argumentum, *art.2.q.63.* præcitatæ, tradit illum eſſe digniorem, non qui eſt ſanctior, aut doctior; ſed qui ad miniſterium ſuũ exercendum, induſtria, & arte antecedit alterum: & ratio ab illo aſſignata, & etiam à Canoniſtis, eſt, *quia in his attenditur finis ad quem eligitur.* Ex quibus liquido conſtat vocales errare, quoties ad inſtantiam huius vel iſtius, vt illis ſatisfaciant, eligunt quem omnino ignorant; quorum culpa non eſt excuſabilis. Ita interpretantur Doctores locum Concilij Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform. & cap.* 1. vbi adhortatur electores, *vt eligant meliorem, nullo habito reſpectu ad preces, vel ad humanum affectum, aut ad ambientium ſuggeſtiones.*

10 Quam Regulam limitant Nauar. Valerius Reginaldus, & alij, † quando in minus digno concurrant circumſtantiæ publicæ vtilitatis, pietatis, vel miſericordiæ; quod arbitrio boni viri iudicandum eſt; tunc enim dignus præferendus eſt digniori; vel quando inter ipſos eſſet paruus exceſſus, S. Thomas *quodlib.4. art.15.* quem ſequuntur Doctores, *in cap. quia, de electione in 6.* Habilis, & dignus electus, non poteſt recuſare electionem, ſub pœna reatus mortalis, ſi recuſatio verteret in damnum Communitatis; ſed tenetur munus ſibi iniunctum acceptare, exemplo D. Gregorij magni; & Nicolai Archiepiſcopi Miren. vt latius dicam *c.9.nu.17.&18.*

11 Tempore ſtatuto à iure † communi, ſiue à Conſtitutionibus vniuſcuiuſque Religionis auctoritate Apoſtolica confirmatis, ſi legitimè Electores vocati ad electionem renuant venire, eo caſu maior pars vocalium illa cenſetur, quæ eſt præſens in loco, ſiue Conuentu, in quo facienda eſt electio, *cap. bon. mem. tit. de poſtulat. Prælat.* Panorm. *ibid. nu.* 9. *& cap. licet de euitanda, tit. de electione,* Panorm. *ibid. nu.* 14.

Ideò qui iam congregati in Capitulo, ad effectum electionis, ibidem remanēt, etiam quod ſit minor pars, alijs voluntariè re-

riè recedentibus,poſſunt de iure celebrare electionem, quæ alijs ſeruatis erit Canonica. Ratio huius præſertim ea eſt, quia qui exierunt, computantur inter illos qui renuntiarunt, vt colligitur ex textu *cap. cum nobis de electione*, & gloſſa *ibidem verb. Reuocare*, & Panorm. *in cap. cum nobis, nu.* 10. & gloſſa *in Clemen. quod circa de elect. verb. quæ in facto*.

Quæ omnia habent veritatem, quando exeuntes de Capitulo faciunt minorem partem, vel quando maiorem partem efficiunt, dummodo tamen in hoc ſecūdo caſu inſtet vltimus terminus electionis; quo tranſacto, deuoluitur ius eligendi ad Superiorem. Si verò non inſtet vltimus terminus determinati temporis electionis celebrandæ, debet minor pars expectare maiorē. quod habet locum præſertim in Ordine Prædicatorum, iuxta diſpoſitionem Statuti expreſſi in declaratione tertij Capituli generalis Rom. 1601. Eandem doctrinam tradit Nauar. *lib. 1. conſ. tit. de elect. conſ.* 7.

12 Electores, eligentes, † ſiue poſtulantes ſcienter indignum ſcientia, ac ætate, ſunt ipſo iure priuati voce actiua, *cap. gratum, tit. de poſtulat. Prælat.* Abb. & Panorm. *ibid. num.* 2. & *cap. ad hæc in eodem tit.* Circa hoc conſiderandum venit, quod eligentes indignum modo ſupradicto, remanent priuati poteſtate eligendi, non in tota vacantia, ſed in prima tantum ſequēti electione immediatè ad illam, in qua elegerunt indignum, etiamſi ſequens illa electio non ſortiatur effectum, *cap. cum Vintonien. tit. de elect.* Panorm. *ibid. num.* 6. & 11. & *in cap. cum in cunctis, §. clerici de elect.* ſanè expreſsè dicitur quod *eligentes contra formam in eod. cap. ſtatutam, remanent priuati poteſtate eligendi*, intellige ſemper, modo ſupra declarato, vt quis puniatur in eo in quo deliquit. Ideò contra male eligentes imponitur pœna, vt pro prima vice non poſſint eligere.

Indignus vero dicitur, qui habet defectus perſonæ, expreſſos in ſacris Canonibus, maximè † verò *in cap. cum in* 13 *cunctis*, & *cap. ſcriptum, tit. de electione*. Quemadmodum inhabilis ille dicitur, qui habet aliquod impedimentum, vt puta infirmitatis, aut natalium, quibus redditur inhabilis ad munus ad quod eligitur.

14 Electores eligentes † quempiam contra formam ſtatutam in Concilio Lateranen. ſub Innoc. III. quæ continetur *in cap. quia propter, tit. de elect.* remanent pariter ipſo facto priuati voce actiua pro illa vice tantum, vt habetur *in cap. cum in cunctis, tit. de elect. §. Clerici ſane*. & Silueſt. *in ſua ſum. verb. Electio 2. nu.* 13. *cap. finali*, ſapienter animaduertit, quod electio celebrata contra formam præfatam, à iure ſtatutam, & neceſſario in electionibus canonicis obſeruandam, irrita, & nulla, per ſententiam Superioris venit declaranda; licet in aliquibus caſibus ſit ipſo iure nulla. & parum poſt inquit, *Regula generalis deſumpta eſt ex Gloſ. in cap. Cumana. Quando elector eligens peccat in materia, id eſt in perſona electa, eligendo ſcilicet indignum, eſt ipſo iure priuatus per ſententiam contra ipſum iam latam, per cap. cum in cunctis, & cap. innotuit de elect. Si vero peccat elector contra formam ſtatutam à iure, venit priuandus per ſententiam iudicis, prout latius in cap. quia propter. Panorm. ibid. hoc docet, & gloſſa idem ſuadet in cap. cum expediat.* Tandem prædictus Silueſter concludit per ſequentia verba. *In Ordine vero Prædicatorum traditur certa forma, in qua etiam non omnia ſunt ſubſtantialia, vt quod habens primam vocem in electione, formet decretum verbale, & ſimilia.*

Quibus omnibus addendum eſt id quod docet Nauar. *lib. 1. conſ. tit. de elect. conſ. 6. nu. 5. & 6.* vbi habet ſequentia verba,

Digitized by Google

verba, *Remanent illico priuati electores, ſi defectus eorum ſit circa eſſentialia electionis, etiam ſi fuerint omiſſa ignoranter*. Et Panorm. *in cap. gratum de poſtulat.* inquit; *Electores priuati remanent poteſtate eligendi, modo dicto, quam recuperant in ſecunda electione*. Si vero omnes peccauerunt, & immineat tempus procedendi ad electionem ſtatutum à iure, deuoluitur ius prouidendi, vel vocales habilitandi, ad Superiorem.

Suſpenſi per ſuſpenſionem, ſeu interdictum, ab executione ſuorum officio-
15 rum, non poſſunt † eligere, *cap. cum dilectus, tit. de conſuetudine*, & *cap. cum inter tit. de electione in 6.* quod intelligitur dummodo ſint ſuſpenſi ab homine, vel à canone inferente pœnam, de qua ſupra; dato quod ſuſpenſi modo dicto eligant, eorum electio eſt nulla iuxta regulam: *Pro non dato habetur, quod datur ab eo qui non habet facultatem dandi illud*; ſecus autem ſi ſint ſuſpenſi, tantum propter participationem cum excommunicatis.

16 Excómunicatus notoriè maiori † excommunicatione non debet, nec poteſt admitti ad electionem canonicam, imò debet ab illa expelli, aliàs inficeret electionem; maximè verò ſi ſcienter admittatur à Capitulo, electio rueret, *cap. illa quotidiana de elect.* Gloſſ. *ibid.* & clarius Panorm. *eod. cap. nu. 3. ſub littera, D, & E*, & *ſub littera, F*, citat & approbat ſententiam Hoſtien. qui dicit: *Si excommunicati nequeunt expelli de Capitulo, non excommunicati recedant; & alia vice, & alio tempore, poterunt ſe congregare, non vocatis, nec admiſſis excommunicatis*. Quod intelligitur, dummodo non currat tempus electionis à iure præfixum; in quo caſu poterunt electores non excommunicati vti practica inſinuata ab Innocen. & Compoſtell. concorditer docentibus, niſi poſſent eijci excómunicati, debere præmitti publicá proteſtationem cótra illos, ſecundum vſum Capituli, vel Collegij; & ſi omittatur, electio eſt nulla. & hoc volunt ſacri Canones, in odium eorum qui ſcienter admittunt inhabiles; Nauar. *tit. de elect. conſ. 1.*

Quæ omnia ex ſacris Canonibus relata, poſt extrauag. Martini V. Ad eui-
17 tanda ſcandala, intelligenda † veniunt de excommunicatis ſpecialiter declaratis, vel de publicis percuſſoribus clericorum. Ita tenent Doctores relati à Sayro *lib. 2. de cenſuris, cap. 6. num. 6.* & ab Andrea Molfeſio *in 1. par. ſuæ ſummæ moral. tract. 6. cap. 16. num. 74.* adeo vt concludat Butr *in cap. Cumana de electione, nu. 29.* quod *excommunicatus ſiue ſuſpenſus, ſed omnino occultus, poteſt eligere, &c.* Quam Butrij opinionem non ſequor, nec multi ſequuntur propter dicenda numero immediatè ſequenti.

Stephanus Aufrerius in additione deciſionis Capellæ Tholoſanæ 143. nu. 4.
18 §. *in his*, inquit: † *In his autem quæ ſunt priuati officij, ſicut electio, quæ licet pertineat ad Capitulum ratione publici officij, ratione tamen canonicatus, ſeu ſpecialis fraternitatis, pertinet ad ſingulares perſonas, ideo non tenet facta ab excommunicato occulto. Idem de præſentatione, quia illa eſt priuati officij. Ita ſentit Innoc. & ſic Gloſſ. poſt eum in cap. cum conſultationibus, de iure patronat. Et in ſumma, quod in his quæ geruntur ratione priuati officij, non ſit differentia inter occultum, & notorium, vel publicum excommunicatum. Ita eſt theorica Innoc. cap. cum dilectus, de conſuet. & Io. Andr. in cap. 1. de reſcript. lib. 6. & vtrobique Doctores*. Hæc ille.

Eamdem doctrinam, ſiue ſententiam de excommunicato occulto, qui inficit electionem, in qua fuit vocalis, ſiue elector, poſtquam conſtiterit, tempore electionis extitiſſe innodatum excommunicatione maiori latæ ſenten-

tiæ, approbat, & defendit Abbas *in cap. veritatis 47. de dolo, & contumac.* paſſim à multis in hoc ſingulariter citatus; vbi docet, electionem canonicam, in qua emiſit votum excõmunicatus, quantumcunque occultus, iure proprio, & priuato, non tenere, ſiue ante electionem, ſiue poſt probetur excommunicatio.

Id enim tradunt nonnulli Doctores, præſertim *in cap. illa quotidiana*, euenire in odium excõmunicatorum, qui ſunt priuati executione ſuorum munerum; & communione aliorum.

Eandem ſententiam tuetur Petrus de Baiſio *in ſuo direct. cap. 9. 1. par. num. 4.* cuius doctrina eſt, parum, aut nihil referre ad inualiditatem electionis, an eligentes ſint occulti, vel manifeſti excommunicati, quia vtroque caſu electio eſt nulla; Pro quo citat Panorm. *in cap. veritatis, de dolo, & contumac.* & *in cap. ſi verè, de ſentent. excommunic.* Innocentium *ibidem*. Ioannẽ quoque Andream *cap. 1. de reſcript. in 6.* Hoc idem, conſequenter ſaltem, Sayrus *lib. 2. de cenſur. cap. 5. num. 5.* & Marius Alterius *lib. 2. diſp. de cenſur. diſp. 5. de effectu excommunicationis, cap. 2. §. aliter tamen dicendum eſt.*

Ad obiectionem vero illorum, qui dicunt, electionem competere eligentibus ratione publici officij, *ex cap. 1. de elect.* Reſpondet Abbas ex doctrina Innocentij, ad Capitulum quidem pertinere ratione publici officij: ad Canonicos vero, & proportionaliter ad Regulares vocales, ratione Canonicatus, vel ſpiritualis fraternitatis, ſiue ex priuilegio iuris communis, vel ſuorum Statutorum pertinet electio.

Quamuis alij dicant, & fortè benè, quod etſi vocalibus competat ius eligendi ratione publici officij, quia tamen excõmunicatus remanet omninò ſuſpenſus ab executione ſui muneris, vt omnes tradunt, ideo non poteſt eligere; & detecta excommunicatione, eſt ad minus declaranda electio irrita, & nulla. Ignorantia enim excommunicationis nihil operatur ad validitatem electionis. Electores vero inhabiles ob alios defectus, ſi ſint occulti, non vitiant electionem. Ita communiter omnes, præſertim Sayrus, & Altiſiodorenſis, *locis ſupra citatis.* & Nauarrus *tom. 1. conſil. lib. 1. de elect. conſil. 9. num. 1.* inquit: *Defectus clandeſtinus vnius de Capitulo, non debet nocere Capitulo id ignoranti.* Quod ſemper eſt intelligendum præter caſum excommunicationis latæ ſententiæ; in odium, vt ſupra dictum eſt, excommunicatorũ, quos adeo abhorrẽt iura, vt animaduertit Gloſſa *in cap. illa quotidiana, ver. canonicam*, vbi inquit: *Sed criminoſi à proſecutione ſui iuris non repelluntur, niſi ſint excommunicati maiori excommunicatione.* & in textu eiuſdem Capituli ſupplet Papa de plenitudine poteſtatis defectibus: nam *quidam interfuerunt electioni canonicæ*, (de qua in eodem textu) *qui ex ſola participatione, in ſimplicis excommunicationis laqueum inciderunt.*

19 Electores in Ordine Prædicatorum non poſſunt, nec debent multiplicare ſchedulas vltra numerum electorum, ſub † pœna excommunicationis latæ ſententiæ Bononiæ 1615. ordinat. 16.

20 Non profeſſi, & etiam † conuerſi, licet profeſſi, de iure communi electioni Canonicæ non poſſunt intereſſe, niſi adſit conſuetudo approbata ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis *in 6. cap. ex eo, §. in Eccleſijs quoque Regularium, tit. de elect. & electi poteſtate.*

21 Pariter omnes illi veniunt † excludendi, qui per eorum Regulam, & Conſtitutiones approbatas prohibentur habere vocem in electionibus. Silueſter *verb. elect. 1. num. 3. in fin.*

22 Si quis eligentium † renunciet voto

pro

pro tali electione, poſtea vero pœniteat, & petat accedere ad eandem electionē, debet admitti in omnibus, quæ circa ipſam electionem adhuc remanent perficienda, non obſtante renunciatione voluntariè per ipſum facta, *cap. Eccleſia veſtra*. Abb. & Gloſſ. *ibidem*. Angel. *in ſua ſum. verb. electio, num.* 19.

23 Excommunicatus minori † excommunicatione, licet non poſſit eligi, poteſt tamen eligere. *de elect. cap. quotidianæ*, §. 1. Et ſi obijciatur quod in eodem capit. Papa ſuppleuit illi electioni, de qua in prædicto canone fit mentio, Reſpondent Gloſſ. & Panorm. hoc factum fuiſſe ad cautelam, non autem ex neceſſitate. Quæ reſponſio expreſsè habetur ex verbis eiuſd. cap. ad exordium: cuius inquit Papa Innoc. III. *Quia pro certo didicimus electionem canonicam extitiſſe*.

24 Eligentes † illegitimè natū, niſi probauerint id feciſſe ignoranter; incurrunt pœnas taxatas in Conc. Lateraneñ, de quibus fit mentio *in cap. innotuit, de elect.* Inſuper electio eſt nulla.

Si quis de numero electorū exiſtens, appellauerit contra electionem, eam non impedit, *de elect. cap. quod ſicut*. In Ordine Prædicatorum præcipitur electori ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, actiuæ ſcilicet, & paſſiuæ, ipſo facto incurrenda, in Capitulo Generali Bar-
25 chinone celebrato 1574. *ne in ſchedulis imprimere*, † *aut inſcribere, ſeu annectere audeant ſignum, vel characterem, vnde poſſit nomen, ſiue perſona, eligentis cognoſci; qua pœna etiam punientur inducentes, & conſentientes*. Simile huic inſinuatur in declar. ſacr. Concil. Trid. adducta à Nicolao Garzia, *par. 5. de beneficijs, cap. 4. num.* 193. per ſequentia verba: *Congregatio cenſuit electionem eſſe nullam, quando aliqui ex electoribus, vnicam ſchedulam recipiunt, vnico nomine ſcriptam, & nomen electi, notum ſcribæ, vel alteri, & reponunt in capſula*. Similiter qui accipiunt de manu ſcribæ duas ſchedulas, & vnam, quam voluerint reponunt, alteram vero ſcindunt: quia ſcriba potuit reuelare talem qui non habuit niſi vnam ſchedulam, vel talem, qui non habuit duas. monendus eſt hic electus, non legitimè electum fuiſſe; & ſi fuiſſet conſcius fraudis, eſſet puniendus, & admonendus, vt petat à Sanctiſsimo confirmationem.

Nauarr. quoque *tit. de electione, conſ. 9. num. 3. & 4.* inquit, *Mentem Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 6. fuiſſe ſtatuere, vt Capitula facerent electionem ſecreto; in hunc ſenſum, quod non permittant fieri aliquid, ex quo publicari poſſint nomina eligentium*. Subdens immediatè, *Et ſi tale quid permiſerint, & factum fuerit, electio non valeat.* Deinde ſequitur, *Fuit item intentio Concilij, vt nullus Capitularium manifeſtet ſuum ſuffragium alijs publicè, nec ſecretè: quod ſi illud manifeſtaret publicè, Capitulo id permittente, non valeat electio*. Si autem fuerit facta ſecretò alicui manifeſtatio, quæ præſumeretur extitiſſe cauſa quare ſubſequuta fuerit electio in tali perſona, caſſanda item foret in hoc caſu electio. Tandem num. 5. eiuſdem conſil. ſtatuit, quod *electio facta de N. cum fuerit per vota ſecreta, licet vnum ſuffragium fuerit publicatum, cum nihil electo profuerit talis publicatio, ideo electio cenſetur ritè facta*.

Et Garzias *vbi ſupra, num.* 195. poſt nonnullas adductas declarationes Congregationis Concilij Tridentini inquit:
26 *Vnde † ſi quis de facto attentaret dare votum publicè, ſeu palam, non debet permitti à Capitulo, ſed quod ſecretò præſtet ſuum votum, alias electio eſſet nulla; immò tanquam indignus poſſet talis excludi, ne votum in electione emittat, & hoc auctoritate Ordinarij, pro illa vice tantum*.

Num. pariter 196. & 197. ex decla-

rat.

rat. eiuſdem ſacræ Congregat. Concilij verbo ab eodem Garzia allata, infert: *Quod ſi quis electorum ante ſcrutinium, verbo dicat ſe velle eligere hunc, vel illum, non propter hoc tollitur quin electio ſit ſecreta, eo quia potuit pro altero ſuffragium præſtare*, quemadmodum frequenter accidit, *licet male faciat id publicando*. Ratio eſt quia non cenſetur ſimpliciter, & formaliter elector, niſi in actu electionis, ſiue emiſſionis voti. Et in declaratione verborum Conc. Trid. *Nomina nunquam publicentur*, &c. inquit, *Sacra Congregatio, ita strictè hoc decretum eſt interpretandum, vt ſi poſt electionem in Bulla confirmationis, ſeu Patentibus exprimerentur nomina eligentium, electio eſſet nulla*.

Ex quibus ritè ponderatis, licet inferre duo: Primum videlicet, quod vocales recipientes ſchedulas, † obſignatas, ſi illaſmet ponant in Vrnam, itaut ex vi illarum euadat aliquis electus, certum eſt electionem eſſe nullam, cum ſit contra decret. Concil. Triden. Si vero recipiunt illas obſignatas de manibus alicuius, ſed alias ponant in vrnam, ad effectum electionis, non tamen ſignatas, tunc non incurrunt pœnas taxatas in Capitulo Barchinon. nec agunt contra declarationes Concilij recenſitas.

27

Secundum eſt, quod Superiores non debent tolerare, vt vocales omnes, vel maior pars illorum, ante electionem, ſuam declarent mẽtem, maximè in ſcriptis, ſignificando palam litteris aliquando directis etiam Superioribus, quem velint eligere; vti aliquando accidit, quãdo ad alicuius ſuggeſtionem id ſcribunt Superioribus, ſiuè alijs, reſolutè dicendo velle ſe eligere hunc, vel illum nominatim.

Licet enim poſſint variare, & vnum ſcribere, aliud vero agere, attamen conſimilis modus inuoluit aliqualem fraudem, & votorum propalationem. doloſè quidem ſunt aliquando, qui vocales inducant ad hoc, vt ſic illos aſtringant ad eligendum hunc, vel illum in particulari. Vocales enim ob promiſſionem factam in ſcriptis, vt effugiant notam inſtabilis, vel falſi, ſiue alterius criminis ignominioſi, quandoque eligunt quem non eligerent, & id agunt quodammodo coacti, per promiſſionem ſiue declarationem antea factam in ſcriptis.

Quapropter in cap. de electione Prioris Conuentualis in Ordine Prædicatorum, ſupradictus modus, tanquam vituperabilis reprobatur, & conſimilibus inductoribus pœna aſſignatur.

Inſuper eſt alienum à diſpoſitione Concilij Tridentini, inter cætera præcipientis, *vt nunquam* (quod eſt dicere nec ante, nec poſt electionem) *nomina electorum publicentur*, &c. Quæ verba, inquit Sacra Congregatio Concilij, *ſtrictam patiuntur declarationem*.

In Capitulo Generali Bononiæ celebrato 1564. tit. de ſac. Concil. Triden. decretis, circa finem, pro Ordine Prædicatorum, declaratur nullam eſſe illam electionem Prioris, ſiue Generalis, &c. in qua non obſeruatur ſequens forma, videlicet, *Singuli electores in ſchedula ſcribant, vel ſcribi faciant nomen electi; eligentis autem nunquam ſcribatur, nec ſcrutatoribus, nec confirmatori electionis nunquam reueletur*.

28 An Superior, qui electioni † Abbatiſſarum præeſt, poſſit vna cum Vicario ſuo vel Secretario, vel alio ab ipſo aſſumpto, vota ſingularum monialium oretenus audire: Congregatio *cenſuit poſſe*.

29 Eligentes ſcienter † indignum, ſi tamen non ſequatur effectus electionis, neque formetur ſcrutinium, non remanent propter hoc priuati. *De electione in 6. cap. perpetuo*, & in eod. cap. *licet nominantes indignum ſcienter, contra conſcientias ſuas agant*.

Eligen-

30 Eligentes, vel electioni † conſentientes, contra electum nequeunt opponere, niſi ex noua cauſa, vel ex cauſa illis prius occultata, de nouo poſtea manifeſtata: nec poſſunt impugnare electionem ab electoribus factam, concorditer, & de communi omnium conſenſu, *de elect. 6. cap. nulli licere*; vbi Gloſſ. inquit: *Non tamen propter hoc ſunt ligatæ manus Superioris; quia ſi vellet, poſſet etiam inquirere de defectibus electi, & eum repellere, ſi inuenerit indignum*. Et paulò inferius, enumerans defectus quibus poteſt repelli, inquit: *Vt puta quod ſit luxurioſus, adulter, & quid ſimile*. Idem habetur in Conſtitutionibus Ord. Prædic. diſt. 2. de elect. Prioris Conuentualis, in declar. text. 2. ſub littera, K. *Qui ſunt de numero electorũ*, ſupradicto modo, *poſſunt electioni opponere, & electionem à ſe factam etiam defendere, vbi, & coram quo, & quando expedit*: cap. dudum, Doctores ibid. præcipuè Butr. nu. 2. contra enim illegitimè à ſe factum, poteſt quis opponere, quando factum eſt nullum, vel Eccleſiæ vtilitatem concernit.

31 Electores qui eligunt † ſuſpenſum, licet non remaneant priuati poteſtate eligendi; attamen electio eſt nulla; & ratio adducitur à Panorm. *cap. cum inter tit. de electione, nu. 15.* quia electores tunc remanent priuati, quando eligunt aliquem, in quo concurrunt vnus, vel plures, ex quatuor defectibus expreſſis in cap. cum in cunctis.

32 Quando aliqui electores † ſunt priuandi voce, & poteſtate eligendi, ad reliquos de Capitulo non deuoluitur ius eligendi, niſi poſtquam per ſententiam, rectè fuerint priuati: Gloſſ. *in cap. 2. tit. de poſtulat. Prælat.* Siluester *in ſum. verb. Electio primo, nu. 3.*

33 Electores, qui ponunt † ſchedulam albam in vrna, ſunt computandi inter illos qui vocem ſuam renunciauerunt. Pariter & illi qui exierunt è Capitulo, inſtante tempore electionis à iure præfixo, non computantur in numero electorum pro illo actu; imò Gloſſ. memorabilis tradit quod *ille qui renunciat votum ſuum, non eſt de numero electorum, ac ſi eſſet abſens, & vocatus nollet venire*, cap. cum nobis, tit. de electione, Panor. *ibid. nu. 3.* Roderic. *to. 2. qq. Regularium, quæſt. 51. art. 3. per totum*.

Electores, qui eligunt aliquem in Prælatum Eccleſiaſticum per abuſum Poteſtatis ſecularis, de quo abuſu loquitur cap. quiſquis, tit. de electione, contra libertatem Eccleſiaſticam, ſiue hoc fiat per interuentum ſecularis perſonæ in electione, ſiue hoc fiat ad inſtantiam poteſtatis ſecularis; electio † eſt irrita, ac electores remanent priuati voce actiua, ac iure eligendi, & officijs per trienniũ. Imò qui conſentit electioni de ſe factæ contra libertatem canonicam, & Eccleſiaſticam, caret commodo electionis, & remanet ineligibilis, ita vt ſine diſpenſatione Papæ nõ poſſit eligi ad aliquam dignitatem, *eod. cap. quiſquis*, Doctores *ibidem in princ. dicti cap.* vbi Innoc. expreſsè tenet, quod diſpoſitio huius cap. habet locum non ſolum reſpectu dignitatis Epiſcopalis; ſed etiam reſpectu cuiuſcumque inferioris dignitatis, & Prælaturæ Eccleſiaſticæ: cum quo concordat Panorm. *nu. 1. 2. & 3.* ac per conſequens in electionibus Guardianorum, Rectorum, ac Priorum, Regularium qui ſunt verè Prælati, vt ſupra demonſtratum eſt, præſertim cap. 2.

Licet enim text. præcitati Capituli expreſsè loquatur, & principaliter, de electionibus in quibus admittuntur ſeculares; ſi tamen verba dicti Capituli adiuncta Gloſſ. vna cum ſententia grauiorum Doctorum attentè conſiderentur, poſſunt, imò debent rationabiliter extendi ad omnes illas electiones canonicas,

nicas, Eccleſiaſticas, celebratas contra liberam voluntatem electorum, ad inſtantiam, ſiue ad petitionem ſecularis poteſtatis. Quamobrem cauendum eſt omnibus electoribus, ne in præſtandis votis eorum in electionibus canonicis, non ex eo tantum moueantur, quia id deſiderant, inſtanterque petunt Poteſtates ſeculares. Ob id Innoc. III. in dicto Capitulo pœnam ſtatuit contra ſimiles Electores. Et ibidem tres aſſignat caſus, in quibus Electores incurrunt in prædictas pœnas. Primus eſt, *cum Electores aduocant laicos, vt interſint eorum electionibus*. Secundus eſt, *cum exquirunt conſenſum Principis ſecularis, de certa perſona ab eis eligenda*, vt in cap. cum terra tit. de electione. Tertius verò eſt, *quando Electores, minis, promiſſis, inſtantijs, aut precibus Principis, aut Poteſtatis ſecularis, eligunt quempiam*; Panorm. *cap. cum terra, nu. 5. & 6.* & *cap. ſacroſancta:* Panorm. *ibid. nu. 7.* Et ratio horum adducitur, quia electiones factæ modo ſupradicto, cùm ſint celebratæ ſine omnimoda libertate eligentium, ideo ſunt irritæ, prout latius tradit Panorm. *cap. conſiderauimus, tit de elect. num. 3.* Electores itaque Eccleſiaſtici, laicorum auxilium implorantes, ad electionem faciendam, vel vt ad eorum requiſitionem & gratiam, aliquem eligentes, triennio priuandi ſunt iure eligendi, in pœnam tanti exceſſus, *cap. Meſſana; cap. quiſquis*, & *cap. tota, tit. de elect.* cum alijs cumulatis per Azor. *p. 2. inſtit. moralium lib. 6. cap. 14. q. 8.* & per Andr. Molfeſium, *1. par. ſuæ ſummæ moral. tract. 6. cap. 16. nu. 79.*

35 Electores eligentes aliquem, † in alia præcedenti electione ſufficienter electum, vel poſtulatum, quæ fuit caſſata vitio perſonæ, niſi ſit talis ante ſecundam electionem rehabilitatus, eorum ſecunda electio venit caſſanda, & Electores remanent priuati voce actiua; imò ius eligendi deuoluitur ad illos electores, qui talem minimè elegerunt, etiam ſi ſint numero pauciores. *cap. gratum, tit. de poſtulat. Prælat.* Gloſſa, & Doctores, *ibidem*.

36 Vota electorum collata † vni perſonæ, ſi aliter ſcribantur, & alteri perſonæ notentur per ſcrutatores, electio eſt nulla, & propter fraudem commiſſam, veniunt grauiter puniendi, Nauar. *conſil. 4. de elect.*

Electores in Ordine Prædicatorum, debent eſſe Sacerdotes, & habere ſex annos integros à profeſſione; Romæ 1608. auctoritate Apoſtolica ordinatum, & Pa-
37 riſijs † confirmatum 1611. excepto tantum Conuentum Pariſień, in quo electores debent habere duodecim annos integros à profeſſione, ſicut fuerat ante ordinatum in Capitulo Valentino 1596. ordinat. 10. Hoc enim de ſex annis, ſuperius immediatè relatum, non remanet reuocatum ex diſpoſitione Conſtitutionis S. D. N. Gregorij XV. editæ circa reuocationem oraculorum; cùm poſt præfatam reuocationem, per Breue ſpeciale conceſſum Ordini Prædicat. cōfirmauerit idē Statutum alias factum in Capitulo Generali Romano 1608. Et Breue confirmationis, eſt ſub Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo piſcatoris die 6. Aprilis 1623.

Animaduertendo, quod ille qui tum expleuerat ſex annos à profeſſione in Ordine Prædicatorum, vel non erat Sacerdos tempore vacationis Prioratus illius Cōuentus, in quo reperitur aſſignatus, ſi tamen expleat tempus prædictū, & fiat Sacerdos ante tempus electionis, poſſit, & debet admitti ad electionem celebrandam; quod colligitur ex doctrina Graffij, *lib. 1. conſiliorum de electione, conſ. 1. difficultate 3. to. 2.* & ex Gloſſa *Clementinæ ſecundæ, verb. Conſtitutus, de ætate,*

etate,& qual. Et multi Doctores id colligunt *ex cap.cū inter,de elect.in fin.* & *cap. Apoſtolica,de except.*ex Rodriq. *to.2.q.51. ar.5.verſ & aduertendum.* Idem clarius habetur in Capitulo Generali Romano 1612. *tit.declarationes,declarat.2.* quoad Fratres Ordinis Prædicatorum; licet ex ſuperius adductis, hoc idem inferatur quoad omnes electores, qui in rei veritate,etſi eſſent inhabiles ob conſimilem defectum tempore vacationis,dummodo euaſerint habiles tempore electionis, inter electores computari debent.

Cùm paulò ſuperius in hoc capite facta ſit mentio de reuocatione viuæ vocis oraculorum; quia tamen ſuperuenit ſucceſſu temporis declaratio ad idem ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium; ideò vtile iudicaui hic per extenſum eandem inſerere vna cum Memoriali ſuper hoc oblato eidem ſacræ Congregationi,videlicet.

Pro parte Fratris Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religionum Mendicantium,& non Mendicantium Prouinciæ Bethicæ. Stante Conſtitutione fel. rec. Gregorij XV. reuocatoria oraculorum viuæ vocis, petitur declarari: An gratiæ, & priuilegia viuæ vocis oraculo facto Magiſtris Generalibus,Vicarijs Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, conceſſa eorum Ordinibus, quæ ſortita fuerunt effectum ante reuocationem, licet effectus habeat tractum ſucceſſiuum, vel aliàs reſpiciant particulares perſonas, vt ſunt Præſentaturæ, vel Magiſteria, non obſtante prædicta reuocatione maneant in ſuo robore,& valida cenſeantur, vti in dicta reuocatoria conſtitutione non comprehenſa;vel aliqua indigeant reualidatione,tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus.

Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita, Illuſtriſſimo de Cremona deferente, prædictas gratias, & priuilegia in dicta reuocatoria Conſtitutione non comprehendi,nullaque reualidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & eſſe, eiſdemque ſecurè vti poſſe cenſuit, prout alias fuit reſponſum. Romæ die 11. Aprilis 1625.

Ita reperitur in Regeſto ſacræ Congregationis Cardinalium negotijs Regularium præpoſitæ,& collationat.concordat meliori. §. *In quorum fidem, &c. D. Romæ die 2. Maij 1625.*

A. Epiſcopus Caſert.

Locus † ſigilli.

Item debent eſſe aſſignati per duos menſes in Conuentu,in quo celebranda erit electio, ex Decret. Clement. VIII. prout patet in Cap. Valliſoletano 1605. acceptatione 2. addente, quod ſi factæ fuerint, Fratres ſic aſſignati nō habeant vocem in quauis electione illius Conuentus, donec aliquis fuerit in Priorem confirmatus. & Pariſijs 1611. non ſolum debent aſſignari ante duos menſes, ſed per idem tempus debent inſeruiſſe Conuentui, per menſem ante electionem,ordinat. 10.& diſt.2.cap.16.tex.4. in fin. declar. eiuſdem text. Qui ante diem,quo præcisè incipit Capitulū Prouinciale,ſecundum ſeriem Conſtitutionum fuerit in aliquo Conuentu aſſignatus, cuius aſſignatio non fuerit ratificata intra illos decem dies durationis Capituli, & auctoritatis Diffinitorum,non cenſetur habere vocē in electione Prioris, niſi poſt menſem vnum, ad præſcriptum Conſtitutionum, & duos, ſecundum Decretum Clement. VIII.

Aſſignatus vero realiter, & abſque fraude, imò bona fide,in aliquo Conuentu Ordinis Prædicatorum, in quo manſerit ſpatio multorum dierum,per-

38 ſonaliter inſeruiendo † eidem Conuentui, ſi contingat propter negotium eiuſdem Conuentus, ſiue occaſione concionandi, ſeruatis ſeruandis, recedere à dicto Conuentu ante duos menſes; cùm reuertitur poſt Paſcha, ſiue alio tempore, in quo immineat electio Socij, vel Prioris, dummodo toto hoc tempore intercedat interuallum duorum menſium, debet admitti ad electionem, nam cenſetur in prædictis caſibus, quod talis inſeruierit Conuentui, & Religioni.

Nec obſtat Statutum contentum in ordin. 10. Capit. Generalis Pariſijs celebrati 1611. confirmatum Romę 1612. Ibi etenim excluduntur aſſignationes doloſæ, & in fraudem factæ; vbi etiam præcipitur, vt vocales ante duos menſes inſeruiant Conuentui.

Quamobrem rationabilis vſus Prouinciæ Lombardiæ, quæ in anno intermedio conſueuit aſſignare Prædicatores in vnoquoque Conuentu, quorum munus eſt conciones habere in mane ad populũ, etſi aſſignentur ante Septuageſimam, impediti tamen propter conciones alibi habendas in Quadrageſima; quando poſt Paſcha adeunt Conuentus ſuæ aſſignationis, ſi contingat ibi fieri electio Prioris, ſiue Socij, rectè admittuntur, & admitti debent. Ratio illa eſt, quia qui inſeruit Religioni, inſeruit & Conuentui.

Item Venetijs 1592. declarat. 2. mandatur, vt aſſignatio denuo facta conſtet Priori, & Conuentui, per menſem ante electionem: quia tunc intra menſem electionis, nullæ poterunt fieri aſſignationes, niſi in caſibus expreſsis in Conſtitutionibus. Item Venetijs 1592. declaratione ſeptima. Nunc vero poſt Decretum extenſiuum Clementis Octaui de duobus menſibus, neceſſe eſt vt aſſignatio conſtet etiam per duos menſes, Priori, & Conuentui, ante electionem, ad tollendas fraudes.

Tunc vero dicitur conſtare, quando maiori parti vocalium Conuentus, id verè conſtat. Et ad tollendam omnem dubietatem, ac fraudem, debet notari in aliquo libro publico Conuentus, quòd conſtitit tali tempore, de illorum aſsignatione; & hoc, ad præſentiam ſaltem duorum Patrum vocalium, ad euitandas lites, & contentiones, quæ ex his frequenter oriuntur.

Aliæ aſsignationes non intimatæ prędicto modo, etiam in futurum, irritæ, & nullæ declarantur, Venetijs 1592. ordinat. 2. Excipiuntur tamen Lectores actuales, qui Lectores Conuentuum appellari ſolent, iuxta diſpoſitionem Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicat. Item caſus mortis Prioris, dummodo in his non interueniat fraus, & dolus.

Omnia ſupradicta intelliguntur de aſſignationibus, ſiue de aſsignatis de nouo, in aliquo Conuentu, vt patet ex tenoré prædictarum Ordinationum. Vnde qui fuerunt Priores in eodem, vel in alio Conuentu, & ſine aliqua fraude poſt completum tempus ſui Prioratus, vel ob renunciationem, ſiue abſolutionẽ ab officio, cum ex diſpoſitione Conſtitutionum Ordinis Prędicatorum remaneant aſsignati in eodem Conuentu, à quo fuerunt aſſumpti, nihil requiritur de ſupradictis; ſed debent admitti ad electionem quocumque tẽpore futuram, niſi conſtet per duos menſes antea illos fuiſſe alibi aſsignatos. Hoc idem etiam dicendum eſt de ſtudentibus miſsis extra ſuas Prouincias, occaſione ſtudij formalis. Quamobrem nulla, & irrita eſt ipſo iure, omnis, & quæcumque ordinatio, ſiue conſuetudo quarumcumque Prouinciarum, quæ iuxta prologum Conſtitut. tanquam inimicæ earundem Conſtitutionum, tollendæ, & omnino abolendæ ſunt: Vt ſcilicet Priores exple-

to eorum officio remaneant aſsignati in ſuo Conuentu originali; cum iuxta diſpoſitionem Conſtitutionum, verè, & realiter pertineant ad Conuentum, à quo fuerunt aſſumpti. vt patet in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, *diſt. 2. de electione Prioris Conuentualis, in fine declarat. text. 9. ſub littera, X.* & contra Conſtitutionem non datur vſus, neque conſuetudo, vt patet in Appendice *de Conſuetudine* ad calcem tractatus.

Electores priuandi ſunt voce actiua, qui die electionis, ante celebratam electionem non celebrauerunt, vel ſacramentum Euchariſtiæ non ſumpſerunt,
39 Romæ 1580. confir. 14. quod † præcipitur in Concil. Baſileen. in electione Epiſcoporum, & Abbatum, & per conſequens aliorum Prælatorum.

40 In Prouincia † Lombardiæ, & Romana, ex Ordinat. 10. Illuſtriſsimi Cardinalis Alexandrini, qui elegerunt Priorem in vno Conuentu, eodem anno nõ poſſunt eligere Priorẽ in alio Conuẽtu. Circa hãc Ordinationẽ, qua prohibetur ne idem Frater Vocalis Ordinis Prædicatorũ in Prouincijs Romana, & Lombardiæ poſsit eodem anno à die lati voti aliud præſtare votum in alio Conuentu diuerſo à primo, in quo alias emiſerat votum, (quam Ordinationem Patres eiuſdem Ordinis in Capitulo Generali Vlyſſiponẽ 1618. tit. Ordinationes, *ordinatione 5.* extenderunt ad Fratres quarumcumque Prouinciarum ipſius Ordinis Prædicatorum, cum aliquibus limitationibus, & declarationibus, de quibus immediatè dicetur) animaduertere oportet potiſsimè editam fuiſſe ad tollendas fraudes, quæ oriri poſſunt circa hoc particulare; vt clarè colligitur ex ſerie, & diſpoſitione eiuſdem ordinationis, & aliarum, quas edidit idem Cardinalis Alexandrinus, & Capitulum Generale, de quo ſupra immediatè. Ideò Frater ille Vocalis, qui aderat præſens in aliquo Conuentu, & Capitulo iam congregato ad effectum electionis canonicæ, & doloſè renunciauit votum ſuum, virtute cuius renunciationis euaſit ille electus, quem ipſe deſiderabat, quodque certò moraliter ſciebat ex antecedentibus euenturum; abſque dubio talis Vocalis non debet, nec poteſt admitti ad præſtandum votum in alio Conuentu eodem anno, cùm nulli ſuffragari debeat fraus, & dolus: iuſtitia enim neſcit patrocinium præſtare criminibus. Imò quando deeſſet prædicta ordinatio ſpecialis, de qua ſupra; adhuc tamen veniret priuandus iſte vocalis nedum per annum, ſed per multos annos, ne emitteret votum in electionibus canonicis, ob dolum, & fraudem manifeſtam, qua vſus eſt: nam iuxta Regulam communem, Meretur priuari, qui abutitur priuilegio.

Inſuper, quia dictus vocalis prædicta vocis renunciatione plus profuit ſciens, & volens electo, quam ceteri Vocales, ideo partem habuit in illa priori electione non ſolum tanquam ceteri Vocales, ſed ſupra illos; & meritò reijci debet à ſecunda celebranda in diuerſo Conuentu: nam finis illius Ordinationis in illa ſatis expreſſus, eſt, quod eodem anno ab eodem Vocali non eligantur in diuerſis Conuentibus plures Prælati, ſiue Priores ex vi ſui voti, nec interſint electionibus celebrandis eodem anno in pluribus Conuentibus. Ex quorum repetita votorum collatione oriebãtur in dies multa, & grauia inconuenientia, pro quibus tollendis edita fuit ordinatio, de qua ſupra. Et in caſu ſuperius immediatè deſcripto præſupponi poteſt fraus, & dolus ex parte renunciantis: ideò nec admitti debet, nec poteſt ad ſecundam electionẽ celebrandam in diuerſo Conuentu, niſi ipſe contrarium probauerit,

cum extet cõtra illum præſumptio tùm hominis, atque iuris, fundata in præcedentibus,& ſubſequẽtibus indicijs oſtendentibus animi dolum, & fraudem illius qui renunciauit; quibus præſuppoſitis, merito excludi debet in alio Conuentu ab emiſſione voti, modo declarato.

Indicia verò,& ſigna,quibus ordinariè,& regulariter iudicari poteſt iudicio ſummario de prædicta fraude, & dolo, illa ſunt, quando apparet,& ita eſt,quod electus ex vi renunciationis modo explicato,eſt amicus,& carus ei qui renunciauit; vel pro quo vt euaderet electus laborauit ipſemet, qui renunciauit, vt fieret electio de illo;vel quid aliud ſimile egerit, vel dixerit, ex quo certè, vel veriſimiliter cognoſci poſſet in hoc particulari dolus, & fraus; quod magna ex parte dependet ex arbitrio boni viri, ſiue Superioris,timoratam habentis id iudicantis conſcientiam. Nam certum eſt caſum, de quo ſupra, nedum eſſe poſſibilem, ſed frequentius eueniſſe, & in dies euenire.

Hinc eſt quod vniuerſaliter ſtatutum fuit in Ordine Prædicatorum, vt idem Vocalis non poſſit pluries in anno in diuerſis Conuentibus emittere vocem, ratione etiam nouæ aſſignationis; ſiue quouis alio modo deſtinetur ad alium Conuentum, ita vt ſit ibi Vocalis,& eligens dicti ſecundi Conuentus; cum ordinationes, ſiue leges, de quibus ſupra, hoc principale intendãt, auferre ſcilicet occaſionem doli, & fraudis, quæ poſſet abſque dubio oriri,tum per viam nouæ aſsignationis, tum etiam ſi idem Vocalis, vel eligens, ſiue elector, alia via deſtinatus fuerit ad aliquem alium Conuentum eodem anno,vbi alias ſit,ſecundum diſpoſitionẽ legum Ord. Prædicatorum Vocalis: attendenda eſt enim in legibus (vti latè dictum, ac demonſtratum eſt frequẽter in præludijs ad hunc tractatum, præſertim §. 4. & ſeqq.) intentio legiſlatoris, quæ ſufficienter apparet in prædictis ordinationibus,hanc eſſe primò, ac principaliter, ad tollendas fraudes in electionibus canonicis celebrandis in Ordine Prædicatorum, nevè idem Vocalis poſsit in pluribus Conuentibus eodem anno plures eligere Priores; cui intentioni legiſlatoris manifeſtè contradiceretur,quoties ſub quouis prætextu idem elector, ſiue eligens deſtinaretur ad alium Conuentum, in quo poſſet vocem emittere in electione canonica, illis exceptis, ac nominatis in lege, vel ſtatuto, ſiue ordinatione.

Qui autem verè includantur, quiue excludi debeant à diſpoſitione Ordinationis 10. Cardinalis Alexandrini, de qua ſupra, explicabitur inferius ad finem huius cap. num. 82.

Quæ ordinatio vt iuſta,& recta, ideò communiter eſt obſeruanda: nam per illam tolluntur non ſolum diſcurſus, Fratrum, verum etiam innumeræ fraudes. Quamobrem in Capitulo Generali Vlyſſiponen. eiuſdem Ordinis Prædicatorum celebrato 1618. tit. Ordinationes, num. 5. ſtatutum fuit, ne quis nouæ aſsignationis vigore poſsit eodem anno duos eligere Priores, nec Socios pro Capitulo Prouinciali, exceptis Regentibus, Lectoribus, & Studentium Magiſtris, qui ſtudiorum promouendorum intuitu, alijs Conuentibus aſsignati fuerint, & etiam Superioribus de nouo inſtitutis: quæ tamen exceptio non intelligitur de Lectoribus caſuũ conſcientiæ.

Fratres Ordinis Prædicatorum habentes
41 *licentiam † officiandi extra Ordinem, quandiu ſic extra Ordinem officiauerint, nec cellam, nec vocem actiuam, nec paſſiuam habeant, nec Conuentus in quo ſunt aſſignati, illis teneantur, niſi ad ſuffragia in morte. Peruſij 1478. Venetijs 1551. & in de-*
... clar.

clar. text.6. cap. de itinerantibus; & Sorbus,Capuccinus,in Compendio priuilegiorum Mendicantium,titulo,Exempti Fratres, nu.6.adducit Bullam Sixti V. dicentis,Cameram, vocem actiuam, & paſſiuam non habeant Fratres,dum Eccleſijs extra Ordinem inſeruiunt, etiam vt Capellani. Idem ſtatuerat Sixtus IV. vt habetur in Actis Capituli Generalis Ordinis Prædicatorũ, Mediolani 1511.

In electionibus requiritur quod eligentes habeant iudicium cognoſcendi dignum, ab indigno, cap. cum in cunctis. Vnde impuberes,ac furioſi,ac ſimiles non poſſunt eligere: Gloſſ. in cap. ex eo, vt inſinuatum fuit ad exordium huius cap.

In Prouincia Romana, & Lombardiæ, aſſignationes debent intimari infra menſem, à die ſuæ Datæ, intellige Priori, & Conuentui, iuxta Capitula Generalia; alias nullæ ſunt, etiamſi ad voluntatem Prioris aſſignentur, vel ad Conuentus in quibus aſſignantur acceſſerint. Ex ordinationibus Illuſtriſſimi Domini Cardinalis Alexandrini, ordinat.15.

In eiſdem Prouincijs inhabiles ſunt ad electionem illi vocales,qui per quin-
42 decim dies † antequam expiret officium Prioris, vel Prouincialis, tractant verbo, vel ſcripto, de electione noui Prioris,vel Prouincialis in eadem Prouincia, vel Conuentu; Cardinalis Alexandrinus ordinat.7.

Collegium ſaluatur ordinariè in tribus perſonis: quare tres Electores poſſunt de iure eligere Prælatũ. & ob hanc
43 cauſam puto fuiſſe reuocatam per † Clementem VIII. ordinationem 13. Capituli Valentini 1596. quod non poſſent eligi Priores in Conuentibus, in quibus non erant quinque vocales, prout notatur in actis eiuſdem Capituli,per litteras ibidem inſertas Patris Magiſtri Fratris Pauli Mirandulani, tunc Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum,& poſtea Epiſcopi Squilaceñ: Hoc idem habetur *cap. nullus in Eccleſia tit. de electione in principio*, & Gloſſ. *ibid.*

Si enim omnes Cardinales exirent de Conclaui, quod, attẽto tamen iure communi procedit, & non aliter, maximè poſt Bullam S. D. N. Gregor. XV. & vnus ſolus remaneret, ille ſolus poſſet eligere, vt aſſerit Gloſſ. memorabilis, *in cap. gratum, verb. Maiorem partem, de poſtulat. Prælat.* & in Clementina, *ne Romani, §. Porro, ver. de electione*, Laudieñ. *de Card. col. 22.* Ita ſimiliter ſi omnes Electores exirent de Capitulo,inſtãte termino in iure ſtatuto trium menſium, vel ſi omnes iudicentur inhabiles, propter defectus expreſſos à iure, excepto vno, ius totius Capituli in tali caſu, ad illum tantum Electorem deuoluitur, qui alium,non tamen ſeipſum poſſit eligere, vt dicitur *in cap. per tuas, de iure patronatus*: quod magis explicatur ad calcem huius cap. nu.86.

44 Et ſi omnes deliquerint, † præter vnum, ad illum deuoluitur ius eligendi, & poteſt eligere alium; ſed non ſeipſum: *cap. quia propter*, Roderic. *tom. 2. qq. regul. quæſt. 53. art. 21. per tot.* Hoſtien. *in ſumma, tit. de elect. §. qualiter, col. 13. ver. Ego puto.* Nam quemadmodum in caſu mortis naturalis illorum de vniuerſitate, aliquo tamen de illis ſuperſtite remanente, poteſtas dicitur reſidere pœnes ſuperſtites, etiam ſi ſit vnus duntaxat, *l. ſicut, ff. quod cuiuſque*, & *in cap. gratum*; ita videtur dicendum in caſu priuationis, propter delictum: nam tunc illi priuati habentur pro mortuis. arg. *cap. in canonibus, §. Generaliter ibi q. 1.* & Abbas *in cap. cum Vintonien. nu. 2.*

45 Nullus poteſt eligere † ſeipſum, etiã quod exiſtimaret ſe eſſe magis idoneũ, *tit. de præſumptione, cap. final.* Nec electus

debet computari in numero electorum, quia nullus poteſt eligere ſeipſum, *cap. Cumana de electione*, maximè quando proceditur per viam ſcrutinij. Tabien. *electio prima, nu. 25. & electio ſecunda, §. 4.* nam inquit *cap. Cumana*, & Gloſſ. quod *perſona electa non debet computari in numero eligentium*.

Qui ſcienter celebrauerunt, ſine
46 ſpeciali † priuilegio, in aliquo loco, qui actu ſit ſuppoſitus interdicto, non poſſunt eligere Prælatum, *cap. is qui, de ſententia excommunicationis*.

Electores in Ordine Prædicatorum vti debent neceſſario modo procedendi per ſchedulas, aſſumpto modo procedendi per ſcrutinium. & hoc ſeruãdum
47 eſt in omnibus electionibus † canonicis, in declarat. tex. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis; & clarius in Capitulo Generali Bononiæ 1564. vbi habetur quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

Extranei, id eſt, non incorporati, ſiue non affiliati in illa Prouincia, in qua ſunt aſſignati, non poſſunt habere vocem actiuam in Ordine Prædicatorum, niſi per annum, vel pro maiori parte anni, fuerint aſſignati continuò in illo, vel in alio Conuentu eiuſdem Prouinciæ, in qua facienda eſt electio; Ex declarat. text. 5. cap. de electione Prioris Conuentualis, ſub littera, P.

Degentes extra clauſtra in Ordine Prædicatorum, ſub quouis prætextu, aut colore etiam cum licentia neceſſaria ſuorum Superiorum, dato inſuper quod ſint rectè aſſignati in Conuentu, in quo celebranda eſt electio, non habent vocem actiuam, neque paſſiuam, niſi actu inſeruiant ſancto Officio, Pariſij 1478. In quo Capitulo Generali fuit ab omnibus lætanter receptum Breue Sixti IV. quo priuantur ſupradicti vtraque voce. Item habetur in Capitulo Mediolani celebrato, 1511. Declarat. 6. Romæ 1583. 1589. 1601. Declarat. 4. Cetera vide inferius, cap. 13. nu. 22. 23. & 24.

48 Defectus occultus † eligentium, ordinariè non vitiat electionem. Nauar. *conſil. 9. tit. de elect. num. 1.* ſi ſit defectus aliquorum, & non omnium, excepta excommunicatione maiori latæ ſententiæ, vt latius dictum eſt nu. 18.

Omnes qui debent, volunt, & poſſunt, intereſſe electioni, debent congregari ſimul: illi vero qui non debent, aut non poſſunt intereſſe electioni, etiam quod ſint legitimi Electores, compelli non debent, nec computari in numero electorum; Tabiena *verb. Electio primo, nu. 19.* Conſtitutio Ordinis Prædicatorum quid ſimile ſtatuit text. 1. & 6. cap. de electione Prioris Conuentualis.

49 Sanior pars Capituli electorum † illa cenſetur, quæ eſt maior: Tabien. *vbi ſupra immediatè, & cap. dudum, & cap. Eccleſia veſtra, tit. de electione*, Panorm. *num. 4.*

50 Si plures electorum, † vel vnus, non fuerit vocatus, ſed contemptus, poteſt ſi vult, inſtare pro caſſatione electionis celebratæ, etiam poſt confirmationem, cap. quod ſicut eſt; Silueſter, & Tabiena *verb. Electio primo*.

Quando in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorũ mandatur, ne augeatur numerus Electorum intra menſem, in quo inſtat electio Prioris, venit excipiendus
51 caſus † mortis Prioris, quãdo nulla fraus præſumi poteſt. Pariter etiã quando quis complet tempus infra illum menſem, ſex annorum à profeſſione; vel quando quis habens ſex annos à profeſſione, infra prædictum menſem fit Sacerdos: in quibus caſibus nulla præſumitur fraus; Romæ 1612. declaratione ſecunda; vel tales aſſignationes fuerint factæ à Capitulo Prouinciali, vt dictum fuit.

Electio

52 Electio de Prælato † in Eccleſia Collegiata, vel Conuentuali, pertinet ad illos tantum qui ſunt de Collegio, apud quos, tanquam apud informatos de neceſſitatibus Eccleſiæ, vel Collegij, reſidet poteſtas eligendi Prælatum, *cap. nullus in Eccleſia, tit. de electione, & electi poteſtate.*

Electores qui debent eligere Prouincialem in Ordine Prædicatorum, ſunt, Priores Conuentuales, & eorum ſocij
53 legitimè † electi, Magiſtri in ſacra Theologia, qui gaudent loco, & voce; & Prædicatores Generales acceptati in Prouincia, ex cap. cui titulus eſt de Capitulo Prouinciali, in cuius declaratione habetur. *Sicut imminente electione Prioris, non debent fieri mutationes Fratrum, priuationes vocum, abſolutiones Priorum, à tempore notitiæ Prouincialis carentiæ, quouſque nouus Prouincialis eligendus, fuerit confirmatus.*

In quorum omnium confirmationem, ſciendum eſt, quod de Anno 1616. die 4. menſis Februarij, cùm Prouincia Lombardiæ eiuſdem Ordinis careret Prouinciali, propter mortem alterius, nomine, & ad inſtantiam Patris Prioris
54 Bononień tunc Vicarij eiuſdem † Prouinciæ, virtute Breuis Pauli III. fuit oblata ſupplicatio S. D. N. Paulo Diuina Prouidentia Papæ Quinto, vt ſua ſolita benignitate dignaretur confirmare, & ratas habere aſſignationes factas vſque ad diem 4. Februarij, de quibus erat lis & contentio magna apud multos ſuborta, quod non valeret. Qui ſummus Pontifex benigne annuit; dummodo tamen nullæ fierent in poſterum, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis; & quod in ſimilibus caſibus carentiæ Prouincialis, obſeruetur ad litteram declarat. tex. 7. cap. de elect. Prioris Prouincialis. quod totum fuit notificatum præfato P. Priori Bononiæ, tunc Vicario dictæ Prouinciæ Lombardiæ, per litteras A. R. P. Vicarij Generalis Ordinis Fratris Raphaelis Riphoz, datas ſub die 7. Februarij 1618. regiſtratas fol. 105.

Cum itaque in iure manifeſtum ſit, iura ſingularia, ſiue diſpenſatiua, non eſſe trahenda in conſequentiam, iuxta communiorem doctrinam omnium doctorum, maximè Gloſſ. & Butr. *in cap. cum in cunctis, tit. de electione, nu. 18.* Ideo in caſu conſimili mortis, vel carentiæ Prouincialis, non poſſunt fieri aſſignationes, niſi in caſibus in Conſtitutione expreſſis; alias nullæ ſunt, eò magis quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris.

Panorm. *cap. Cumana, tit. de electione,* ait, quod quando dubitatur vtrum aliquis habeat vocem in electione, & tempus inſtat electionis, ita quod non poſſunt recipi probationes; tunc admittendus eſt cum proteſtatione; & ſtandum
55 eſt conſuetudini. † & cautela generalis eſt, quod vbi eſt dubium, an qui petunt admitti ad actum electionis, debeant, vel non debeant admitti, vel vtrum habeant, vel non habeant vocem; admitti poſſunt cum proteſtatione ſequenti, videlicet; *vt vocem emittant, ſi de iure, hoc eis competat: proteſtatio enim iuuat proteſtantē, & detrahit iuri eius cui præiudicat;* cap. Cumana de elect. Doctor. ibid. & in ſpecie Butr. nu. 6. §. nota quinto.

Qui maiori excommunicatione ſunt ligati, aut ſuſpenſi, vel interdicti, ſi hoc ſit notorium, vel quando poteſt legitimè probari, non ſunt vocandi ad electionem, imò repelli debent; & ſi admittantur, electio corruit; *cap. illa quotidiana, ibid.* Innoc. Franc. Zab. *conſ. 40. col. 1.* Guliel. Mandag. *tract. de elect. nouor. Prælat. cap. 6.*

Franciſcus Suarez, *tom. 5. ad 3. par. D. Thom.* ab eo inſcripto *de cenſuris in communi, diſp. 14. tit. de excommunicatio-ne ma-*

ne maiori, ſect. 2. nu. 7. 8. 9. & ſeqq. poſt
56 †adductas Theologorum, & Iuriſtarum diuerſas opiniones, reſoluit quibuſdam propoſitionibus, quando vota excommunicatorum annullent, ſiue irritent electionem. Quarum propoſitionum

Prima eſt: In electionibus, quæ nec certum numerum eligentium, nec omnium conſenſum poſtulant; ſed ſolum maioris, aut duarum partium; neceſſario ponderandum eſt, an exceſſus ſuffragiorum ex parte electi tantus ſit, vt exclusis cunctis excommunicatis, & inhabilibus, adhuc tamen ſuperſit numerus ſufficiẽs ad electionem complendã.

Si primo modo contingat electio, profecto eſt valida, inquit ille, cum ſit ſufficienter celebrata à legitimis electoribus.

Si vero numerus ſuffragiorum tantus non ſit, vt excluſo vno, vel altero excommunicatorum, reliqui Electores non excommunicati, ad electionem ritè cõplendam, non ſufficiant; tunc, & eo caſu, diſtinguendum eſt, in hunc qui ſequitur modum.

Si electio fuerit publica, in illa apertè conſtabit, an excommunicati fuerint, vel ſuffragium tulerint in fauorem electi; & dato quod ex vi illorum ſuffragiorum quis fuerit electus, electio eſt nulla, quia non habuit ſuffragia habilium ſufficientia ad electionem.

Si vero excommunicati non dederunt ſuffragium electo, ſignum eſt quod vota electorum habilium fuerunt ſufficientia ad illum eligendum.

Si vero electio ſit ſecreta, inualida erit neceſſario iudicanda, quoties ſuffragia in fauorem electi præſtita, non fuerint ſufficientia, computando illa, ſecluſis ſemper omnibus excommunicatis, habito ſolo reſpectu ad eligentes habiles. Verbi gratia: Si viginti fuerint electores, & vnus, vel duo ex illis fuerit excommunicatus, ad hoc vt quis euadat ritè, ac rectè electus, debet habere decem ſuffragia, eorum tamen electorum, qui ſunt verè habiles; ſecluſo ſemper vno, vel duplici voto, excommunicatorum: nam Electores verè habiles in tali caſu remanent numero decem & octo; & decem ſuffragia faciunt maiorem partem: ideo ſi habeat vota decem, eo caſu ſufficit, quia decem Electores faciunt maiorem partem.

Quam doctrinam in ſpecie Suarez abſque dubio collegit ex Richar. 4. *ſent. diſt.* 18. *art.* 7. *q.* 1. *ad* 3. quæ innititur etiam rationi naturali, præſuppoſita ſemper manifeſta excommunicatione maiori. Et vt animaduertit Suarez *ibidem*, præfata doctrina poteſt rectè extendi etiam ad Electores inhabiles, quoties ſe ingerunt electionibus canonicis.

Numero vero 13. ſed clarius 17. Suarez limitationem adducit collectam ab eo ex dictis communiter à Canoniſtis; & eſt, *Electio facta cum voluntaria admiſſione excommunicatorum ad eligendum, nulla eſt, præciſè ex hoc defectu: Si vero ignoranter, electio tunc non eſt inualida.* Pro qua limitatione adducit etiam praxim, & vſum, vltra communem Canoniſtarum ſententiam.

Numero vero 18. poſtquam ſtatuit, ſuperius adducta habere locum in excommunicato nominatim, aut manifeſto percuſſore clerici, propter extrauag. Ad euitanda, reſpondendo obiectioni ab eodem adductæ, ait, quod excommunicato alias cognito, poteſt fieri exceptio ab alijs Electoribus, qui excommunicatum nolunt admittere; quia extrauagans præcitata, nullum fauorem fecit, neque ius contulit excommunicato; ſed tantum permiſit communicationem cum illo; neminem tamen ad hoc obligauit: ergo quilibet poteſt eum re-

Digitized by Google

eum repellere.ſi tamen nihil ei objiciatur, nec repellatur, ſuffragium eius, inquit ille, validum eſt,quia ſe habet tunc ſicut excommunicatus occultus, cuius acta valida ſunt. Quā doctrinam Patris Suarez quo ad aliqua, quæ ab ipſo traduntur, vel neceſſaria conſequentia inferuntur, ex traditis ab eodem, vbi ſupra, non recipiunt communiter Iuriſtæ,neque Theologi omnes: cùm etiam excommunicatus occultus inficiat electionem, vt latius dictum, & probatum eſt ad finem cap.4. ſub nu.19.& in hoc eodem cap.5. num. 18.& 48.

Idem Suarez diſp.præcitata 24. *tit.de excõmunicatione minori, & effectibus eius, num.* 22. poſt reiectam opinionem Richardi, docentis, Eligentes ſcienter excommunicatum minori excommunicatione, incurrere pœnam iuris, & pro ea vice remanere priuatos iure eligendi; apertè tradit, communem opinionem, ac magis veram eam eſſe, quam Panormitanus docet,aſſerẽdo præfatam pœnam nequaquam incurrere electores, eligentes excommunicatum minori excommunicatione; eo quia in iure non eſt expreſſa, pro hoc caſu, neque ſit extendenda vltra caſus in iure expreſſos: Non enim eſt eadem ratio de eligente ligatum minori excommunicatione, quia hic non peccat contra iuſtitiam.

Furioſi continuè agitati, dilucida interualla nõ habentes, cùm careant conſenſu, vel diſſenſu, † vt patet *extra de ſponſ. cap. dilecti*,ideò eligere nõ poſſunt, quia per mutuum conſenſum eligentium, & electi, contrahitur matrimonium ſpirituale, vt patet *in cap. cum inter canonicos, tit. de electione*. & Mandag. *tract. de elect. cap.*7. 1.*part.* idem docet de furioſis, & mente captis: quod probat, & ampliat, atque teſtimonijs ſacrorum Canonum, & præclariſſimorum Doctorum, Nicolaus Boerius *ad præditum cap.7. Mandagoti ſub litt.b.* qui ſi ad ſanam mentem redeant, per dilucida interualla, ſicut & alij admittẽtur, Mandagot. *vbi ſupra ad finem cap.*

57

Religioſi Mendicantes, tranſeundo ad alios Ordines nõ Mendicantes,etiam
58 auctoritate Apoſtolica,† non habent vocem, neque locum in Capitulo, vt *in tex. Clement. vt profeſſores, tit. de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem*. Petrus Baiſ. *in direct. elect. cap.* 3.

49 In Ordine Prædicatorum † aſſignati infra duos menſes electionis, carent voce, vſque dum confirmatus Prior acceptauerit Venetijs 1592. declarat. 2.

Elector, qui iam eſt in pacifica poſſeſſione eligendi Priorem, vel alium Prælatum, & actu pluries iam elegit, ſi caſu infirmitatis, vel alterius accidentis, efficiatur cœcus, & nihil videns, & per conſequens non valens ſcribere in ſchedula nomen eligendi, non propter hoc priuandus eſt, ne cum alijs in Capitulo
60 congregatus, † ponat ſchedulam de eius commiſſione ab alio ſecretò conſcriptã eligendo Prælatum. Et potiſſimè in Ordine Prædicatorũ, vbi electoribus mandatur, vt ſcribant, ſiue ſcribere faciant nomen eligendi; ſuper quo extat expreſſa declaratio Congregat. Concil. Trid. *dummodo cæcus ante cæcitatem acquiſierit poſſeſſionem eligendi Priorem, ſiue Prouincialem.*

Et ad obuiandum malis, quæ poſſent oriri in aliquale præiudicium electionis futuræ, iura diſponunt, vt votum ſuum faciat ſcribere ad eius mentem ab aliquo ex illis, qui non habent intereſſe in futura electione, requirendo à Scriptore, vt ſub iuramento illi promittat fideliter annotare in ſchedula, perſonam ab eodem cœco nominatam, & non aliam: iuramentum enim, nedum de iure humano, verum etiam Diuino, eſt remedium

dium inuentum, ad fraudes ſubmouendas, ixta text. *in cap. ex litteris*, & *in cap. & ſi Chriſtus*; Et Exod. *cap. 22.* ibi, *ſi quis commendauerit amico*. Ad tollenda vero varia inconuenientia, ex quibus multoties naſcuntur lites, & contentiones, tutius eſſet vt cæcus non valens ſcribere, vel legere, liberè renunciaret votum ſuum in electionibus, quæ fiunt per ſcrutinium; & ad id forte poſſet per Confeſſarium quaſi compelli; non dico ſemper, ſed quaſi, ad obuiandum prædictis inſinuatis malis, & non aliter.

61 Elector, qui peccat temerarie eligendo,† debet priuari illa vice poteſtate eligendi; quamuis de iure non ſit priuatus, Butr. *tit. de elect. cap. bonæ, nu. 4.*

62 Publicato ſcrutinio, † ſiue electione, aliquibus Electoribus aſſerentibus ſe nõ conſenſiſſe in perſonam electam, non creditur, quia ſunt ſingulares; ſed potius creditur ſcrutatoribus; Butr. *vbi ſupra cap. publicato, nu. 6.*

Eligens ſuſpenſum, (intellige ignoranter) non eſt priuatus poteſtate eligendi, ſed iterum eligere poteſt, *cap. 1. de poſtulatione*, adiuncta Gloſſ. Io. Andr. *de Regul. iuris, in 6. Reg. 15. nu. 9.*

63 Electores, etiam † ſinguli, poſſunt petere confirmationem electionis recte factæ per ipſos, Butr. *in cap. poſtquam, tit. de electione, nu. 6.*

Eligentes poſſunt atteſtari etiam in iudicio, de facto electionis, ac de illis quæ in proceſſu illius verè acciderunt, Butr. *in cap. dudum, de elect. nu. 3,*

Eligentes contra formam cap. cum in cunctis, puta eligendo minores, illegitimos, illiteratos, & malæ vitæ, incidunt in pœnas taxatas in eadem Decretali. Si vero delinquant in alijs, quàm in iſtis prænominatis defectibus, non incurrunt prædictas pœnas, iuxta illam generalem atque veriorem Regulam. *Pœnæ non ſunt amplianda*, Ioannes de Anania *ſuper primo Decret. tit. de electione, cap. 8. nu. 1.* & alij fere omnes Iuriſtæ.

Angelus in ſua ſumma, *tit. electio, nu. 23.* poſt enarrata canonica impedimenta, quæ occurrere poſſunt circa electionem Prælatorum Regularium, ex

64 defectu perſonæ electæ, † quos defectus reducit ad numerũ ſeptenarium: Quorum primus eſt, quando electus eſt malæ vitæ: ſecundus, quando electus eſt excommunicatus, maiori excommunicatione: tertius, quando electus eſt innodatus, etiam minori excommunicatione: quartus, quando eſt ſuſpenſus, vel interdictus, aut interdictum non ſeruauit: quintus, quando non eſt legitimè natus, vel debitæ ætatis, & conuenientis litteraturæ: ſextus, ſi ſemel fuerit reprobatus, propter vitium perſonę: ſeptimus, ſi eſt Epiſcopus; & à ſimili, ſi ſit addictus alicui Eccleſiæ, vel Conuentui, quia tunc non poteſt eligi ad aliam dignitatẽ, licet poſtulari poſſit. Quibus additur octauus, quando non eſt profeſſus expreſſus in ea Religione in qua eligi debet; Numero autem 24. pro ſolutione propoſitæ difficultatis ab eo, Vtrum electio ſequuta in perſonam illius, qui habet vnum, vel plures ex prænarratis defectibus, ſit nulla ipſo iure; Reſpondet affirmatiuè per ſequentia verba: *Excepto in habente primum impedimentum, & tertium; quia eſt caſſanda electio, vt patet in cap. fin. de cler. excom. min. & Electores ſunt priuati ea vice, electione, & ſuſpenſi triennio ab Eccleſiaſticis beneficijs ipſo facto.* pro qua ſententia adducit *cap. cum in cunctis.*

Idem Angelus in ſua ſumma, *verb. Electio ſuperius, num. 8.* declarando, ſemper innixus diſpoſitioni Sacrorum Canonum, & auctoritatibus celeberrimorum Iuriſtarum, qui non poſſint eligere, inter illos enumerat excommunicatos maiori, ac etiam minori excommunica-

municatione, necnon ſuſpenſos ab officio, ac interdictos: Inſuper illos, quibus prohibitum eſt eligere ſine Superioris licentia; ac etiam illos, qui ſcienter celebrauerũt in loco interdicto; niſi ſuper hoc habeant priuilegia Apoſtolica. Ac *num.* 4. ponit Laicos, ſiue Conuerſos, non Profeſſos, inter illos, qui non poſſunt eligere; & etiam non initiatos ſacris Ordinibus, pupillos, ac illos, qui in ea vacatione elegerunt, ſiue poſtulauerunt ſcienter indignum, dummodo ſequuta fuerit electio, vel poſtulatio: ac etiam illos; qui per laicalem abuſum elegerunt.

Ab electionibus Epiſcoporum, & Prælatorum Eccleſiaſticorum, excluduntur ordinariè Laici, etiam Principes, vt ſtatuit Adrianus Papa, & patet *in cap. nullus, diſt.* 63. Excluduntur pariter omnes hæretici, & non Catholici; Gregor. ita ſtatuit *in cap. nos* 9. *q.* 1.

Requiritur etiam pro validitate electionis, quod electores ſint collegialiter ſimul congregati; non enim poſſunt
65 ſinguli ſua vota præſtare, † exiſtentes in proprijs domibus, vel cellis. *l.* 2. *C. de decurion. lib.* 10. & Bartolus *ibid.* Ex quo etiam infertur, quod vocales abſentes, non poſſunt per litteras ſuum præſtare votum. Inſuper de iure communi, & ſecundum opinionem Doctorum, præcipuè vero *in cap. per veſtras, de iure patron.* vox electi non poteſt computari ad ſui fauorem, vt alias dictum eſt; tunc enim confunderentur perſonæ, cùm differant ad inuicem, eligens, & electus, nominans, & nominatus in electione, vt patet *in cap. qualiter, de electione.* & *in cap. poſt petitam, eod. tit.* Vbi Honor. III. cuidam electo Lugduneñ, reſpõdet per ſequentia verba. *Cùm poſt petitam inſtanter, & demum obtentam quondam Lugdunenſis Archiepiſcopi ceſſionem, vota Canonicorum Lugdunenſium, in te, tunc ipſorum Præpoſitum, concorditer conueniſſent: Quia tandem examinato, ſicut decuit, proceſſu electionis tuæ, inuenimus eam poſt publicationem conſenſuum, & collationis tractatum, aliquandiu fuiſſe protractam, aſſenſumque tuum, priuſquam electus fueris requiſitum: electionem eandem (ex ipſius duntaxat inordinato proceſſu) iuſtitia caſſauimus exigente*; vbi duos enumerat defectus, ratione quorum caſſauit electionem: primum, protractionem publicationis electionis: ſecundum, conſenſum electi, antequam eligeretur.

66 Paulus III. pro Ordine † Prædicatorum ſtatuit ad eiuſdem Ordinis petitionem, vt quotieſcumque electus fuerit de numero eligentium, debeat habere duo vota vltra medietatem, ne ex vi ſuæ vocis euadat electus, & illi non ſuffragetur proprium votum.

Electores in Capitulo poſſunt vnum, vel plures, nominare in eorum Prælatum; Ioan. de Anan. *vbi ſupra, cap.* 22. *num.* 2. Minor pars Capituli, tunc ritè eligere valet, quando maior eſt priuata poteſtate eligendi. Idem *vbi ſupra, cap.* 24. *num.* 4. & alij.

Quando maior pars electorum in rei
67 veritate, † ignoranter iam elegerit indignum, minor vero pars dignum; non propter hoc confirmari debet electio minoris partis, ſed vtraque caſſanda venit, cum hic caſus non ſit expreſſus in cap. ſcriptum, neque in cap. quia propter, de electione. ſolum, & tantum, quando maior pars remanet priuata, tunc minoris partis electio, tanquam legitima confirmari poteſt: vt quando ſcienter maior pars eligeret indignum, Doctores *in cap. Eccleſia veſtra*, & *cap. congregato, de elect.* Io. de Imol. *ibid. nu.* 12. & *num.* 9. & alij Iuriſtæ.

Electores clarè intuentes erraſſe †, in electione canonica, circa perſonam, ſeu
68 formam, antequam publicetur ſcrutinium,

nium, poſſunt variare in melius errorem, ſiue errores, corrigendo: *cap. publicato; cap. perpetua,* Gloſſ. *ibidem,* Io. de Imol. *cap. cum terra, tit. de electione, nu. 6.* ſecus autem, quando nullum interuenit peccatum. Item ſi fuerit iam publicata electio, non poteſt ratificari: & hoc pacto venit exponendum illud Canoniſtarum, Electio à principio nulla, nequit per ſuperuenientem conſenſum ratificari; intellige poſt publicationem.

69 Tres Electores poſſunt † eligere more ſolito; cap. quia propter, licet formam ſcrutinij in omnibus ſeruare non valeant: duo enim ſcrutentur tertium, & ſeruent alia quæ poſſunt; in ſpecie autem faciant collationem, quæ fieri ſolet in electione concordi, *cap. poſt petitam, cap. in Geneſ. cap. ſi quando,* Innoc. & Archidiac. *ibid.*

Si vero ſunt duo tantùm, neceſſario debent eligere extraneum, cùm neutrum eorum poſſit facere maiorem partem; Ægid. Belamer. *in cap. nullus, de electione, nu. 5. & 6.*

Ad claritatem ſupradictorum, conſiderandum eſt, quod ille non ſolum

70 notorius excommunicatus † cenſetur, qui à ſuo iudice in prædicatione, vel in Eccleſia publicè denunciatur; verum etiam & ille qui vbi de electione agitur, ibidem præſens à Iudice competente excommunicatur: talis enim ab Eccleſia excommunicatus dicitur; Bellamer. *cap. illa, tit. de electione, num. 12.* Etenim ſi excommunicati ſunt notorij, vel non ita occulti, quin probari poſſit quod ſint excommunicati; vocandi non ſunt ad electionem canonicam: & ex hoc non poterunt agere de contemptu, quia cum non poſſint eligere, non poſſunt allegare intereſſe. Innoc. Hoſtien. Compoſt. *in cap. cum dilectus,* Belam. *cap. illa quotidiana, tit. de electione, num. 14.* Caſu vero quo fuerint admiſſi vnus, vel plures, publicè excommunicati, ſi poterant repelli ſine ſcandalo, & fuerit omiſſa proteſtatio, etiam quod non potuerint eijci, non valet electio. Hoc idem proportionabiliter dicendum eſt de illis, qui iuris publici auctoritate prohibiti ſunt eligere, vti laici, impuberes, non exiſtentes in ſacris, & conſimiles, niſi præceſſerit proteſtatio, ſaltem in communi, ibid. Bellam. *nu. 15.* & alij.

Quærenti verò quid de interdictis? Reſpondendum eſt quod poſſunt eligere, ſed non eligi, † quemadmodum de 71
excommunicatis minori excommunicatione ac etiam de ſuſpenſis à beneficio, ſiue officio tantum, Bellam. *vbi ſupra, nu. 16. & 17.* vbi citat plures textus ſacrorum Canonum, & ſententiam multorum Doctorum, idem aſſerentiũ.

In Ordine Prædicatorum, vt clare dicitur *cap. de Apoſtatis,* in expoſitione text. 4. expreſſè habetur Statutum Capituli Barchinoneñ 1349. & Lugdu. 1358. cuius Statuti † tenor eſt; *Quicumque de* 72
lapſu carnis manifeſtè conuictus fuerit, de cætero non prædicet, nec audiat confeſſiones, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur, nec ante triennium vllo modo ad prædicta poſſit reſtitui, per quemcumque; & ſi reſtituatur, reſtitutio nullo modo valeat ante triennium.

Duo electores regulares poſſunt eligere Priorem, nec debent cogi ad ſuſcipiendos alios ſocios coelectores; ex argumento *cap. cum Eccleſia Sutrina, tit. de electione,* & *cap. cum Eccleſia Vulterana,* & ex alijs citatis à Nauar. *lib. 1. conſiliorum, tit. de elect. conſ. 6. nu. 6.*

Diſcordia Electorum vt in pluribus inuoluit negligentiam, quando ſcilicet non eligunt † infra tempus debitum; & 73
per conſequens ius prouidendi deuoluitur ad Superiorẽ, vti notat inter quamplures, Antonius de Butr. *ſuper 1. par. Decret. cap. cum in cunctis, tit. de electione,*

§. *his*

§. *his ſane*, *nu*. 1 0. Hoc tamen intelligitur, quando remedia in caſu diſcordiæ adhibenda, ſecundum iura, fuerint realiter exhibita; vt in Ordine Prædicatorum quod detur per Prouincialem Vicarius electionis cum voce actiua, cuius ſit dirigere electionem, & animos diſcordes electorum: quando hoc totum factum eſt, ſi non eligant, tranſacto menſe, deuoluitur ius prouidendi ad Superiorem. Nota aliud, quod non dicit Antonius, ad Superiorem immediatum; ſed ſimpliciter, & indefinitè, *ad Superiorem*, propter ea quæ dicentur latius, ad hunc caſum attinentia, inferius cap. de confirmatore, à nu. 44. vſque ad nu. 47.

Si contingat in Ordine Prædicatorum, declarari nullam ac irritam electionem, & confirmationem ſubſecutam alicuius Prioris, poſt aliquos menſes, ſpatio quorum facta fuerit mutatio
74 vocalium † in eodem Conuentu; Quæritur ad quos pertineat electio noui Prioris? Reſpondetur, ad illos qui primum elegerunt, dummodo electio non fuerit caſſata ob aliquem defectum electorum, per quem ipſo iure remaneant voce priuati, quia toto illo tempore inſtabat electio: & ex diſpoſitione Conſtitutionũ Ordinis Prædicatorum diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis in declar. text. 6. ſub littera, Q, §. *declaramus quod à die notitiæ*, &c. inter cætera ſtatuitur quod *non fiant aſſignationes, remotiones, in eodem C[o]nuentum, antequam nouus Prior ſit electus, atque confirmatus, & confirmatio ſuum ſortiatur effectum*. Et ratio aſſignatur, quia electio toto hoc tempore manet ſuſpenſa, & poteſt caſſari: vbi citantur acta Capituli Bononiæ 1 3 1 5. Eo magis quia confirmatio de qua in caſu, nulla fuit ab exordio, quia *infectum, pro non facto habetur*, iuxta alias ſæpius allegata.

Si Electoribus inhibeatur à Superiore, ne procedant ad electionem, ſine ſua ſpeciali licentia, dato quod tranſactis tribus menſibus à iure ſtatutis, ſiue
75 menſe vno † tantum, in Ordine Prædicatorum computando à die vacationis, non fuerit petita licentia per Electores, vt poſſent Prælatũ ſuum eligere, & ideo de facto non elegerint: quia tenebantur petere facultatem de qua ſupra, circa quod fuerunt negligentes: Ideo in pœnã eorum negligentiæ ſacri Canones eoſdem priuant iure eligendi, & ius prouidendi tribuunt eorum Superiori: & merito quidem, nam ius ſuum neglexerunt; quemadmodum & prouiſionem Eccleſiæ, ſiue Conuentus. *Iura* etenim *negligentibus non ſubueniunt*, cap. his quibus; & clarius in Gloſſ. illius cap. de electione.

Ex quibus liquido colliguntur duo; videlicet quod Superior præſuppoſita iuſta, ac vrgenti cauſa, valet prohibere Electoribus, ne ad electionem noui Præ-
76 lati procedant † ſine ſui licẽtia; vti quando rationabiliter dubitatur, quod inter Electores ſint excommunicati, excommunicatione latæ ſententiæ vel quando ſunt diſpoſiti ad electionem indignorum, & ſimilium. Secundum eſt, quod Electores adſtringuntur maximè dum appropinquat terminus temporis à iure præfixi, petere etiam iuridicè, ſi fieri poteſt, licentiam procedendi, caſu quo fuerit eis prohibitum procedere, proteſtando velle vti iure ſuo tempore congruo, nec debere iure ſuo priuari, abſque illorum culpa; iuxta *ca. quia, de conceſſione præbend.*

Si vero abſque eorum culpa, ſed malitioſè, præter ius, eis denegetur licentia; debent ad Superiorem illius qui fraudulenter poſuit interdictum ne procedant ad electionem, recurſum habere, vt omnino tollatur impedimentum; vel inſtante termino à iure ſtatuto, poſſunt

ſunt procedere, niſi illorum culpa fuerint declarati, & priuati iure eligendi; Doctores, & præcipuè Butrius, *num.7. in eod. cap. his quibus.*

Quoties electores eligunt indignum, non ſolùm ad Epiſcopatum, ſed & ad inferiores dignitates, remanent priuati; & ius eligendi deuoluitur ad illos, qui non elegerunt indignum, iuxta tradita in ampliori forma alibi; *cap. dudum, de elect.* Panorm. *ibid. num.* 10.

Cum in hoc cap. ſæpius facta fuerit mentio de validitate, ſiue nullitate aſſignationum Fratrum vocalium Ordinis Prædicatorum, certis temporibus factis, potiſſimè vero in ordine ad electiones Canonicas, & Sociorum Priorum euntium ad Capitulum Prouinciale, quod antiquitus in Prouincijs Italiæ quot annis celebrabatur; vt cuncta clariora ſint, ponderanda duxi, quæ continentur in ſequentibus punctis,

Primò, ex verbis Decreti Clementis Octaui, quo prohibentur fieri aſſignationes, ante duos menſes electionis Prioris, euidenter apparet diſpoſitionẽ eiuſdem Decreti, eſſe extendendam ſolum,
77 & † tantũ, ad electiones canonicas Priorum eiuſdem Ordinis Prædicatorum, & non vlterius: Verba etenim præfati Decreti, regiſtrata in actis Capituli Generalis Vallifolet. 1605. *tit. acceptationes, num.* 2. ſunt quæ ſequuntur: *Nc duobus menſibus ante tempus electionis Prioris vllæ fiant aſsignationes, vel reuocationes; quod ſi facta fuerint, Fratres ſic aſſignati, non habeant vocem in quauis electione illius Conuentus, donec aliquis fuerit confirmatus*; intellige in Priorem.

Secundò, ſemper fuit ab immemorabili, & ad præſens adhuc extat conſuetudo, & vſus in omnibus Italiæ Prouincijs, abſque vlla minima contradictione
78 receptus, ne pariter fiant † aſſignationes poſt Septuageſimam, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis Prædicatorum: & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, ſaltem quoad emiſſionem voti in prænominatis electionibus. Quæ conſuetudo vt laudabilis, ſemper approbata, ac exequutioni vniuerſaliter demandata intra Italiam, licet non habeat certum, atque expreſſum fundamentum in Statutis eiuſdem Ordinis, non eſt tamen, nec implicitè, nec explicitè contra, neque præter contenta in præfatis Statutis: Imò eſt valdè conformis diſpoſitioni eorum, vti eſt videre præcipuè in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorũ, *diſt.* 2. *cap.* 16. cui titulus eſt, *de certis detractionibus, & ſingularitatibus vitandis, tex.* 4. vbi inter cætera pro libertate electionum, ac pro remouendis fraudibus, ſtatuitur quod *Ordinatio cap. Burdegalen. de mutationibus Fratrum non faciendis, omnino ſeruetur infra menſem ante electiones quaſcumque, niſi pro officio Prioris, vel Lectoratus, vel pro graui ſcandalo euitando*; vbi etiam imponitur pœna Prouincialibus abſolutionis à ſuis officijs, ſi in hoc inuenti fuerint exceſſiſſe. Et ad calcem eiuſdem textus expreſſis verbis mandatur, *ne Fratres poſſint priuari vocibus eodem tempore; niſi ob cauſas in capitulo de grauiori culpa contentas.*

Et in Capitulo Generali Bononiæ celebrato 1315. etiam prohibetur *ne inſtante electione Prioris Prouincialis, ante eius confirmationem fiant aſſignationes.* quæ omnia fuerunt confirmata in Capitulo Generali Bononiæ 1564. *tit. Admonitiones*, per ſequentia verba: *Admonentur Prouinciales, vt abſtincant à mutationibus Fratrum in Conuentu, in quo celebranda eſt electio, etiam ſi Priori vnus menſis adhuc ſuperſit ſui officij.* Et idem inſinuatur in Bulla Iulij II. de temporalitate Prælat. publicata 6. Kal. Auguſti 1504. hic inſerenda propter claritatem dictorum,

rum, ac dicendorum in præcedentibus, ac ſequentibus cap. nam ſæpius citatur.

Bulla IVLII II.

De temporalitate Priorum, & Priorisſarum in Ordine Prædicatorum.

IVLIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SVb Religionis iugo Domino famulantes libenter proſequimur fauore gratiæ ſpecialis; & ad ea, per quæ eorum quieti conſulitur, & ambitioni via præcluditur, diligenter intendimus; & in his noſtri paſtoralis officij partes fauorabiliter impartimur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè exponente nobis venerabili Fratre noſtro Oliuerio Epiſcopo Hoſtienſi, ac Protectore Ordinis Prædicatorum, percepimus, quòd perpetuitas, ſeu diuturnitas in officijs dicti Ordinis multa detrimenta, ac etiam contentiones inter ipſius Profeſſores ſæpius afferre conſueuit: ac per eundem Oliuerium Epiſcopum nobis humiliter ſupplicato, quod tam Priores Prouinciales, & Conuentuales eiuſdem Ordinis, quam Priorisſæ Monialium ſancti Auguſtini ſub cura præfati Ordinis, vltra certum tempus in ſuis perſeuerare officijs non posſint, perpetuò ſtatuere, & ordinare, aliaſque in præmisſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum, præſertim religioſorum quieti, & paci, quantum cum Deo posſumus libenter conſulimus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quod in prædicto Ordine Priores Prouinciales vltra quadriennum, Conuentuales vero, & præfatæ Priorisſæ vltra biennium, in huiuſmodi non posſint perſeuerare officijs; ſed his elapſis temporibus, ipſo facto abſque alia abſolutione ſint à præfatu officijs abſoluti. Nec qui Prior Princialis fuit, posſit infra octo annos eius abſolutionem immediatè ſequentes, eiuſdem Prouinciæ eſſe Prior Prouincialis: nec qui Prior Conuentualis fuit, posſit infra quadriennum immediatè ſequens eiuſdem Conuentus eſſe Prior Conuentualis. Et ſimiliter, quæ Priorisſa fuit, infra etiam quadriennum immediatè ſequens non posſit eiuſdem Monaſterij eſſe Priorisſa, niſi in Monaſterijs nouis, aut nouiter reformatis, ad quorum regimen aliunde moniales aduocatæ, adductæque fuerint. In his enim poſt annos viginti poſt inſtitutionem, aut reformationem, volumus poſſe diutius Priorisſas durare; & citius reaſſumi, prout ante præſentium litterarum emanationem fieri poterat. Verum ne Capitula Generalia, aut Prouincialia opportunis contingat carere ſuffragijs, ſacriſque temporibus Fratres ipſius Ordinis diſcurrere; eadem auctoritate volumus, & declaramus, quod ſi quadriennium alicuius Prioris Prouincialis finiri contingat, Ordine non habente Magiſtrum Generalem, aut inchoato anno celebrandi Capitulum Generale, in quo ſecundum præfati Ordinis Conſtitutiones, Priores Prouinciales debent diffinire; extenſum intelligatur in vtroque caſu illius quadriennum, vſque ad Capitulum Generale completum, in quo Generalis Magiſter electus erit, vel in quo diffinire debent. Similiter ſi alicuius Prioris Conuentualis biennium contigerit compleri, Prouincia carente Priore Prouinciali, aut infra Septuageſimam, & Paſcha; biennium illius in primo caſu, vſque ad electionem Prouincialis, ſeu Capitulum Prouinciale completum, in quo Prouincialis electus fuerit; in ſecundo caſu vero, vſque ad completum Prouinciale Capitulum, ſi infra tempus Paſchale illius anni celebrandum fuerit; alioquin vſque ad Reſurrectionis Dominicæ octauas incluſiue intelligatur extenſum. Ad

Ad præſentes vero Priores Prouinciales, qui quadriennium in Prouincialatus officio peregerunt, aut ante proximum celebrandum Capitulum Generale, ſed interim diſpoſitioni Superiorum ſuorum, ac ſi præſentes litteræ non emanaſſent reliquentes; volumus ſtatim completo præfato Generali Capitulo proximè celebrando, prædictos omnes abſolutos ipſo facto, abſque alia abſolutione, à prædictis officijs eſſe: & ita tenore præſentium declaramus ex nunc prout ex tunc eos abſolutos. Priores verò Conuentuales præſentes, qui biennium in Prioratus officio peregerunt, aut ante celebrandum Prouinciale Capitulum ſuæ Prouinciæ peregerint, vſque ad Prouinciale Capitulum completum proximè celebrandum in illa Prouincia perdurare poſſint; ſed ſtatim præfato Capitulo completo eos à ſuis officijs abſoluimus, & abſolutos declaramus. Priorſſæ autem præſentes Monaſteriorum non nouiter conſtructorum, aut reformatorum, quæ per biennium in ſuo officio tranſierunt, aut ante feſtum Penteceoſtes proximè futurum biennium peregerint, vſque ad primam viſitationem ſolemnem eiuſdem Monaſterij durare poſſint, ſi infra annum à feſto Penteceoſtes proximè futurum inchoandum viſitatio ſupradicta fiet. Alioquin immediatè poſt octauas feſtiuitatis Reſurrectionis Dominicæ anno Domini M. D. V. eas à ſuis officijs abſoluimus, & abſolutas declaramus. Volumus quoque, & eadem auctoritate perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod Vicarij Generales Congregationum exemptarum à Prioribus Prouincialibus, ſiue vita communis, ſiue regularis, non poſſint vltra triennium in Vicariatus officio perdurare; ſed vt triennio completo, ipſo facto ſint abſoluti abſque alia abſolutione, & declaratione. Nec poſſit qui Vicarius fuit, eiuſdem Congregationis Vicarius eſſe infra ſex annos immediatè ſequentes. Nec intendimus propterea conſuetudines, ſtatuta, aut priuilegia quarundam Congregationum infringere, diſponentia quod Vicarius Generalis biennio tantum duret; ſed tenore præſentium concedimus præfatis Congregationibus, vt poſſint in primo Capitulo earum (ſi voluerint) etiam ipſæ tempus Vicariatus Generalis in tertium annum perpetuò prorogare. In omnibus tamen Congregationibus ſeruari volumus, quod ſi Vicarius Generalis biennio tantum durare poteſt, infra quadriennum immediatè ſequens; ſi vero per triennium, infra ſex annos immediatè ſequentes, eiuſdem Congregationis non poſſit eſſe Vicarius Generalis. Per hoc autem non intendimus poteſtatem adimere Superioribus ipſius Ordinis Prælatis, quin poſſint infra præfata tempora Priores Prouinciales, & Conuentuales, ac Prioriſſas, Vicarioſque generales abſoluere ab huiuſmodi officijs; ſed liberam eandem quam hactenus habuerunt auctoritatem ſuper abſolutione præfatorum eis relinquentes, ſuper confirmatione, manutentione, & inſtitutione eorundem reſtringimus iuxta prædicta. Quæcunque vero ordinauimus de Prioribus Conuentualibus, vacante Prouincialatu à tempore Septuageſimæ ineunte, intelligenda eſſe volumus etiam de Prioribus Conuentualibus ſubditis Vicarijs Congregationum, vacante Vicariatu, aut tempore Septuageſimæ iam ingreſſo. Et ſi contra præmiſſa, aut præmiſſorum aliquid factum fuerit, ſcienter, vel ignoranter poſt præſentium promulgationem, totum irritum, & inane illud eſſe decernimus, & declaramus; quacunque id auctoritate factũ fuerit, etiam litterarum Apoſtolicarum, niſi in illis plena, & expreſſa mentio de præſenti Statuto, & dicto Ordine fiat, & alias id honeſtati Ordinis, & paci, ac quieti Fratrum expediens fuerit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordini præfato, aut alicui Prouinciæ, domui, Monaſterio, aut Magiſtro Generali, vel alicui Priori Prouinciali, vel Conuentuali, aut Prioriſſæ, aut etiam alicui Congre-

grega-

gregationi, vel Vicario Generali, conceſſis litteris Apoſtolicis, etiam in forma Breuis, & Priuilegijs, ac Conſtitutionibus ipſius Ordinis; quibus illa etiam, ſi de eis, eorumque tenoribus, de verbo ad verbum mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda eſſet; & in eis quæuis clauſulæ, etiam derogatoriarum derogatoriæ, fortiores, & inſolitæ continerentur; præſentes pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris (quoad præmiſſa) ſpecialiter & expreſſe derogamus; cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Cæterùm, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, originales deferri; volumus, ac dicta auctoritate decernimus, quod earundem præſentium litterarum tranſumpto manu publici Notario ſubſcripto, ac alicuius Prælati Eccleſiaſtici, aut illius curæ, aut demum præfati Ordinis Generalis Magiſtri ſigillo munito vbique ſtetur, & eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra; & vbi illud fuerit exhibitum, vel oſtenſum, in omnibus, & per omnia, prout eiſdem præſentibus ſtaretur, & adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. IV. 6. Calen. Auguſti. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Prædictæ Bullæ, ſeu Conſtitutionis Apoſtolicæ reuerenter, lętanterque iam receptæ, Patres Ordinis Prædicatorum nomine totius Religionis Congregati in Capitulo Generali Salmanticæ celebrato in Conuentu ſancti Stephani, in feſto ſanctiſſimæ Pentecoſtes, Anno Domini M. D. LI. ſub Reuerendiſſimo Patre Fratre Fráciſco Romæo Caſtilion. tunc Magiſtro Generali eiuſdem Ordinis Prædicatorum, in quo diffinierunt Prouinciales totius præfati Ordinis, quẽadmodum videre eſt in actis eiuſdem Capituli, *titulo, declarationes, vlt. declar.* executionem ſtrictius mandarunt; palam intelligentes, quod inde prædictus Ordo erat magnas, mirabileſque vtilitates recepturus.

Cùm in hoc tractatu frequenter agatur de modo, quem obſeruare debent Fratres Ordinis Prædicatorum in canonicis electionis ſuorum Superiorum, aliorumque Officialium eiuſdem Ordinis; neceſſarium eſſe credidi hic referre per extẽſum Bullam Leonis Papæ X. iuxta fidele exemplar, quod habetur in actis Capituli Generalis Salmánticæ celebrati 1551. die 17. Maij *tit. acceptationes*, quæ eſt ſequentis tenoris.

LEO PAPA X.

Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem:

EXpoſuit nobis dilectus filius Thomas veſtri Ordinis Magiſter Generalis, quòd licet ipſe cum multorum veſtrorum Patrum conſilio pro quiete, & pacifica libertate votorum in electionibus, & in alijs quibuſdam rebus, quantum in ſe fuit, ordinauerit, & ſtatuerit, quod vota ſingulorum ſic eſſent ſecreta, vt nullus poſſet ſcire alicuius determinatæ perſonæ votum, ac per hoc electiones fierent per viam compromiſſi: ita limitati, vt ſcilicet à compromiſſario, vel compromiſſarijs eligatur, qui à maiori parte omnium eligentium, & vna amplius voce eſſet nominatus per cedulas ſingulorum, in quibus tantum nomen vnius eligendi ſcriptum eſſet; alia vero, quæ circa determinatas perſonas per ſuffragia fieri ſolent, vt recipere aliquem ad habitum, vel profeſſionem, inſtituere aliquem in ſindicum, & alia huiuſmodi, per fabas albas, & nigras, vel aliquid ſimile, fierent. Verum quia in dubium verti poſſet, an in electione per viam compromiſſi ſic limitati, requiratur conſenſus omnium, in hanc for-

mam, & ſi confirmatori per hoc auferretur via diſcernendi ex decreto electionis meritum, & zelum eligentium; vt nos prouidere dignaremur de benignitate Apoſtolica, humiliter ſupplicauit. Nos attendentes pacem ipſam eſſe quid præcipuum bonum, præſertim eorum, qui in Religione conueniunt, & in electionibus libertatem votorum eſſe maximè fouendam: Huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica litteras Magiſtri Generalis prædictas, quas vna cum contentis in eiſdem, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro expreſſis habemus, approbantes; ſtatuimus, & decernimus, vt non ſolum in dicta veſtra Congregatione (ſcilicet Tuſciæ) ſed etiam in vniuerſo Prædicatorum Ordine, & Monaſterijs Sororum dicto Ordini commiſſis, in omnibus electionibus, dicta forma, vt præfertur, ſeruari poſſit: ita tamen, quod duæ partes eligentium conſentiant in eam formam; cum non ſit veriſimile, duas partes conſenſuras in dictam formam, debito zelo poſtpoſito. Voſque in Domino hortamur, vt in fauorem pacis, huiuſmodi formam amplectamini. Et nihilominus mandamus vobis, vt alia, quæ per ſuffragia abſque canonica electione circa determinatas perſonas per vos concludenda ſunt, collatione prius facta, & auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur, dicere, cum ad vota peruenitur per fabas, vel ſimile, vota non niſi ſecrete dentur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Februarij Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Iacobus Sadoletus.

Circa hanc Leonis X. Bullam animaduertendum eſt, quod per illam eximuntur Fratres Ordinis Prædicatorum à duobus; primo à ſcrutinio, ſiue collatione zeli ad zelum; ſecundo, cum de iure communi compromiſſum in electione canonica nequeat fieri niſi omnes, & ſinguli eligentibus præbeant aſſenſum, Pontifex ex benignitate Apoſtolica concedit vt Compromiſſarius eligi poſſit de conſenſu maioris partis vocalium; non tamen obligat vt fiant canonicæ electiones per viam compromiſſi: cum in Ordine Prædicatorum omnis electio Canonica neceſſario fieri debeat per viã ſiue modum ſcrutinij per ſchedulas, modo explicato inferius, num. 5. Quamobrem remanet adhuc facultas apud ipſos Ordinis Prædicatorum vocales, in alijs actionibus atque electionibus in præmemorata Bulla expreſſis (præter canonicas) vt poſſint vti modo in illis procedendi per viam compromiſſi. Ad do tertio, quod pro pace, & maiori etiam libertate vocalium, optimum atque omnino neceſſarium eſt, vt in toto Ordine Prædicatorum, in receptionibus Fratrũ ad habitum, & profeſſionem, ac alijs electionibus circa priuatas perſonas eiuſdem inſtituti Prædicatorij, ſuffragia omnino dentur ſecreto: per hoc enim certo euitantur contentiones, lites, ac alia innumera mala; ideò non ſine culpa, hæc omitti poſſunt, aut debent, maxime accedente expreſſo mandato ſuper hoc Apoſtolico, cui ſemper, & in omni loco reuerenter, atque celeriter parendum eſt.

Conſimiles aſſignationes vocalium, videntur prohibitæ non ſolum in cap. de electione Prioris Prouincialis, & Cõuentualis, verum & in Capitulo Generali Romano 1530. & 1589. *tit. admonitiones*. Et ad idem forſan reſpiciens Cardinalis Alexandrinus, olim Protector Ordinis Prædicatorum, in ſerie earum ordinationum, quas edidit pro bono regimine Prouinciæ Romanæ, &

Lombar-

Lombardiæ, ordinatione 14. mandauit, ne infra annum *vllæ fierent aſſignationes, ſed ſolum expediantur in Capitulo Prouinciali, à Diffinitorio*. Hoc idem Sixtus V. ſtatuit pro Prouincia Regni, eiuſdem Ordinis Prædicatorum. Et in Capitulo Generali Veneto 1592. aſſignationes albæ, & indeterminatæ omnino prohibentur, & nullæ declarantur. Tandem in Capitulo Generali Pariſijs 1611. *tit. ordinationes, nu.* 10. præcipitur, *Ad cauendas omnes fraudes in electionibus, tam Priorum, quam ſociorum, non fiant aſſignationes doloſæ, ac fictitiæ; ſed ad illos tantum pertinet electio, qui realiter, & bona fide, ſunt in illo Conuentu aſſignati, & in eodem ſaltem per duos menſes realiter, & bona fide, Conuentui inſeruientes, ante electionem permanſerunt*. Ab eximijs etiam P.P. ſæpe dictum eſt prædictam conſuetudinem de non faciendis aſſignationibus poſt Septuageſimã, habuiſſe exordium ab oraculis Apoſtolicis, factis Superioribus dicti Ordinis, pro remouenda quacumque coactione, ſiue fraude, circa electiones celebrandas; præſertim Magiſtro Generali Fratri Vincentio Iuſtiniano anno 1564. occaſione celebrationis Capituli Generalis Bononieñ illius anni, qui Generalis fuit poſtea creatus à Pio V. S.R.E. Cardinalis. In Capitulo Generali Vlyſſiponeñ, celebrato 1618. *tit. Declarationes*, decernitur quod *Priores qui poſt Dominicam Septuageſimæ, ſui officij tempus complent; eo anno, quando celebratur Capitulum electionis Prouincialis, vt perſeuerent vſque ad celebrationem Prouincialis Capituli incluſiuè*.

Videtur neceſſarium vt de aſſignationibus vocalium, reuera conſtet, & Prælato, & Conuentui in quo celebranda eſt electio, per duos menſes ante electionem, ſiue ante Dominicam Septuageſimæ. Quod ſæpe fuit reſolutum in Conſtitutionibus Romæ habitis coram Reuerendiſſimis Generalibus. Hocque docet practica communis omnium ferè Prouinciarum Italiæ; & publicatio aſſignationum videtur omnino neceſſaria ante duos menſes.

Quod totum videtur habere fundamentum in declaratione quinti Capituli Romani 1589. cuius verba in noua impreſſione Conſtitutionum Ordinis facta Barchinone 1620. pag. 117. col. 1. referuntur in hunc modum. *Declaramus, ad tollendam quamcumque fraudem, & doli ſuſpicionem, (quatenus opus eſt), decernimus, & ſtatuimus, quòd ad hoc, quod aliquis in aliqua electione vocem habeat, non ſufficit quòd ante electionis menſem in Conuentu, vbi eligere debet, fuerit aſſignatus; niſi de aſſignatione ipſa & Prælato, & Conuentui, in quo re vera eſt aſſignatus, re vera ante menſem conſtiterit. Quod Venetijs 1592. fuit confirmatum; & additum, quòd excipiatur caſus mortis ipſius Prioris, quando iam nulla fraus præſumi poteſt. Tandem in Capitulo Romæ 1601. acceptata fuit Clementis VIII. Conſtitutio, ne duobus menſibus ante tempus electionis Prioris vllæ fiant aſſignationes, vel reuocationes; quæ etiam fuit acceptata Valliſoleti 1605. & additum, quod ſi factæ fuerint, Fratres ſic aſſignati non habeant vocem in quauis electione illius Conuentus, donec aliquis fuerit confirmatus.*

Et licet addatur, *per menſem*, hoc ideo factum fuit, ſine præiudicio conſuetudinis, de qua ſupra, & nondum extabat publicatum Decretum Clement. VIII. de duobus menſibus: ideo nunc poſt publicationem, meritò extendenda venit dicta declaratio Capituli Romani, ad duos menſes, & ad tempus ante Septuageſimam; quæ extenſio expreſſum habet fundamentum in Ordinatione Capituli Pariſienſis, in præcedenti puncto citata, ac alijs paulò poſt relatis.

Conformiter ad diſpoſitionem quintæ Or-

tæ Ordinationis Capituli Vlyſſiponenſis, 1618. vigore nouæ aſsignationis, 79 etiam poſt duos menſes,† nullus elector in Ordine Prædicatorum, eodem anno, in diuerſis Conuentibus duos eligere valet Priores, nec Socios pro Capitulo Prouinciali, *exceptis Regentibus, Lectoribus actualibus Conuentuum, & Studentium Magiſtris, qui ſtudiorum promouendorum intuitu in alijs Conuentibus aſsignati fuerint, ac etiam Supprioribus de nouo inſtitutis*; excluſo caſu mortis Prioris, vt patet ſuperius num. 38.

Ad obiectionem vero à quibuſdam propoſitam, fundatam in declaratione verborum text. 1. prologi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, quòd videlicet particulares conſuetudines, præter Regulam, & Conſtitutiones, & Ordinationes Capitulorum Generalium, ſint amputandæ, vt vniformitas in omnibus ſeruetur:

Reſpondetur ſupradictam conſuetudinem, de non faciendis aſſignationibus poſt Septuageſimam, non eſſe particularem vni, vel alteri Prouinciæ; ſed vniuerſalem totius Italiæ. Nec eſt contra, aut præter Statuta, & Conſtitutiones, *vt ſupra* oſtenſum eſt; ſed virtualiter, ſiue per viam neceſſariæ conſequentiæ, ex citatis locis rite colligitur.

Quod omnino apparet certum, & verum ex verbis declarationis præcitati text. cap. de certis detractionibus; vbi inter cætera hæc habentur. *Cùm per Conſtitutionem Iulij Papæ II. Priores, & Prouinciales facti ſint temporales, & ferè per totum Ordinem hoc obſeruetur, conſequenter igitur ſciri poteſt tempus vacationis Prioris, &c.* Ideò ad euitandas fraudes, non ſunt admittendæ aſſignationes ad effectum eligendi Priorem, aliter, ſiue contra formam, de qua ſupra, factæ.

A ſenioribus Patribus bonitate vitæ ac ſapientia ornatis, Prouincię Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, certè fide dignis, qui interfuerunt Capitulo Generali Bononiæ celebrato 1564. relatum fuit Reuerendiſſimum Patrem Iuſtinianum dixiſſe, quod per oraculum Apoſtolicum ſibi factum, non licebat vt fierent aſſignationes in Prouincijs Italiæ poſt Septuageſimam. De quo oraculo nulla fit mentio in actis eiuſdem Capituli: primo, quia non eſt generale pro toto Ordine; ſecundo, quia vſu iam erat receptum in Prouincijs fere omnibus Italiæ, quibus antea fuerat ſingulariter per eundem Reuerendiſſimum Generalem notificatum.

Cauſæ iuſti impedimenti, ne tempore à iure præfixo, Electores procedant ad electionem ſui Prælati, per Hoſtienſ. *in ſumma lib. 1. tit. de electione, & electi* 80 *poteſtate, ad calcem, nu. 32.* † reducuntur ad infraſcriptas: primo, quando interdicitur eis ne eligant, ab eorum Superiore; quod nequit fieri abſque vera, & rationabili cauſa: ſecundo, quando Electores ſunt excommunicati, vel ſuſpenſi, etiam culpa ſua: tertio, quando primus electus noluit conſentire, nec ſecundus, nec tertius: quarto, quando non reperitur idoneus, ab illis ſcilicet Electoribus agnitus.

81 In Ordine Prædicatorum † Priores, in quorum Conuentibus realiter, & cum effectu carceres non deputarunt, idest conſtructæ non fuerunt, pro puniendis criminoſis, carere debent voce actiua, & nullo modo admitti debent ad illam in Capitulo Prouinciali, ex Declarat. text. 4. *cap. de grauiori culpa, ſub littera, P, verſ. quod ſi realiter, &c.*

In eodem Ordine Prædicatorum, in Prouincijs Romana, & Lombardiæ, ex diſpoſitione ordinationis decimæ bon. mem. Cardinalis Alexãdrini ab eo editæ, & auctoritate Apoſtolica confirmatæ, pro manutentione obſeruantiæ Regularis

gularis

gularis earundem Prouinciarũ, vt nullus Vocalis, excepto tantum, ac ſolum Suppriore Conuentus, quando abſque fraude, & ex cauſa neceſſaria infra annum in alio Conuentu aſſignatur, poſſit eodem anno à die lati voti in alio Conuentu eligere Priorem, niſi euoluto, & completo anno naturali: ab obſeruatione cuius Ordinationis in prædictis Prouincijs nullus eximitur ex vi, ſiue virtute Ordinationis

82 † quintæ Capituli Generalis Vlyſſiponeñ 1618. iuxta declarationem factam à Reuerendiſſimo Patre Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum Fratre Seraphino Sicco Papienſi, in Conſilio coram eodem Reuerendiſſimo habito die 21. Februarij 1625. occaſione quod opponebatur electioni Prioratus Veroneñ, quod in illa votum emiſerat Pater lector ſecundus eiuſdem Conuentus, non euoluto adhuc anno completo naturali à die vltimi voti lati per ipſum in Conuentu Mantuano. Quæ declaratio habet etiam fundamentum in iure communi: ñam particulare Statutum illius Prouinciæ, de quo ſupra, fundatum in diſpoſitione Ordinationis Cardinalis Alexandrini, non intelligitur reuocatum per Ordinationem generaliter factam in Capitulo Vlyſſiponenſi; cùm in illa nulla fiat mentio de reuocatione illius, nec per clauſulas particulares, neque communes, iuxta *l. fin. C. de teſtam.* & iuxta tradita ab Abbate *conſ. 77. ver. præſertim 2. par.* ac etiam tradita à Baldo 1. *vol. conſ. 201. ver. in contrarium.* & ibidem *conſ. 59. num. 4.* Et iuxta Gloſſam *in ver. vili, in cap. fin. de conſuetudine*; & Doctores communiter *in l. omnes populi, ff. de iure iur.* In eodem Conſilio, ſiue Congregatione grauiorum Patrum diuerſarum Prouinciarum, de quo ſupra, diligenter cõſideratis verbis illis citatæ Ordinationis decimæ Cardinalis Alexandrini, quibus dicitur annum eſſe computandum *à die lati voti*; per quæ palam excluditur quorundam explicatio de anno eccleſiaſtico & naturali; cùm certum ſit ibidem fieri ſermonem de anno, qui habet duodecim menſes, & hebdomadas 52. & diem vnum, qui cõſtat ex diebus 365. vnanimiter fuit concluſum, diſtinctionẽ quoad annum eccleſiaſticum non habere locum, hocq. eſſe contrarium verbis ipſius legis.

83 Non ſolum electus, † verum etiam & electores, de iure tamen communi, poſſunt in iudicio proſequi coram Confirmatore electionem, illamque defendere, & confirmationem petere: ita tradit Panorm. *in cap. dudum, de elect. num. 4. & cap. bonæ memoriæ, il 2. de elect. num. 4.* Ratio ea eſt, quam aſſignat idem Panor. *in cap. poſtquam, de elect. num. 1.* quia electus debet confirmari ex debito, ſi nihil obſtet: nam *confirmatio eſt neceſſitatis*, inquit ille, *licet electio à principio fuerit voluntatis.* modo tamen clarius expreſſo, atque declarato inferius cap. 14. num. 33. & 35.

84 Electores, † caſu quo videant imminere electionem illius, quẽ certo ſciunt futurum eſſe pernicioſum communitati, dato quod non poſſint alia via, vel medio impedire præfatam electionem, tenentur eius delicta reuelare; cùm vnuſquiſque ſtrictiori iure teneatur cõſulere bono communitatis, quam ſecretum ſeruare. Hocque executioni poteſt demandari, quoties ceſſante omni paſſione, & odio, ſed ſolo zelo boni communis, id fit. Ita tradunt inter alios Nauarr. *in ſuo manual, cap. 18. nu. 56.* cum hac limitatione, ſiue qualificatione, *Quando ad occurrendum imminentibus malis reipublicæ, id eſt neceſſarium:* Addens, *qui malo animo id facit, verus coram Deo detractor eſt.* ſecundum S. Thom. *quodlib. 11. art. 12.* Eandem doctrinam docuit

cuit Rodericus *tom.2. quæſt. regul. q.53. art.3.*

85 Ex traditis † à Petro de Baiſio *in ſuo director. electionum, cap.24. 1. par.* habetur quòd ſit adeo neceſſaria, ac eſſentialis ſumptio ſacramenti Euchariſtiæ ab eligentibus die electionis, antequam eligant; quòd ſi omittatur, electio erit nulla; pro quo citat Concil. Baſileen. antequam ſchiſmaticum eſſet, in pragmat. *tit. de elect. §. & cum humana.* quam ſententiam ſequitur Coſmas Guimler. *in d. §. cum humanæ.* in Gloſſa poſita *ſuper verb. ſuſcipiant.* Addens id eſſe de ſubſtantia electionis Epiſcopi, & Abbatis, & proportionaliter aliorũ Prælatorum, ob rationes adductas ſuperius cap. 1. ad initium. Ad quod attendentes Fratres Ordinis Prædicatorum, in Capitulo Generali Barcinon. 1574. ſtatuerunt ſub pœna priuationis vocis actiuæ, ac paſſiuæ, vt omnes Vocales celebrent Miſſam, vel ſaltem ſanctiſſimam ſumant Euchariſtiam ante electionem, vt latius dicam inferius cap. 13. num. 1.

Idem quod ſupra repetit, atque probat eandem neceſſitatem in ordine ad vocales, ſiue eligentes, vel electores ante celebrationem electionis canonicæ, *cap.13. 3. par. num.3.* addens, ſumptionem prædictam eſſe de forma ſubſtantiali electionis, additam per Concilium Baſileenſe, cùm antea non reperiretur hoc iure cautum.

86 Pro dilucidatione eorum, quæ explicata fuere ſuperius in hoc cap. num.44. declarandum eſt, quid agendum ſit, caſu, quo eſſent tantum tres Vocales in aliquo Conuentu, quorum vnus, vel alter etiam, adueniente tempore electionis noui Prioris, vel Guardiani, ſiue Rectoris, renueret intereſſe electioni, vel renunciaret votum ſuum. Qui caſus ſolet accidere vt plurimum, non abſque fraude, & præuia intelligentia cum hoc, vel illo; vt ideo hoc fiat, vt electio futuri Prælati localis, ſiue prouiſio eiuſdem, deuoluatur ob defectum, ſiue inſufficientiam Vocalium, ad Superiorẽ Prouinciæ, ſiue Religionis; præſertim ſi tertius Vocalis, etiam quod ſit vnus tantum, intendat eligere.

Pro cuius declaratione dico primò, quòd in tali caſu non debet Superior, & fortè non poteſt, celeriter procedere ad actum prouiſionis Prælati, de quo in caſu; ſed magna cautela, & maturitate agendum eſt, cùm frequenter dictus caſus inuoluat pacta, intendimenta, & fraudes, quæ non ſolum coniunctim, ſed ſeparatim reddunt electionem, & confirmationem canonicam nullam, & irritam; vt latè demonſtratum eſt in multis cap. huius tractatus, præſertim cap. 3. num. 3. 4. 5. & ſequentibus; & per conſequens nullam, & irritam efficere poſſunt prouiſionem, vel ſaltem annullandam, poſtquam de prædictis conſtiterit. Prouiſio enim in iure æquiparatur electioni, & confirmationi, vt dicetur inferius cap. 14. num. 34. Quamobrem in declaratione tex. 7. *cap. de elect. Prioris Conuentualis Ord. Prædicatorum. §. item declaramus.* habetur, quòd *ex inductionibus, & practicis indebitis, libertati electionum detrahitur, turbationes, & ſcandala plurima ſequuntur, & ſinceritas Ordinis noſtri multipliciter læditur.*

Pro quibus euitandis malis, in præmemorato caſu cauendum eſt à celeri prouiſione Prælatorum localium: & Superiores, vt rectè procedant, maximè coram hominibus, tenentur, non ſtatim ſibi arripere onus prouidendi; ſed reſcribere, atque monere ſemel, & iterum prædictos Vocales, vt omninò conueniant, & ad electionem procedant. Quo adhibito remedio, de facili tollitur occaſio clamoris, etiam aliquando apud tribunalia extra Ordinem, quòd

malis

malis artibus id procurent Superiores pro multiplicandis votis in electione futuri Prouincialis; ideo vt plurimum prouidere ſolent de Prælatis localibus, ab ipſis dependentibus. Ex quo oritur aliud incōueniens, quòd electiones Prouincialium ex hoc capite patiantur non modicam oppoſitionem, & aliquando fluctuent.

Secundo dicitur, dato quòd Superior ſuis litteris parum, aut nihil proficeret, vt prædicti tres Electores, ſeruatis de iure ſeruandis, eligerent vno, vel altero etiam renuentibus; tertius, etſi ſolus, poteſt eligere extraneum, & electio ipſius confirmari poteſt, ac debet, dummodo electus ſit idoneus. Hanc ſententiam tuentur inter quamplures Iuriſtas Innocentius, *cap. bonæ, de poſtulat. Prælat. colum. penult.* & Ioannes Andreas *ibidem*, pro quo notat gloſſam poſitam *in cap. gratum de poſtulat.* quam ſingulariter notandam dicit Panorm. *ibidem, colum. 3. circa princip.* ad quam quotidiè fit remiſſio, cum quæritur, numquid ius vniuerſitatis poſſit remanere in vno ſolo; omnibus alijs mortuis, vel priuatis: & concludit dicta Gloſſa affirmatiuè, quòd ſic.

Etenim abſque dubio vocales, qui renuntiant votum in electione, dum perſiſtunt in eadem facta renunciatione, voluntariè dicuntur priuati voce; nullique dubium eſt, conſimilem renunciationem connumerari poſſe, ac debere inter genera priuationis vocis, ſiuè voti in electione.

Hanc ſententiam ſequitur etiam Hoſtienſis, *vbi ſupra*. Quos omnes refert Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect. cap. 2. 1. par. nu. 6. 7. & 8.* ſubdens. *His adde, quòd ſi contingat, omnes Cardinales exire Conclaue, præter vnum, ille ſolus poterit eligere Romanum Pontificem.* De hoc eſt Gloſſa ſingul. *in verb. Omnes, in Clemen. ne Romani de elect.* quam Gloſſam allegat Martinus Laur. *in tract. Cardin. in concluſ. 24.* ſubdens immediatè: *Et licet ius eligendi Prælatum remanere poſſit in vno, ipſe tamen ſeipſum eligere, aut ſeipſum præſentare non poteſt, quibuſcumque meritis fulgeat.* Ancaran. *in eadem Clement. §. por. n. 3.* Cardin. *nu. 1. & 2.* & Barbat. *num. 5.* Idem docet Geminian. *cap. vbi periculum, §. hoc ſacro, num. 4. de elect.* & gloſſa celebris, *in cap. gratum, 2. ver. pauciores de poſtulat. Prælat.* quam ſequitur Innoc. Hoſtien. Vincentius, Abbas, & Tancredus.

Ex quibus liquido conſtat, ius eligendi poſſe remanere in vno ſolo de Collegio, quamuis Collegium ab initio nequeat conſtitui in vno ſolo, vt docet idem Petrus de Baiſio, *vbi ſupra*, citans pro eadem ſententia *legem, Neratius, ff. de ver. ſig.* & *legem, ſicut, ff. quod cuiuſque vniuer.* & Gloſſam, ac Bartolum, *ibidem*. & Abbas, *cap. cum inter, de elect.* ait quòd vnus ſolus vocalis poteſt eligere non expectato tempore iuris.

Et quòd prædicta habeant locum etiam in Regularibus, euidenter affirmat Petrus de Baiſio, *vbi ſupra, num. 9.* vbi continuando, quæ dixerat ſuperioribus numeris, de vno ſolo, in quo ſaluatur ius Collegij quoad electionem, inquit: *Ex antedictis patet, ad quos ſpectat electio in Eccleſijs Cathedralibus, Conuentualibus, ſeu Collegiatis.* Poteſt igitur vnus ſolus modo declarato eligere Prælatum; nec hoc iure priuari debet eo inuito.

Non tamen nego, quòd toties quoties omnes tres vocales voluntariè, & abſque fraude renuntient voto ſuo, non poſſit, ac debeat Confirmator prouidere de idoneo Prælato, prout ſibi benevisum fuerit; ſed certum eſt, in tali caſu licitè poſſe prouidere.

Scio enim in proprietate ſermonis non eſſe aſſerendum ſimpliciter, & abſque declaratione, quod Collegium ſer-

uetur

uetur in vno tantum, cùm hoc directè videatur pugnare cum ſignificatione nominis Collegium: ſed in proprietate ſermonis fatendum eſt, quod ius eligendi quod competebat Collegio, reſeruari poteſt non ab exordio, ſed tandem in caſu declarato, in vno ſolo: & hoc eſt quod dicunt Iuriſtæ, & alij. & hic eſt modus propriè loquendi de hoc ſingulari.

87 Occaſione eorum, † quæ item ſuperius in hoc cap. num. 3. adducta fuere de Monacho, ſiue alio Regulari, aſſignato in vno Monaſterio, qui non poteſt habere vocem in electione canonica alterius Monaſterij, & Conuentus diſtincti ab illo ſuæ aſſignationis, dubitarunt aliqui de validitate legis, vel Statuti vnius, ſiue plurium Religionum, continentis duo principaliter: primum, quòd diſcretus, ſiue vocalis, vel Elector, ſeu Socius Prioris, vel Guardiani, aut Rectoris, euntis ad Capitulum Prouinciale pro eligendo Miniſtro Prouinciæ, vel Priore, aut Præpoſito Prouinciali, non poſſit ritè eligi à minori numero vocalium, quam ſex. Secundum principale dicti Statuti eſt, quòd deficiente prædicto numero vocalium in aliquo Conuentu, poſſint ad effectum, vt ſupra, ex vicinioribus Conuentibus tot aſſumi vocales, quot erunt neceſſarij ad complementum prædicti numeri.

Cui dubitationi quoad ſecundam partem Statuti reſpondendum eſt omnino negatiuè; niſi id factum fuiſſet auctoritate Apoſtolica in forma ſpeciali quoad hoc conceſſa. Nam ſecundum principale prædicti Statuti directè, & palam opponitur diſpoſitioni iuris communis in materia electionis, vt ſtatim multiplici auctoritate, & ratione demonſtrabitur.

Præter ſuperius relata in hoc capite nu. 3. quæ ſufficienter probant, atque demonſtrant veritatem reſponſionis negatiuæ, eandem veritatem confirmant tradita à Gloſſa, *cap. conſtit. 47. de elect. ver. quo iure*, vbi aſſignat pro ratione veritatis negatiuæ reſponſionis, *quia in diuerſis Monaſterijs non poteſt quis eſſe Monachus: ergo nec vocem habere*. Idem repetit ver. *Vocem in Capitulo*, vbi narrat caſum de quibuſdam Abbatibus, qui *erant Monachi Monaſterij Fiſcanen. quãdo aſſumpti fuerunt in Abbates; & tunc Conuentus reſeruauit illis confraternitatem, & quòd haberent vocem in Capitulo Fiſcanen. & ita hoc prætextu ſe credebant debere vocari ad electionem Abbatis*; ſubdens immediatè: *Sic conſueuerunt facere multi Monachi, vt quaſi ſint de Collegio.* & poſt pauca concludit: *Iſtud hodie reprobatur: nullus enim poteſt eſſe Monachus in pluribus Monaſterijs.* Quam ſententiam amplectuntur, & tanquam veram defendunt Abbas *ibidem, num. 1.* Anan. *in princip.* Cardin. Collect. Bellam. Io. Andr. & Imola *in princip. eiuſd. cap. Conſtitutis*, Abbas antiquus; & Ancar. *ibid. num. 2.* aſſignantes & ipſi pro ratione, quòd Monachus non poteſt pertinere ad plura Monaſteria, nec in illis vocem habere: quam omnes colligunt *ex cap. fin. de Religioſis domibus*; & *cap. cum ſingula, de præben. in 6.* quibus addi poteſt Compoſtell. *in dicto cap. Conſtitutis. de elect. littera B.*

Reſponſio de qua ſupra, nullam habet difficultatem in ſacro Ordine Prædicatorum, quemadmodum euidentiſſimè demonſtrant ſuperius tradita in hoc eodem cap. nu. 3. & clarius, atque copioſius inferius cap. 15. num. 7. & ſequentibus.

Eſtque alia ratio ad idem inſinuata in Conſtitutionibus quarumdam Religionum; quæ etiam fundatur in vſu, & conſuetudine. Quia ſcilicet diſcretus, vel ſocius, de quo in dubio, eligitur nedum ad

Digitized by Google

dum ad effectum emittendi vocem in electione noui Miniſtri, vel Prioris Prouincialis, ſed vt ſit protector, atque defenſor iurium Monaſterij, cuius eſt Socius, etiam contra Priorem, ſiue Abbatem eiuſdem Monaſterij, ſi opus fuerit, omni ſuo conatu procurando vtilitatem ſui Conuentus, ſeu Monaſterij: ideo debet eſſe perſona prudens, & idonea ad prædicta. Quæ neceſſariæ conditiones, & qualitates requiſitæ nequeunt perfectè cognoſci niſi à Vocalibus eiuſdem Conuentus, in quo fieri debet electio diſcreti: ideo eligi debet ab Electoribus eiuſdem Conuentus, & non ab alijs; & per conſequens ſi aliter fiat, electio erit nulla, & irrita.

Quibus addenda eſt auctoritas Abbatis *de conſtit. cap. cum M. Ferrarien.* vbi verba faciens de illis ad quos ſpectat eligere in aliqua electione, inquit: *Ad Collegium vnius eccleſiæ tantum pertinet, & contra ius eſt, vt forenſes vocentur.* vbi duo ſe offerunt ponderanda: Primum, quod hoc dictum Abbatis extendi poteſt, ac debet proportionaliter ad electionẽ diſcretorum; quia vt ſupra dictum eſt, ab illis dependet electio canonica Prouincialium: quam extenſionem probat declaratio ſacræ Congreg. Concilij, quam recenſet Gaſpar Paſſarellus in compendio Priuileg. Ordini Minimorum conceſſorum, *tit. Can. Conc. Trident. ad canonem* 41. in quo canone præcipitur, vt fiat electio canonica Superiorum ſecreta; vbi ſacra Congregatio format declarationem, de qua infra, qua proportionaliter probari poteſt extenſio, de qua ſupra immediatè. Verba declarationis ſunt. *Conſulenti mihi die* 25. *Ianuarij* 1571. *an electio commiſſorum comprehenderetur in hoc decreto, ſanctiſſima Congregatio Concilij reſpondit, quòd cenſuit comprehendi; & ideo ſeruandam formam ibi præſcriptam.*

Secundum, quod debet penderari, eſt, quòd Abbas nedum dicit eſſe contra ius, vt forenſes eligant; ſed eorum vocatio ad electionem eſt contra iuris diſpoſitionem. Quæ magis declarans idem Abbas, *de conſuet. cap. cum dilectus.* addit: *Non ſufficit quod ſint beneficiati in eccleſia illa, ſed oportet vt ſint vt Collegium.*

Ad difficultatem ſæpè mihi à quibuſdam Religioſis mei Ordinis Prædicatorum propoſitam; An Suppriores aſ-
88 ſignati † in aliquo Conuentu eiuſdem Ordinis, in quo infra duos menſes celebranda eſt electio Prioris illius Conuentus, poſſint dirigere electionem, & in illa emittere votum electiuum, ſtante diſpoſitione Clement. VIII. de quo ſuperius? Cùm difficultas hæc duo contineat puncta; Primum, de directione electionis; ſecundum, de emiſſione voti in eadem electione: Quoad primum reſpondendum eſt affirmatiuè, iuxta tradita in multis Capitulis Generalibus dicti Ordinis; præſertim Neapolitano 1600. & Romano 1601. & in declaratione tex. 1. *cap. de elect. Prioris Conuentualis, ſub littera b, §. Supprior autem, cum duobus antiquioribus,* &c.

Quò verò ad ſecundum punctum, reſoluendum eſt negatiuè, iuxta tradita in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis; *diſt. 2. cap. 16. de ordin. tex. 4. ſub. lit. b, & c.* Vbi diſtrictè iniungitur Prioribus Prouincialibus, & quibuſcunque Vicarijs;
89 quòd *infra † menſem ante electiones quaſcunque, nouas aſſignationes, & mutationes Fratrum non faciant in Conuentibus, in quibus electiones huiuſmodi fuerint celebrandæ; niſi pro officio Lectoratus, vel Prioratus, vel pro graui ſcandalo euitando, vel niſi in Prouinciali Capitulo.* Inter quos caſus per Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum exceptos, nulla penitus fit mentio de aſſignatione pro officio

Supprioris aſſignati extra Capitulum Prouinciale. Et, iuxta placitum commune Iuriſtarum; cùm *Exceptio firmet regulam*, omnes alij caſus ab illis ſupranominatis excludi debent à tali exceptiua facta, vbi ſupra. De quo Statuto fideliter recenſito, fit mentio in declarat. text. 7. *cap. de elect. Prioris Conuent.* in eodem Ordine Prædicatorum, *ſub litt. q*, §. *ſimiliter*; vbi dicitur; *Similiter, propter eandem rationem, vt electiones noſtræ liberè fiant; in cap. 16. infra de Ordinat. diſponitur, quòd infra menſem ante electiones quaſcunque, nouæ aſſignationes, & mutationes Fratrum non fiant, niſi in caſibus ibi exceptis. Et de hoc fuerunt admoniti Prouinciales; in Capit. Bonon.* 1564. *per hæc verba; Admonemus RR. Prouinciales; vt, cùm celebrandæ electionis in Conuentu aliquo tempus inſtat, etiamſi Priori menſis vnus ſuperſit ſui officij, maximè abſtineant à mutationibus Fratrum in dicto Conuentu, in quo inſtat electio; niſi in his caſibus, qui in noſtris Conſtitutionibus exprimuntur; ne propter hoc eligentium libertati aliquod præiudicium fieri videatur.*

Ad obiectionem verò, quod in Ordinat. 5. Capit. Genetalis Vlyſſipone 1618. excipitur etiam Supprior de nouo aſſignatus à prohibitione ibidem facta, quòd *nullus ſub prætextu nouæ aſſignationis poſſit eodem anno duos eligere Priores in diuerſis Conuentibus Ordinis Prædicatorum*. Reſpondendum eſt, quod illà Ordinatio loquitur in alio caſu valdè diuerſo; & ſemper præſupponit, quòd Supprior habeat vocem; dummodo fuerit aſſignatus ante duos menſes electionis, iuxta diſpoſitionem Ordinationis Capit. Bonon. citati, & Decreti Clement. VIII. de quo latius in actis Capituli Generalis Valliſoleti, *titulo Accept. num.* 2.

Ad illud verò, quod alij pariter obijciunt de Vicario dato per Capitulum Prouinciale, vel per Priorem Prouincialem extra tempus celebrationis Capituli, ſuper Suppriorem, & omnes Fratres eiuſdem Conuentus, qui habet vocem in electione, ex declaratione tex. 1. *de elect. Prioris Conuentualis, ſub littera d*, §. *Item declaramus*: Reſpondetur ſub diſiunctione: Si talis Frater datus in Vicarium modo dicto, extiterit vnus de iam aſſignatis in eodem Conuentu; proculdubio, in omni caſu habebit vocem, ſicut & ceteri Fratres Vocales; nam tunc temporis nulla fit mutatio Vocalium eiuſdem Conuentus, nullumque infertur præiudicium libertati electionum; ad quod remouendum, conditum fuit Statutum Capit. Bonon. de quo ſupra, vt paulò poſt dicam. Si verò is mittatur de alieno Conuentu, dico, & repeto, quòd niſi ſit factus Vicarius electionis in caſu magnæ diſſenſionis, &c. vel, niſi ſit inſtitutus Vicarius ante duos mẽſes celebrationis electionis, non habet vocem in electione noui Prioris. Declaratio enim, quòd iſte Vicarius haberet vocem, facta fuit in Capitulo Generali Auinionen. 1367. vti videre eſt in declarat. tex. 1. *de elect. Prioris in Ord. Prædicat. ſub litt. d. ad finem*, §. *Item declaramus*. Quod autem non fiant mutationes Fratrum in Ordine Prædicatorum, inſtante electione infra menſem, hoc editum fuit in Capit. Generali Bonon. 1564. poſt annos circiter centum nonaginta ſeptem, vti videre eſt in actis eiuſdem Capituli Bonon. *tit. Admonitiones, num.* 8. occaſione Decreti Concilij Tridentini, *cap. 6. ſeſſ. 25. de regul.* pro tuenda libertate electionum, & ad remouendas omnes fraudes, vtque cunctà ſincerè, & ſanctè fierent in electionibus Prælatorum. Quam occaſionem exprimunt Patres verbis clariſſimis in actis illius Capituli Generalis Bonon. 1564. ad exordium, *tit. de ſacri Concil. Trident.*

decre-

decretis, maximè §. *Quò verò rectè*. Iuxta enim tradita in ſacris Canonibus, *tit. de conſtit. & reſcript.* ſtandum eſt diſpoſitioni Legis, ac Statutis nouiſſimi; præſertim quando vtrumque conditum eſt eadem, vel pari auctoritate, & vnum contradicit alteri; prout in caſu noſtro; imò, quod amplius eſt, Statutum de duobus menſibus ante electionem, editum eſt auctoritate Apoſtolica Clementis VIII. ideò ceſſat omnis occaſio ſubterfugij, etiam voluntarij. Quibus accedit diſpoſitio Decreti eiuſdem Clementis VIII. eodem ſancto fine conditi, ac publicati in toto Ordine Prædicatorum 1601. & 1605. vti eſt videre in actis Capituli Generalis Romani, & Valliſoleti, *tit. acceptationes, num. 2.* de duobus menſibus ante electionem. Ideò non eſt ſtandum amplius declarationi Capituli Auinionen. propter noua iura, & Statuta, de quibus ſupra; ſed diſpoſitioni Capituli Bonon. 1564. & Decreti Clementis VIII. omninò parendum eſt: Quibus contradicere nemo debet, aut poteſt, abſque nota maximæ temeritatis. Si verò emittat vocem præter culpam, quia non eſt legitimus Vocalis, votum ipſius pro non voto computari debet; atque puniendus eſt, tanquam qui temerariè ſe ingeſſit actui, in quo nullum ius habebat. Eò magis, quia de aſſignationibus non faciendis infra duos menſes vacationem Priorum antecedentes in Ordine Prædicatorum, fuerunt admoniti Adm. RR. Prouinciales, & Vicarij Prouinciarum, & Congregationum, ſingulique Fratres, vt patet in actis Capit. Romani 1601. & Valliſoleti 1605. quemadmodum habetur expreſsè in Conſtitutionibus nouiſſimè impreſſis dicti Ordinis, *diſt. 2. cap. 16. de ordinat. in declar. tex. 4. ſub littera d, ad finem*. & Gloſſ. *in cap. 2. de conſtitut.* notat, quòd leges dant formam futuris negocijs, & quòd Decretum non ligat ignorantes. Sed ex prædictis nullus Frater Ordinis Prædicatorum poteſt excuſari ab ignorantia vltimi Statuti Capit. Bonon. ac expreſſi in Decreto Clementis VIII. Igitur nouiſſimo Decreto omnes tenentur obedire.

Sollicitè quærunt nonnulli, (& meritò quidem) poſt Statutum Conc. Trid. *cap. 6. ſeſſ. 25. de regular.* in quo dicitur, *Nec in poſterum liceat, voces & ſuffragia*
90 *abſentium ſupplere*; An Vocales † legitimè impediti, valeant inſtituere Procuratorem, qui eorum nomine vocem emittat in electione canonica celebranda de aliquo Prælato? Priuſquam formaliter reſpondeam difficultati, aliqua pro dilucidatione dicendorum neceſſaria præmitto.

Ante omnia igitur ſupponendum eſt, quòd Vocalis præſens in loco electionis, nullo pacto, & ſub quouis prætextu, aut colore poteſt procuratorem inſtituere, qui loco, & nomine ſui præſtet votum in electione canonica futuri Prælati. Hoc expreſsè prohibetur in cap. *quia propter*, de elect. §. *Illud autem*, Abbas ibidem, & omnes ferè Iuriſtæ.

Secundo ſupponẽdum eſt, quòd Vocalis ſit verè abſens, in loco tamen, in quo poſſit commodè vocari; vt latius dicam inferius, cap. 8. Hoc enim expreſsè habetur in eodem præcitato §. *Illud autem, cap. quia propter*. Idem docet Gloſſa cum innumera multitudine Iuriſtarum *ibidem*. Quod clarius explicans Mandagot. *tract. de elect. nouor. Prælat. 1. par. cap. 10.* de Vocali abſente, inquit, *quòd in tali loco ſit electionis tempore, vnde abſentes pro electionibus ſunt vocandi*. Et Nicolaus Boerius *in addit. ad prædictum caput Mandagot. ſub lit. g.* ait, *Nota, quod ſi quis ſit tempore citationis*, (nam de iure citari debent abſentes ad electionem, modo declarando, cap. 8.) *Si poſtmodum,*

Digitized by Google

electionis tempore ſit extra fines huiuſmodi, non admittitur Procurator ipſius, ſecundum Innoc. & Hoſtien. vt notatur per eos, extra cap. quia propter, §. illud. Hæc Boërius.

Tertiò ſupponendum eſt, vt nedum ſit abſens modo declarato; ſed oportet vt ſit legitimè impeditus. Per legitima
91 impedimenta † exponunt Gloſſ. & alij Iuriſtæ vbi ſupra, grauem corporis infirmitatem, inimicitias capitales, detentionem in aliquo caſtro, vel carcere, conuocationem ad tribunal maius, vel aliquid aliud ſimile, per quod re vera remaneat adeò impeditus, vt non poſſit venire ad locum electionis. Quòdue actu patiatur hæc impedimenta, non ſolum tempore, quo inſtituit, ſiue conſtituit per inſtrumentum publicum, Procuratorem ad effectum vt ſupra; verum etiã neceſſarium eſt, quod prædicta legitima impedimenta perſeuerent in rei veritate tempore à iure ſtatuto celebrandæ electionis. Ita communiter omnes.

Quartò, quod Vocalis abſens, de quo ſupra, non ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel per ſententiam voce actiua priuatus. ita communiter omnes, *vbi ſupra*, præſertim Mandagotus, *vbi ſupra, cap. 10. §. tertiò quòd*. Et ratio ab omnibus communiter adducta, illa eſt, quia, cùm tunc *non poſſet per ſeipſum electioni intereſſe, multo minus poterit per alium; abſurdum enim cenſetur, Procuratorem illius admittere, qui ſi præſens eſſet, repelleretur, extra de teſtibus cap. licet.*

92 Quintò: Ille, qui † conſtitui debet in procuratorem à vocali, ſiue ab eligẽte abſente, ad effectum vt ſupra, oportet vt ſit de Collegio, ac numero eorum, qui iam ſunt legitimi Electores præſentes in loco electionis, Doctores *in cap. quia propter*, & Gloſſ. *ibidem, verb. Venire*; quæ addit; *Et iſte procurator, cùm ſit de Capitulo, habebit duplicem vocem*. Et Mandagot. *vbi ſupra, ad calcem cap.* 10. & Nicolaus Boerius *in addit. ad idem caput, ſub litt. I.* idem docent: ſed Boërius ſuperaddit, innixus auctoritati multorum Iuriſtarum: *Alias non tenentur procuratorem præſentes admittere; niſi ſit de Collegio, cap. quia propter, §. illud; ſed ſi volunt, bene poſſunt, dum tamen alias ſit idoneus. Extra de elect. cap. cauſam.* Præ-
93 ſuppoſito tamen ſemper, quòd † electus in procuratorem, modo expoſito, ſit omninò alienus ab omnibus, & ſingulis impedimentis, quæ de iure inhabilem reddunt, ne quis ſit Elector, vel Procurator legitimus in alijs actibus, & negotijs.

94 Sextò: tenetur Procurator iurare, ſi opus fuerit, de duratione legitimi impedimenti vocalis abſentis ſui principalis; niſi antea iuraſſet vocalis abſens, quando eundem conſtituit Procuratorem: de quo iuramento debet conſtare vocalibus præſentibus, in inſtrumento publico inſtitutionis eiuſdem Procuratoris, *ex cap. quia propter, de elect. § illud*, Gloſſ. *ibidem*, & communiter omnes Doctores, præſertim Mandagot. *vbi ſupra, cap. 11. ad init.* vbi de Procuratore inſtituto ad effectum vt ſupra, verba faciens, inquit: *Neceſſe eſt, quòd vel iuret per ſe conſtituens; vel Procuratori ſuo, quem ad eligendum ordinat, ſpecialiter id committat; alias non reputabitur ſufficiens Procurator:* Subdens; *Sanè hoc iuramentum duo capitula continebit, quòd conſtituens erit, vt credit, electionis tempore bona fide, ac ſine fraude, infra fines ad vocandum abſentes pro electionibus deputatus, fines ipſos ſpecialiter exprimendo. Item quòd impedimento tali tenetur, per quod non poteſt modò electionis negotio intereſſe; & credit, vel dubitat, quod eodem impedimento tenebitur, cùm electio ipſa fiet.* Et ſuperaddit animaduerſionem ſequentis tenoris, di-

gnam

gnam certè ponderatione, & eſt: *Hæc*
95 *autem intelligas eſſe † vera, niſi totum Capitulum, vel pars maior remiſerit huiuſmodi iuramentum.* Equidem cunctis notum eſt, quod hoc iuramentum ordinatur ad fauorem Capituli, & eligentium præſentium: ideò poſſunt (ſi volunt) prædictum iuramenti debitum relaxare, etiam minori parte contradicente, vt optimè docet Innoc. & alij, non obſtante in hoc contradictione Abbatis, *in eod. cap. quia propter, quæſt. vlt.*

His itaque omnibus ratione, & auctoritate firmatis, riteque conſtabilitis: Reſpondetur formaliter ad difficilem, licet frequentem, difficultatem propoſitam, per ſequentes propoſitiones.

96 Prima: In Ordine † Prædicatorũ nullus vocalis, quomodocumque abſens, & impeditus, poteſt iuſtituere Procuratorem, qui ſuo nomine eligat, præſertim in electionibus Canonicis Magiſtri Ordinis, Prouincialium, & Priorum: hoc enim expreſsè, & in forma ſpeciali palam prohibetur in Conſtitut. eiuſdem Ordinis, *diſt. 2. cap. 2. de elect. Prior. Conuent. text. 7.* & clarius in declar. eiuſdem text. vbi dicitur; *Declaramus, quòd licet ſecundum iura, illi, qui ſunt abſentes, poſſint inſtituere Procuratorem ad eligendum, quando electio eſt facienda; tamen in Ordine noſtro, in quacunque electione non poſſunt Electores abſentes, per litteras, aut per Procuratorem eligere; ſed oportet quod ipſi perſonaliter, & præſentialiter in loco electionis exiſtant; niſi in eodem Conuentu eſſent infirmi decumbentes, quia tunc ſcrutatores debent ad eos accedere.* Quid quæſo clarius?

97 Paſſim † in Ordine Minorum, Miniſtri impediti ad eundum ad Cap. Generale, mittunt ſuo nomine Commiſſarium, qui in electione Generalis dat ſuffragium loco Prouincialis; Laurentius de Portel, Minorita, *in ſuis dubijs Re- Tractatus de Electione.* *gularibus verb. Electio, num. 3.*

98 Secunda propoſitio. In Ordine † Minimorum, & proportionaliter in omni Religione habente Statutum ſpeciale, præſertim conditum ante Conc. Trid. publicationem, in quo decernatur, vt abſentes legitimè impediti, poſſint inſtituere Procuratorem in electione ſuorum Prælatorum, vel aliorum Officialium; id quoque modò obſeruari poteſt, cùm huic non obſtet diſpoſitio Concil. Trident. de qua ſupra, ad initium difficultatis. Id enim euidenter probant tradita à Gaſpare Paſſarello, olim Generali eiuſdem Ordinis Minimorũ ſancti Franciſci de Paula, in Compend. priuileg. conceſſorum, & communicatorum eidem Ordini, *tit. Can. Conc. Trid. ad Regulares pertinentes, pag. mihi 229.* & ſunt: *Quod ſi ex inſtitutis, aut decretis alicuius Religionis liceat Superioribus abſentibus, & legitimè impeditis mittere ad Capitulum Generale alium Fratrem, qui tamquam eorum Procurator, ſuo loco, & nomine det vocem in electione, ſicut eſt in Ordine noſtro, Concilium Tridentinum id non prohibuit. Ita mihi conſulenti ex Ciuitate Litij, die 8. Auguſti 1570. reſponderunt Illuſtriſſimi Cardinales Interpretes ſanctiſſimæ Congregationis Concilij; & poſtea propoſitum fuit à me in Capitulo Generali Valentiæ quarto celebrato, vt in actis dicti Capituli eſt videre.* Hæc Paſſatellus.

Quibus addi poteſt declaratio eiuſdem Concilij Tridentini in impreſſis, *tit. prætermiſſæ declarationes, cap. 6. pag. mihi 732.* ſequentis tenoris; *Item ex decreto dicti cap. 6. non eſſe prohibitum Superioribus Ordinum, quibus id ex Regula conceditur, vt aliquem Fratrem idoneum ſuo loco delegent, ſeu mittant ad Capituli Generalis celebrationem, vt ſuo nomine electionem faciat, ſi ex inſtitutis, & decretis Religionis ſuæ licet Superioribus abſentibus, & legitimè impeditis, mittere alium ad*

Capitulum Generale, qui ſuo loco, & nomine in electione ſuffragium ferat,

99 Tertia propoſitio. Vniuerſaliter † loquendo, legitimi Vocales abſentes, modo iam explicato, iuſtoque impedimento detenti, poſſunt Procuratorem conſtituere, qui ſuo nomine eligat Prælatum Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſiue regularis; niſi adſit Statutum, vel conſuetudo approbata in contrarium. Veritas huius propoſitionis expreſsè colligitur ex verbis *cap. quia propter, de elect. §. illud autem,* quæ ſunt; *Ne quis in electionis negotio Procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat aduocari, iuſtoque impedimento detentus, venire non poſſit,* ſecundum regulam illam generalem; *Si negatio eſt cauſa negationis, & affirmatio erit cauſa affirmationis.* Qui igitur habebit conditiones, de quibus ſupra immediatè, videlicet quòd fuerit Elector, ſed abſens, in loco, de quo debeat aduocari, ſitque legitimo impedimento detentus, poterit abſque dubio inſtituere Procuratorem modo, & ordine ſuperius explicato. Ita ferè communiter omnes.

Eandem doctrinam inuenio approbatam partim directè ac expreſsè, partim per viam illationis, & neceſſariæ conſequentiæ, in quampluribus deciſionibus ſacræ Rotæ Romanæ; vti videre eſt *in illa Calaguritana Beneficij de Aly 28. Martij 1594. coram Illuſtriſſimo Cardinali Mantica,* quæ eſt in ſerie illius deciſionum 268. *nu. 5. & 6.* in qua inter quamplura citat aliam deciſionem ad idem in eadem cauſa factam, *coram Reuerendiſſimo Peruſino*; quæ deciſio vna cum doctrina in illa contenta, confirmatur in altera deciſione *coram eodem Mantica, ſub num. earum* 288. Eadem doctrina iterum confirmatur in alia deciſione *Calaguritana Beneficij de Morillo coram Reuerendiſſimo Patre Domino Vbaldo,* 13. *Nouembris* 1620. hic apponenda ad extenſum poſt num. 102.

Quarta propoſitio, quæ colligitur per viam neceſſariæ illationis ex antedictis & demonſtratis, eſt, quod legiti-
100 mi † Vocales exiſtentes in hortis, vel ciuitate, in qua celebratur electio; in loco tamen aliqualiter diſtanti ab illo particulari, in quo facienda eſt electio de Prælato; ſi in rei veritate ſint & ipſi legitimo impedimento detenti, poſſunt inſtituere Procuratorem, ad effectum electionis; ſeruatis ſemper omnibus, & ſingulis ſuperius relatis. Aſſertum huius propoſitionis non contradicit, niſi apparenter ei, quod dictum eſt in priori præſuppoſito, in quo fit ſermo de electoribus præſentibus in eodē loco particulari, in quo de iure celebranda eſt electio; vel de illis, qui ſunt in eadem ciuitate, vel hortis, abſque tamen vero, & legitimo impedimento exiſtentibus. Quamobrem, hanc eandem quartam propoſitionem per modum concluſionis proponit, tuetur, ac defendit Mandagot. *vbi ſupra, cap.* 12. & pro ratione adducit, quod talis Vocalis, de quo in quarta propoſitione, *intelligitur eſſe abſens.* Quod (vt exiſtimo) interpretandum eſt, quia, cùm militet eadem ratio de vocali præſente in ciuitate, vel hortis legitimè impedito, & de abſente; idem quoque iudicium faciēdum eſt de vtroque, iuxta Gloſſ. *in cap. 3. de conſtit. ver. Quod de vno,* dicentem, & multis argumentis ex varijs text. diuerſorum Cano. deductis, probantem; quòd *vbi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe idem ius; & quòd de ſimilibus idem iudicium eſt habendum:* eandem ſententiam tradit Garzias, *de benefic. par. 5. cap. 4. nu.* 200.

Doctrinā pariter in quarta propoſitione explicatam, quemadmodum refert Boërius *in addit. ad praeit. cap. 12.*

Manda-

Mandagot. tradunt Innoc. & Hoſtien. cum alijs Iuriſtis *in cap. quia propter*.

Vbi non omittam animaduertere illud Gloſſ. *ad cap. quia propter, verb. Ve-*
101 *nire:* caſu, quo † Vocales præſentes, vt puta Canonici, vel alij legitimi Electores, renuant iuſtis de cauſis, Procuratorem inſtitutum ab aliquo vocali abſente, modo ſæpius declarato, recipere, non poteſt Vocalis abſens per litteras ſuam volũtatem publicare, &. per ſchedulam ab eo conſcriptam extra Collegium in electione ſuum præbere votũ; nam *iſta opinio* (inquit Gloſſ.) *eſt hodie reprobata per cap. ſi quis iuſto, §. fin. tit. de appellat. lib. 6.* & *cap. quamuis, de offic. deleg. Barb. ibidem in 2. notabili*.

Ex diſpoſitione capit. quia propter, colligunt quamplures Iuriſtæ, & non
102 ſine magna † probabilitate, quod Vocalis abſens legitime impeditus poſſit inſtituere procuratorem, ad effectum, vt ſupra; etiam vnum, qui non ſit de numero eligentium præſentium: quod etiã inſinuant declarationes ſacræ Congregationis Concil. Trid. ſuperius adductæ ad ſecundam propoſitionem. Quam opinionem etiam colligit ex Mandag. *cap.* 10. & alijs Iuriſtis, Boerius *in addit. ad idem cap.* & *in additionibus ad cap.* 13. eiuſdem Mandagot. *ſub littera c.* & Gloſſ. idem inſinuat *in cap. quia propter, verb. venire, verſ. ſed quid ſi nullus*, vbi proponit numquid poſſit abſens alium Procuratorem inſtituere, qui non ſit de Collegio; vbi reſpondet per ſequentia verba: *Videtur quòd ſic, quia per hanc litteram conſtat, quòd ipſe debet intereſſe per ſe, vel per alium: & ita ſi nullus vult recipere vicem ſuam, poteſt alicui viro Religioſo clerico committere vicem ſuam; alias non valet electio ſi eligerent;* ſubdens immediatè, *Et hoc non credo eſſe contra ſubſtantiam, ſi alium admittant, qui non ſit de Collegio; quia & viri Religioſi vocandi ſunt ad electionem, & de eorum conſilio eſt facienda; ita quod non valet aliàs elect.* 10. *cap. obeuntibus.* ſtatim addens, *Tamen non credo quod hodie Canonici ad hoc teneantur, niſi velint. & illud cap. obeuntibus, non tenet niſi quo ad honeſtatem; Canonici tamen tenentur recipere illum, cui commiſerit vices ſuas, auctoritate huius Canonis*; intellige modo explicato.

Procurator autẽ ritè inſtitutus à Vocali abſente, modo declarato, ſecundùm nonnullos Iuriſtas poteſt, & ille legitimo detentus impedimento, aliũ loco ſui ſubſtituere procuratorem, qui nomine Vocalis abſentis eligere cum alijs valeat; ita Mandagotus *tract. de elect. nouorum Prælatorum, 1. par. num.* 15. & Boerius *ad idem cap. ſub lit. g, h, & i*, pro qua ſententia citat aliquos tex. ſacrorum Canonum, & auctoritates quamplurium Iuriſtarum.

Reſpondet quoque ad argumentum eorum, qui dicunt non poſſe hoc fieri, exemplo Compromiſſarij, qui ritè electus, non poteſt alium ſubſtituere, etiam impeditus; dicendo eſſe circa hoc diſparem rationem: nam Compromittentes ipſius fidem elegiſſe videntur. Secus autem de Procuratore deputato ad eligendum, cùm intentio inſtituentis procuratorem ea ſit, vt quis ſuo nomine interſit electioni. Nam electio facta de mandato alicuius, dicitur facta ab ipſo mandante. *l. item, §. decurionis*, & *ibi* Gloſſ. Bartolus, & Baldus in vtraque lectura, & alij, *ff. quod cuiuſque vniuerſitatis nom. l. vnum ex familia, §. 1.* & *ibi* Caſtrenſis *num.* 42. & Padil. *num.* 1. *ff. de legat. ſecund.* Roman. *conſil.* 116. *num.* 1. *ad finem, ver. cuius ratio eſt*.

Satisfacere cupiens deſiderio eorum, qui interrogant, An procurator inſtitutus ad eligendum pro Vocali abſente, præſuppoſito quod habeat duo vota, cùm ſit de numero, ſiue de corpore eli-

gentium, poſſit vnum votum vni, & aliud alteri perſonæ conferre?

Reſpondetur quod in foro conſcientiæ, cùm teneatur eligere meliorem, vt latius dicā inferius cap. 9. ex conſequenti ad euitandum peccatum debet vtroque voto vnam, eandemque magis dignam perſonam eligere. Tabiena *verb. electio* 1. *nu.* 15. *ad finem*, poſtquam ſtatuit in hoc, & alio præcedenti numero, de mente D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. & aliorum Iuriſtarum, eligere meliorem; citat auctoritatem Felini *cap. quamuis, de off. deleg.* qui allegans Panor. *in cap. conſtitutis* 4. *de appell.* inquit, *Peccat mortaliter, qui eligit pro alio, ſi non eligit optimum*. Namque prædicta duo vota inſeparabilia ſunt, cùm in conſcientia teneatur, vt dictum eſt, meliorem eligere, *cap. ſi quis iuſto*, §. *porrò, de elect. in* 6. Doctores in cap. *cum olim, de re iudicata.* Molina, *de primog. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 51. poſt Abbatem *cap. conſtitutis, de appellat.* Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 211. *num.* 11. Si vero diuidat vota, illaque diſtribuat diſtinctis perſonis, licet certo peccet, nihilominus electio ex hoc nullum patitur defectum. ita communiter omnes.

R. P. D. VBALDO.

Calagurităn Beneficij de Murilla.

Veneris 13. *Nouembris* 1620.

DOmini dixerunt, ſententiam Rotalem eſſe confirmandam, quia contra validitatem nihil opponebatur; & ex proceſſu apparebat ſeruata eſſe omnia requiſita, de quibus per Verall. *deciſ.* 260. *par.* 2. & de iuſtitia conſtat ex late deductis in deciſione in hac Cauſa facta 24. Maij anni præteriti *coram R. P. D. meo Pamphilio*. Data enim paritate inter vota præſentantium Petrum, & Ioannem, potuit Ordinarius gratificari, inſtituens Petrum, prout fecit, *cap. cum autem, de iurepatr.*

Nec facit fundamentum, in quo nititur ſententia Metropolitani, quaſi Ioannes haberet quatuor vota, ex quo Chriſtophorus vnus ex præſentantibus votauit ad fauorem Ioannis, tum nomine proprio, tum nomine Sanchez tunc abſentis, cuius erat procurator; iuxt. *cap. cōgregato, de elect.* & ſic Ioannes eſſet præferendus, *cap. dudum. cap. auditis, de elect.* Quia huic obiecto abunde fuit reſponſum in deciſione, quòd in hoc caſu ceſſant requiſita ad hoc, vt votum abſentis per procuratorem poſſit ſuſtineri; quæ ſunt, quod quis ſit in loco vnde euocari poſſit; & quod iuſto impedimento detentus venire non poſſit. Gloſſ. *in cap. quia propter*, §. *illud, in ver. venire*. & *ibi* Abb. & alij *de elect. cap. ſi quis iuſto, in princ.* & *ibi* Franc. *num.* 1. *eod. tit. in* 6. & quod procurator habeat mandatum ad iurandum ſuper dicto iuſto impedimento, vt per Gloſſ. *in dicto* §. *illud.* & *in dicto cap. ſi quis iuſto, verſ. ſed cautum eſt*, cum alijs de quibus in deciſione. Hic autē probatum eſt per teſtes, quod Sanchez de tempore vacationis morabatur in Curia procurando alia negocia.

Nec facit quod dicta iura procedant in electione, nos autem verſamur in præſentatione: cum iſti beneficiati vere non faciant Collegium, nec beneficium electiuum, Caputaq. *deciſ.* 295. *num.* 1. *part.* 1. cum alijs per Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 19. *num.* 12. *& ſeq.* Quia cum hæc præſentatio fiat per patronos Eccleſiaſticos, habet vim electionis, vt dicit Put. *dec.* 181. *in fin. lib.* 3. Gonzal. *vbi ſupra*, *num.* 2. maxime ſtante conſuetudine, & Synodali Conſtitutione, (vt in hoc caſu) quòd beneficiati ſimul congregati debeant præſentare; vt in terminis fuit

deciſum

deciſũ in alia Calaguritana Beneficij de Aly 28. *Martij* 1594. *coram bon. mem. Cardinali Mantica*, quæ eſt deciſ. 268. nu. 5. inter eius impreſſ. confirmata in deciſione 288.

Non obſtat allegata conſuetudo votandi per procuratorem: quia non fuit probata in terminis, in quibus verſamur, videlicet alijs contradicentibus in actu votandi, prout in hoc caſu contradixerunt: potuit enim admitti tale votum pro abſente, alijs non reluctãtibus, vt per Abb. *in d. cap. quia propter*, §. *illud, num.* 1. *verſ. Unum tamen ſcias*. Lambert. *de iurepatr.* 1. *par.* 2. *libri*, *quæſt.* 4. *num.* 5. *verſ. primum*. Nec probatur in caſu in quo deficerent omnia requiſita ſupra narrata, prout hic defecerunt. Certum autem eſt conſuetudinem non ſufficere eſſe probatam in genere, ſed eſſe probandum in indiuiduo caſum, de quo agitur, vt bene in deciſione, & poſt plures tradit Surd. *conſ.* 382. *nu.* 40. *lib.* 3.

Et ita fuit deciſum, vna parte informante, cùm altera ſæpiſſimè citata non comparuerit.

103 Elector, qui ex ſola confeſſione ſibi facta Sacramentali, nouit eligendum in Prælatum, eſſe indignum, poteſt illi denegare votum ſuum, dummodo electio ipſius ſit ſecreta, non autem publica. ita ferè communiter omnes, partim expreſsè, partim virtualiter. Inter hos autem qui maiori expreſſione id doceant, ſunt Nauarrus *de pænit. diſt.* 6. *cap. Sacerdos*, *num.* 150. vbi addit duo: primum, hanc eſſe ſententiam communem: ſecundum, *Iuſte*, inquit, *quis poteſt electoribus diſſuadere alicuius in Prælatum electionem, ob ſolam, per confeſſionem, de ipſo ſcitam malitiam; modo ita rem gerat, vt nullo modo peccatum ipſius proderet vlli*. Valerius Reginald. *in praxi*, *lib.* 3. *de ſigillo ſacramentali*, *num.* 33. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 16. *num.* 6. Suarez *tom.* 4. *ad* 3. *par. D. Tho. diſp.* 33. *ſect.* 7. *nu.* 12. & Henriquez, *tom.* 1. *lib.* 3. *de pænit. cap.* 23. *nu.* 6.

Summa Cap. VI.

1 *In loco honeſto, atque publico, Conuentus, ſiue Collegij, non interdicto, debet celebrari electio canonica.*

2 *Poteſt tamen confirmari electio non celebrata in loco conſueto, poſt mortem, ſiue vacantiam; dummodo alia de iure ſeruanda, fuerint adimpleta; & vacantia debet eſſe nota Electoribus.*

3 *Tempus eligendi de iure communi, eſt trium menſium. In Ordine vero Prædicatorum, aſſignatur vnus menſis tantum, ad eligendum canonicè Priorem, & nu.* 15.

4 *In Ordine Prædicatorum poſt tres dies à notitia vacantiæ Prioratus, tenetur qui præeſt electioni, procedere ad electionem noui Prioris, alias poteſt maior pars ſine illo eligere Prælatum.*

5 *In Ordine Prædicatorum debent expectari vocales, qui iuerunt ad Capitulum Prouinciale, vſque ad vigiliam Pentecoſtes, ſi illo anno fuerit celebratum Capitulum Prouinciale.*

6 *Tempus præfixum à iure circa electiones celebrandas, an poſſit abbreuiari ab Electoribus, & nu.* 14.

7 *Tranſacto tempore ſtatuto à iure procedendi ad electionem, ſi ex negligentia eligentium non fiat electio, ius deuoluitur ad Superiorem prouidendi de Prælato; qui ſic prouiſus, ſi renuntiet poſt acceptationem, vel alias vacauerit Prælatura, ius reuertitur ad eoſdem vocales.*

8 *In Ordine Prædicatorum tempus electionis Prouincialis, eſt dies Sabbati ante Dominicam, Deus qui errantibus; quo tranſacto, & electione non ſecuta, deuoluitur ius prouidendi ad Generalem.*

Electio

9 *Electio Prouincialis quare habeat diem ſtatutum.*

10 *Statuuntur pœnæ contra tractantes de nouo eligendo Prælato inter Regulares, ante tempus ſtatutum.*

11 *Non debet celebrari electio tempore noctis, ſed de mane, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto; licet aliqui Doctores credant Miſſam ante electionem, non eſſe de neceſſitate.*

12 *In Ordine Prædicatorum, tempus eligendi ſocium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, eſt intra Septuageſimam, vſque ad tempus congruum accedendi ad Capitulum.*

13 *In ciuitate, ſiue terra interdicta, poteſt celebrari electio Canonica.*

CAP. VI.

De loco, & tempore celebrationis electionis canonicæ.

LOcvs, in quo celebranda eſt electio canonica, conuenit vt ſit decens, & honeſtus, ac publicus; vti Eccleſia, Sacriſtia, Capitulum, ſiue alius locus com-
1 munis Conuentus, vel Collegij, † iuxta conſuetudinem loci, & Religionis: & nullo modo celebranda eſt electio in cameris priuatis, & locis clandeſtinis. Electio enim, quæ fit per occulta conuenticula, eſt clandeſtina, nulla, & irrita; & vt talis reprobatur à iure; *cap. in cauſis de elect. & electi poteſtate*, Doctores, *ibid.* & *cap. quia propter*, §. *electiones*, Panorm. *ibid. nu.* 2. Zabarella, Hoſtien. Butrius, & alij ferè omnes. Idem tradit Gloſſ. *in can. in nomine Domini*, *diſt.* 23. vbi cenſet electionem nullius eſſe valoris, ſi fiat abſque legitima cauſa, extra ambitum Eccleſiæ, vel Conuentus, *cap. quod ſicut, de elect.*

In loco etiam interdicto, non poſſunt fieri electiones canonicæ, prout tradit Silueſter, *in ſua ſumma verb. Electio primo, nu.* 9. & ſi fiat, non valet, *cap. cum terra, de elect.* Licet ſecundum Panormitanum, & Io. Andr. *in cap.* 1. *de poſtulat. Prælat.* ſit valida, & teneat; vbi rationibus conantur reſpondere. Idem tenet Zabarella, *in Clementina, ne Romani*.

2 Poteſt tamen † confirmari, etiam quod non fiat in loco conſueto, dummodo omnia alia fuerint ſeruata, quæ de iure ſeruanda ſunt, eodem *cap. cum terra*, Panorm. *ibid. nu.* 3. licet Electores peccent; Abb. *in cap. cum terra*; dummodo non excuſentur legitima cauſa: electio tamen vt legitima ſuſtineri debet.

1 Ante mortem Prælati, vel vacationem Prælaturæ, non poteſt eligi alius Prælatus, ſiue Prior, ſiue Abbas: ſi tamen fieret ante ſepulturam, alijs ſeruatis de iure ſeruandis, poteſt ſuſtineri, maximè ſi adſit rationabilis cauſa; *cap. bonæ memoriæ, de elect.* Doctor. *ibidem*.

In Ordine Prædicatorum, non poteſt eligi Prior, niſi prius iuridicè conſtet Conuentui de alterius omnimoda remotione, ſiue vacantia: & receptior eſt opinio, currere tempus tantum electionis, à die notæ vacantiæ. Et ita pluries fuit deciſum, vt patet in deciſionibus Cardinali Seraphini, *par.* 1. *deciſ.* 380. & Riccij, *deciſ.* 172. & hoc eſt per ſe notum, quia *ignoranti non currit tempus*, ita vt non ſufficiat eligere ſub conditione, ſi talis ſcilicet amoueatur, *ex primo cap.* 1. *de elect. Prioris Conuentualis*. Ita quod tempus electionis dicitur incipere à die non carentiæ; ſed notoriæ carentiæ Prioris. Et idem latius habetur *diſt.* 2. *cap. de ordinationibus, in text.* 2. *& in declaratione*.

Idem quoque dicitur *ibidem diſt.* 2. *cap.* 16.

cap. 16. *text. ſub littera, C,* in declaratione de Prouinciali; in quibus locis etiam prohibetur ne inſtante electione Prouincialis, ante confirmationem, fiant mutationes in Prouincia, & Conuentibus.

Ordinariè, & abſolutè loquendo, non poteſt procedi ad electionem canonicam alicuius Prælati eccleſiaſtici, & regularis, niſi in rei veritate, & de facto antea vacauerit prælatura, ſiue officium, ad quod alius canonicè eſt eligendus, vt latius dictum eſt ſuperius, cap. 4.

3 De iure communi † tempus electionis poſt vacantiam vt ſupra, eſt trium, immediatè ſequentium menſium, à die vacationis, *cap. bonæ mem.* vbi inquit, Gloſſ. quod in Cathedralibus, ſiue Regularibus Eccleſijs, ceſſante impedimento legitimo, tenentur Electores eligere: alioquin deuoluitur electio ad Superioré, modo iam explicato, & inferius explicando in cap. 14. de Confirmatore ac Confirmatione circa finem. Et dato caſu, quod Superior ſit negligens, nec prouideat de Prælato, termino aliorum trium menſium proximè futurorum, à die quo illi conſtiterit euidenter de negligentia electorum; tranſacto iam termino à iure ſtatuto pro eligentibus, ius prouidendi deuoluitur ad alium Superiorem maiorem; ſic procedendo vſque ad Papam, *cap. ne pro defectu, tit. de electione.* Intra quem terminum, trium ſcilicet menſium, à iure Electoribus cōceſſum, ſi abſentes rite vocati non comparuerint, poſſunt pro libito Electores præſentes, ad electionem procedere, *cap. quia propter, cap. cum inter vniuerſas, cap. cum nobis, de elect.* vbi Hoſtieñ, & alij grauiores Doctores idem ſuadent: & *cap. cupientes, §. ceterum in 6. de electione,* præcipitur, vt electio quamprimum manifeſtetur electo.

In Ordine vero Prædicatorum, ex Indulto Apoſtolico, & ex vi ſuarum Conſtitutionum, Electores ſunt adſtricti intra vnum menſem proximè futurum, à die vacantiæ Prioratus, eligere canonicè Priorem: aliter elapſo dicto termino, ius prouidendi de Priore deuoluitur ad Prouincialem, ſecundum diſpoſitionem Capituli *de electione Prioris Conuentualis, text. 3. ſub littera, M,* Et idem clarius habetur in declaratione eiuſdem text. imò in Capitulo Generali Romano 1601. declar. 2. dicitur: *Si intra menſem Electores à die carentiæ Prioratus aliquem canonicè non elegerint, etiamſi aliquos actus electionis, vel ad electionem pertinentes fecerint; ſtatim tranſacto illo termino, ius prouidendi deuoluitur ad Prouincialem. Quod ſi canonicè aliquem elegerint, & contigerit caſſari electionem, incipiat de nouo alter menſis electionis, à die quo legitimè conſtiterit Conuentui, & vocalibus, de prædicta caſſatione.* & in Capitulo Pariſieñ 1611. declarat. 2. hæc habentur. *Declaramus, Declarationem illam Capituli Generalis 1601. qua ſancitur, vt ſcilicet Supprior, vel Vicarius Conuentus electionis, ſi noluerint procedere ad*
4 *electionem Prioris, † inſtante maiori parte vocalium, & ipſe renuerit; tunc antiquior ex omnibus electoribus poterit congregare Capitulum, & ad electionem procedere. Quod ſi ille noluerit, alius antiquior poſt ipſum, id poteſt agere, & ſic de cæteris, donec ad electionem procedatur; ita eſſe intelligendum, videlicet, ſi poſt tres, vel quatuor dies à vacatione Prioratus, Superior requiſitus renuerit conuocare vocales, & procedere ad electionem Prioris; tunc, & eo caſu, facultatem habeat antiquior in Ordine.* Et in Capitulo Romano 1601. Declar. 6. dicitur. *Quando Priores tempus ſui Prioratus in Capitulo Prouinciali expleuerint, tenentur Electores illius Conuentus, cuius Prior tempus ſui Prioratus expleuit, in Capitulo Prouinciali expectare ſocios: & eos qui*

eos qui ad Capitulum Prouinciale profecti
5 *ſunt, † vſque ad Sabbatum feſti Pentecoſtes excluſiue: quo elapſo tempore, libere poterunt procedere ad electionem Prioris. Quemadmodum etiam antea, ſi iam fuerint reuerſi, qui acceſſerant ad Capitum Prouinciale.* Etſi enim de rigore huius declarationis teneantur Electores expectare vſque ad vigiliam Pentecoſtes illos tantum qui iuerunt ad Capitulum Prouinciale, & non alios de nouo aſſignatos; attamen conſuetudo omnium Prouinciarum, & vſus communis vſque modo obſeruatus, eandem declarationem ampliauit, & extendit etiam ad illos, qui de nouo fuerunt aſſignati in eodem Conuentu in Capitulo Prouinciali, proximè immediatè celebrato, dummodo ſint legitimi vocales. Quare in omnibus Conuentibus prædicti Ordinis conſuetudo inualuit, vt non ſolum vocales qui iuerunt ad Capitulum Prouinciale, ſed etiam aſſignati vndequaque in eodem Conuentu, à Capitulo Prouinciali vſque ad vigiliam Pentecoſtes excluſiuè expectentur, ad hoc vt interſint electioni Prioris futuri.

Et hoc totum de abbreuiatione temporis celebrandi electionem trium mẽſium, ſecundum iuris communis diſpoſitionem, vltra quod Capitula Generalia id poſſunt efficere, propter facultatem ſibi conceſſam à Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, auctoritate Apoſtolica confirmatis: Eſt etiam hoc valde conforme diſpoſitioni iuris communis, quæ diſpoſitio, de qua *in cap. cum inter vniuerſas, tit. de elect.* vbi Panorm. *num. 3.* docuit ex verbis eiuſdem textus
6 poſſe tempus † præfixum à iure circa electiones celebrandas abbreuiari per Capitulum, aut per maiorem partem eiuſdem Capituli; quæ verba ſunt exponenda de Capitulo particulari cuiuſcumque Conuentus, vel Collegij. Quibus additur doctrina Abbatis, *eodem cap. cum inter*, docentis quod poſſunt Electores abbreuiare tempus à iure ſtatutum trium menſium, etiam diſſentiente parte minori Capituli, ſiue vocalium.

7 Quamobrem † ſi Electores non elegerint Prælatum intra tempus à iure communi, vel particulari præfixum, etiam quod ſint diſcordes inter ſe in actu electionis, ius prouidendi de Priore transfertur ad Superiorem, *cap. cum Eccleſia, tit. de elect.* Panorm. *ibid. nu. 12.* & *cap. de elect. Prioris Conuentualis diſt. 2.* in Ordine Prædicatorum.

Mandagotus tract. de elect. nouorum Prælatorum, *par. 1. cap. 1.* docet, in Eccleſijs collegiatis, & regularibus tempus electionis eſſe computandum à vacatione, ſiue à notitia vacationis Prælati. *& §. ceterum*, pariter docet, quòd *ſi illi, ad quos electio noſcitur pertinere, iuſto impedimento ceſſante, non elegerint infra tempora ſtatuta, ex tunc eligendi poteſtas deuoluitur ipſo iure*; intellige, ad Superiorem, ſubdens: *Verùm ſi Superior elegerit, vel prouiderit; ſed eius electio, vel prouiſio, ex quauis cauſa fuerit reprobata, ſeu electus ab eo noluerit conſentire, aut poſt conſenſum renuntiauerit iuri ſuo: ſtatim eligendi poteſtas reuertitur ad eoſdem.* Hoc eſt, ad eoſdem vocales, ſiue Electores, ad quos de iure pertinet electio Prælati illius Eccleſiæ, vel Conuentus, de qua agitur. Quod totum potiſſimè habet locum in Conuentualibus Prioratibus, vt apertè tradit Nicolaus Boërius in ſuis additionibus ad prædictum primum caput Mandagoti, *ſub litt. D.* & paulò ſuperius, *ſub litt. B*, ſermonem faciens de prædictis, quæ docuit Mandagotus, *vbi ſupra*, expreſsè inquit: *In hoc æquiparantur Eccleſiæ Cathedrales, & Regulares, vt extra de elect. cap. ne pro defectu.*

Et Gloſſa exponens ea, quæ in conſtitutione Lateranenſis Concilij Generalis

ralis contenta in prædicto capitulo, Ne pro defectu, *ver. Regularis*, poſtquam, dixit contenta in prædicto capitulo, Ne pro defectu, extendi ad regulares prælaturas, ſubdit rationem, *quia æquiparantur Epiſcopatus, & Prælaturæ regulares*. Eadem Gloſſa, vbi ſupra, ver. *Impedimento*, inquit. *Non currit præſcriptio contra Canonicos, ſi iuſta cauſa interueniente, non eligant*.

Quibus addi poteſt illud Abb. in cap. his quibus, de elect. quòd Electoribus impeditis currit tempus, ſi poſſunt impedimentum auferre: ideo ſimpliciter impeditis nõ currit tempus à iure ſtatutum pro celebrãda electione canonica.

Tempus vero electionis Prouincialis in Ordine Prædicatorum, eſt regulariter dies Sabbati ante Dominicã Deus
8 qui errantibus, in † initio Capituli Prouincialis. Quod ſi electores eo die non elegerint aliquem in Prouincialem, ritè, & canonicè, deuoluitur facultas prouidendi de Prouinciali, ad Magiſtrum Ordinis. *cap. de electione Prioris Prouincialis*.

Quid ſimile habetur in Conc. Viennẽ, in Clement. in qua Clemens V. Regulam Fratrum Minorum S Franciſci ſtatuit, in ſequentem modum: *Ceterum ſi Capitulum Prouinciale die ſtatuta Miniſtrum non elegerit, ex tunc prouiſio liberè deuoluatur ad Generalem*. Reddunt
9 rationes † Doctores, quia dilatio electionis Prouincialis, multa diſpendia, & magna incommoda affert toti Prouinciæ, quod non eſt ita graue, & periculoſum in dilatione Prioris Conuentualis. Ideo illa Prouincialis habet diem ſtatutum.

Pius Quintus in ſua Conſtitutione, edita pro Canonicis Cõgregationis ſancti Saluatoris, quam confirmauit Gregorius XIII. anno 1579. præcipit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac priuationis perpetuæ vocis acti-

uæ, & paſſiuæ, ne per ſex menſes ante electionem aliquis audeat pro ſe, vel pro alio, quempiam ſubornare.

10 Ante tempus congruum, & à iure, & à Conſtitutionibus alicuius Ordinis ſtatutum circa celebrationem electionis canonicæ, non poſſunt vocales, ſiue electores, niſi per diem vnum naturalem ante electionem, & immediatum, de futura electione tractare. Illi vero non vocales, neque tunc poſſunt tractatum habere de electione futura, vel de perſona eligenda. Et hoc eſt particulare in Ordine Prædicatorum, prout latè habetur in Capitulo Generali Valentiæ 1596. Ordinat. 12. per ſequentia verba: *Ordinamus, & ſub pœna grauioris culpæ mandamus, tam Fratribus, quàm Monialibus, in aliqua electione vocem habentibus, ne de illa ante diem vnam naturalem loqui, ſiue tractare poſſint. Reliquis vero in electione vocem non habentibus, ſiue Conuerſi, aut Conuerſæ, ſiue Clerici, aut velatæ ſint, reſpectiuè, ne verbo, vel ſcripto, per ſe, vel per alios, quoquo modo de ipſa electione intromittere audeant. Prælatis vero in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs iniungimus, vt prætaxatam pœnam contra facientibus infligere debeant.*

In Prouincia Romana, & Lombardiæ, ſtatuit Cardinalis Alexãdrinus olim Protector Ordinis Prædicatorum, Ordinat. 7. vt infra: *Ordinamus, & præcipimus omnibus Fratribus, ne quis de electione Prouincialis, vel Prioris, verbo, vel ſcripto tractet; niſi per quindecim dies antequam expiret eorum officium: Contrarium vero facientes, inhabiles ſint actiuè, & paſſiuè ad talem electionem.* Quæ Ordinatio vna cum alijs fuit confirmata auctoritate Apoſtolica.

Electio canonica, cùm poſt Concilium Tridentinum, fiat cõmuniter per ſchedulas, aſſumpto modo procedendi

11 per ſcrutinium, non † poteſt celebrari ſine vrgentiſſima cauſa tempore noctis: & dato quod propter neceſſitatem euidentem celebretur de nocte, debent accendi plura lumina candelarum, nec aliter fieri debet; Nauarr. *conſil.* 8. *tit. de electione*.

Tempus celebrandi electionem ordinarie eſt de mane, poſt celebratam Miſſam Spiritus ſancti, cum in electionibus ſobrietas exigatur, Guliel. Mandag. *tract. de elect. nou. Prælat. cap.* 17. vbi citat etiam & alios Doctores, *in cap. cum nobis, de elect.*

Innoc. & Hoſtien. *cap. cum nobis olim*, dicunt conſuetudinem de celebranda Miſſa, & inuocanda gratia Spiritus ſancti ante electionem, eſſe laudabilem, & ſeruandam: Si tamen ſine Miſſa fieret electio, eſſet canonica, dum tamen aliud non obſtaret; cùm non ſit de ſubſtantia electionis.

12 Tempus electionis Socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale † eſt intra Septuageſimam, vſque ad tempus congruum accedendi ad Capitulum Prouinciale celebrandum in illo anno. Ob id Conſtitutio prohibet ne fiant mutationes vocalium in Conuentibus toto hoc tempore, in Ordine Prædicatorum.

Io. de Anan. *ſup. tit. de poſt. Prælat. cap. ad hæc, num.* 5. poſt multorum textuum, & Doctorum citationes, notat, quod in terra, ſiue ciuitate, vbi eſt interdictum, poteſt celebrari electio canonica Prælatorum. Et ſi obijciatur, quod in præcitato cap. Papa † caſſauit poſtulationem
13 factam in loco interdicto: Reſpondetur cum alijs Doctoribus, quod ideo fuit caſſata, quia poſtulatus non ſeruauerat interdictum; non autem ratione loci interdicti.

14 Tempus à iure ſtatutum, intra † quod neceſſario debet celebrari electio, poteſt arctari. Doctores *in cap. cùm in veteri, tit. de elect.* Præcipuè vero Io. de Anan. *ibid. num.* 1.

15 Terminus iuris ſtatutus pro electione celebranda, eſt vltima † dies tertij menſis poſt vacantiam, ſecundùm ius commune, vel vltima dies primi menſis in Ordine Prædicatorum; cùm tempus celebrandæ electionis, ſit per Statuta eiuſdem Ordinis, redactum ad primum menſem immediatè ſequentem, poſt vacantiam, & notitiam vacantiæ: Semper tamen de mane, hora ante meridiem propter ſobrietatem, quæ in ſimilibus actionibus rectè deſideratur. Compoſt. *in cap. cum nobis*. Bellamer. *in cap. nullus, ad calcem num.* 10.

Summa Cap. VII.

1 *Vota eligentium debent adeo eſſe ſecreta, vt nunquam publicentur.*

2 *Tutior modus procedendi in electionibus canonicis cenſetur ille per ſcrutinium, & præſertim per ſchedulas.*

3 *Aſſignantur tres formæ electionis, de qua in Cap. quia propter, quæ non poſſunt vllatenus variari, neque multiplicari.*

4 *Nomine eccleſiarum viduatarum, intelliguntur eccleſiæ etiam Regularium, Prælati quorum habent iuriſdictionem, & ſunt verè Prælati.*

5 *In Ordine Prædicatorum, neceſſariò in electionibus canonicis, electores vti debent forma tantum eligendi, quæ eſt per ſcrutinium.*

6 *Sacra Congregatio cenſuit electionem Prælatorum Regularium fieri debere tantum per vota ſecreta, ad præſcriptum Concilij Tridentini.*

7 *Forma obſeruanda in electionibus, in Ordine Prædicatorum.*

8 *Explicatur munus ſcrutatorum, vt adimpleant, quæ ſunt de forma ſubſtantiali formæ electionis per ſcrutinium.*

In

9 *In Ordine Prædicatorum, vt quis ſit ritè electus in Priorem, aut Diffinitorem tam Capituli Generalis, quàm Prouincialis, debet habere duo vota vltra medietatem, dummodo ſit præſens.*

10 *In Ordine Prædicatorum, poſt celebratam, atque publicatam electionem canonicam Prioris Conuentualis, vel Prouincialis, nullus ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda procedere audeat ad aliam electionem.*

11 *In eodem Ordine Prædicatorum electiones Canonicæ ſpectant ſolum, ac tantum ad eligentes perſonaliter præſentes in loco electionis, vt ſæpè inſinuatum eſt.*

12 *Adducitur viuæ vocis oraculum Pij V. circa formam neceſſario ſeruandam in electionibus canonicis Regularium quorumcumque, vna cum Bulla Sixti V. ad idem, pro Ordine tamen Minorum ſancti Franciſci.*

13 *In Ordine Minorum de Obſeruantia quomodo in electionibus agatur cum illis electoribus, qui neſciunt ſcribere.*

64 *Defenditur ab obiectis P. Suarez antiquus ille modus à ſacris Canonibus ſtatutus eligendi Prælatos, per vota, vel ſuffragia ſecreta. & num. 19. 22. & 23.*

15 *Modus eligendi per ſuffragia multorum, eſt antiquiſſimus, &c. & multas affert vtilitates. & num. 16. 17. & 18.*

20 *Soluitur argumentum innixum auctoritati S. Ioannis Chryſoſtomi.*

21 *S. Matthias electus fuit Apoſtolus per ipſorum Apoſtolorum ſuffragia.*

24 *Fideliter referũtur omnia, & ſingula verba epiſtolæ S. Gregorij Magni, de obitu Natalis Epiſcopi Salonitanæ eccleſiæ, & de ordinatione Epiſcopatus eius. & pariter illa alterius epiſtolæ eiuſdem ſancti Paſtoris, de electione, & conſecratione Conſtantij Epiſcopi Mediolanenſis.*

25 *Explicatur vis, atque efficacia clauſulæ apponi ſolitæ in Litteris Apoſtolicis,* Per nos, *ſiue* A nobis. *& num. 27.*

26 *Clauſula* Per nos, *ſiue* A nobis, *referri tãtum poteſt ad perſonam Papæ, qualibet alia ab ipſo excluſa.*

27 *Decretum irritans quam vim habeat, & quos effectus producat. & num. 30. 31. & 33.*

28 *Decretum irritans afficit etiam ignorantes, & ante ſui publicationem, ſecundùm aliquos. num. 29.*

32 *Decretum irritans nequit tolli per nõ vſum, neque per vſum contrarium.*

CAP. VII.

De forma ſeruanda in electione canonica.

OCcaſione verborũ Concilij Tridentini, *ſeſſ. 25. c. 6.* vbi manifeſtè prohibentur fraudes, ſubornationes, & ſimilia, in omnibus electionibus Abbatum, & aliorum Regularium, vbi etiam ſtrictius iubetur, vt electio omnis canoni-
1 ca ſit † adeo ſecreta, vt nullo vnquam tempore vota eligentium alicui publicentur, iuxta præſcruptum verborum Concilij, vbi ſupra, quæ ſunt, *Sancta Synodus diſtricte præcipit, omnes Superiores eligi debere ita, vt ſingulorum eligentium nomina, nullo modo publicentur:* Conſuetudo ferè communis poſt dicti Concilij publicationem, inualuit, vt electio-
2 nes canonicæ † ab Eccleſiaſticis celebratæ fuerint per ſchedulas, aſſumpto modo procedendi per ſcrutinium. Quam formam ſcrutinij merito appellat Petrus de Baiſio *in ſuo director. elect. cap. 20. 3. par. num. 2.* vſitatiorem; quod eſt dicere communiorem, quo ad vſum; ac etiam tutiorem, necnon & magis ſolemnem. Per quæ verba Concilij, iuxta placitum nonnullorum Auctorum, & maxime Roderici, in ſua ſumma caſuũ,

tit. de elect. cap. 102. *num.* 2. & Mirand. in ſuo manuali Prælatorum Reg. *tom.* 1. *tract. de ſacris monialibus, q.* 7. *ar.* 3. *concl.* 1. non tollitur forma illa triplex tradita in cap. quia propter.

Vſus tamen formæ per ſcrutinium, cùm ſit tutior, vt totum fiat cum maiori rectitudine, ac libertate, omnique remota, fraude; nam ad tollendas fraudes maximè prouidere intendunt, & ad hoc ſuam dirigunt intentionem ſacri canones: Ideo forma ſupradicti modi frequenter præcipitur, vt obſeruetur: Ita ſentit Rodericus, *tom.* 2. *quæſt. Regular. q.* 51. *art.* 8. *per totum*, vbi inter quamplura adducit Conſtitutionem quandam Sixti V. ab eo editam pro Fratribus Minoribus de Obſeruantia die 29. Iunij 1587. in qua præcipit, vt eorum *electiones fiant in poſterum per ſchedulas, aſſumpta forma per ſcrutinium, ita vt nomina eligentium remaneant ſemper occulta, etiam Confirmatori.*

Licet ergo Innocentius Tertius ſtatuat triplicem formam, neceſſario alteram illarum obſeruandam in electioni-
3 bus canonicis; quarum † prima eſt per modum ſcrutinij; ſecunda vero, per cōpromiſſum; & vltima, per communem inſpirationem; declarando quod electio aliter facta, ſit nullius roboris, & momenti: Attamen, propter ſuperius dicta, hic cenſui apponere tantum verba dicti Pontificis, alijs omiſſis, continentia formam procedendi per modum ſcrutinij; & ſunt quæ ſequuntur.

Statuimus, vt cùm electio fuerit celebranda præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt, commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretò, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto: vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior pars, & ſanior Capituli conſentit. Itaut quicumque elector contra formas in dicto canone præſcriptas eligere tentauerit, eligenti poteſtate ea vice priuetur.

Quæ forma, vt tradunt communiter Doctores, maximè Panorm. & Gloſſ. *in dicto cap. quia propter*, eſt neceſſario integrè obſeruanda in electione Prælatorum Eccleſiarum Cathedralium, Collegialium, Conuentualium, & Regularium, Prælati quarū habent de iure, vel approbata conſuetudine generalē iuriſdictionem, vt poſſint cognoſcere de cauſis ciuilibus, & criminalibus ſuorum ſubditorum. Et *in cap. cum terra, tit. de elect.* per ſequentia verba, præcipitur obſeruatio prædictæ formæ Concilij Lateranen. & ſunt quæ ſequuntur: *Statuentes vt forma electionis canonicæ in omnibus Conuentualibus Eccleſiis ſeruetur.*

Inſuper prædicta forma triplex fuit à iure introducta, non propter commodum, & vtilitatem electorum, ſed propter beneficium Eccleſiarum viduatarum. Ideo non poteſt variari, niſi ex priuilegio Apoſtolico. *cap. ſicuti, tit. de elect. in* 6. §. *præter formas Concil.* Geminian. *in cap. præcit. quia propter, num.* 2. Quæ etenim contra ius fiunt, pro infectis habentur, *de Regul. iuris. cap. quæ contra*. Vbi etenim datur certa forma pro perficiendo aliquo actu, ſiue pro illo exercendo, & omnes aliæ ſunt prohibitæ; tunc, & eo caſu, ſecundùm communem opinionem, paria ſunt hæc duo, videlicet *contra formam*, & *præter formam agere*.

Nomine Eccleſiarum viduatarum, veniunt intelligendæ eccleſiæ etiā Regularium, quarum Prælati habent iuriſdictionem, vt poſſint iudicare de cauſis criminalibus, & ciuilibus: in ſacris enim
4 canonibus † æquiparantur in multis eccleſiæ Cathedrales, & Regulares, præcipuè in hoc. Nam Papa Prælatos Regulares

gulares Paſtores appellat, aſſeritque per mortem illorum eccleſias Regulares viduatas remanere; & hoc maximè, *cap. ne pro defectu, tit. de elect. in 6.* & *cap. cupientes*. Gloſſ. *ibid.* & Panor. Licet hoc Panorm. clarius dicat *in cap. quia propter, dub. 1. nu. 8.* & *num. 7.* vbi confutat opiniones tenentium contrarium. & *cap. cum terra, tit. de elect.* Cæleſtinus Tertius præcipit per ſequentia verba, *Statuentes vt forma electionis canonicæ, in omnibus Conuentualibus eccleſijs obſeruetur, videlicet, vt cùm debet eccleſia conſuli de Paſtoris regimine deſtituta, Electores in vnum locum conueniant; & inuocata Spiritus ſancti gratia, perſonam nominent. Quod ſi in perſona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tandiu in electione diligentiam inquiſitionis ponant, donec vacanti eccleſiæ de perſona idonea valeant prouidere.* Silueſter in ſumma, *tit. electio 1. num. 4.* idem clariſſimis verbis docet eſſe ſeruandum, & in electionibus Regularium Prælatorum, in quibus omnino obſeruari debet forma à ſacris canonibus ſtatuta, ſubdens, *vti ſit in Ordine Prædicatorum, reſecatis multis ſubtilitatibus iuris, ex vi ſuarum Conſtitutionum.*

In Capitulo vero Generali dicti Ordinis Bononiç celebrato 1564. fuit ablata omnis, & quæcumque difficultas; & patenter fuit determinatum, in omnibus electionibus Prælatorum Regula-
5 rium † præfati Ordinis ſeruandam eſſe formam per ſchedulas, ſiue per modum ſcrutinij. In eodem enim Capit. *tit. de ſacri Concilij Tridentini Decretis*, habentur infraſcripta: *Quo vero omnia rectè ſine vlla fraude fiant, à ſancta Synodo diffinitum eſt, vt Prælati, & Officiliales deinceps eligantur per vota ſecreta, ita quod eligentium nomina nunquam publicentur. In huius ergo Decreti exequutionem præcipimus vniuerſis Fratribus noſtris, vt in futuris electionibus infraſcripta forma deinceps obſeruetur; & ſi ſecus factum fuerit, irrita prorſus habeantur. ſinguli ſcilicet electores in ſchedula ſcribant, vel ſcribere faciant electi nomen; Eligentis autem nomen nunquam ſcribatur, nec ſcrutatoribus, neque confirmatori nomen electoris vnquam reueletur.*

Hoc idem mandatur diſt. 2. *cap. de elect. Magiſtri Ordinis, tex. 5.* & clarius in declarat. eiuſdem tex. Idem quoque præcipitur text. 3. *cap. de elect. Prior. Conuentualis*, & in declar. eiuſdem tex. *ſub littera K.*

In declaratione autem immediatè præcitati text. additur quod *idem modus eligendi ſeruari omnino debet, in electione Prioris Conuentualis, Prioris Prouincialis, & Magiſtri Ordinis, Diffinitorum Capituli Prouincialis, & Generalis, & ſocij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale*: Quod etiam Romæ 1571. ita diſpoſitum fuit: *Denunciamus in noſtro Capitulo Generali, diligenter ſuper forma electionis per ſchedulas facienda cum Papa eſſe tractatum, decretumque fuiſſe eam formam nullatenus eſſe omittendam. De qua re, S. D. N. Pius V. etiam conſultus in Capitulo Generali Romano 1571. in eadem ſententia fuit; quapropter præcipimus omnibus Prioribus noſtri Ordinis, tam Prælatis, quam ſubditis; ne de cætero vlla ratione eam immutare contendant.*

Carthuſiani petierunt à Congregatione Concilij, an in electione ſuorum Superiorum poſſint procedere per viã ſcrutinij ac etiam compromiſſi.

6 Congregatio cenſuit † electionem horum Prælatorum Regularium debere fieri tantum per vota ſecreta, vt habent verba propria Concilij, dicto cap. 6.

Dubitatum fuit an diſpoſitio Concilij, *dicto cap. 6. ſeſſ. 25. de Regular.* volens Superiores eligi per vota ſecreta, intelligantur nedum in temporalibus; ſed

etiam in perpetuis Superioribus.

Congregatio cenſuit intelligi etiam de perpetuis.

Et in Capitulo Generali Barchinone Ordinis Prædicatorũ 1574. Ordinat.9. rigoroſè iubetur ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, *ne electores audeant in ſchedulis apponere aliquod ſignum, ſiue notam, ex quibus poſſit manifeſtari nomen Electoris*; vti latius dictum eſt in cap. de electione.

Tandem in eod. cap. Bononiæ 1564. *tit. de ſacr. Concil. Trident. decretis*, in vltimo §. eiuſdem tituli, hæc leguntur. *Declaramus præterea, vt in illis Prouincijs, in quibus ex indulto Apoſtolico, vel ex approbata conſuetudine, ſiue de iure recepta, præter nomen electi ſolent poni nomina eorum qui ſimul poſtulantur, numerus quoque poſtulantium ſimiliter in Cap. publicetur*, ab illo ſcilicet qui format verbale decretum electionis.

Per quæ verba non prohibetur vt etiam aliæ Prouinciæ, imò vt omnes Ordinis Prædicatorum poſſint facere poſtulationes: etenim priuilegium Alexandri IV. de quo latius cap.2. nu.12. extenditur ad omnes Prouincias eiuſdem Ordinis: ideo Fratres Vocales vbique locorum poſſunt, cum voluerint, eo vti; nec vſque modo fuit reſtrictum ad hanc vel illam Prouinciam, neque reuocatum, imò nonnullæ Prouinciæ eo vtuntur paſſim.

Vltra prædicta, in Ordine Prædicatorum infraſcripta forma neceſſaria obſeruanda venit in electionibus canonicis; aliter electio omnis erit irrita, & nulla, prout in declarat. text.3. *ſub littera, K, Capituli de electione Prioris Conuentualis diſt.2.* verba cuius declarationis pro maiori parte fuerunt decerpta ex Capitulo Generali Bononiæ 1564. vbi habentur ſequentia verba. *In futuris electionibus infraſcripta forma deinceps obſeruetur: & ſi ſecus factæ fuerint, irrita*
7 *prorſus habeantur*. Enumerata † vero pro forma ſeruanda in electionibus vbi ſupra, ſunt quæ ſequuntur.

Primò vt ſinguli Electores in ſchedula ſcribant, vel ſcribi faciant nomen electi, ſchedulæ; & modus procedendi per ſcrutinium, non eſt alias de eſſentia electionis canonicæ in communi; ſed ita fiunt communiter omnes electiones canonicæ poſt Concil. Trident. Vide ſupra num.2.3.& 4. In Ordine autem Prædicatorum eſt de eſſentia, quia ita præcipitur ſecundum ius particulare eiuſdem Ordinis: & electio alias facta eſt irrita in eodem Ordine, vt dictum eſt nu.15.

Hinc eſt quod in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis Prædicatorum, *diſt.2. cap. de elect. Prioris Conuentualis, text.1, litt. C, §. abrogata*, expreſsè dicitur. *Abrogata igitur electione per communem inſpirationem, & per compromiſſum, ſemper per ſcrutinium facienda eſt electio*. Quam abrogationem neceſſario inducit in dicto Ordine, primo viuæ vocis oraculum Pij V. ſummariè tantum relatum ſuperius cap.4.nu.62. & ad finem huius capitis latius, & per extenſum adducendum vna cum Bulla ad idem Sixti V. facta pro Minoribus; ſecundo ex Statuto cap. Generalis Bononieñ 1564. de quo copioſius ad finem cap.5.

Ad quorum confirmationem adducitur illud Nicolai Garziæ tract. de benefic. *par.5. cap.4. num.204.* dicentis quòd quando electio canonica debet fieri per vota ſecreta, & per ſcrutinium, neceſſario ſequitur eam non poſſe fieri per viam inſpirationis, aut compromiſſi, vt declarauit Congregatio Concil. ſuper ſeſſ.25.cap.6. per ſequentia verba; *Congregatio cenſuit electionem Prælatorum Regularium debere fieri tunc per vota ſecreta, vt ſe habent verba Concilij*.

Secun-

Secundum principale obſeruandum, præſertim in Ordine Prædicatorum, in præmemorata forma ſcrutinij, illud eſt quod ad recipiendas prædictas ſchedulas, tres ſcrutatores à Conſtitutionibus deputati ſedeant in menſa in oculis omnium, quibus Conuentus poſſit addere quartum modo explicato cap. 4. & latiùs inferius, cap. 12.

Tertio, ſupradicti ſcrutatores ſchedulas inuolutas ab Electoribus accipiant, 8 vt in vrnam, † aut capſulam dimittant; vigilantes quod vna tantum ſchedula ab vno exhibeatur, & non plures.

Quarto, poſt omnes acceptas ſchedulas, facta collatione numeri ad numerum, illas legant; & cùm inuenerint quod aliquis extra Collegium, ſiue numerum eligentium euaſerit electus à maiori parte vltra medietatē omnium eligentium, eius electio rata, & legitima habeatur. Si vero ſit de numero eligentium, duo vota vltra medietatem habere oportet, *ne fraudi* (inquit declaratio) *locus adſit, & ne quis ſeipſum eligere poſſit*.

Quinto, peractis ſupradictis; ſchedulæ in conſpectu præſentium Electorum ſtatim & omnino comburantur.

Sexto, ſcrutatores ad medium Capituli venientes nomina publicent eorum qui fuerunt electi, exprimendo numerum votorum, quem vnuſquiſque habuit tàm in electione quàm in poſtulatione. Quod etiam faciendum eſt, licet nullus fuerit à maiori parte vltra medietatem electus, vt poſſint Electores ad ſecundam procedere electionem.

Septimo, electionis publicatio fieri debet ſemper per vnum ex ſcrutatoribus, vel ad minus per vnum ex vocalibus præſentibus vice omnium, vt dicitur in eodem cap. de elect. Prioris Conuentual. *text. 3. ſub litt. K*, per ſequentia verba: *Declaramus quod quando eligitur Magiſter Ordinis, vel Prior Prouincialis, vel Conuentualis, publicato ſcrutinio debet vnus vice omnium eligentium formare electionis decretum, ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1271.*

Forma autem verborum præfati Decreti expreſſa in tex. 2. citati cap. eaeſt. *Ego Fr. N. vice mea, & omnium electorum præſentium, eligo Fratrem N. in Priorem, & poſtulo Fratrem G. &c.*

Octauo. Si vero non omnes Vocales præſentes elegerint, ſiue in illum iam ritè electum non conſenſerint, ſed maior pars tantum, vltra medietatem; tunc qui primam vocem emiſerit, dicet: *Ego N. pro me & his qui mecum conſenſerunt, Eligo N. in Prælatum*, ſiue *Priorem talis Conuentus*, &c. Idem ſeruatur in electione Generalis, vel Prouincialis proportionaliter, ex text. 2. eiuſdem, cap. 21. de elect. Prioris Conuentualis in Ordine Prædicatorum diſt. 2.

Nono, ea ſolum quæ in Capitulo publicantur in Decreto electionis tranſmittendo ad Confirmatorem, ſcribenda ſunt, ſubſcriptis nominibus ſcrutatorum, clauſo, & ſigillo Conuentus munito tranſmittendo fideliter. Quod hæc omnia comprehendantur in forma de qua ſupra, clarè patet ex verbis declarationis præcitati text. & in eadem declaratione, §. *& idem*, vbi poſt omnia ſupradicta ſtatim ſequitur: *Et idem modus eligendi ſeruetur in electione Prioris Prouincialis, Magiſtri Ordinis, Diffinitorum Capituli Generalis, & Prouincialis, ac etiam ſocij Prioris Conuentualis, euntis ad Capitulum Prouinciale.*

Ex quibus verbis infertur euidenter, quod non ſolum eligendi in Priorem, verum etiam in Diffinitores Capituli tam Generalis quam Prouincialis, etſi 9 conſimiles electiones non ſint † canonicæ, dum eligitur præſens, debet neceſ-

ſario habere duo vota vltra medietatem; aliter electio eſt irrita, & nulla. In conformitatem huius declarationis, in Capitulo Prouinciali vtriuſque Lombardiæ Genuæ celebrato 1620. de menſe Maij, fuit ritè, & legitimè iudicatum, quendam nominatum à maiori parte vltra medietatem in Diffinitorem eiuſdem Cap. Prouincialis per vnũ votum tantum vltra medietatẽ non fuiſſe legitimè & ſufficienter electum; & ſapienter proceſſerunt de nouo ad electionem eiuſdem Diffinitoris, donec, & quouſque habuerit ille, vel alius, duo vota ad minus vltra medietatẽ. Tandem in declar. 3. text. cap. immediatè citati ſub litt. g, habetur ſequens declaratio. *Declaramus hanc antiquam conſtitutionem de expreſſione nominum eligentium, poſt Tridentinum Concilium, de quo ſuperius mentio facta eſt, quemadmodum & illam aliam, (& minor pars interrogata maiori conſenſerit) in deſuetudinem abiiſſe.*

Pariter in declaratione textus tertij, cap. de electione Prioris Conuent. ſub litt. h, habentur quæ ſequuntur. *De-*
10 *claramus, † quòd cùm iuxta tenorem noſtrarum Conſtitutionum, electiones noſtræ factæ à maiori parte vltra medietatem eligentium, ſint canonicæ, nec alia collatio, quàm numeri ad numerum requiratur; vt grauibus, & periculoſis diſcriminibus obueetur; prohibemus, vt præter talem electionis formam, ſeu poſt decretum talis electionis formatum, nullus præſumat ad aliã electionem procedere, vel aliud electionis decretum formare, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, quam ipſo facto incurrat; & ad eam non poſſit reſtitui, niſi per Magiſtrum Ordinis, vt fuit declaratum apud Londonas 1314.* Quando autem concorditer aliquis ab omnibus eligitur, non oportet vt fiat collatio numeri ad numerum, ſed ſufficit vt ille, qui præeſt, dicat. *Cùm ſimus tot Electores, omnes elegerunt talem*. Et ad finem declarationis eiuſdem text. 3. habetur. *Semper in formatione decreti dici debet: Eligo, & numquam ſolum, Poſtulo*. Ex quibus verbis neceſſario colligitur id quod alias dictum eſt, in Ordine ſcilicet Prædicatorum non dari poſtulationem abſque vera electione.

Inſuper, in text. 7. eiuſdem cap. ha-
11 bentur ſequentia: † *Electio autem, tàm Priorum Prouincialium, quàm Conuentualium, ad illos tantùm pertineat Electores, qui perſonaliter præſentes in electione extiterint, ſicut fit in electione Magiſtri Ordinis.*

Viuæ vocis oraculum

PII V.

Factum Cardinali Cribello circa modum ſeruandum in electionibus Canonicis Prælatorum Regularium.

NOs Alexander Miſeratione diuina, tituli ſancti Ioannis ante portam
12 *Latinam presbyter † Cardinalis Cribellus nuncupatus, Omnibus, & ſingulis præſentes noſtras litteras inſpecturis, lecturis, & audituris, fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Pius diuina prouidentia Papa V. viuæ vocis oraculo nobis facto die 12. Maij 1568. Declarauit ad mentem Concilij, cap. 6. ſeſſ. 25. de regularibus, & ad ſupplicationem multorum Religioſorum: Vt omnes electiones fiant per vota ſecreta medijs ſchedulis; & nunquam publicentur eligentium nomina; & peracto ſcrutinio eorum, qui plura habent ſuffragia vltra medietatem, habeantur electi. Quo facto coram Capi-*

Capitulo crementur ſchedula: & irritat electiones, quæ non ſeruauerint prædictum modum.

Quamobrem niſi Regulares, omnes ſuper hoc habeant reuocationem ſpecialem, credo quod non debeant vllatenus omittere in electionibus Canonicis ſuorum Prælatorum, formam ſcrutinij, de qua in oraculo ſuperius allato. Hoc idem mandauit Sixtus V. pro Ordine Minorum ſancti Franciſci de obſeruantia, vt latius patet in ſequenti Bulla eiuſdem Pontificis.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ET communis cura Paſtoralis officij nobis, licet immeritis, diuinitus iniuncti, & peculiaris noſtra deuotio, quam gerimus erga B. Franciſcum, eiuſque familiam vniuerſam, in quam iam pridem teneris annis aſcribi voluimus; ac adeo Fratrum eiuſdem Ordinis Minorum, qui de Obſeruantia dicuntur, pietas, & Eccleſiæ Dei vtilis, & fructuoſa opera, quæ aſſidue præſtant, iure optimo nos inducunt, vt ea quæ pro ipſorum religioſorũ bono regimine ſalubriter ſtatuta fuiſſe dicuntur, libenter noſtra auctoritate interpoſita roboremus. Cùm itaque in Capitulo Generali dictorum Fratrum Ordinis Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, in hac alma Vrbe noſtra, in domo Beatæ Mariæ de Aracæli nuper celebrato, ijdem Profeſſores dicti Ordinis, de vniuerſi Chriſtiani orbis partibus, & Prouincijs conuocatis omnibus ijs qui huiuſmodi Capitulo voluerunt, potuerunt, & debuerunt intereſſe inſimul legitimè congregati, præſidente in eo auctoritate noſtra dilecto filio noſtro Ferdinando ſanctæ Mariæ in Vialata Diacono Cardinale de Medicis nuncupato, eiuſque Ordinis apud nos, & ſedem Apoſtolicem Protectore, nonnulla ſpiritualem profectum, & quietem, ac proſperum incrementum eiuſdem Ordinis, non modo quoad Fratres, ſed etiam quod ad Moniales ſanctæ Claræ, vel etiam alterius Ordinis, quæ ſub ipſorum cura, & regimine degerunt; matura deliberatione præhabita ſtatuerunt, & ordinauerunt, prout in tabula eiuſdem Capituli Generalis, ſiue alijs ſcripturis deſuper confectis plenius continetur. Nos ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi, ac prout illa concernunt omnia, & quæcunque in ſcripturis illis contenta, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quatenus licita, & honeſta ſunt, & ſacris canonibus; & præſertim Concil. Trid. Decretis non aduerſantur, ac dummodo Abbatiſſæ, vel aliæ Præfectæ quorumcunque Monaſteriorum Monialium, ipſorũ Fratrum curæ commiſſarum, ad ſummũ triennales ſint, & ſuis officijs elapſo triennio perfunctæ, in quibus Prouincijs non per biennium tantum, iuxta Decretum in Generali Capitulo Pariſienſi eiuſdem Ordinis editum; ſed ſaltim per triennium integrum à die finiti ſui officij, & adminiſtrationis numerandum, nullum Abbatiſſatus, ſeu Præfecturæ monaſteriorum, aut aliud officium, nec aliam poteſtatem, neque auctoritatem in eis obtinere, & exercere poſſint, aut debeant; necnon omnes electiones Superiorum, aut Officialium per ipſos faciendæ, ſemper fiant per ſchedulas obſignatas; ita vt ſuffragia, ſeu vota, ac ipſorum eligentium nomina omnino ſint ſecreta, & occulta, & nunquam publicentur; ac peracto ſcrutinio ſchedulæ, & omnia huiuſmodi ſcripta, coram omnibus Vocalibus illicò comburantur, eadem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illis perpetuè, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque præſentis ſcripti patrocinio communimus: necnon omnes, & quoſcunque iuris, & facti etiam ſubſtantiales defectus, ſi qui interuenerint in

eiſdem

eiſdem ſupplemus; & quidquid in illis continetur de nouo, quatenus opus ſit, per præſentes ſtatuimus, & ordinamus, atque illa eadem ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, perpetuo, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus dicti Ordinis Minorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roborabis Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijsque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, Prouincijs, Domibus, Collegijs, Monaſterijs, Conuentibus, ac perſonis ſingularibus, vtriuſque ſexus quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. quibus omnibus, illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice, & ad effectum præſentium duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus; ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Iulij M.D.LXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Quam Bullam Sixti Quinti, exactè nunc obſeruant in electionibus Religioſiſſimi Patres Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſeruantia, quemadmodum teſtatur experientia, & vt manifeſte apparet in eorum Statutis, & Conſtitutionibus familiæ Ciſmontanæ, iuſſu Patris Bonauẽturæ Calatayeronen. eiuſdem Ord. Generalis iuſſu editis, cap. 8. tit. à quibus eligẽdi, ſeu inſtituendi ſunt Diſquiſitores, §. *quia vero*, & ſequentibus; vbi §. *cùm autem*, præſuppoſito modo eligendi per ſchedulas, ſtatuitur,
13 quomodo agendum † ſit cum illo, vel illis electoribus, qui neſciunt ſcribere, in hunc, qui ſequitur modum, videlicet: *Cùm autem quamplurimi ſcribere neſciant, atque ideo, per alios eorum vota, & nomina ſcribi oporteat; idcirco, & electionis ipſius ſecreto, & ipſorum eligentium libertati, ac fraudibus quibuſuis proſpicientes opportune, conſulto decernimus; vt Electores ſinguli ad Diſquiſitores, ſeorſum, ac ordine accedentes, ab eo qui Secretarij ſcribæ fungitur officio, duas ad minus ſchedulas petant, audientibus alijs Diſquiſitoribus; in quibus ſchedulis diuerſorum nomina ſcribantur. Liberum autem erit vnicuique plures etiã ſchedulas petere, prout opportunius eorum ſingulis videbitur.* Diſquiſitores enim, vt colligitur, ex antecedenti titulo eiuſdem cap. 8. eliguntur loco ſcrutatorum, qui etiam de corpore Capituli oportet vt ſint, Diſquiſitores enim Generalis Capituli, vt ibidem traditur, *communi conſilio, & conſenſu Diſcretorum Ordinis, & Diffinitorum Generalium præcedentis Capituli, eligi, ſeu inſtitui debent.* Similiter & illi Capituli Prouincialis, *communi conſilio, & conſenſu Diſcretorum Prouinciæ, & Diffinitorum Prouinciæ præcedentis Capituli, inſtituendi ſunt.* Pariter quoque illi localis Capituli, *de conſilio, & conſenſu diſcretorum localium, ex veteri conſuetudine dicti Ordinis, inſtituuntur.* Et §. *& vt ſuffragia*, ex diſpoſitione eiuſdem Conſtitutionis Sixti V. præcipitur, *vt electione facta, ſiue peracto ſcrutinio, mox ſchedulæ, & omnia ſcripta eiuſmodi, coram ipſis Capitularibus vniuerſis, omnino comburantur. Quod etiam fieri oportet, quoties in ſcrutinio aliquis error interceſſerit, ita vt nullo quouis caſu, prætextu, aut quæſito colore, eligentium nomina, & vota publicentur; ſed ſemper ſecreta ſint, atque omnino occulta perpetuo ſeruentur.* Ad præſcriptum Cõcilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 6. & Conſtitutionis Apoſtolicæ, de qua ſupra.

14 Frequenti monitu piorum virorum excitatus, vt diligenter & attente conſiderarem nonnulla quæ ſcripſit Pater Franci-

Franciſcus Suarez, *tom. 4. operis de Religione, lib. 10. titulo de inſtitutione ceterorum Prælatorum Societatis, c. 3.* tanquam illa quæ euertunt formam de præcepto iuris neceſſario ſeruandam in electionibus Canonicis Prælatorum quorumlibet, præſertim regularium; illa tandem maiori qua potui diligentia ſæpe legi, & ponderaui; præſertim inter quamplura illa quæ expreſſis verbis tradit Pater Suarez, *vbi ſupra, num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* Equidem ſatis erat ipſi Suarez laudare atque extollere modum, quo in eius Societate Ieſu Prælati omnes inferiores ſub Generali fiunt, *non per electionem, vel ſuffragia ſubditorum; ſed per voluntatem, ſeu prouiſionem Præpoſiti Generalis*. qui modus approbatus fuit per Bullas (vt aſſerit ille) Pauli III. & Iulij III. his verbis relatis per ipſum. *Proprij cuiuſcunque gradus iudicium, & officiorum diſcretio, ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti per nos eligendi, vel eorum quos ipſe ſibi ea cum auctoritate ſubſtituerit*. Quæ verba ſecundum ſenſum quorundam forte egent ſubtiliori ponderatione, poſt decretum Concilij Tridentini, *ſeſſ. 25. de Reg. cap. 6.* accedente oraculo Pij V. (de quo in numero præcedenti.) Ego tamen credo quòd nullum in hoc ſit ſcrupulum: quia etſi non viderim Priuilegium in ſpecie ſuper his, ſcio tamen Societatem prædictam eſſe quamplurimis, & merito, condecoratã Priuilegijs. Omittere itaque poterat, & forte debebat Suarez illa multa, quæ tanta verborũ exaggeratione coaceruauit contra modum eligendi per ſuffragia multorum, quemadmodum videre eſt *vbi ſupra, nu. 6. & 7.* in quibus acriter reprehendit, & aperte nimis improbat modum electionis per ſuffragia plurimorum, quo vtuntur omnes ferè Religiones; immemor ipſe verborum, quæ paulò ante dixerat ad finem num. 5. quæ ſunt.

Quidquid ſit de alijs Religionibus, vel Congregationibus, quorum proprios mores non improbamus. Eo magis, quia modus eli-
15 gendi † per ſuffragia multorum, de iure eſt, & antiquiſſimus, ſemperque ab omnibus concorditer commendatus; imò ſpeciali præcepto per ſummos Pontifices Romanos, per Concilia antiqua, & recentiora, & per ſanctos Patres, præſertim Monaſtici inſtituti eximios reparatores, iteratis vicibus ſtrictius imperatus: quem modum meritò extollit vniuerſitas Theologorum, atque Iuriſtarum, vt copioſè ſtatim demonſtrabo. Quam veritatem latius quoque demonſtrat multitudo Decretorum Apoſtolicorum, & Conciliorum, de quibus fuſius in tit. de poſtulatione Prælatorum, & de electione, & electi poteſtate, extra & in ſexto; præclaraque commentaria Doctorum celeberrimorum, in quibus inter innumerabiles laudes, & mirabiles vtilitates, quas gignit modus iſte legalis, & Canonicus per ſuffragia multo-
16 rum, quantum † in ſe eſt fraudes propriæq. animi affectiones huius, & illius hominis ſingularis aufert, vel ſaltem refrænat, ſeruat pacem inter eligentes, & electum, præſertim, ſi electio fiat per ſuffragia ſecreta multorum, iuxta Statutum Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 6.* Et charitatem auget inter illos, vt liquido colligitur, ex locis ſupra citatis. Hinc eſt quod *in cap. prudentiam de officio, & poteſtate Iudicis delegat. §. illa quippe*, dicitur. *Cùm (ſicut Canones atteſtantur) integrum ſit iudicium, quod plurimorum ſententijs confirmatur*; & Gloſſ. ibidem verb. *Plurimorum*, ait: *Quod enim à pluribus quæritur ſapientibus, facilius inuenitur, 20. diſt. de quibus, & per ampliores homines perfectiſſima veritas reuelatur, C. de fideic. l. vlt. ad fin. & 64. diſt. extra conſcientiam*.

17 Ideo lumen illud † ſapientiſſimum,

Mona-

Monaſticæ diſciplinæ totius Occidentis, vir Dei glorioſus ſanctus Benedictus, Pater, atque Inſtitutor innumeræ multitudinis præclariſſimorum Monachorum; præbiturus certum modũm, quo ſui filij vti debebant in prouiſione Abbatum, etiam inferiorum, ſub Generali Abbate; in Regula, ſecundùm quam profitentur, ab eodem ſancto Confeſſore edita, *tit. de ordinando Abbate, cap. 64. ad initium.* expreſsè præcipit, vt *in Abbatis ordinatione, illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis concors Congregatio, ſecundùm timorem Dei, ſiue pars Congregationis, ſaniori conſilio elegerit.* Nec prætermittam illud magni Baſilij Monachorum Orientalium Patriarchæ, ſuper cuius dexteram ſanctus Ephrem Edeſſenæ in Syria Eccleſię Diaconus, Spiritum ſanctum columbæ ſpecie inſidentem, & eidem concionanti ſermonem ſuggerentem vidit; qui libro Regularum fuſius diſputatarum, tandem *cap. 43.* poſt recenſitas conditiones boni Abbatis, his verbis concludit, *Non qui ſibi ipſe Prælationem aſſumat, ſed qui à ceteris qui auctoritate in Conuentibus præſtent, delectus ſit; & ſatis magnum in ſuperiore vita documentum dederit probitatis morum ſuorum.* vbi duo præſertim exprimit: primum, quod Abbas eſt eligendus: ſecundùm; à ceteris, non dicit, ab vno; vt inſinuet hanc electionem eſſe debere per ſuffragia multorum.

Quibus omnibus addi poteſt, quòd Summi Paſtoris Eccleſiæ Romani Pontificis prouiſio, per multitudinis electionem fit, & facta eſt; imò & per modum ſcrutinij; ex nouiſſima Bulla felicis recordationis Gregorij XV. de qua inferius cap. 10. ad calcem.

Pro maiori ſigillo, & firmitate prædictorũ, auctoritates aliquas ſacræ Scri-
18 pturæ, idem † quod ſupra demonſtrantes, hic referam; inter quas eſt illa Salomonis ſententia, Prouerb. 12. verſ. 15. *Via, inquit, ſtulti recta in oculis eius; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* vbi ſtultum illum appellat, qui per ſemetipſum ſolum decernit, præſertim in arduis. Ex qua euidenter colligitur, tutiorem eſſe modum electionis per ſuffragia multorum, quo fraudes, deceptiones, falſæque hominum relationes facillimè repelluntur. Quod magis explicat idem ſapiens Prouerb. 14. verſ. 14. prò eo enim quod vulgata habet, *Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem vbi multa conſilia*; ex Hebræo ad verbum ita legunt Sanctes Pagninus, Vatablus, Ianſenius, & alij, *Quum, ſeu, vbi, non fuerint conſilia, corruet populus: ſalus autem eſt in multitudine conſiliorum*, ſeu *conſultorum*. Et ipſemet Salomon Prouerbiorum 15. verſic. 22. *Diſſipantur*, ait, *cogitationes*, ideſt, *conatus, vbi non eſt conſilium; vbi verò ſunt plures conſiliarij, confirmantur*. Et Theodoretus ad illa verba Apoſtoli Romanorum 12. *Nolite eſſe prudentes apud vosmetipſos: Ne veſtra*, inquit, *vobis conſilia ſufficiant, ſed aliorum conſilia accipite*.

19 Magna quoque facilitate fit ſatis † ad rationes, ſiue ad argumenta ab eodem Suarez adducta, quibus intẽdebat ſuam ſtabilire ſententiam, de qua ſupra; quorum illud efficacius reputatur, quod ipſe non rectè fundat in verbis S. Gregorij Papæ, quæ habentur *lib. 2. epiſt. eiuſdem ſancti Paſtoris, epiſtola 22.* & ſunt: *Nam ſi quorundam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum, cùm fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente cõpellitur; ſicq. fit vt & res illius minuantur Eccleſiæ, & ordo eccleſiaſticus non ſeruetur.* Quæ verba minus rectè applicantur à Patre Suarez, vbi ſupra; cùm de directo expreſſum ſenſum contrarium faciant, & ſint à ſancto Gregorio adducta in alium longe diuerſum ſenſum, ab illo

Suarez.

Digitized by Google

Suarez. Ibi enim loquitur ſanctus Gregorius de patrocinio potentum in electionibus Canonicis fugiendo, non autem de electione; quod probatur. Ante omnia autem ſciendum eſt, quod prædicta epiſtola ſancti Gregorij, 22. menſe Martio indictione 11. fuit conſcripta ab eodem magno Paſtore occaſione obitus Natalis Epiſcopi Eccleſiæ Salonitanæ, & directa Antonio Subdiacono Rectorij Patrimonij in Dalmatia: in qua epiſtola primo præcipit ſanctus Paſtor, quòd ſtante veritate obitus eiuſdē Epiſcopi, prædictus Antonius, *omni inſtantia, omnique ſolicitudine clerum, & populum eiuſdem ciuitatis admonere feſtinet; quatenus, vno conſenſu ordinandum ſibi debeant eligere ſacerdotem: factoque in perſonam quæ fuerit electa decreto, ad nos transmittere ſtudebis, &c.* Secundo vero admonendo proponit in eadem epiſtola, quòd *illud quidem præ omnibus tibi curæ ſit, vt in hac electione nec datio quibuſcunque modis interueniat præmiorum, nec quorumlibet perſonarum patrocinia conualeſcant.* Et huius admonitionis aſſignās cauſam, & mala enumerans, quæ ex dationibus, ſiue ex patrocinijs potentum, ſiue ex violentia quæ ab his inferri poteſt eligentibus, ſubdit illa verba relata paulo ſuperius à Suarez pro ſua ſententia. *Nam ſi quorundam*, &c. Quæ verba male applicantur ad electionem quæ celebratur per ſuffragia multorū: & hæc applicatio directè opponitur intentioni, immo determinationi, ac ſenſui vero, & intento in prædictis verbis Sancti Gregorij. Referuntur enim à ſancto Gregorio illa verba, non ad electionem, quam iubet fieri per ſuffragia multorum, ſed ad abuſus tollendos, qui oriri poſſunt occaſione illius electionis, quivè de facili euitari poſſunt, & ordinariè euitantur à prudentibus. Ideò primum mandat, & præcipit; ſecundum verò per modum admonitionis proponit cauendum.

Imò ſanctus Gregorius in quamplurimis alijs epiſtolis commendat, & præcipit modum electionis per ſuffragia multorum in prouiſione Præſulum, ſiue Epiſcoporum, vt videre eſt, præſertim in eodem 2. lib. *epiſt.* 29. & 30. ideo in ſequenti numero referā fideliter verba præcitatæ epiſtolæ 22. ac etiam 30. vt cuncta certiora, & clariora fiant. In ſenſu igitur omnino contrario, atque truncatè adducit verba ſancti Gregorij Pater Suarez, contra legem Iuris Ciuilis, de qua Iureconſultus Celſus *in l. inciuile* 23. *ff. de legib. & Senatuſconſult.* dicit: *Inciuile eſt, niſi tota lege proſpecta, vna aliqua particula eius poſpoſita, iudicare, vel indicare.*

20 Ad aliud vero argumentum † innixum, vt aſſerit ipſe Pater Suarez, auctoritati S. Ioannis Chryſoſtomi lib. 3. de Sacerdotio, quam tamen in ſpecie non adducit, quòd in electionibus, quæ per ſuffragia multorum fiunt, *plerumque*, vt verbis ipſius vtar, *ſequi ſolent diuiſiones, & ſchiſmata, quæ eleganter, & fusè proſequitur Chryſoſtomus*, &c. facillimè reſpōdetur, omiſſa cōtentione de verbis præciſis eiuſdem ſancti Chryſoſtomi. Sed illis conceſſis, dicitur quòd illa verba ſunt exponenda, vt paulò poſt probabo, de mente eiuſdem ſancti Chryſoſtomi, non de electione canonica, quæ fit per ſuffragia multorum Regularium, ſed de modo incongruo, quo non ſemper, ſed aliquando ex malitia, vel imprudentia hominum proceditur ad eandem electionem: quomodo vtitur plebs indocta, quando ipſa admittitur ad electionem Præſulis alicuius; quique modus eſt cauſatiuus plerumq. diuiſionū, & ſchiſmatum. Et quòd hæc ſit recta, & vera intelligentia verborum ſancti Ioannis Chryſoſtomi, abunde nimis probant ſuperius

perius iam adducta contra ſententiam in hoc particulati Patris Suarez; & ex his pariter, quæ expreſsè docuit idem S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 3. in
21 Act. Apoſt. vbi de † electione S. Matthiæ facta ab Apoſtolis, ad illa verba, *Et dederunt ſortes eorum*, ſcilicet duorum: *Quoniam nondum erat Spiritus*, *illis* ſcilicet, *ſortibus*, inquit, *rem peragunt*. *Et cecidit ſors ſuper Matthiam, & ſuffragijs additus eſt vndecim Apoſtolis*. Conſidera electionem per ipſorum Apoſtolorum ſuffragia aperte nimis deſignatam; in ipſo enim Scripturæ textu græco habetur, καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων, hoc eſt, *Et ſuffragijs electus eſt cum vndecim Apoſtolis*, iuxta vim, & ſignificationem verbi, συγκαταψηφίζομαι, quod ſignificat *calculis*, ſeu *lapillis addere*, vel *approbare*. Idem colligitur etiam ex verbis antecedentibus, ſcilicet, *Et cecidit ſors ſuper Matthiam*: Græcè enim habetur καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, quod clare ſignificat, *Et excuſſa* (eſt) *ſors ſuper Matthiam*; quaſi poſt electionem excuſſerint, & protulerint electi ſuffragia. De qua electione ſancti Matthiæ, loco Iudæ Proditoris electi non à ſolo Petro Apoſtolorum Principe, & Chriſti Vicario, ſed liberis totius Apoſtolici Collegij ſuffragijs celebrata, dicitur libro Actorum cap. 1. *Et ſtatuerunt duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus; & Matthiam. & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatum*, &c. *& dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam*, &c. quæ poſtrema verba ſapienter expendens S. Dionyſius Areopagita lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia, inquit, *De diuina ſorte, quæ diuinitus Mathiæ obtigit, alij alia dixerunt; non rectè mea quidem ſententia. Ego vero meam etiam ſententiam expono, videntur enim mihi ſcripta diuina ſortem appellare diuinum quoddam munus, quod illi Pontificum choro eum, qui diuino iudicio delectuque eſſet renunciatus, indicaret*. Secundùm modum igitur eligendi per ſuffragia multorum, celebrata eſt prima electio facta ab Apoſtolis poſt Chriſti mortem & Aſcenſionem, & ſecuta in perſona glorioſi Apoſtoli ſancti Matthiæ.

22 Ad illud tandem † quod addit Pater Suarez num. 7. circa finem, dum inquit, *Multa denique alia incommoda in huiuſmodi electionis modo, ipſo vſu reperta ſunt, propter quæ vitanda multæ Religiones illum modum reliquerunt, aliæ relinquendum iudicant, & exoptant, & in eccleſia vniuerſali videmus ablatas eſſe electiones Epiſcoporum, quæ olim à populo, vel clero fieri ſolebant; & in grauioribus electionibus, vt Papæ, quæ ob aliquam neceſſariam cauſam in vſu conſeruantur, procuratum eſt, vt à paucis, & ſelectis perſonis fiant*. hæc ille. Breuiter reſpondetur, & ordinate ad ſingula: Primo, quòd multæ Religiones reliquerunt modum eligendi per ſuffragia; hoc facillimè reijcitur, ex ſola inſpectione conſtitutionum, & ſtatutorum Religionum omnium ferè cuiuſcunque inſtituti, quæ in hoc particulari fuerunt recenter correcta, & ad perſcriptum Decretorum Apoſtolicorum Clementis VIII. quæ ſanctiſsimus D.N. Vrbanus Papa VIII. denuo approbauit, in quibus ſub num. 36. præcipitur ſub his verbis, *Iurentque electores ſecundùm veritatem cuiuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros*. Igitur per electionem: De qua correctione, atque accōmodatione extat certum, & euidens argumentum in Conſtitutionibus Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, recognitis, & in ampliorem formā redactis, Romæq. impreſſis 1625. vti eſt videre 3. *par. cap.* 2. quod factum

eſt,

eſt, & fiet in alijs Religionibus Mendicantium, & non Mendicantium in hoc particulari de electionibus: nam decreta, de quibus ſupra, habent clauſulas ſequentes, vt ab omnibus Regularibus obſeruentur, *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiuſuis Concilij etiam generalis Decretis; necnon Conſtitutionibus, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis; aut regulis in Generalibus, ſeu Prouincialibus Capitulis editis, Statutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & conceſſionibus quibuſcunque; quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit; ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque.* Hoc quod paulò ante dictum eſt de Regularibus, ſiue Religionibus, confirmant verba adducta à Silueſtro *in ſum. verb. elect. 2. num. 4.* vbi continuando diſcurſum ſui ſermonis habitum in ſuperioribus numeris de forma eligendi per ſcrutinium, & ſuffragium multorum, de qua in cap. quia propter de elect. expreſsis verbis inquit: *Ex is elice, quòd in eccleſijs Regularibus Religionum approbatarum, electiones Prælatorũ habentium iuriſdictionem ordinariam, & generalem, fieri debent ſecundùm dictam formam, vt in Ordine Prædicatorum,*&c. hoc idem docet Tabiena *verb. electio 1. num. 20. circa finem*, & Angelus *eodem verbo, ſiue tit. num. 29.* & omnes ferè Sũmiſtæ; at fuſius apparebit ex dicendis inferius cap. 19. Et Rota Romana, *in Valliſoletana Præeminentiarum 24. Nouembris 1603. coram Illuſtriſſimo Pamphilio,* dixit electionem Abbatis, ſeu alterius Superioris, tam actiuam, quàm paſſiuam, pertinere ad totam Congregationem; & ex conſequenti electionem Prælatorum Regularium pertinere ad totam Religionem, ſi agatur de Generali; ſi vero de Prouinciali, ad Prouinciam; & proportionaliter ſi de Superiore Conuentuali, ad Conuentum, ſiue ad vocales omnes illius Conuentus.

Idem quod ſupra de Abbate eligendo, ſtatuit Rota in alia deciſione facta *in eadem cauſa Valliſoletana præeminent. die 29. Martij 1604. coram eodem Illuſtriſſimo Pamphilio.* Ratio horum quæ eſt cunctis patens, & manifeſta, quia electio tam actiua, quàm paſſiua, liberè ſpectat ad Collegium, ſiue Capitulum, de cuius Prælati electione agitur; vt de actiua habemus textum *in cap. 1. de elect.* & de paſſiua *in cap. cum dilectus, de conſuetudine*. Et de vtraque notat Butr. *ibid. num. 7. in 1. lect.* & num. 22. & 38. *in 2. lect.* & *in cap. cum terra. num. 3. de elect.* & ita confirmarunt Domini *in prædicta Valliſoletana*.

Ratio autem rationis, quam Scholaſtici vocant rationem fundamentalem, ſiue radicalem, illa dicitur: quod enim omnes tangit, ab omnibus ſanè approbari debet. *l. vlt. in fine, C. de auctor. præſtand.* & ad idem in prædicta Valliſoletana citantur alij textus, leges, Gloſſ. & alij Auctores.

Addo quòd omnes aliæ Religiones, ab illa Societatis, prouident de Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & Correctoribus; non per arbitriũ vnius tantum perſonæ, ſed multorum, videlicet Generalis cum Capitulo Generali, ſiue Prouinciali, vel Diffinitoribus, ſeu Conſultoribus, ſiue Conſiliarijs. & hæc omnia fiunt, vt plurimum per ſuffragia ſecreta multorum, vt omittam breuitatis cauſa illa multa, quæ ad fauorem electionis per ſuffragia multorum factę copioſius referũtur in tribus deciſionibus ſacræ Rotæ Rom. adductis per extenſum ad calcem cap. 4. huius tractatus.

Ad ſecundum autem de ablatione (vt verbis eius vtar) electionis Epiſcoporum, duo occurrunt mihi dicenda: Primo quod experientia duce, adhuc in

Germania & alijs partibus, præſertim Orientis, viget conſuetudo vt Capitula Eccleſiarum Cathedralium, ita permittente Papa, ſuum eligant Epiſcopum. Secundò, cum Emmanuele Roderico tom. 2. qq. Regularium, *q. 52. art. 12. §. ex quo colligitur*, dico *quod conſuetudo vt Prælati eligantur per ſuffragia multorum, etiam ſi coarctetur ad eruditorum, & maturorum ſuffragia, hoc includit rationem malitiæ, ſcilicet quod erunt pauciores ſuffragatores, & facilius ſubornabuntur quàm plures; & vtile eſt vt multi ſint conſultores & habentes vocem in Capitulis: vnde & leges, & plebiſcita Romanorum, in quibus condendis maiores cum minoribus occurrebant, firmiores iudicabantur, pro vt nobis ſacri Canones ſcriptum reliquerunt, & experientia docuit, in omnibus per orbem diſperſis Academijs, electiones Gymnaſtarum, & Prælatorum factas ab omnibus auditoribus meliores eſſe, quam factas à paucis: & ſic dicit Nauarrus, quod ſecurius eſſet omnes profeſſos habere vocem in Capitulo, quàm ſolum quoſdam maiores; quo alijs ſuperbiendi, & alijs inuidendi, & omnibus diſſidendi occaſio non parua datur*; quibus verbis deſumptis ex Nauarro, *to. 1. conſ. lib. 1. tit. de conſuetudine, conſ. 2. nu. 2.* addenda ſunt verba ipſius Nauarri, vbi ſupra ad calcem eiuſdem numeri dicentis. *Mea ſententia ſecurius eſſet quod omnes profeſſi & ſubdiaconatu inſigniti haberent vocem in Capitulo, quàm ſolum quidam maiores, quo alijs ſuperbiendi, & alijs inuidendi, & omnibus diſſidendi occaſio non parua datur*. Ex quibus neceſſario colligitur quod modus eligendi per ſuffragia multorum, non ſolum eſt imperatus à iure, ſed per illum euitantur innumera mala.

Ad tertium, in quo Pater Suarez tangit modum electionis ſummi Pontificis Romani reſtrictum ad paucos, iam ſufficienter dictum eſt in hoc num. 18.

§. *Quibus omnibus addi poteſt.*

23 Ad id tandem † quod inſinuat Pater Suarez vbi ſupra de Papa, qui ſolus eligit Epiſcopos, duo breuiter occurrunt dicenda. Primum eſt, quod Pontifici maximo nullus hominum neque Regularium, in terris comparari valet, nec debet, cùm ſit Paſtor, & caput vniuerſalis Eccleſiæ carens æquali vel ſimili in dignitate, maieſtate, poteſtate, atque regiminis rectitudine. Eſt enim ſancti Petri legitimus ſucceſſor, ac Chriſti Domini Vicarius, Spiritus ſancti aſſiſtentia ſpeciali mirabili modo fruens; vt copioſius validiſſimis argumẽtis demonſtraui in meo Elucidario Theologico certitudinis gloriæ Sanctorum, ferè per totum, præſertim cap. 1. 3. & 5. Et nihilominus is ipſe (res certè magna ponderatione digna) tam ſublimis, vt Chriſti, ſanctorumque Pontificum anteceſſorum humilitatem, ſapientiam atque prudentiam imitetur, volens, ac ita expedire ipſemet decernens, poſt ſimplicem Epiſcoporum electionem, Sacri Cardinalium Cõciſtorij ſuffragijs, haud aliter, illam vult eſſe ratam. Quanto magis igitur alij inferiores quicumque ſub Pontifice maximo, multorum conſilio ſuffragioque vti in prouiſionibus Prælatorum peragendis fas erit atque conueniens, ne dicam omnino neceſſarium?

Dominicus Bañes ad 2. 2. D. Thom. in deciſ. quas vocat de iure, & iuſtitia, q. 63. art. 2. poſt dubium tertium, §. *dubium itaque principale erat*: concl. 3. & 4. validiſſimis argumentis, & rationibus efficaciſſimis probat, quando electio ad dignitates vel officia, *fit per vota multorum, magis certum eſt quod debeat fieri pro dignioribus, quàm in alijs caſibus*. Hocque probat, *quia iſta electio, & ſecundum formam ſeruat modum iuſtitiæ diſtributiuæ*. Et poſt aliqua inquit. *Ideo in ele-*

ctioni-

Digitized by Google

ctionibus magni ponderis communiter præcipitur vt electio fiat ad vota multorum; quia ita magis ſeruatur, & frequentius, moraliter loquendo, rigor iuſtitiæ diſtributiuæ.

Optimè ſcio ibidem Bañes loqui de diſtributione officiorum ſecularium; ſed conſidero duo. Primum eſt, quod rationes quas affert, concludunt euidenter ſimpliciter, & abſolutè de omni & quacunque electione, quæ fit per vota multorum, in ordine & in comparatione ad illam quæ fit per voluntatem vnius. Secundum, quod ſi rationes, de quibus ſupra, habent locum in electione officialium ſecularium; quanto magis vim & efficaciam habebunt in electionibus Prælatorum?

Denique iuxta illud Homericum.

Bini vbi conueniunt, melius rem perſpicit alter.

24 Pro claritate eorum † quæ dicta fuere in præcedenti numero ad confirmationem primæ rationis Patris Suarez, hic ponam fideliter verba Epiſt. 22. lib. 2. Epiſt. ſancti Gregorij, ab eodem Suarez adductæ, fideliter extracta ex to. 4. operum ſancti Gregorij Papæ primi, iuxta ſecundam editionem Romanam 1613. ad vetera mſſ. exemplaria recognita, pag. mihi 134. quæ inſcribitur, *De obitu Natalis Epiſcopi, & de ordinatione Epiſcopatus eius*, quæ ſunt; *Natalem Salonitanæ Eccleſiæ Fratrem, & coepiſcopum noſtrum obijſſe, diſcurrens in partibus iſtis fama vulgauit. Quod ſi verum eſt, experientia tua omni inſtantia, omnique ſolicitudine clerum, & populum eiuſdem Ciuitatis admonere feſtinet; quatenus vno conſenſu ordinandum ſibi debeant eligere Sacerdotem; factoque in perſonam, quæ fuerit electa, decreto, ad nos tranſmittere ſtudebis, vt cum noſtro conſenſu, ſicut priſcis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem præ omnibus tibi curæ ſit; vt in hac electione, nec datio quibuſcumque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia conualeſcant. Nam ſi quorundam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum cùm fuerit ordinatus, obedire, reuerentia exigente, compellitur; ſicque fit vt, & res illius minuantur Eccleſiæ, & ordo eccleſiaſticus non ſeruetur. Talem ergo te admonente, perſonam debent ſibi eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deſeruiat; ſed vita ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inueniri. De rebus verò, vel ornamento eiuſdem Eccleſiæ fideliter rerum inuentarium facito te præſente conſcribi; & ne rebus ipſis poſſit aliquid deperire, Reſpectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium notariorum, vt ipſarum rerum omnino gerant cuſtodiam admoneto; interminans eis, de propria eos ſatisfacturos eſſe ſubſtantia, ſi quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum. Malchum autem Fratrem & coepiſcopum noſtrum conteſtari te volumus, vt ſe penitus in hac cauſa non miſceat. Nam ſi per eum aliquid contra voluntatem noſtram factum, vel tentatum poterimus addiſcere, non modicam ad ſe culpam, & periculum pertinere cognoſcat. Sed & hoc eum admonere curato, vt ad ponendas explendaſque rationes patrimonij noſtri, quod geſſit, debeat eſſe ſolicitus: pro quibus etiam faciendis, ex Siciliæ partibus ad nos poſtpoſita excuſatione venire feſtinet. In rebus igitur Salonitanæ Eccleſiæ nullo modo ſe miſcere præſumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut poſſit eſſe culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ Eccleſiæ fertur eumque opinio penes auctorem extitiſſe in venditione rerum eius, vel alijs illicitis aſſeuerat. Quod ſi ita eſſe, ſicut dicitur, manifeſta veritate patuerit, certus ſit inultum hoc nullatenus remanere. Expenſa vero quæ neceſſaria fuerit, per œconomum, qui tempore mortis prædicti Epiſcopi inuentus eſt, erogetur; quatenus rationes ſuas futuro Epiſcopo ipſe, vt nouit exponat. Cuncta ſiquidem, quæ tibi agenda manda-*

mandauimus, cum conſilio magnifici atque eloquentiſsimi Marcelli filij noſtri te agere profectò neceſſe eſt; quatenus ita omnia, quæ huius præcepti pagina continet, ſolicite ſtrenueque poſsis implere, vt nulla te neglectus culpa reſpiciat.

Aliæ duæ epiſtolæ eiuſdem ſancti Pontificis 29. & 30. pariter lib. 2. epiſt. non per extenſum, verum compẽdioſe & ſummariè tantum, breuitatis cauſa referam, quia de electione multorum ſuffragijs celebrata agunt, quemadmodum & nonnullæ aliæ epiſt. ipſius ſancti Gregorij. In prima harum affirmat ſe recepiſſe nuncium de vnanimi electione facta à Clero Mediolanenſi ad Epiſcopatum eiuſdem Ciuitatis in perſona Conſtantij, quam dicit ſe confirmaturam, præuia tamen oratione. Secundo hortatur Clerum Mediolanenſem, vt ea reuerentia & honore quibus decet, dictum Conſtantium ſuſcipiat; tertio commendat perſonã Conſtantij.

In alia verò tanquam omnibus certum proponit, quomodo Deo auctore Apoſtolica ſedes Romana ſemper fuerit, ſit, & erit alijs Eccleſijs prælata. Secundo iterum ſermonem habet de electione facta à Clero Mediolanenſi in perſona Conſtantij; addens hoc eſſe ſecundum morem antiquum Eccleſiæ; tertio iubet, vt ſtante vnanimi electione, de qua ſupra, auctoritate Apoſtolica procedatur ad conſecrationem Conſtantij.

In epiſtola autem 3. directa Romano Patritio, Exarcho Italiæ, de obitu Laurentij Mediolanenſis Epiſcopi, primo narrat qualiter ipſemet Romanus Patritius iam optime cognouit electionem vnanimem factam à Clero, & alijs ad quos ſpectabat in perſona dicti Conſtantij; repetens hoc de electione Epiſcoporum, per ſuffragia multorum eſſe in Eccleſia morem antiquum. Secundo præſuppoſita concordi electione, ſecuta in perſona digna, mandauit vt conſecraretur. Tertio hortatur Exarchum vt dignetur in hoc ſuum, iuſtitia fauente, ſolatium impendere, quod erit Deo valde gratum. Quarto nuntiat eidem Romano Patritio dictum Conſtantium eſſe virum probum, ipſique Pontifici magna familiaritate extitiſſe coniunctum.

Ex quibus palam colligitur mos vetuſtiſſimus electionis per ſuffragia plurimorum. Et quia, vt inquit S. Chryſoſtomus vbi ſupra citatus ad præcedentem nu. 12. admiſſio plebis indiſcretæ ad coeligendum vna cum clero, cauſabat diſſidia, lites, & alia inconuenientia; quæ, Deo fauente, non poſſunt oriri inter multitudinem vocalium Regularium, qui vt plurimum ſunt viri maturæ ætatis, ornati prudentia, doctrina, & alijs virtutibus, ad quæ euitanda negotium electionis fuerat redactum ad Clerum tantum.

25 Explicatur clauſula † illa, qua frequẽter vti ſolent Pontifices Romani in ſuis diplomatibus, vt puta, *per nos*, vel, *à nobiſmet*, videlicet: *Per nos*, vel *à nobis deliberandum*, ſiue *prouidendum*, vel *eligendum*, & ſimilia. Quæ clauſula ſiue dictio, aut nomen, à iureperitiſſimis appellari ſolet (*perſonaliter*, imò ab aliquibus) *perſonaliſſima*. *Perſonalis*, vti Gloſſ. in Reg. *pluralis locutio* 40. *in fin. de Reg. iuris*; Bartol. *in l. fin. C. de legibus*, Salic. *ibidem, nu.* 2. Martinus Lauden. *de princ. quæſt.* 50. Mandoſius in Gloſſ. Facultat. *§. nos qui*. *Perſonaliſſima*, vt Garzias de beneficijs, *par.* 5. *cap.* 1. *nu.* 651. 652. *&* 653. & *in addit. ad par.* 5. *cap.* 3. *ad nu.* 16. Idem declarauit frequenter ſacra Rota Romana, præſertim *in Salamantina beneficij de Dueñas* 31. *Ianuarij* 1596. *coram R. P. D. Corduba*, & *in Caurien. beneficiorum* 2. *Iunij* 1610. *coram R. P. D.*
26 *Peña*. Ideo ſolum † ac tantum referri

debet

debet atque poteſt ad perſonam Papæ elargientis illud, ſiue illa priuilegia, quorumlibet aliorum perſona ab ipſo excluſa. ita communiter omnes. Quæ animaduerſio de conſilio peritorum hic poſita, eſt vtilis, ne dicam omnino neceſſaria, ad rectam intelligentiam litterarum Apoſtolicarum, de quibus ſupra pluries facta eſt mentio, ac fiet in ſequentibus. Quæ dictio importat reſeruationem, quæ annullat regulariter factum contrarium, vt latè tradit, inter alios, Garzias *vbi ſupra, nu.* 410. *ac ſeqq.* vbi ad hoc cumulat nonnullas auctoritates Iuriſtarum, & Rotæ Romanæ idẽ aſſerẽtis, maximè in deciſ. Caputaquen. *num.* 325. *par.* 1. *&* 306. ac 345. *par.* 3. ac tertia par. diuerſorum, *lib.* 1. *deciſ.* 75. *& lib.* 2. *deciſ.* 56. 122. & *lib.* 3. *deciſ.* 61. Idem, *in vna Regin. Canonic. coram Illuſtriſſimo Pamphilio* 17. *Nouembris* 1595. ac *in alia Cortonen. decanatus* 20. *Maij* 1587. *coram D. Orano*; quamplures alias deciſiones *ibidem* recenſet Garzias, antiquas, & recentes, vti eſt videre, *vbi ſupra, nu.* 415. *& ſeqq.* ac etiam in addit. ad loca præcitata.

27 Quibus addi debet † propter eandem rationem, vtilitatis ſcilicet, atque neceſſitatis, circa claritatem dictorum, ac dicendorum, effectus decreti irritantis, quod vt plurimum coniunctum eſſe ſolet reſeruationi, de qua immediate. Huius igitur decreti ea eſt vis, atque virtus, vt inficiat ac annullet titulum, atque poſſeſſionem & omnes iuris effectus, vt copioſè explicat Garzias, *de benefic. par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 427. *& ſeqq.* vbi ad id probãdum (quod etiam communiter docent Iuriſtæ) cumulat auctoritatem Caſſador. *ſuper Regul. deciſ.* 7. *nu.* 3. & Simonetæ *dict. quæſt.* 49. & aliorum; aſſeritque idem ſæpius determinaſſe ſacram Rotam Romanam, vt videre eſt in impreſſis Creſcen. *deciſ.* 4. Lancellot. *de attentatis,* 3. *par. cap.* 3. *nu.* 92. ac *par.* 2. *diuerſorum deciſ.* 189. *nu.* 4. cum alijs innumeris Auctoribus; inter quos eſt Sarnen. *dicta q.* 23. & Nauarr. *de ſpolijs*, §. 4. *nu.* 12. inter quamplura dicentis: *Decretum irritans eſt penetrabilius omni gladio ancipiti, omnia interiora, & occultiſſima afficiens, & aſtringens; tamque malignantis naturæ eſt, quod quicquid inuenit deſtruit, & in oppoſitum ducit.* Et *num.* 430. *&* 431. conſiderat idem Garzias, quod hos malos producit effectus decretum irritans, quoties fuerit iuſtificatum, aut iuſtificetur.

Adhuc etiam alios producit effectus: decretum enim irritans operatur nullitatem ipſo iure eorum quæ in contrarium facta fuere, ſiue à ſciente, ſiue ab ignorante, etiam ſi de eo non fuerit oppoſitum. Rota, *deciſ.* 178. *diuer. num.* 3. *par.* 1. Gratian. *diſcept.* 283. *nu.* 3. Caſſad. *deciſ.* 12. *num.* 7. *ſuper Regul. Cancellariæ*: ſed etiam inficit, vt ſupra inſinuatum eſt, titulum & poſſeſſionem, ac inſuper ligat manus inferioris, *cap. ſi eo tempore, de electione in* 6. Caſſad. *deciſ.* 19. *num.* 5. *ſuper Regul. Cancellar.* Caputaquen. *deciſ.* 134. *par.* 3. & Rota, *in vna Vexulen. penſionis* 19. *Maij* 1587. *coram Illuſtriſſimo Platto*; præſertim quando decretum irritans cadit ſuper re certa. Puteus *deciſ.* 183. *nu.* 2. *lib.* 2. quod fuit deductum per Rotam, *in cauſa Nucerina beneficij* 17. *Iunij* 1596. *coram Illuſtriſſimo Seraphino*, & *deciſ.* 2. *in antiquiſſimis de reſtit. ſpoliat.* & *deciſ.* 11. *&* 12. *de cauſa poſſeſſ. & propriet. in antiquiſſ.* & *deciſ.* 99. *par.* 3. *lib.* 1. & *deciſ.* 122. *par.* 3. *lib.* 2. *in nouiſſimis*.

28 Quod vero afficiat † etiam ignorantes, eſt argumentum capituli, *ſi eo tempore, de elect. in* 6. Butr. Imola, & alij *in cap.* 2. *de conſtit.* Caſſad. *deciſ.* 12. *num.* 5. *ſuper Regul.* Rota Romana, *in vna Pampilonen. Archidiac.* 10. *Decemb.* 1593. *coram Illuſtriſſimo Pamphilio*. Quod habet

bet locum, præſertim quo ad nullitatem actus prohibiti in eodem decreto irri-
29 tante; immo † addunt alij, quod prædictum decretum ligat ante ſui publicationem, Rot. *deciſ.* 578. *nu.* 3. *par.* 1. Caſſad. *deciſ.* 3. *in princip. de conſtit.* Puteus, *deciſ.* 259. *lib.* 1. Et hoc maxime intelligendum eſt de indultis, & conſtitutionibus particularibus, iam expeditis & conceſſis, quemadmodum dicunt communiter Legiſtæ, & Canoniſtæ, quos in ſpecie refert, ac etiam ſequitur Mareſc. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 39. *nu.* 2. & ſequentibus: quod etiam cenſuit Rota *in Calaguritana benefic.* 26. *Februarij* 1607. *coram Litta.*

30 Inſuper prædictum decretum † irritans ſecum tantam affert efficiam, vt inducat ſpecialem formam. Bald. *in l.* 1. *verſ. quæro ergo, ff. de liber. & poſth.* Grat. *conſ.* 16. *nu.* 4. *lib.* 1. Rot. *deciſ.* 215. *nu.* 1. *par.* 1. *diuerſ.* & *in alia Toletana profeſſionis* 27. *Februarij* 1595. *coram Illuſtriſſimo Pamphilio.*

31 Imò præiudicium etiam affert † tertiæ perſonæ, quamuis indirectè, ſiue vt dicunt Iuriſtæ, per indirectum, propter reuerentiam Superioris prædictum decretum concedentis, Ruin. *conſil.* 21. *nu.* 16. *vol.* 1.

32 Et quod amplius eſt, nequit † tolli per non vſum, neque per vſum contrarium, quemadmodum fuit deciſum in Rot. vti videre eſt, *in deciſ.* 1. *Putei par.* 1. & *deciſ.* 50. *nu.* 3. *par.* 1. Caſſad. *deciſ.* 11. *num.* 5. *ſuper Regul. Cancellariæ*, Veral. *deciſ.* 134. *nu.* 4. *par.* 3. Rot. Genuæ *deciſ.* 180. *nu.* 8. hoc enim decretum irritans aufert, & tollit non vſum contrarium, & præſcriptionem, Grat. *diſcept.* 283. *num.* 24.

33 Tandem tantæ † virtutis eſt, vt tollat quemlibet iuris effectum, modo dicto, etiam ab initio, inibitionem implicitam in ventre continendo; (vt verbis vtar iuriſperitorum) ac per illud vim priuatiuam, & auocatiuã cuiuſuis poteſtatis omnino inducit. Rot. *in vna Vlyſſiponen. declarationis concordiæ,* 5. *Maij* 1599. *coram Iuſto*, & coram ſanctiſſimo Clemente VIII. *in Pampilonen. Parochialis* 21. *Octobris* 1575. Gratian. *diſcept.* 283. *num.* 23. & 26. & *diſcept.* 944. *num.* 7. & 22. & *diſcept.* 927. *nu.* 2.

Summa Cap. VIII.

1 *Vocandi ſunt ad electionem canonicam, omnes Electores abſentes, per diætam, per epiſtolam, ſiue per nuncium; itaut ſi vnus tantum legitimus Elector non fuerit vocatus, ſed contemptus, poſsit, ſi velit, inſtare pro caſſatione electionis alias canonicæ, etiam ſubſequutâ confirmatione.*

2 *Ille dicitur contemptus, qui non fuit legitimè vocatus, cùm eſſet in debita diſtantia.*

3 *In Ordine Prædicatorum declaratur quid agendum ſit, caſu quo aliquis ex vocalibus recedat à Conuentu, inſtante electione, nulla facta proteſtatione de loco ad quem pergit, & nu.* 5.

4 *Electores ſcientes diem electionis, ſi ſe voluntariè abſentent, non ſunt amplius vocandi.*

6 *Vocandi ſunt abſentes ad electionem ex iuſtitia; quando id fieri poteſt ſine periculo Eccleſiæ vel Conuentus.*

7 *Quid ſtatuatur in Ordine Prædicatorum circa vocandos ad electionem.*

8 *Non ſunt vocandi abſentes, exiſtentes extra terminum à iure ſtatutum, etiam quod adſit conſuetudo illos vocandi.*

9 *Vocales, ſiue Electores commorantes in eadem Ciuitate, ſiue Oppido; vel in hortis Ciuitatis, vel Oppidi, & multo fortius in Conuentu, vel Collegio, in quibus celebranda eſt electio; pro præſentibus haberi debent.*

In Or-

o *In Ordine Prædicatorum quando Elector cenſeatur præſens.*

11 *Conuocati vocales præſentes, per ſolitum ſignum campanulæ, ad electionem, ſi non comparent pro tempore ſtatuto, pro abſentibus, ſiue renunciantibus iuri ſuo, computari debent; quemadmodum iudicandum eſt de illis, qui iam congregati in Capitulo ad electionem, recedunt ſine aliqua legitima, & vrgenti cauſa.*

12 *Adducitur reſolutio illius caſus, quid agendum ſit, quando ex iam congregatis vocalibus, ad effectum electionis, duæ ex tribus partibus recedunt ſine aliqua neceſſitate, vel legitima cauſa.*

13 *Vocati pro tali die ad electionem, debent comparere in illa parte diei, in qua conſuetum eſt fieri electionem.*

14 *Excommunicati notoriè, non ſunt vocandi ad electionem.*

15 *Vocatus ad electionem pro tali die, qui iam venit, ſed poſtea recedit antequam fiat electio, etiam quod electio differatur ad alium diem, non eſt amplius vocandus.*

16 *Adducitur forma litterarum, quæ tranſmitti debent vocalibus abſentibus.*

17 *Declaratur cuius ſit onus probare, quòd vocales abſentes fuerint vocati; & an credendum ſit aſſertioni ſolius nuncij, & num. 18.*

19 *Pro declaratione contentorum, nu. 8. & 9. huius capitis ex traditis à Tabiena.*

20 *An vocales teneantur expectare illum qui eſt futurus vocalis, antequam expiret tempus à iure determinatum.*

CAP. VIII.

De vocandis ad electionem canonicam.

OMNES vocales ius habentes in electione celebranda, vocari, vel citari debent, vt interſint tempore congruo electioni, Gloſſ. *in cap. quod ſicut, verb. Vocatus*, & *cap. de electione*, 1 vbi habet † quod ſi contemnatur aliquis ex illis, etiam quod ſit vnus, ille poteſt, ſi vult, inſtare pro caſſatione electionis, etiam poſt ſequutam confirmationem: *cap. in Geneſi*, & *cap. eum inter vniuerſas*, & *cap. quod ſicut de electione*; & Doctores, *ibidem*. Si vero contemptus, vel contempti, confirment tacitè, vel expreſsè electionem iam factam, valida cenſetur electio: ſufficit enim quod non inſtent pro illa infirmanda, *cap. cum in Eccleſijs, de prabendis in 6.* Butr. *in cap. quod ſicut tit. de electione, nu. 25.*

Debent abſentes vocari per epiſtolam, vel per nuncium, *cap. eum inter vniuerſas, de electione*, & Mandagot. *de electionibus nouor. Prælat. 1. par. cap. 4. per tot.* & Boer. *in addit. ad idem caput*, addens ex ſententia Abbatis, & aliorum Doctorum, de iure eſſe, vt illi qui ſunt de Collegio, ſiue vocales Eccleſiæ vacantis, ſi fuerint abſentes tempore electionis, per præſentes vocentur, *cap. bonæ 2.*

Vocandi ſunt omnes Electores abſentes per diætam; Doctores communiter docēt diætam in Italia eſſe viginti milliarium; extra vero, obſeruanda eſt conſuetudo prouinciæ, quibus intimata eſt vacantia, & etiam dies determinata electionis: *cap. coram dilecto filio, tit. de elect.* vbi gloſſa inquit: *Si ſunt in Prouincia in loco propinquo, quod poſſint commodè vocari*. Et in declarat. *text. 1. cap. de electione Prioris Conuentus*, in Ordine Prædicatorum ita præcipitur; *Electores abſentes ſunt vocandi, ſi nuncius ad eos pedeſter per vnam diem commodè poſſit accedere*. hoc autem eſt conforme ad diſpoſitionem *cap. bonæ memoriæ*, & *cap. quod ſicut in principio tit. de electione*.

De vocandis abſentibus dicitur in Conſtitutionibus Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris, cap. 29. nu. 6. *Si quos*

Si quos tamen Sacerdotes alicuius Conuentus, tempore aſſignandi ſocij Prælati Conuentualis, intra ſpatium itineris vnius diei, à ſuo Conuentu abeſſe contigerit; teneantur alij Sacerdotes, diem, quo ad aſſignationem huiuſmodi procedere intendunt, notificando, eos vocare: qui ſi die ſtatuto ſic vocati non venerint, nihilominus (ſicut dictum eſt) per eoſdem qui præſentes exiſtunt, aſſignatio celebretur. ſubdens immediate:

Cùm autem aſſignationes ſociorum prædictorum maximè ſinceræ, & liberæ eſſe debeant, & omni nota coactionis carere; nolumus intra menſem, ante aſſignationem huiuſmodi, nouas fieri Canonicorum noſtrorum mutationes, neque per Priorem generalem, neque per alium quemcumque (præterquam ob graue ſcandalum euitandum) niſi in Capitulo generali præcedente id fuerit ordinatum. Quod ſi ſecus factum fuerit, nullum inde ſortiantur effectum tales mutationes; ita vt tempore prædicto in locis ipſis, vbi facienda huiuſmodi ſociorum aſſignationes ſunt, nec ſic amoti voce careant, nec ſic aſſignati vocem habeant.

Itaut ſi malitiosè aliquis ex vocalibus abſentibus non fuerit vocatus, ſed contemptus; exiſtens tamen in debita diſtantia, poteſt inſtare pro caſſatione iam celebratæ, & etiam confirmatæ electionis, quo inſtante, caſſari debet. *cap. quod ſicut*, vbi gloſſa ait, quòd præſumitur quis non vocatus, niſi probetur quod fuerit vocatus. & in cap. bonæ memoriæ inquit. Nonne electio quæ fit contemptis illis qui debent intereſſe, ipſo iure eſt irrita? id eſt ad inſtantiam contemptorum, aut contempti, debet irritari à Superiore. Contemptus enim ille eſt contra iuſtitiam, vt ſine cauſa auferatur ius ipſi contempto, qui ſi fuiſſet præſens traxiſſet alios in ſuam ſententiam, vt notatur cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte. Hoc idem habetur in cap. quia propter de electione.

Non ſine cauſa poſitum eſt in poteſtate abſentis contempti proſequi, vel non proſequi inſtantiam pro caſſatione electionis: hoc enim ei conceditur à iure, vt animaduertit inter alios Mandagot. *tract. de nouor. Prælat. elect. 1. par. cap. 5.* dicens. *Si contemptis ipſis*, (hoc eſt abſentibus vocalibus, ac in debita diſtantia exiſtentibus) *electio celebretur, irritanda erit, ſi ipſi agere voluerint*: in voluntate enim illorum eſt proſequi ſuum contemptum, vel ratificare electionem ipſis contemptis factam. quod probat Boerius ad prædictum caput Mandagoti, *ſub littera, E*, hocque colligit ex teſtibus ſacrorum Canonum, ex auctoritate Innocentij, Ancarani, Dominici, Archidiaconi, Abbatis, & aliorum. Hoc vno annotato, quod nec alius poteſt huiuſmodi contemptum proſequi, quàm contemptus ipſe.

2 Contemptus ille † dicitur, qui non fuit legitimè vocatus, Ioan. de Imola, *in cap. coram dilecto, num. 6. tit. de elect.* & dicetur inferius, num. 14. ad quem pertineat probare non fuiſſe vocatum, abſentem & per conſequens extitiſſe contemptum.

3 Circa quod † ſciendum eſt, pluries fuiſſe concluſum, & reſolutum in Congregationibus Romæ habitis, coram Reuerẽdiſſimus Patribus Generalibus; ad tollendas quaſcumque ambiguitates, occaſione electionum Prouincialium, ac Priorum Conuentualium, maximè anno 1613. & 1614. quòd quando quis electorum in Ordine Prædicatorum inſtante tempore electionis recedit cum debita licentia à Conuentu, in quo in proximè celebranda eſt electio Prioris, ad tollendas omnes difficultates, tenetur per ſe perſonaliter, vel interpoſitam perſonam, in voce, ſiue in ſcriptis intimare Præſidenti electionis, ſe velle intereſſe electioni; ac permittere debet

inſtan-

inſtantiam, ac proteſtationem, dicendo ſe iturum ad talem, vel talem locum determinatè; quo non obſtante, velle ſe vocari tempore electionis. Si autem hoc omittat, & ſimpliciter recedat, nulla praemiſſa proteſtatione, ex quo certo ſcit inſtare electionem, nec vrget vocari ad ipſam electionem, oritur ſtatim praeſumptio, quod noluit intereſſe, vel non poſſit intereſſe.

4 Electores ſcientes † diem electionis non ſunt amplius vocandi, ſi ſe voluntariè abſentent: quia ex quo ſciunt diem, certiorari non debent, Innoc. *in cap. Eccleſ. tit. de elect.* Io. Andr. *ibid.* quo caſu nō poteſt opponere de contemptu, cum non ſit de iure vocandus, propter adductas rationes. Idem videtur inſinuare Panorm. *cap. cum inter vniuerſas in principio, de elect. num.* 10. Et hoc idem inſinuat Silueſter, in ſua ſumm. *verb. electio* 1. *num.* 4. *circa finem.* Vel Superior

5 debet eidem † electori recedenti, coram teſtibus intimare, quod tali die intendit procedere ad electionem Prioris, vel Socij; ideo intimando notificat illi, vel illis, nunc pro tunc, electionem, ac tempus determinatum illius: quamobrem ſi non comparuerit imputabitur illi, & non alijs, &c. cùm iſti videantur eſſe in dolo, ex quo dolo non debent commodum reportare, vt dicitur *cap. ſedes, de reſcript.* Hoc idem tradit Barth. de Firm. *in tract. de Epiſc. par.* 3. *lib.* 1. *q.* 8. *verſ. & nota quod ſi vnus,* &c. & Innoc. relatus à Boerio in annot. ad cap. 5. Mandagot. de elect. *par.* 1. *ſub littera p.* in *cap. cum inter vniuerſas*, malitia ipſorum ėis prodeſſe non debet. Nam ſaepè vocales; de quibus ſupra, ſcientes inſtare tempus electionis, ad impediendam electionem celebrandam, voluntariè, & non ſine aliqua malitia ſe abſentant, & renuunt notificare locum ad quem declinant.

Ad cuius euidentiam Doctores, *cap. cum inter vniuerſas*, in *cap. coram*, & in *cap. in Geneſ.* declarant iura praecipientia vocari electores abſentes, eſſe intelligenda, dummodo id non cedat in damnum, vel incommodum Eccleſiarum viduatarum; in caſu, quando imminet ſcilicet aliquod praeiudicium Eccleſiae viduatae, non eſt obſeruanda conſuetudo, etiam iurata, de vocandis abſentibus. Ita ſentit Panor. cum alijs *in cap. cum inter vniuerſas*. Regula iuris, eſt in 6. *de regul. iuris*, quod certus non debet certiorari. cùm recedens certò ſciat inſtare electionem, & ſcit terminum praefixum à iure particulari, vel communi, & nullam praemittat inſtantiam, ſignum euidens eſt, quod non vult intereſſe. Cui fauet illud Panorm. *in cap. cum inter, num.* 10. dicentis, *Si abſentes ſunt vocati ad deliberandum de die electionis, & renuerint venire, de neceſſitate non ſunt amplius vocandi ad electionem.*

6 Vocandi ſunt abſentes, † inquiunt iura, ſi commodè, & ſine periculo poteſt fieri: Hoc commodè, & ſine periculo, vt tradunt omnes Doctores) refertur ad commoditatem Eccleſiae, ſiue Conuentus vocantis, non autem ad vocandos, Mandagot. *de elect. nou. Prael. par.* 1. *cap.* 5. & Boerius *ibidem* poſt cumulatas auctoritates Iuriſtarum, praeſertim Abbatis, & Baldi inquit, *Haec duo, ſcilicet commodè, & ſine periculo, reſpiciunt periculum, & commoditatem Eccleſiae vacantis: non perſonarum.* Ratio eſt, quia abſentes legitimè impediti, vt latè dictū eſt cap. 5. poſſunt procuratorem inſtituere, & ita euitare quodcunque periculum ſe tenens ex parte illorum.

Vocatio etenim electorū abſentium, modo ſupradicto, non eſt de forma eſſentiali electionis, ſed de iuſtitia: licet contemptus modo expoſito poſſit inſtare, &c. Panorm. *cap. quod ſicut, num.* 2.

circa

Digitized by Google

circa finem. Hinc eſt, quod imminente periculo poterunt præſentes, dummodo excedāt maiorem partem vocalium, quibuſdam noń vocatis, procedere ad electionem; *cap. cum inter vniuerſas, de elect. cap. quod ſicut*, arg. *cap. ſacro, de ſent. excom.* Abb. *in cap. coram*, in *cap. Eccleſia*, & in *cap. quia propter, de elect.*

In Ordine Prædicatorum *text. 6. de elect. Prioris Conuentualis*, & clarius in declaratione eiuſdem textus, hæc leguntur, *Declaramus quod licet ſecundum iura, illi qui ſunt abſentes poſſint inſtituere procuratorem ad eligendum eorum nomine; attamen in Ordine noſtro, in quacunque electione canonica non poſſunt electores abſentes per litteras, aut per procuratorem eligere; ſed oportet quod ipſi perſonaliter conueniant in loco electionis.*

7 *Inſtante vero electione Prioris † Conuentualis, vel tractatu de Socio mittendo ad Capitulum Prouinciale, ſi aliqui ex electoribus extra Conuentum, infra tamen diætam fuerint, debent Præſidentes Conuentuum ad eos mittere nuncium: quod ſi noluerint, aut non potuerint venire, vel in loco vbi veriſimiliter putabantur eſſe facta diligenti inquiſitione inuenti non fuerint, poterunt electores præſentes, poſtquam eis legitimè conſtiterit de eorum abſentia, ad electionem canonicam procedere; ſicut fuit declaratum in Capitulo Generali apud Biſuntium 1353.*

Ad horum clariorem veritatem faciunt, quæ continentur in deciſ. ſacræ Rotæ, *Calaguritana Beneficij de Aly, Veneris 17. Iunij 1594. coram Illuſtriſſimo Cardinali Mantica, num. 1. 2. & 3.* vbi diffinitur, per litteras vocandos eſſe, qui ſunt in Prouincia, ſiue Diœceſi, vel per nuncium, qui commodè vocari poſſunt; maxime vero quando abſentia non eſt affectata, vel ſuſpecta, nec imminet aliquod periculum in mora. caſu vero quo omittatur ſupradictorum expectatio, vel ad minus vocatio, electio ſequuta nōn poteſt ſuſtineri. Ita fuit etiam deciſum in eadem ſacra Rota Romana, *die 4. Maij eiuſdem anni, coram Card. Pamphilio, in Calaguritana de Arenguir.* Quæ omnia videntur intelligenda, quādo contempti, ſiue contemptus, contra celebratam electionem opponit, & pro illius caſſatione inſtat, & continuat in ſua inſtantia pro caſſatione.

8 Vnde Panorm. † *cap. cum inter vniuerſas, in princ. de elect. num. 4.* & Doctores *ibidem* ſtatuunt, quod abſentes in loco valde remoto vltra terminum iuris, etiam quod adſit conſuetudo, non tamen propter hoc ſunt neceſſario vocandi: & ſi omittatur vocatio prædictorum, bene cenſetur omiſſa, nec officit electioni.

Quapropter ſapienter concludebat Panorm. *in dicto cap. cum inter, num. 9.* quòd conſuetudo vt vocentur abſentes, & illa pariter quod non vocentur; vtraque valet, dum modo poſſint vocari ſine damno, & præiudicio Eccleſiæ, ſiue Conuentus.

Quando vero elector præſens eſt in ciuitate, vel oppido, aut cœnobio, in quo celebratur electio, ſed ægrotat, & decumbit in lecto; pro præſenti haberi
9 debetur, & ad eum † accedere tenentur ſcrutatores pro ſuſcipiendo eius ſuffragio; qui poterit, ſicut & alij, ſi vult, liberè renunciare: & facta per ipſum renunciatione ſpontanea, non poteſt impugnare, quod fuit legitimè expletum per alios vocales. Si tamen accidat caſus, quòd interſit electioni iam inceptæ, ſed non completæ totaliter, admittendus eſt, etiam poſt renunciationem, ad ea, quæ remanent facienda circa eandem electionem. Tabien. *verb. electio 1. num. 12.* In Andr. *ſuper 6. Decret. tit. de elect. cap. ſi poſtquam, num. 6. Præſens*, inquit, *cenſetur elector, qui in hortis eſt, vel in fo-*

in foro, vel in Vrbe in continentibus ædificijs, ex diſpoſitione Iuris communis, vt animaduertit inter alios Mandagot. *vbi ſupra cap.* 4. & clarius Boerius *ibidem* addens, quòd qui ſunt infra ciuitatem, per campanam vocantur, licet per Hoſt. & Gloſſ. dicatur, tutius eſſe quod etiam iſti citentur per nuncium; niſi eſſet conſuetudo quod citarentur per campanam: talis enim conſuetudo, abſque dubio valeret, vt optimè colligitur ex *cap. in Geneſi, de elect.* ex *cap. Cumana*, ex Abbate *ibidem*, & ex Barth. de Firm. *in tract. de Epiſc. 3. par. lib. 1. q. 7.* Et pariter ex diſpoſitione quamplurimarum Ordinationum, Capitulorum Generalium in Ordine Prædicatorum ſupracitatorum,
10 cenſetur † præſens generaliter omnis, & quicunque vocalis, qui ſi vult poteſt intereſſe electioni, quæ fit in Conuentu in quo ipſe eſt de numero electorum.

Pro reſolutione multarum difficultatum, quæ ſolent accidere in electionibus circa aduentum, & expectationem vocalium abſentium, conſiderandum venit id quod docet Panorm. ſequendo communem ſententiam Doctorum, *cap. cum inter vniuerſas, nu.* 10. ex quo
11 electores † audito ſigno ſolito fieri per campanam, quo omnes conuocantur ad electionem, aliqui ſe tranſtulerunt ad locum ſolitum electionis; Alij vero electores in eodem Conuentu exiſtentes, audito prædicto ſigno, non conuenerunt ad locum ſolitum electionis: videtur illos renunciaſſe iuri ſuo. quare non poſſunt opponere de contemptu; licet qui præeſt electioni, pro maiori ſecuritate, & quiete, poſſit, ac debeat, ad remouendas lites omnes, mittere nuncium ad illos vocandos, intimando illis quod inſtat tempus, & hora electionis à iure ſtatuta; quodque alij electores ſint ſimul ad hoc congregati. Quòd ſi tunc renuant, proculdubio pro abſentibus, vel nolentibus venire, vel renunciantibus iuri ſuo computari debent: quo caſu maior pars Capituli, & vocalium præſentium in Capitulo, liberè poteſt procedere ad electionem. Ang. *verb. electio, num. 15. per totum*, addens ad prædicta requiri, vt campana pulſetur ab habente auctoritatem, ſiue de illius commiſſione, & quod ſit talis ſonus campanæ, vt omnes vocales præſentes ſciant, ac intelligant ſe eſſe vocatos ad electionem.

Quod in Ord. Prædicatorum nequit tergiuerſari, cum die præcedenti ad electionem in loco publico intimari ſoleat electio futura pro tali die, & hora.

Quare *in cap. cum nobis, tit. de elect.* clare habetur, quòd vocati ad Capitulum tempore electionis à iure ſtatuto, per habentem poteſtatem, ſi renuant comparere faciunt ſe alienos. vbi Doctores tradunt, præcipuè Panor. *num.* 3. quod vocales exiſtentes in Conuentu, vel Ciuitate, ſi fuerint vocati, & renuant venire, computandi ſunt non in numero abſentium, ſed in numero eorum, qui non ſunt amplius vocandi de iure quoad illum actum, qui ſcilicet renuerunt. Vide in textu præcitati cap. iuremerito illa electio cenſetur concorditer, & vnanimiter celebrata, in qua omnes electores exiſtentes in Capitulo, ſiue in loco loci electionis, conſenſerint in electum, etiam quod contradicant qui fuerunt legitimè vocati, & noluerunt venire, vel de Capitulo ſimpliciter exierunt; dummodo ſuper hoc non appellauerint ex iuſta, reali, & euidenti cauſa, & niſi inſtet terminus vltimus temporis electionis: quo ſecundo caſu bene poſſunt præſentes in loco loci procedere ad electionem, cum debita reuerentia, ac proteſtatione.

Qui enim iam congregati receſſerunt à loco Capituli tempore electionis à iure ſtatuto, & ipſi pariter ſunt computandi

putandi inter illos, qui de iure non ſunt amplius vocandi, & qui iuri ſuo libere renunciauerunt, pro illa vice tantum. In iure etenim paria ſunt non venire ad electionem, & venire, & non perſeuerare vſque ad finem.

Panorm. *in cap. cum nobis, tit. de elect. num.* 10. *&* 11. proponit caſum ſequen-
12 tis tenoris, † videlicet quando inſtat terminus à iure præfixus, procedendi ad electionem, ſi vocales omnes iam præſentes congregati in Capitulo ad effectum electionis, etiam ex tribus partibus electorum duæ receſſerint à prædicto loco, ſine vrgentiſſima cauſa; tertia pars vocalium quæ remanet, alijs renuentibus, poteſt ritè procedere ad canonicam electionem. Quod ſemper intelligitur, inſtante vltimo temporis termino à iure præfixo: tunc enim, & non aliter, poteſt tertia pars vocalium, quæ remanſit in Capitulo, ſeruatis omnibus alijs ſeruandis, celebrare electionem, quæ cenſeri debet bona, & legitima; nam tunc, & eo caſu, ius interpellat pro homine. Quod totum videtur confirmare Silueſter *in verb. electio* 3. *num.* 12. Vbi inquit quod primum ſubſtantiale in electione eſt, *vt electores eligant ſimul congregati:* & ſuperaddit idem Silueſter, *eodem verb. electio* 1. *num.* 4. ad finem. *In Ordine tamen Prædicatorum electio ſpectat ad præſentes.* Sed id clarius ſuadet Tabien. *verb. electio* 1. *num.* 20. dum inquit quod in electione, quæ fit ſecundùm formam ſcrutinij, requiritur, *quod omnes qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, congregentur ſimul; & illi qui non debent, non poſſunt, vel nolunt, non compellantur, neque computentur in numero*, intellige vocalium, ſeu eligentium.

In Ord. Prædicatorum ex text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis, ac in declaratione eiuſdem textus ſequentia habentur; *Electio autem tam Priorum Prouincialium, quàm Conuentualium, ad illos tantum pertineat electores, qui perſonaliter præſentes in electione conſtiterint, ſicut fit in electione Magiſtri Ordinis.* ferè per totum clare dicitur, quod electio Magiſtri fiat per præſentes, etiam quod contigerit aliquem, vel alios de electoribus non venire; imò additur, quod *claudantur electores in vno loco ad modum conclauis, nec inde exire valeant, donec elegerint Magiſtrum Ordinis.* Ob id ad hoc ſpecificandum dicitur in textu præcitato de electione Prioris Conuentualis, quod *fiat per præſentes electores, ſicut fit in electione Magiſtri Ordinis.* Quibus verbis textus addit declaratio, *Qui perſonaliter, & præſentialiter in loco electionis exiſtunt:* Per quem locum intellige locum Capituli, in quo ſunt congregati ad electionem. Sequitur declaratio, *Niſi in eodem Conuentu ſint infirmi decumbentes, quia tunc ſcrutatores debent ad eos accedere.*

13 Vocati pro † tali die ad electionem, debent comparere in illa parte illius diei in qua conſuetum eſt fieri actum, per quem vocati fuerunt: *cap. cum nobis, de elect.* vbi Panorm. *num.* 11. poſt multas citationes Doctorum concludit, quod citati, & vocati ad electionem, debent comparere de mane, ante horam prandij: nam de mane poſt Miſſam Spiritus ſancti ſolet celebrari electio ordinarie. Si vero citantur ad determinandū diem electionis, ſat eſt vt compareant in aliqua parte diei.

14 Excommunicati notoriè nō ſunt vocandi, imò ſi velint intereſſe, debent expelli, ſi poteſt, abſque periculo, & ſcandalo; alias electio non valeret. Innoc. Hoſtien. *in cap. illa.* & *cap. cum Vintonien. tit. de elect. in princ.* Mandag. *de elect. nou. Prælat.* 1. *par. cap.* 20. & *ibidem* Boerius *ſub litt. c, d, & e.* addens ex auctoritate Innocentij, & aliorum: *Nam ſi eos* (videlicet

delicet excommunicatos notoriè) *poſſent expellere, & non facerent, electio non valeret*. Pro quo citat in particulari *cap. Meſſana*, cum alijs textibus aliorum capit. diuerſorum titulorum.

15 Si vocati venerunt † in termino illis notificato, ſed receſſerunt antequam fiat electio, ad alium etiam terminum prorogata, ſecundùm Innocentium, & Hoſtienſem, non ſunt vlterius vocandi: non enim debuerunt recedere, niſi completa electione; *cap. conſuluit, de officio deleg.* Mandag. *vbi ſupra, cap. 18.* & latius *ibidem* Boerius *ſub lit. b.* vbi cumulat ad hoc idem auctoritates quamplures textus, & Auctorum in magno numero.

Quando certè, & determinatè quis electorum cognoſcit inſtare tempus electionis, nullaque præmiſſa proteſtatione, voluntariè recedit à loco in quo facienda eſt electio; de rigore non eſt expectandus; *extra, vt lite non conteſt. cap. quoniam frequenter. §. ſi vero*, vbi de hoc Monald. in ſua aurea ſumma, *tit. de elect. cap. qui ſunt ad electionem vocandi, & qualiter*.

Reſpondent verò Innocentius, Hoſtienſis, & alij ad illud, quòd abſentes vocandi ſunt ſæpè ad electionem, id procedere non ex debito, ſed ex gratia. Et *in cap. eum nobis olim, de elect.* & Compoſtella *ibidem*, vniformiter idem tradunt; addentes, quod ſufficit in electionibus vnica, & ſola citatio, modo dicendo; nec ſunt neceſſariò tres, vt in ceteris iudicijs.

Debent igitur vocales abſentes citari per litteras, vel certum nuncium, intimando illis diem, & horam determinatam electionis celebrandæ, addita proteſtatione, quod niſi conuenerint ad locum loci determinatum electionis pro tali die & hora, quod vocales præſentes intendunt procedere, & de facto procedent ad electionem noui Prælati. Mandagot. *tract. de elect. nouor. Prælat. par. 1. cap. 5.* & Boer. *in addit. ad idē caput Mandagot.* Quod præcipuè habet locum, vbi viget conſuetudo.

16 Forma verò † litterarum, quibus vocandi ſunt abſentes, refertur ab ipſo Mādagot. *eodem tract. de elect. nouor. Prælat. 2. par. cap. 59. forma* 4. & eſt ſequentis tenoris.

In nomine Domini. Amen. Anno tali, *die* tali. *B. Præpoſitus, ſiue Præſes electionis, & Capitulum*, ſiue *Vocales Eccleſiæ*, vel *Conuentus.* N. *Dilectu in Chriſto N.N. Canonicis*, ſiue *Vocalibus*, &c. *Nolentes quod noſtra Eccleſia*, ſiue *Conuentus, Paſtoris*, vel *Prælati exiſteret ſolatio diutius deſtituta*, talem *diem*, (nominando in ſpecie, vt puta diem 20.) talis *menſis, cum continuatione omnium dierum ſequentium, concorditer præfiximus ad electionem futuri Pontificis*, ſiue *Prælati, in noſtro Capitulo celebrandam; & ad alia omnia peragenda, quæ ipſius electionis negocium contingere dignoſcuntur. Vt igitur ignorantiam prætendere nequeatis, vobis præfixionem huiuſmodi duximus intimandam, prout his noſtris intimamus: Mandantes, quatenus dicta die mane, hora Capituli, quam diem & horam eum omnibus diebus ſequentibus, quouſque ipſius electionis negocium fuerit expeditum, vobis tenore præſentium aſſignamus, vt ad Capitulum veniatis, vna nobiſcum de futuri electione Prælati tractaturi, & in ipſo electionis negocio modo debito proceſſuri. Alioquin vobis non expectatis, nec vlterius, etiamſi prædictus terminus prorogatus fuerit, conuocatis, in huiuſmodi electionis negocio procedemus, veſtri abſentia non obſtante. Ad iſtas autem litteras præſentandas B. latorem ipſarum ſpecialiter duximus deputandum. Datum*, &c.

17 Denique oportet † breuiter declarare id quod ſuperius in hoc cap. num. 2. inſinuatum eſt, cuius ſit onus probare

Digitized by Google

quod abſens; ſiue abſentes fuerint citati
modo ſupra declarato. Quod onus abſ-
que dubio debet eſſe non illius qui ne-
gat ſe eſſe citatum; ſed ei, vel illis, qui aſ-
ſerunt citaſſe ipſos abſentes, incumbit
probatio, *cap. quod ſicut, de elect.* vbi Gloſſ.
verb. Vocatos, ait: *Præſumitur quis non
vocatus, niſi hoc probetur*. Et paucis inter-
iectis ſubdit: *Dico quod ſi quis negat ſe fuiſ-
ſe vocatum, aduerſario incumbit probatio,
vt hic innuitur*. Pro quo etiam citat
cap. 1. de probat. & ſe refert ad ea quæ
ſupra dixerat in cap. bonæ de elect.

Qua occaſione neceſſariò reſoluen-
da venit difficultas illa, quæ magna con-
18 trouerſia appellatur à Legiſtis: An † nũ-
cio, præſertim iurato, & ipſi ſoli creden-
dum ſit, an aliquis vocalibus abſens ſit
vocatus, nec ne? Et id quod auget hanc
difficultatem, illud eſt, quia nuncij or-
dinariè ſunt viles, & infames perſonæ,
à quibus rationabiliter timeri poteſt, ne
pro modico mendacia, falſáſque relatio-
nes efficiant, vt experientia teſte, fre-
quenter accidit; quemadmodum inſi-
nuat Hoſtien. *in ſumma tit. de contuma-
cia, §. qualiter*, quem refert Petrus Re-
buff. *tom. 3. ad Regias Conſtitut. tit. de
citationibus*.

Quibus non obſtantibus reſoluen-
dum eſt affirmatiuè: Hac tamen cau-
tela, iurato nuncio eſſe credendum cir-
ca factum præcisè quod concernit ſuum
officium, vt puta de exequutione, vel
citatione; non tamen ei credendum eſt
circa illa quæ ſunt extra ſuum officium
ſibi commiſſum. Ideo ſi dixerit ſe per-
cuſſum à citatis, vel iniuria affectum,
aut alia deponat, in his regulariter non
creditur nuncio. Ita tradunt pro maio-
ri parte Iuriſtæ, præſertim Tiraquellus,
de retract. §. 8. *Gloſſ. 9.* Pecch. *in c. 21. de
iure ſiſtendi, nu. 3.* Lanfranc. *tit. de citat.*
Maranta *de citat. num. 53.* Matheſilan.
& alij, quos in ſpecie citat Nicolaus Boe-
rius vir vndequaque doctiſſimus, *in ad-
dit. ad cap. 4. 1. par. tract. de elect. nonor.
Prælat. Mandagoti*. Quam ſententiam
ſequuntur Mandagotus, & ipſe Boerius
vbi ſupra.

Eandem ſententiam ſequitur Gloſſ.
in cap. quod ſicut de elect. vbi in additione
citat Goffredum dicentem. *Puto nuncio,
& actis Iudicum ſtandum, niſi valida pro-
bationes offerrentur ex aduerſo*. Pro quo ci-
tat multa iura, & Authores, præſertim
Ioannẽ Andream, Vinc. & alios, prout
latius in Spec. *de citat. §. ſequitur, ſuper
verſ. ſed nunquid Ioannes Andreas*. Idem
dixit Rota Romana, *in vna Bononien. de
Mangiolis 14. Nouembris 1607. coram
Reuerendiſſimo Coccino*, & *deciſ. 211. nu. 2.
in recentior. par. 2.* & *in alia 199. num. 2.
recentior. 1. par.*

Idem etiam ſentit Gratian. *diſcept.
foren. cap. 502. nu. 14. 15. & 16.* & Ga-
briel. *concluſ. 4. lib. 2. de citat.* Et Boerius
vbi ſupra ad finẽ citatæ additionis, aliud,
dignum certè non modica conſidera-
tione, adiungit per ſequentia verba. *Si
tamen quis ſit in dignitate & in honore poſi-
tus, qui neget ſe citatum, & id medio iura-
mento paratus ſit affirmare, ei potior fides
adhibenda eſt, quàm vili nuncio, qui vi-
liſsimus dicitur à Baldo in l. fin. C. de edic.
D. Hadr. toll. Tiraquellus de loc. Quod
idcirco addere libuit, quod nuper quidam
vir clariſsimus ex imperitia iudicum fuit
ex nuncij relatione falſa condemnatus*.
Hæc ille.

19 Pro maiori claritate eorum † quæ di-
cta ſunt ſuperius in hoc eodem cap. n. 8.
& 9. & vt mihi videtur, neceſſariò refe-
renda ſunt ad verbum quæ doctè & ſa-
pienter tradit Ioannes Tabienſis Ordi-
nis Prædicatorum in ſua Summa, quæ
Summa ſummarum merito à cunctis
appellatur, *tit. ſiue verb. Electio primo,
num. 12.* Vbi proponit difficultatem,
vtrum tempore electionis pulſata cam-

pana

pana ad electionem celebrandam, ſi minor pars vocalium conueniat in loco loci vbi celebranda eſt ſecundum intimationem vel conſuetum, poſſint; ipſi ſoli ad electionem procedere. Cui difficultati reſpondet per ſequentia verba. *Secundum Panorm. in cap. in cauſis, eo. quod in negotijs quæ poſſunt expediri per præſentes, quod eſt regulare iuxta not. per gloſſ. in cap. 2. de teſt. lib. 6. ſufficit vocatio per ſonum campanæ, dummodo talis ſit campana quod ipſius ſonus poſſit peruenire ad intelligentiam exiſtentium in loco; ſed in negotijs in quibus abſentes ſunt vocandi, non ſufficit vocatio per ſonum campanæ; ſed abſentes debent vocari per nuncium, vel per litteras vt dicto cap. cum inter. & cap. quia propter eo. & ita videtur ſentire Innoc. in dicto cap. in cauſis. Sed opinio legiſtarum in l. omnes populi, ff. de iuſt. & iu. & ibi Bar. eſt quod quamuis pulſetur campana, niſi tamen conueniant duæ partes, non valet. Poteſt tamen dici pro concordia, quod quando conuocantur per illum qui habet auctoritatem conuocandi, ſit vera opinio canoniſtarum, alias vero opinio legiſtarum. ſimiliter intellige, quando tale ſignum intelligitur ab omnibus vocandis. Si tamen conſuetudo vel ordinatio, vel ſtatutum eſſet quod nihil fieret, niſi duæ partes eſſent præſentes, debet ſeruari. Nota ſecundum Panorm. in dicto cap. quia propter quod qui nolunt intereſſe, non debent compelli, niſi interſit Eccleſiæ; nec debent computari in numerum duarum partium, vel alio numero. Et idem ibidem, Præſentia vocandorum non eſt de ſubſtantia, ſed de iuſtitia, quia retractabitur electio: ad validitatem tamen electionis requiruntur duæ partes vocandorum, alias non conſiſtit ibi vniuerſitas. Nota ſecundum Panor. in cap. cum nobis, eod. tertio not. quod vocati ad Capitulum per habentem poteſtatem, faciunt ſe alienos, ſi comparere nolunt. Ex quo infertur quod iſti non ſunt computandi in numerum abſentium, ſeu in numero eorum qui ſunt de Capitulo, faciunt enim ſe alienos, vt in littera dicitur. quod clarius voluit Innoc. in cap. Eccleſia il ſecondo eod. tit. & gloſſ. in clem. quod circa eod. & idem dic de his qui de iure non ſunt vocandi, non enim debent computari in numero, vt not. in locis allegatis.* Hæc ille.

Pertinet etiam ad ſubiectum, ſiue ad materiam huius Capitis reſolutio illius difficultatis, quæ frequenter occurrit inter eligentes, ſiue Electores, præſertim quando inſtat tempus electionis: an videlicet, Præſidens electionis, cæteriq. Electores, ſiue vocales, certiores facti, quod aliquis Canonicus de Capitulo, vel alius Regularis iam aſſignatus in Conuentu vel Monaſterio, in quo de proximo fieri debet electio noui Prælati, ſeu officialis, intra tempus à iure communi, vel particulari ſuarum Conſtitutionum præfixum, quod antea non habeat votum, quia non erat ſubdiaconus, vel Sacerdos, neque adhuc compleuerat ſex annos à profeſſione, quæ duo vltima requirũtur neceſſario in Ordine Prædicatorum, vt quis habeat vocem in electione Canonica; is ſit habiturus vocem poſt aliquot dies: teneantur expectare, ac electionem differre, vſque quo ille, de quo ſupra, votum aſſequatur, quo actu carebat ob inſinuatas actiones, præcipue ſi votũ ſit aſſecuturus antequam expiret tempus, intra quod vocales procedere poſſunt ad electionem?

Cui difficultati reſpondendum eſt, negatiuè: & propter rationem, & auctoritatem multorum Doctorum extat caſus in gloſſ. *Clement. 2. de ætat. & qualit. ord. præfic.* in quo decernitur, quod ad electionem futuram non eſt expectandum, vt quis proximis futuris temporibus ad ſubdiaconatum aſcendat, etiam ſi quatuor tempora ſint intra tempus, quo ad electionem prædicti vocales procedere ritè, ac rectè valent.

quæ ſententia eſt adeò vera, & certa, vt ſit communis omnium Canoniſtarum, vti videre eſt apud Monetam *de diſtribut. par. 2. nu. 5.*

Summa Cap. IX.

1 *In electionibus Prælatorum curam animarum habentium, tenentur Electores ſub pœna peccati mortalis eligere meliorem, & digniorem, &c. intellige vt nu. 6. 9. 10. 11. 14. 15. 33.*

2 *Forma iuramenti, quod præſtari ſolet in Ordine Minorum ab Electoribus in electionibus quorumcumque Prælatorum dicti Ordinis.*

3 *Iuramentum quod emittere debent Electores regulares in electionibus ſuorum Prælatorum, ex decretis Clementis Octaui, &c.*

4 *Dignior, & melior abſolute & ſimpliciter, in electionibus, quis dicatur.*

5 *Dignior, ſiue melior comparatiue, quis ſit.*

7 *Eligere dignum relicto digniori, non bene ſonat, quamuis aliqui Iuriſtæ contrarium docuerint.*

8 *Obligatio eligendi meliorem, modo ſupradicto, eſt fundata in iure diuino, & naturali, & nu. 17. 21. & 32.*

12 *Concilium Baſileenſe, & Concilium Tridentinum quid præcipiant Electoribus obſeruandum in electionibus circa electionem dignioris.*

13 *Eligentes, ſiue præſentantes indignum, priuantur facultate eligendi, vel præſentandi, pro illa vice. Amplia vt nu. 25.*

16 *Electio minus digni an, quando, & quomodo ſuſtineatur.*

18 *Eligens dignum, relicto digniori, peccat peccato acceptionis perſonarum.*

19 *Explicatur caſus ſpecialis, quando liceat in foro conſcientiæ eligere dignum, omiſſo digniori.*

20 *Beneficia curam curatum habentia, ſunt primario ordinata ad Dei cultum, & Eccleſiæ vtilitatem; ſecundario autem ſunt præmia virtutum, &c.*

22 *Habentes ius ad nominandos Epiſcopos, tenentur in foro conſcientiæ nominare digniores, non obſtante quocumque vſu in contrarium, ſiue potius abuſu.*

23 *An vſus probet in praxi aliquam opinionem.*

24 *Dignus, & indignus, ſecundum Canoniſtas quis dicatur.*

26 *Dignior reiectus ab Epiſcopo pro aliqua parochiali, poteſt ex Bulla Pij V. appellare ad ſedem Apoſtolicam.*

27 *Acceptans dignitatem, ſiue officium, ad quod exercendum non habet ſufficientem ſcientiam, grauiter peccat.*

28 *In Ordine Prædicatorum facta fuere plura ſtatuta circa electionem digni, & idonei.*

29 *Aſſignatur finis regiminis eccleſiaſtici, & diſcrimen inter illud, & ciuile.*

30 *Quomodo Papæ conueniat, dignis conferre dignitates, & beneficia eccleſiaſtica.*

31 *Naturales locorum, dummodo ſint digni, quomodo anteferri debeant dignioribus.*

34 *Minus dignus, volens & ſciens concurrendo ad aliquam Prælaturam cum magis digno, an peccet.*

35 *Electus ſe dignum reputans, quando mortaliter peccet, oblatam dignitatem, ſiue Prælaturam renuendo.*

36 *An, & quomodo liceat appetere Epiſcopatum, ſiue aliam Prælaturam Eccleſiaſticam.*

37 *Animaduerſiones neceſſariæ circa ſtatuta condenda à Principibus, vt in eorum ditionibus indiſtinctè eligatur in Prælatum Nationalis tantùm.*

De ob-

CAP. IX.

De obligatione quam habent Electores ad eligendum digniorem, & meliorem in foro conſcientiæ.

1 PRIMA concluſio: Tenentur Electores in electionibus canonicis Prælatorum curam animarum habētium, ſub pœna peccati mortalis eligere digniorem, ſeu meliorem, licet electio digni ſuſtineatur in foro fori. Ideo ex decretis Clementis VIII. de quibus vberius dictum eſt ſupra cap. 7. circa finem, eligentes ſiue vocales iurare debent ſe electuros dignum in Prælatum, ac idoneum vitæ probitate, & gubernandi peritia: quod iuramentum antea fuerat ordinatum in Concilio Baſileenſi.

Et in Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de obſer. in eorum Statutis
Gener. *cap.* 8. §. *electionibus*, præcipitur
2 habentibus † votum in electione Generalis Miniſtri, vt dum inferunt ſchedulam electionis in vrnam, ſequentia verba, clara & intelligibili voce coram Præſidente Capituli proferant, videlicet: *Teſtor Deum, me in Miniſtrum Generalem illum nominare, quem & vitæ probitate, & gubernandi peritia idoneum agnoſco.*

Deinde ſtatim ſubditur. *Quæ quidem verba in omni electione tam Generalium, quàm Prouincialium Miniſtrorum, Diffinitorum, & Cuſtodum, cùm vocales ſuffragantur, ſemper proferenda erunt.*

3 Quæ forma † iuramenti æquipollet illi traditæ in ſupracitatis Decretis Clementis VIII. ad Regularium reformationem, *num.* 36. licet in verbis aliqualiter diuerſa appareat. Verba etenim iuramenti quod præcipitur vbi ſupra in decretis Clementis illa ſunt: *Iurentque Electores ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ probiores ac magis idoneos ſe electuros.* Quare iuramentum quod emittunt Regulares in electionibus canonicis Prælatorum ſui Ordinis, explicari debet ad modum illius Clementis Octaui, etiam quod fiat ſub forma aliorum verborum; ſatis eſt enim quod eorum intentio ſit illi manifeſta, qui ſolus corda hominum ſcrutatur.

Idem eſt enim eligere probiorem, & illum qui vitæ probitate, & gubernandi peritia eſt idoneus. Ex ſancto enim Thoma 2. 2. *n.* 63. *art.* 2. *in corp.* & *in reſponſione ad tertium argumentum*, & clarius, *q.* 185. *art.* 3. *in corp.* habetur. *Ex parte enim eius qui aſſumit, vel eligendo, vel prouidendo* (intellige de eligente aliquē in Prælatum Eccleſiaſticum) *requiritur quod talem eligat, qui fideliter Diuina myſteria diſpenſet: quæ quidem diſpenſari debent ad vtilitatem Eccleſiæ, ſecundum illud* 1. *Corint.* 14. *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt abundetis.*

Declaratur autem concluſio, deinde varijs medijs cōprobatur. Diuus enim Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *in corpore*, & *in reſpon. ad tertium argumentum*, & pariter quoque illius expoſitores, *vbi ſupra*, innixi auctoritatibus ſanctorum Patrum, & diſpoſitioni ſacrorum canonum, meritò animaduertunt, quod dignior eligendus poteſt conſiderari dupliciter: primo, abſolutè, & per ſe: ſecundo comparatiuè, ſiue per accidens.

4 Ille enim dicitur † ſimpliciter, & abſolutè dignior, & melior, qui in ordine ad regimen, eſt alijs aptior, & Eccleſiæ magis vtilis, quique ſanctitate, doctrina, prudentia, zelo, & iuſtitia, alios antecellit; de quo certum eſt; quod eccleſiaſticam diſciplinam non ſolum conſeruabit, verum etiam & augebit. Hunc deſcribit Paulus 1. *ad Timot. cap.* 3. vbi

de Epiſcopo eligendo dicit. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum, non percuſſorem; ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum; ſed ſuæ domui bene præpoſitum.* Quæ qualitates, & conditiones requiruntur in omni Prælato, vt palam habetur *in cap. cum in cunctis de elect.* & *ibidem* Doctores omnes, præſertim Ioan. Andr. *num.* 7. Nauar. *miſcel.* 33. cum alijs multis ſuperius adductis, & inferius adducendis.

5 Ille vero appellatur non † abſolutè, ſed comparatiuè tantum dignior, qui in Ordine ad finem intentum in electione canonica talis Eccleſiæ pro hic, & nunc, reſpectu talium ouium ſcilicet, iudicatur aptior, & præſentibus negotijs Eccleſiæ commodior, & ad pacem conſeruandam magis idoneus, licet alijs non ſit doctior, neque ſanctior; ſed quia magis diligit Eccleſiam, cui eſt præficiendus, ſitque fidelis diſpenſator diuinorum myſteriorum, vt clarè docet S. Thom. 2.2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.* vbi poſt multa ponit animaduerſionẽ valde vtilem pro eligẽtibus; & ijs qui eligi debent in Prælatos, & eſt: *Non autem Diuina myſteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro.* Quæ verba explicans Caietanus, quamplura digna conſideratione ad eumdem articulum ſcripſit. Primum eſt, quod ex verbis relatis D. Thomæ non prohibetur remuneratio, quæ ſecundum rationem & iura fit de beneficijs eccleſiaſticis conferendis benemeritis de Eccleſia Clericis, etſi hæc pertineant ad Diuina myſteria; beneficiati enim miniſtri Dei ſunt: ſed mens & intentio D. Tho. ea eſt in præcitatis verbis concludere differentiam inter meliorem eſſe ſimpliciter, hoc eſt ſecundum charitatem, & eſſe meliorem ad hoc, ideſt ad regimen Eccleſiæ; excludere volens S. Thomas quod non ſimpliciter ex merito charitatis confertur alicui regimen Eccleſiaſticum, cùm remuneratio meriti ex charitate prouenientis ſit à Deo in futuro expectanda. Addit quoque Caietanus ſecundam explicationem eorumdem verborum Diui Thomæ dum inquit: *Loquendo etiam vniuerſaliter de remuneratione, quod in diſtributione eccleſiaſtici Regiminis principaliter non debet attendi remuneratio, ſiue meritum ſeruitiorum, ſiue quorumcumque aliorum beneficiorum; ſed debet principaliter attendi vtilitas Eccleſiæ, præcipuè ſpiritualis.* Et ſtatum ſubdit: *Et propterea licet poſſint Prælati, & debeant ſecundario penſare eccleſiaſtica ſeruitia recepta ab aliquo, non tamen adeo quod propter remunerandum illum poſtponatur magis idoneus ad Eccleſiaſticum regimen. Sed cæteris paribus poteſt & debet illum præficere, qui eſt magis benemeritus de eccleſia. Et hoc ſolum eſt quod recta ratio dictat circa diſtributionem eccleſiaſtici regiminis, &c.* Hæc ille.

Idem Caietanus, *ad articulum ſecundum q.* 63. *eiuſdem* 2.2. *D. Tho. §. nota* 3. declarans reſponſionem D. Tho ad primum argumentum, quod Prælatus eccleſiaſticus non eſt Dominus, vt poſſit miniſteria eccleſiaſtica dare pro libito. *Sed diſpẽſator,* inquit, *ſub nomine eccleſiaſtici Prælati clauditur etiam Papa, vt patet per auctoritatem Pauli Apoſtoli allatam ad probandum intentum. Eſt namque Papa Chriſti miniſter, & diſpenſator miniſteriorum Dei.* Hæc ille.

6 Concluſio itaque propoſita † interpretanda venit iuxta communem ſenſum Theologorum, ac Iuriſtarum, non ſemper de digniori abſolute ſimpliciter, verum de digniori comparatiuè, vel ſaltem per accidens. Ita tradunt ſanctus Thomas, *vbi ſupra,* Commentatores illius;

illius; Summiſtæ *in verb. Electio canonica*, & præcipuè Caiet. *ibid.* & *in ſua ſummula caſuum, in verb. Electio Prælati, nu.* 1. cum quo conſentit Bartol. Vgolinus, *de officio, & poteſtate Epiſcopi, cap.* 50. *de beneficiorum eccleſiaſticorum collatione*, §. 12. *nu.* 3. pro qua ſententia citat Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 24. *cap.* 18.

Hoc idem apertius teſtatur Dominicus Bañes, *de iure, & iuſtitia, q.* 63. *art.* 2. *poſt dubium tertium*; vbi reſpondendo ad argumenta, §. *ad confirmationem*, inquit. *Negatur quod ille qui in præſentia dignioris eligit dignum, faciat opus bonum; imò peccat, quia impedit ne Eccleſia conſequatur digniorem, ac vtiliorem miniſtrum.*

7 Et ſtatim ſubdit, *quod licet* † *abſolute loquendo eligere dignum, bonum ſonet; nihilominus tamen eligere illum, relicto digniori, ſonat malum*. Quod confirmat ratione, & exemplo, vt *ibidem* eſt videre. Idem vbi ſupra in præambulo *ad q.* 52. *diſp.* 5. *dubitat.* 2. *concl.* 4. rationibus, & auctoritatibus oſtendit, electionem canonicam differre ab alijs contractibus: quia vbi in alijs contractibus, excepto matrimonio, & electione, ſi omittantur ſolemnitates eſſentiales iuris, non propter hoc dicuntur nulli, & irriti. Verum in electione canonica omiſſio ſolemnitatum inficit electionem; licet contrarium ſentiat Panorm. & alij iuriſtæ numero pauci. Aſſerit inſuper veriorem eſſe, ac tutiorem, non opinionem Panormitani; ſed aliorum.

Quæ omnia etiam affirmat Andreas Molfeſius, in ſuo Promptuario triplicis iuris, *tract.* 6. *tit. de beneficijs, nu.* 6. dum expreſſis verbis ait. *Dico quarto, Electores teneri ſub pœna peccati mortalis eligere digniorem omiſſo digno*; & ſtatim inquit. *Hoc dictum eſt contra quoſdam Iuriſtas, qui vt notat Vaſquez, dicto nu.* 49. *voluerunt eſſe propitij electoribus.* & *nu.* 61. ait. *Sed dictum noſtrum eſt commune Theologorum, & Canoniſtarum*. Pro qua ſententia citat S.Tho. 2.2.*q.*63. *art.* 2. *ad* 2. & *q.* 185. *art.* 3. *quodlib.* 4. *art.* 15. *quodlib.* 6. *art.* 9. *quodlib.* 2. *art.* 6. D. Antonin. Chryſoſtomum, Bernardum, Adrianum, Caietanum, Siluestrum, Arragonam, Salon. Valen. Rodriq. Azor. Couarr. Nauar. Molin. & alios innumeros citatos à Nicolao Garzia, *par.* 7. *de beneficijs, cap.* 56. Numero pariter 63. inquit; *Veram igitur puto hanc ſententiam, & firmiorem, quæ ſacri canones præcipiunt electoribus, vt eligant meliorem, vt in cap. Metropolitano, diſt.* 63. & *in cap. Moiſes*, 8. *q.* 1. *cap.* 2. *de officio Cuſtodis*.

Cui in omnibus concordat Leonardus Leſſius, *de iuſtitia, & iure, tit. de beneficijs, lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 14. pro qua ſententia poſt S. Tho. Antoninum, ac alios citatos à Molfeſio, adducit Maironem, Nicolaum de Lira, Alexandrum, Panormitanum, Lambertinum, Angelum, Ludouicum, Origenem, Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium, Leonem, Concilium Baſileenſes, & Concilium Tridentinum, adiunctis quamplurimis textibus ſacrorum Canonum.

Poſt quas omnes citationes concludit, *Eligere, poſtulare, aut præſentare dignum omiſſo digniori, qui in promptu eſt, eſt peccatum mortale*.

Quæ verba quoad ſubſtantiam antea tradiderat Caietan. 2.2. *quæſt.* 63, *art.* 2. *nota.* 3. dum inquit, quod *Cùm à D. Tho. in reſpon. ad* 3. *dicitur, quod oportet in foro conſcientiæ eligere meliorem &c. intelligitur de poſſibilibus haberi. ij enim, de quibus conſtat quod haberi non poſſunt, extra latitudinem eligibilium computandi ſunt*.

Dominicus autem Soto, *de iuſtitia, & iure, lib.* 3. *q.* 6. *art.* 2. poſtquam dixit in nona concluſione, quod quoad culpam in foro conſcientiæ, præceptum eſt eligere digniorem, demonſtrat prædictam ſententiam eſſe communiorem inter

Digitized by Google

inter Theologos, & Iuriſtas; & præcitatis auctoribus adiunxit Archidiaconum, Henricum, & Gofredum; aſſerens prædictam ſententiam nulla deſuetudine, vel contraria conſuetudine poſ-
8 ſe abrogari, cum ſit *de iure † Diuino, & in iure naturæ fundata*. Quid quæſo clarius? Hanc doctrinam approbat Cardinalis Palæotus, *de ſacr. Conſiſt. conſult. par. 5. q. 3. verſ. ſi quis*, ſed clarius *par. 4. q. 1. verſ. ſecundo ſciendum eſt*; maximè vero ſub littera A. Et poſt multa, Sotus adducit verba S. Auguſtini, ſuper epiſt. Iacobi dicentis, *Non eſt putandum leue eſſe, peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim, inquit, ferat eligi diuitem ad ſedem honoris, & gloriæ Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?* Adducit etiam ſententiam S. Leonis Papæ, regiſtratam in canon. *Metropolitano*; vbi docet quod ſit eligendus optimus.

Tandem ſupradicta limitat propter
9 conſcientias † timoratas, dicens ea non habere locum, quando *meritorum exceſſus non eſt tantus, vt videatur ad rem multum referre*.

Concluſio igitur iam ſufficienter declarata, ſimulque probata ex communi conſenſu Theologorum, & Iuriſtarum inuenitur. Et pro maiori firmitate illius expreſſa verba S.Thom. 2.2. q.63. *ar.2. in corp.* ſed clarius *ad 3. arg.* hic ponam, quæ ſunt valde digna magna cautela, & diligenti conſideratione. *Electio* (inquit ille vbi ſupra) *quod quantum ad hoc*
10 *impugnari † non poſſit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam; ſed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam; quæ quidem ſi pertineat ad negocium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus; ſi vero non pertineat ad negocium, id quod conſideratur vt cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ.* Quod peccatum acceptionis perſonarũ, cùm contrarietur iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ, peccatum mortale grauiſſimum extat. Hoc idem tradit Armilla *verb. electio, num. 3.* pro quo citat Caiet. & Tabien. Idem ſentit Tolet. *inſtruct. lib. 5. cap. 78.* quod clarius docuit Caietanus *in ſumma, verb. benef. Eccleſ. num. 22* & *in verb. accept. perſon.* idem repetit per tot. præcipuè *num. 1. & 2.* & *in verb. electio Prælati, num. 2.*

Quam doctrinam S. Thomæ, ſæpius canonizauit ſacra Rota Romana, vt præſertim patet in deciſionibus collectis per Proſperum Farinacium, *tom. 1. 1. parte, num. 65. die Lunæ, 14. Decemb. 1603. num. 4. coram Illuſtriſſimo D. Card. Pam-*
11 *philio*, vbi habetur: *Quamuis † pro validitate electionis ſatis ſit ſi dignus eligatur, & electio de digno, omiſſo digniori, ſuſtineatur; id tamen procedit poſtquam celebrata eſt electio, quæ ex omiſſione dignioris non retractatur, vt litium occaſiones amputentur. Sed ante electionis celebrationem omnia iura clamant, quod meliores, & ſanè ſanctiores eligantur: & ideo peccant qui ſcienter omiſſo digniore, eligunt dignum*, vt notant omnes *in cap. conſtitutus; de appellatione*, cum allegatione in cauſa Toletana Canonicatus, 18. *Maii* 1584. *coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente VIII.*

Secundo magis confirmatur auctori-
12 tate † Concilij Baſileenſis, in quo *ſeſſ. 20. Decreto de electionibus, & confirmationibus Epiſcoporum, & Prælatorum*, poſtquam magno verborum apparatu, conſcientias electorum aggrauauit, circa diligentiam adhibendam in eligendis idoneis Prælatis, cùm ipſi aſſumantur ad regimen animarum, pro quibus Domi-

nus

nus noſter Ieſus Chriſtus mortuus eſt; tandem ſtatuit, vt ipſimet electores præmittant iuramentum ſequentis tenoris.

Ego N. iuro, & promitto, Omnipotenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, ſub cuius vocabulo dedicata eſt Eccleſia, eum eligere, quem credam futurum Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus vtiliorem; nec illi vocem dare, quem veriſimiliter ſciuero promiſſione, aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece, per ſe, aut alium interpoſita, aut aliàs qualitercumque directè, vel indirectè, pro ſe electionem procurare.

Hoc idem, licet ſub alijs verbis, iterum præcipitur in eod. Concilio, *ſeſſ.* 38. *decreto de electionibus*. Quæ omnia ſtatuta in prædicto Concilio Baſileenſi circa electiones, fuerunt confirmata à Nicolao V. in Bulla, *Vt pacis*, &c. Data Spoleti 1449. Pontificatus Anno Tertio. & in Concil. Colonien. III. *par. 1. cap. 7. & 8. celebrato* 1536.

Eadem mandãtur obſeruari in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. & cap. 12. de reformatione.* Verba etenim prçcitati capituli ſunt, quæ ſequuntur. *Hortamur omnes habentes aliquo modo ius in electionibus, & promotionibus, vt in primis meminerint nihil melius ad Dei gloriam, populorum ſalutem, poſſe efficere, quam ſi bonos paſtores, & Eccleſiæ gubernatores promouere ſtudentes, eoſque alienis peccatis cõmunicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, Eccleſiæ magis vtiles, ipſi iudicauerint; non qui precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici, diligenter curauerint, & quos ex legitimo matrimonio ortos, & vita, ætate, doctrina, ac omnibus alijs qualitatibus præditos ſciant.* Quæ iuxta ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini decreta requirantur.

Et cap. 18. eiuſdem, ſeſſ. 24. præcipitur examinatoribus Synodalibus: *Iurentque omnes ad ſancta Dei Euangelia, ſe, quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. Caueant ne quidquam prorſus occaſione huius examinis, nec antea, nec poſt, accipiant; alioquin ſimoniæ vitium, tam ipſi, quàm alij dantes incurrant: à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficijs, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant; & ad alia in poſterum inhabiles reddantur.* Poſt quæ verba ſtatim, & immediatè ſubditur: *Et de his omnibus non ſolum corã Deo, ſed etiam in Synodo Prouinciali, ſi opus erit, rationem reddere teneantur; à quà ſi quid contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri poſſint.*

Nec omittam hic conſiderare verba, quæ ad initium immediatè relati capituli 18. eiuſdem ſeſſ. 24. ſunt poſita; quibus, ſolis dignis, atque idoneis ad minus docemur committendam eſſe curam, ſiue regimen animarum. Verba enim Concilij ſunt: *Expedit maximè animarum ſaluti à dignis, atque idoneis Parochis gubernari.*

Et ſanctus Gregorius *lib. 2. epiſtolar. epiſt. 29.* cuius epiſtolæ verba recenſentur cauſa 8. *q. 2.* cap. 2. & ſunt directa electoribus, ſiue eligentibus Prælatum; *Nullus veſtrum, neglecta vtilitate communi, ſuo lucro proſpiciat; ne ſi quiſquam propria commoda appetit, friuola æſtimatione fallatur: quia, nec libero iudicio præferendam ſibi perſonam examinat mens, quam cupiditas ligat.*

In dicto autem cap. 18. mandatur Epiſcopo, vt inter admiſſos ab examinatoribus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit; atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat. Statimque, etiam circa Iuris patronatus decernitur, vt *is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur.* & ſtatim ſubditur: *Cùm vero Inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo erit facienda,*

cienda,

Digitized by Google

cienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi ius patronatus laicorum fuerit; debeat qui à patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſupra examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti.

13 Eligentes † enim, ſiue præſentantes non idoneum, vel indignum, priuantur facultate eligendi, ſeu præſentandi pro illa vice. Veral. *deciſ.* 291. *par.* 2. Creſcent. *deciſ.* 11. *de iure patronat. p.* 2. Ideo in eod. ſupracitato capitulo Concil. Tridentini dicitur: *Alias prouiſiones omnes, ſiue inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur, non obſtantibus quibuſcunque*, &c.

Caiet. in ſua ſummula, *verb. electio Prælati, nu.* 1. cum ceteris Doctoribus,
14 docet eſſe † ſemper eligendum meliorem, quantum ad regimen, pro nunc, & reſpectu talium ouium: Imò, ait quòd poſtponere meliorem minus bono in electionibus canonicis, non eſt ſine crimine acceptionis perſonarum, dum perſona præponitur cauſæ.

Alexander Tertius in Concilio Lateranenſi, quemadmodum videre eſt *in cap. cùm in cunctis, de elect.* ſtatuit in Ec-
15 cleſiaſticis miniſterijs illos eligi † debere, qui maturitate ætatis, grauitate morum, & litterarum ſcientia fulgeant, quique vita, & ſcientia commendabiles ſint. & Gloſſ. *ibidem, verb. multò fortius, Quia viliſſimus* (inquit) *computandus eſt, qui præcellit dignitate, niſi præcellat alios ſcientia, & ſanctitate*. Ecce quomodo in miniſterijs, ſiue prælaturis eccleſiaſticis ſemper præferendi ſunt digniores.

Hoc idem clarius habetur *in cap. licet ergo* 8. *q.* 1. & *cap. quoniam, de iure patronat.* ex quibus colligunt Doctores ſequentem concluſionem: In omni electione canonica Prælatorum ille proculdubio eſt præferendus, qui ceteris eſt melior, habilior, magis idoneus, ac morum ſanctitate præſtantior. Quam concluſionem, tanquam veram probat, ac defendit Rota Romana, *in Toletana Canonic.* 18. *Maij* 1564. *coram Illuſtriſſimo Cardinali Aldobrandino*; & *in Bononien. de Molettis.* 26. *Iunij* 1602. *coram Illuſtriſſimo Pamphilio*; & *in Valliſoletana præeminentiarum* 24. *Nouembris* 1603. *coram eodem Illuſtriſſimo Pamphilio*; In quibus Deciſionibus inter quamplura refertur illud commune Iuriſtarum in cap. conſtitutus, de appellat. *Omnia*, ſcilicet, *iura ante electionem clamare, quod meliores, digniores, ſanctioreſque eligantur*.

Licet electio minus digni ſuſtinea-
16 tur, hoc ſemper † procedit poſtquam facta eſt electio, ad amputandas litium occaſiones. Et hæc eſt ratio quare electio minus digni non retractatur. Id omne tradit Rota Romana *in Rauenat. Paroch.* 2. *Septembris* 1592. *coram Illuſtriſſimo Arigonio*, & *in Toletana Canonic.* de qua ſupra, quæ eſt impreſſa inter deciſiones diuerſorum 247. *lib.* 1.

Dominicus Bañes *ad art.* 2. *q.* 63. 2. 2. *D. Thom.* §. *ad rationem primæ opinionis reſpondetur*, docet modum reſpondendi argumentis eorum, qui dicunt praxim eſſe, vt eligantur, vt plurimum digni relictis dignioribus, dum inquit, *quod vſus probat, & approbat in praxi opinionē, quando non repugnat rationi*. Quam doctrinam colligit ex ſacris Scripturis, decretis Pontificum, ex doctrina D. Thomæ, aliorumq. Theologorum, quemadmodum & illud, quod poſt ſupradicta immediatè ſubdit dicens; *Nam ſi repugnat* (hoc eſt rationi) *abuſus eſt*. Et paulò poſt poſtquam dixit, *& quidem Epiſcopi, & ſuperiores Prælati, ſibi conſulant, & efficaciam rationum oppoſitæ ſententiæ conſiderent*. Intelligendo de rationibus euidenter concludentibus; quod non obſtante praxi in contrarium, eligentes tenentur eligere di-

re di-

Digitized by Google

re digniorem. quod probat multiplici ratione & auctoritate, præſertim illa, quæ continetur in ſequentibus verbis ipſius Bañes. *Etenim beneficia non ſolum ſubduntur iuſtitiæ diſtributiuæ, quia officia ſunt, aut quia curata ſunt; ſed quia bona communia, & dignitates eccleſiaſticæ; ac ſubinde diſtribuenda dignioribus miniſtris, quia præmia ſunt, & honores virtutis, & ſcientiæ, atque induſtriæ.* Hæc ille.

Quibus addi poſſunt, quæ traduntur ab Azorio, *inſtit. moral. par. 2. lib. 6. de 4. decalogi præcepto, cap. 15. §. accedit. Adde* (inquit) *quod elector, cum non ſit Dominus beneficiorum, ſed adminiſtrator, ratione ſui muneris, & officij vtramque iuſtitiam ſeruare debet, & quæ diſtribuit, & quæ commutat, ne Eccleſiam lædat indigno electo, & ne digniori ius deneget, vel adimat: ſed qui iuſtitiam in ſuo munere & officio non ſeruat, damnum compenſare debet. hac ſententiam videntur ſequi Palud. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. concl. 4. Silu. reſtit. 3. q. 12. verſ. 2.*

Et Clemens VIII. in Decretis Generalibus, editis ad Regularium reformationem, & vltimo impreſſis Romæ ex ordinatione Pauli V. 1609. *nu. 36.* hæc habentur. *Iurent Electores magis idoneos ſe electuros; propterea priuſquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia, prælegantur Conſtitutiones, de qualitate, & requiſitis eligendorum.*

17 Nec hoc ſolum † eſt iuris canonici, ſed id perſuadet, imò dictat ratio naturalis. Nam qui digno digniorem anteponit, perſonarum, & non ſui muneris, & officij, rationem habet; & perſonæ; non autem Eccleſiæ; vel Conuentus negotium gerit: nam eligentis fidei committitur, vt eligat quem vtiliorem rectè iudicauerit. Azorius *par. 2. inſtit. moral. lib. 6. de 4. decalogi præcepto, cap. 15.* id diffusè tractat, reſpondendo etiam ad argumenta in oppoſitum.

Tractatus de Electione.

Nicolaus quoque Garzias, *de beneficijs, par. 9. cap. 2. nu. 228.* ex teſtimonio Couarruias, D. Thomæ, Imolæ, Abbatis, Franchi, Decij, Molinæ, & Ioannis Gutierez, & Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. & 18.* adiuncta Conſtitutione Pij V. infert quæ ſequuntur, digniorem ſcilicet eſſe eligendum, vt à peccato elector ſit immunis: non tamen electio digni, omiſſo digniori, reſcindenda eſt: & ſtatim adducit ſententiam Zechij, ſequentis tenoris, de Republica Eccleſiaſtica, *cap. 18.* de Patocho, nu. 7.

18 qui ait. *Quod ſi Epiſcopus † digniore omiſſo, minus dignum eligat, tanquam perſonarum acceptator, mortaliter peccat.* Quam ſententiam ſequitur Petrus Ledeſma *in ſumma par. 2. tract. 7. cap. 1. concl. 6.*

Idem Garzias eodem tract. *par. 7. cap. 16. nu. 2.* poſt citatos ſupra quinquaginta Auctores, inter quos eſt Hieronymus Platus, *de Cardin. dignitate, & officio*, & Cardinalis Palæottus *de ſacri Conciſtorij conſultationibus, 4. par. q. 1.* concludit, quod Theologi communiter docent, *promouentem, eligentem, ſeu præſentantem dignum, omiſſo notabiliter digniore, peccare mortaliter, licet prouiſio, electio, vel præſentatio, valida ſit.* quod explicat Azorius vbi ſupra in vtroque foro.

Et ad calcem eiuſdem numeri, ſequens auctoritatem Cardinalis Plati, inquit quod eligendus eſt dignior, non ſolum ad ſummum Pontificatum; ſed etiam ad quemlibet Epiſcopatum, vel dignitatem curam animarum habentem, ſecundum deciſionem Rotæ *in cauſa Toletana, Canonicatus, 18. Maij 1584. coram ſanctiſſimo Clemente VIII.* ſuperius aliàs adductam, de qua mentionem facit ipſe Garzias, *5. par. cap. 4. nu. 166.* Et in cauſa Valliſoletan. præeminentiarum, *24. Nouemb. 1603. coram Illuſtriſſimo Pamphilio.*

Hoc idem clarioribus verbis tradunt

Azorius, *par. 2. inſtitut. moral. lib. 6. de 4. decalogi præcepto, cap. 15. ſub littera, B, C, & D.* & Ioan. Franc. Leonius, *in ſuo theſauro fori eccleſiaſtici, par. 2. cap. 3. nu. 37. & 38.* In nu. 31. expreſsè inquit: *Peccant eligentes bonum, cum poſſint eligere meliorem, nam ad id neceſſario tenentur*; pro qua ſententia vltra quamplures alios citat Archidiaconum, *in cap. licet primo,* & Federicum de Senis, *conſ. 95. nu. 1.* cum alijs innumeris.

Petrus quoque de Aragonia Auguſtinian. *in 2. 2. D. Tho. q. 63. de acceptatione perſonarum, art. 2. 1. concluſ.* inquit. *Eligere minus dignum, relicto digniori ad beneficia quæ habent annexam curam animarum, vel aliam gubernationem perpetuam, per ſe loquendo, eſt peccatum mortale.*

Et Corollario 3. ad ſecundam concluſionem, verbatim ait. *Infero tertio*
19 *quod quando ſunt plures † Electores, & electio fit ad plura ſuffragia, ſi contigerit rem eo eſſe deuolutam, vt aliquis Electorum ſit certus quod dignior non eligetur, etiam ſi ipſe ei ſuum ſuffragium præſtet; & ex altera parte eſt probabile periculum, quod ipſo ſuffragante pro digniori, ea pars præualebit, quæ vult eligere omnino indignum: poterit tunc ad obuiandum electioni indigni, immo tenebitur, præſtare ſuffragium digno, relicto digniori, ſi ſit aliqualis ſpes quod eo modo electio indigni euitabitur, & eligetur dignus. Et eſt hoc verum adhuc, ſi iurauerit ſe electurum digniorem: ſemper enim iuramentum eſt intelligendum, ſuppoſito quod poſſit illum eligere, habita ratione maioris vtilitatis Eccleſiæ, quæ ſemper præ oculis eſt habenda.*

Tertio rationibus ſuadetur veritas eiuſdem concluſionis, inter quas vna eſt, quod omittere digniorem, propter dignũ, eſt acceptio perſonarum; quemadmodum ſuperius ex doctrina grauiſſimorum Doctorum demonſtratum eſt. Imò Sotus, Arragon. Bañes, atque Salon. expreſsè tradunt, *violari iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam:* nam de violatione, & acceptatione perſonarum, quæ includit de ſe peccatum mortale; eſt communis ſententia Theologorum. Garzias, *vbi ſupra, nu. 6.*

Cui rationi additur ſecunda commu-
20 niter adducta, & eſt, quod † beneficia, & dignitates, curam animarum inuoluentes, primo ſunt ordinatæ ad Dei cultum, & Eccleſiæ vtilitatem; ſecundario autem, vt ſint præmia virtutum, quibus digniores in Eccleſia honorentur, & promoueantur: ſed prætermiſſo digniore, & vtiliore pro Eccleſia, de directo agitur cõtra hunc finem, dum aliquando ſpectatur conſanguinitas, ſiue priuata amicitia, aut potentium commendatio. Igitur, &c.

Confirmatur, ac magis corrobora-
21 tur eadem Concluſio exemplo † Dei in veteri, & nouo teſtamento, qui ſemper elegit meliores, & digniores; vt patet in Moiſe, de quo in num. cap. 12. dicitur, quod erat *vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabuntur in terra.* Et de Saule, 1. *Reg. cap. 9.* quod *electus bonus, & non erat vir de filijs Iſrael melior illo.* Et 1. Reg. cap. 18. de electione Dauid habetur, quod *erat vir ſecundum cor Dei.* Et Chriſtus elegit meliorem inter Apoſtolos in Põtificem, & ſuum Vicarium, vt habetur Ioan. vlt. quia plus charitatis erat in illo, & dilectionis.

Vnde Dominicus Bañes, *dubit. 3. vbi ſupra, §. pro deciſione huius rei;* ſtatuit concluſionem hanc: *Peccat mortaliter*
22 *Patronus, † qui non deſignat digniores ad Epiſcopatus obtinendos* (verba eius ſunt:) *vt. v. g. ſi Rex Hiſpaniæ, qui hoc iure gaudet ſolum eligeret dignos pro toto Regno, aut pro inſulanis, peccaret grauiter: Probatur* (inquit ille) *ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat. vbi vniuerſaliter dicitur, quod eligendi ſunt digniores. & in cap. 18. ſeſſ. 24. inſuper cap. Epiſcop. diſt. 91.*

(ſub-

(ſubdens.) *Probatur ratione, quia iniquum eſſet in toto Regno, ſolum eligere dignos, in præſentia digniorum, pro eximijs beneficijs, qualia ſunt Epiſcopatus: ergo nec Rex poteſt hoc facere, nec Pontifex concedere.* Hæc Bañes ad verbum, natione Hiſpanus, & Doctor clariſſimus doctrina, & bonis moribus.

23 Ad id verò quod † aliqui adducunt, vſum ſcilicet probare, & approbare in praxi aliquam opinionem. Reſpondetur hoc habere locum, quando illa opinio non repugnat rationi; quandocumque enim rationi repugnans eſt, abuſus eſt: eo magis quia maximè decet propter auctoritatem, & honorem Eccleſiæ eligere digniorem vt latius paulò ſuperius dictum eſt.

Neceſſarium duxi animaduertere vnum valdè vtile ex verbis ipſis D. Tho. *2.2. q.63. art.2. in reſpon. ad 1.* quod etſi conſanguinei Prælati Eccleſiaſtici, ad quem ſpectat diſtributio beneficiorum, vel alterius Prælaturæ, ſint æquè digni vt alij, & ſic licitè poſſit illis ea conferre abſque perſonarum acceptione, ſuoſque conſanguineos præferre, quia ſaltem magis in hoc præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, vt vnanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent: Eſſet tamen hoc propter ſcandalum, dimittendũ, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent, etiam præter dignitatem, bona Eccleſiæ conſanguineis dandi. Ideò *in art. 1. eiuſdem quæſtionis in corpore,* conſequenter ſaltem, docet quod Prælatus non eligitur quaſi in hæreditatem; ſed vt diſpenſator: ob id nõ oportet eligi propinquiorem, ex D. Thom. vbi ſupra.

Cum ſæpius facta fuerit mentio de
24 digno, ſciendum eſt, quod † dignus ille cenſetur ſecundum Canoniſtas, quemadmodum tradit Ferdinandus Rebellus, *tract. de obligat. iuſtitiæ 1. par. lib.3.* *q.2. num.1.* qui habet ſufficientiam, & omnes partes ad munera, ad quæ eligitur, & vt oportet miniſtrãdo; licet comparatione alterius maiorem ſufficientiam habentis, vtiliuſque adminiſtrationi, minus dignus exiſtat: & talis dignus & non aliter eligi poteſt, modo tamen explicato.

Indignus verò abſolutè dicitur, qui prædicta ſufficientia pœnitus caret; Leſſius autem *vbi ſupra, lib.2. cap.34. tit. de beneficijs dubit.14. à nu.67. vſque ad num.70.* Superabundanter ſoluit obiectiones in contrarium adductas, tum ex Concilio Tridentino, tum ex ſacra Scriptura, vel aliunde, non rectè quidem deſumptas; conſtanter ſemper cõcludens, tutiorem veriorem que opinionem illam eſſe, vt eligatur dignior, & melior.

Eligentes indignum ad quamcum-
25 que Prælaturam † Eccleſiaſticam, regimen animarum inuoluentem, ne dum priuantur voce actiua, vt ſuperius dictum eſt, cap.4. & 5. ſed etiam debent priuari per triennium voce paſſiua, ne ab alijs eligi poſſint, *cap. per Inquiſitorem*, & argum. text. *cap. cum in cunctis*, vbi ſuſpenduntur à beneficijs, & dignitatibus.

Eadem argumenta, & maiora etiam, diluuntur à Soto, & Bañes *vbi ſupra*, cum quibus Leſſius acerrimè tuetur ſententiam, de qua in concluſione, ſu-
26 peraddentes † ex Bulla Pij V. edita
1567. Kalendis Aprilis, ſtrictè colligi quod ſi Epiſcopus poſt examen, poſtpoſito magis idoneo, elegerit minus habilem; ille qui fuit reiectus in tali caſu, poteſt ad Metropolitanum, ſiue ad ſanctam ſedem Apoſtolicam appellare, & electum ad nouum examen compellere, vt digniori detur.

Quod totum cõfirmat Barthol. Vgolinus, *de officio, & poteſtate Epiſcopi c.50. §.12.*

Digitized by Google

§. 12. *nu*. 9. ibi, *magis autem idoneus, &c.* vbi ſuperaddit *ſacram Congregationẽ Concilij Tridentini, ſuper 24. ſeſſ. cap. 18. declaraſſe præferendum eſſe magis notum moribus bonis; docto, ſed quo ad mores minus noto*; & Io. Leonius, *vbi ſupra, num.* 58. aperte dicit: *Si Collator omiſſo digniore contulerit beneficium digno, licebit digniori ad præſcriptum Bullæ Pij V. §. nos ad quorum, & §. vt autem, appellare*. Addens quod *prædicta collatio cenſenda venit nulla, ac ſurreptitia, per quam nullus tribuitur titulus coloratus poſſidendo*.

27 Adeò hæc vera † ſunt, vt acceptans dignitatem ſeu officium, non habẽs ſufficientem ſcientiam ad exercenda munera illius, grauiter peccet. Et hoc eſt dictum notabile Innocentij ſecundum Panorm. *in cap. in cunctis, col.* 2. pro quo facit textus, *cap. non eſt putanda 1. q. 1. in fine*; & tandem S. Gregor. in Paſtoral. cap. 9. *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat: at virtutibus vacuus, nec coactus accedat*. Ex libro quoque Romanorum Pontificum de ſancto Cornelio dicitur. *Non vt quidam vim fecit vt Epiſcopus fieret; ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus acciperet; factus eſt enim Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio*. Hæc ſribit ſanctus Cyprianus ad Antoninum, addens, quod *Cornelius Epiſcopatum ipſum, nec poſtulauit, nec voluit, nec inuaſit*.

Panorm. *in cap. cum in cunctis nu.* 14. *ſub littera F*, concludit cum Innocentio vnum notabile, & eſt: Quod *peccat acceptans dignitatem, vel officium, ſi non habet ſufficientem ſcientiam ad exercendum ea quæ incumbunt illi dignitati vel officio; & hoc videtur probari ratione naturali in Canone non eſt putanda in fine in 1. q. 1.*

In Ordine Prædicatorum, ad obſeruantiam prædictorum, rigoroſe ſtatutum eſt quod electio Priorum ſemper fiat de digno, & idoneo, vti eſt videre

28 in Conſtitutionibus † eiuſdem Ordinis, diſt. 2. cap. 1. cui titulus eſt, *de electione Prioris Conuentualis, text. 5. ſub littera P*, vbi in gloſſa, ſeu declaratione eiuſdem text. expreſsè dicitur: *Item declaramus quod electio debet eſſe digni, & idonei viri; Et ideo nullus poteſt eligi in Priorem, qui non habeat conditiones à ſacris Canonibus requiſitas*. Ecce quomodo Statuta mei Ordinis fundamentum habent in text. ſacrorum Canonum. 29

Et paulò ſuperius in declaratione eiuſdem textus habentur ſequentia verba: *Admoneantur Prouinciales, & vniuerſi Fratres, ad quos pertinet electio, vt in Conuentibus vbi viget ſtudium generale, dent operam vt viri graues, & quo magis fieri poterit in litteris periti, in Priores eligantur; vt ſcientiarum ſtudia, quæ maximè Ordo noſter profitetur, in dies augeantur*. Quæ verba licet ſint per modum admonitionis, vim tamen obligatiuam habent, cùm agatur de conſeruanda, nedum diſciplinã regulari, verum etiã de fine proprio manutenendo ſacri Ordinis Prædicatorum.

Quamobrem paulò ſuperius in eadem declaratione recenſetur Statutum ſæpius factum, atque confirmatum in multis Capitulis Generalibus ſequentis tenoris: *Nullus Frater poteſt eligere in Priorem eum, qui neſcit competenter proponere verbum Dei; imò ſtrictiſſimè mandatur Prouincialibus vt omnes Priores inſufficientes, à ſuis officijs indilatè abſoluant*.

Quibus addam illud quod ſcribit Gregorius Niſſenus, de beato Gregorio Thaumaturgo quod eligendus in Prælatum *Eccleſiaſticum curam animarum habentem, debet in moribus geſtare Sacerdotium, & mores Epiſcopo dignos, ante electionem habere*. Hæc ab electoribus ponderanda ſunt.

Ac illud pariter Philonis Hebræi, ad initium lib. de charitate dicentis: *Quamuis Moy-*

nis Moyſes pater eſſet duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit, victor effectus erga cognatos, & domeſticos. Item quis non miretur Moyſis preces, dicatq; quid ais? Itane tibi, fratriq; deſunt filij ſucceſſores à natura dati? aut his, aut illis Principatum relinquito. Quod ſi neutros exiſtimas idoneos, habeas amicum probatæ virtutis, ſcilicet Ioſue; quin igitur hunc, ſi probitas non genus ſpectatur, eligis? Verum reſpondebit, cum in omnibus rebus non ſit præcipitandum iudicium, tum in ijs potiſſimum, quæ rectè, aut ſecus adminiſtratæ, plurimis felicitatem, aut calamitatem afferunt. Hæc ille.

Sãctus quoque Hieronym. *ad Tit. 1.* ita ſcribit: *Moyſes potuit ſucceſſores Principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem; ſed extraneum de alia Tribu elegit, ſcilicet Ioſue, vt ſciremus principatum in populos, non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.*

Cardinalis Caietanus 2.2. *quæſt. 53. art. 2. ad initium*, ponderat quod communis vtilitas, ad quam principaliter ordinantur miniſteria eccleſiaſtica, non eſt vtilitas corporalis, ſed ſpiritua-
29 lis. In hoc enim differt † regimen eccleſiaſticum à ciuili, quòd hoc ſecundum ordinatur ad commune bonum exterius, vtputa pacem, vel abundantiam, &c. Eccleſiaſticum vero ad interiorem animæ pacem.

Ponderat ſecundo, quòd omnes comparationes eligibilium ad eccleſiaſtica miniſteria præſupponunt bonitatem abſolute, hoc eſt eſſe bonum virum. Ideo in littera textus articuli ad calcem corporis, inquit S.Thomas, quod minus boni, non autem mali, præferuntur aliquando melioribus; vt excludat ſimpliciter malos à prædicto miniſterio. Hinc eſt quod ſanctus Doctor eodem artic. 2. præcitato, quantum ad conſcientiam eligentium docet, neceſſe eſſe eligere meliorem ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. Quod explicans Caietanus ad finem prædicti articuli, *hoc intelligitur* (ait ille) *de poſſibilibus habere*, addens, *Hi enim, de quibus conſtat quod haberi non poſſunt, extra latitudinem eligibilium computandi ſunt.*

Quamobrem tanta emphaſi verborum Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. ad initium*, de gradibus eccleſiæ ſermonem faciens, inter quamplura ſtatuit, *valde* elaborandum eſſe, *vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur: nam totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.* ſubdens, *Vnde etſi aliàs ſancta Synodus de promouendis ad Cathedrales, & ſuperiores eccleſias nonnulla vtiliter decreuit, hoc tamen munus eligendi eſſe cenſet, vt ſi pro rei magnitudine expẽdatur, nunquam ſatis cautum de eo videri poſſit.* Et rationem horum aſſignat idem Concilium, vbi ſupra cap. 18. dum inquit: *Expedit maxime animarum ſaluti, à dignis, atque idoneis gubernari.*

De hac materia tractant poſt D.Thomam, & Caietanum Aragon. 2.2.q.63. art. 2. Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 6. ar. 2. concluſ. 9. Valen. tom. 3. diſput. 5. q. 7. punct. 2. Ledeſma par. 2. ſumm. tract. 7. cap. 2. concluſ. 7. Nauarr. Miſcell. 38. de orat. Bañes 2.2.q.63. ar. 2. dub. 3. Azor, tom. 2. lib. 6. 15. q. 1. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 2. & 3. §. *an liceat in aliquo caſu eligere dignum*, vbi inter alia ad
30 4. argum. probat; cùm † Papa non ſit dominus, ſed diſpenſator beneficiorum eccleſiaſticorum, iuxta illud Pauli 1. Corinth. cap. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorũ Dei: Ideo conuenit, vt dignis conferat dignitates, & beneficia eccleſiaſtica; addens: Verum quidẽ eſt, quod ſi hæc indignis etiam conferantur, ele-

ctio erit valida in foro exteriori, non quia dominus ſit, ſed quia aliquando ita expedit, & eſt neceſſarium pro bono communi, vt animaduertit Ledeſma loco citato, & Valerius Reginaldus lib. 30. tract. 3. num. 195. quod habet locum præſertim, ſi indignitas recipientis proueniat ex illis, ſuper quibus poteſt Pontifex diſpenſare.

Ex his omnibus colligi poteſt conue-
31 nientiſſimum eſſe, † ac licere omnino electoribus, propoſito digniori extraneo, vere dignum ex eadem Ciuitate, vel Diœceſi, ſiue Collegio, vel Capitulo eligere in Prælatum eccleſiaſticum, propter rationem aſſignatam poſt ſacros Canones à D. Thoma 2. 2. *q.* 63. *ar.* 2. *in reſp. ad* 4. *arg.* dicente quod ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam in qua eſt nutritus. ſubdens immediatè, Et propter hoc etiam mandatur Deut. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non ſit frater tuus. Sotus, Valerius Reginaldus in ſua praxi, Valentia, & alij de quibus ſupra, idem ſentiunt cũ D. Thoma.

Præfecturæ igitur, & alia officia, quæ regimen præſertim animarũ continent, non his conferantur, qui improbe ambiunt, ſeu affectant illa, vel his qui cognatione, propenſione, ſiue amicitia ſunt eligentibus, vel confirmantibus, aut aſſumentibus coniuncti; ſed illis, qui virtutis præſidio ad functionem præſidendi, & mandandi, in veritate apti, & idonei omnino iudicãtur. Merita itaque, virtutes, vitæque, ſanctitas in aſſumendis, vel eligendis, ſeu confirmandis Prælatis, ponderanda ſunt; ita vt non precio, non precibus, nullovè aliquo humano affectu, ſed ſola virtute Prælati conſtituantur, iuxta illud Claudiani in Honorij commendationem decantatum.

Non dominantur opes, non corrumpentia ſenſus
Dona valent: emitur ſola virtute poteſtas.

Ideo curandum eſt non ſolũ vt Epiſcopi, & Abbates, verum, & quicunque alij promouendi ſunt ad Præfecturas, Prioratus, Guardianatus, Rectoratus, & Præpoſituras, inueniãtur idonei; verumetiam in illis neceſſario requiritur, vt ſint ſpectatæ virtutis, maturę ætatis, probi, prudenteſque, teſte Cicerone de Senect. aſſerente, quod Reſpub. vt plurimũ per adoleſcentulos labefactatæ ſunt, à ſenibus vero ſuſtentatæ, atque reſtitutæ.

32 Totum hoc dictat † ipſamet natura exemplo apium, & aliorum animalium; quibus ineſt inſtinctus ſibi conſtituendi Regem, ſiue Caput, dum illum eligunt, qui ceteris præſtat magnitudine corporis, pulcritudine formæ, viriumq. fortitudine.

Ex doctrina, quam tradit Caietanus *ad art.* 2. *q.* 63. 2. 2. *D. Thom.* & Aragon. *ibidem*, necnon & Ledeſma *p.* 2. *ſuæ ſummæ, tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 4. *dub.* 3. colligi-
33 tur ſatis eſſe, vt circa prædicta eligentes habeant † certitudinem quam vocant moralem, & humanam; prę oculis ſemper habentes, quod tenentur, ad euitandum peccati mortalis reatum, vti omni diligentia; quando nõ valent meliorem eligere ſimpliciter, ad minus illum eligant, qui melior dicitur ad regimen eccleſiæ, de quo etiam ſperatur, quod ſit gubernaturus ſolicitius, diligentiuſque Eccleſiam, vel Monaſterium, ſiue Collegium, vel Conuentum, cui præficiendus eſt.

Vt ſatisfaciam percõctantibus, an
34 peccet † minus dignus, concurrendo volens ſciens ad aliquam Prælaturam cum manifeſtè digniori; breuiter dico cum Caiet. in ſua ſummula Caſuum, *verb. benefic.*

neſic.eccl.nu.2. & cum Nauar. *miſcell.*40. *de orat. num.*10. & in Valer. Reginaldo *in ſua praxi, lib.*30. *tract.*3. *num.*198. quod abſque dubio mortaliter peccat, etiamſi id faciat, non vt digniori ſimpliciter præponatur; ſed vt ex concurſu cum eo, aliquem honorem, vel vtilitatem ſibi acquirat: dummodo ſemper dignus proſequatur concurſum vſque ad finem, & agatur cũ manifeſtè digniori.

35 Electus ad aliquam Prælaturam, † ſi putet ſe dignum ad illam, non poteſt eam refutare, aliàs mortaliter peccat. Archidiac. *in cap. ſi electio, de elect. in* 6. cui addit gloſſa *in cap. in ſcripturis, verb. minimè,* 8.*q.*1. id habere veritatem, quando alius deeſt, cùm non debeat quis de facili ſe putare dignum ſemper, quia multa incumbunt onera Prælato, vt latè animaduertunt Io. de Imol. Io. And. & Dominic. *in dicto cap. ſi electio, in* 6. & Petrus de Biaxio *in ſuo direct. elect. c.*42. 3.*par.* Hinc eſt quod S. Auguſt. *lib.*19. *de ciuit. Dei, cap.*19. (ad hoc idem relatus à S.Thom. 2. 2. *q.*185. *art.*1. *ad* 3.) inquit; *Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negocium iuſtum ſuſcipit neceſſitas Charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipienda, atque intuenda vacandum eſt veritati; ſi autem imponit, ſuſtinenda eſt propter Charitatis neceſſitatem.*

Caietanus ad eumdem articulum 1. q.185. paulò ſuperius citatæ, poſt ponderatam diſtinctionem ſancti Doctoris in littera corporis eiuſdem articuli aſ-
36 ſerentis, *quod in Epiſcopatu* † *tria poſſunt conſiderari. Quorum vnum eſt principale, & finale, ſcilicet Epiſcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur; ſecundum illud Ioan. vlt. Paſce oues meas. Aliud autem eſt altitudo gradus: quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur: ſecundum illud Matth.*25. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Tertium autem eſt, quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reuerentia, & honor, & ſufficientia temporalium: ſecundum illud* 1. *ad Tim.*5. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur.* Inhærendo expreſsè traditis in littera corporis eiuſdem articuli à S. Thoma inquit: *Cum enim dicitur Epiſcopatum appeti ratione circumſtantiæ bonorum, ponitur ibi actus appetendi in ly appeti: ponitur res appetita in ly Epiſcopatum: ponitur ratio appetendi in ly ratione circumſtantiæ bonorum. Ratio autem appetendi finis eſt, & referri poteſt ad duo, ſcilicet ad rem appetitam, & ad ipſum actum appetendi: & ſiquidem refertur ad rem appetitam, & ad actum appetendi ſimul, ſenſus eſt, quod illud quod eſt ratio appetendi, appetitur, & vt finis rei appetitæ, & vt finis actus appetendi. Et ſic appetens Epiſcopatum ratione circumſtantium bonorum, appetit ipſa circumſtantia bona vt finem Epiſcopatus, & vt finem ſui actus appetendi. Quando verò ratio appetendi refertur ad appetitum tantùm, tunc non denotatur, quod id quod eſt ratio appetendi, ſit finis rei appetitæ, ſed denotatur quod eſt finis mouens ad appetendum: & ſic appetens Epiſcopatum ratione bonorum circumſtantium, non ordinat Epiſcopatum ad bona circumſtantia vt ad finem, ſed appetitum ſuum ordinat ad circumſtantia bona, vt ad finem. Inter hos autem duos modos appetendi Epiſcopatum ratione circumſtantium bonorum, hæc eſt differentia, quod primo modo appetere eſt omnino, & manifeſtè peruerſum, quoniam ordinat Epiſcopatum quoad principalem actum, qui eſt cura animarum, ad bona circumſtantia vt finem: quod proculdubio eſt peccatum mortale ex ſuo genere. Et huiuſmodi peruerſitatis radicem tetigit Auctor in littera, dum diſtinguendo tria inuenta in Epiſcopatu, addidit ordinem, dicens, quod principale & finale eſt Epiſcopalis operatio, quæ vtilitati proximorum*

Digitized by Google

conſulitur. Cum verò Epiſcopatus alio modo appetitur propter bona circumſtantia, appetitus quidem malus eſt, eo quod appetibilia inuenta in Epiſcopatu non eumdem ordinem habent reſpectu appetentis, quem habent inter ſe: quoniam reſpectu appetentis bona circumſtantia ſe habent vt finis: inter ſe autem non ſic ſe habent, ſed bona circumſtantia ſe habent vt ad finem. Mortalis autem appetitus non videtur ſecundum genus ſuum ex eo quod talis appetitus compatitur ſecum rectitudinem voluntatis reſpectu aliorum in Epiſcopatu inuentorum. v.g. Ioannes mouetur ad appetitum Epiſcopatus ratione bonorum circumſtantium, vt ſcilicet habeat ſufficientiam temporalium, & honorem. Verum tamen cum hoc intendit facere debitum ſuum circa curam animarum, & diſtributionem bonorum tam Eccleſiæ, quam pauperibus terræ; nec intendit vti Epiſcopatu ad finem temporalium; ſed quantum ſibi conceditur frui portione ſua, & debito ſibi honore, & huiuſmodi ad laudem Dei. In hoc appetitu ex hoc capite nullam ego video deformitatem mortalem propter dictam rationem. Et propterea puto auctorem dixiſſe (ideſt S. Thomam) *illicitum, & non dixiſſe mortale. Et confirmatur, quia nec auaritia, nec ambitio, quæ duo vitia hic in littera dicũtur inueniri, ſunt peccata mortalia, quando deeſt materia iniuſta, aut finis vltimus non ponitur in pecunia ſeu honore, vt ex proprijs tractatibus ſuperius latius patet. In hoc autem caſu non ponitur finis vltimus in huiuſmodi, nec in iuſtitia ex parte materiæ appetitæ.* Hæc ille.

Cuncta hæc proportionaliter intelligi, ac referri debent ad appetentes alias eccleſiaſticas Prælaturas, præſertim illas quæ habent annexam curam, ſiue regimen animarum. Ideò ad hoc ſupradicta adducta fuere.

Diligenti animaduerſione ponderandum eſt illud quod num. 31. dictum eſt de electione illius qui eſt de Collegio, 37 ſiue † de natione, alijs præponendi. Quãuis enim Statutum de eligendo nationali non ſit ſimpliciter, & abſolutè loquendo contra libertatem electionis, nihilominus non eſt adeò alienum, neque remotum ab omni ſpecie coactionis, & violentiæ, vt inde aliquando non poſſit ſequi electio non libera, & per conſequens nulla. Et eſt caſus omnibus valde manifeſtus: Si Princeps, ſiue Principes ederent Statutum, vt abſolutè in ſuo Dominio nullus omnino eligi poſſet, ſiue electus confirmari in Prælatum, vel confirmatus ſuum non valeat exercere officium, niſi exiſtat ex illis qui ſubſunt ſuæ ditioni, pœnitus nullum ponentes diſcrimen inter dignum, ſiue indignum, dummodo ſit nationalis, vel illis ſubiectus, excludendo ſimpliciter omnem extraneum. Quo caſu talis electio ita coarctata, cenſenda eſt non plenè libera, & ideò nulla, ac irrita, propter ſæpius dicta, & repetita, præcipuè cap. 3. nu. 3. & præſertim ſi non eſſent tot, tantique digni in illo Dominio, vel natione, ſecundum numerum Prælationum: quod aliquando ſolet accidere. quandoquidem iuxta placita communia Theologorum, atque Iuriſtarum, præſertim D. Thomæ *2.2. q.63. art.2. & ſeqq.* Dominici Soto *lib.3. de iuſtitia, & iure q.6. art.2.* Nauarri *de orat. miſcel. nu.3.* bono publico, & Regimini Eccleſiaſtico non prouideretur opportunè, vt decet. Quod etiam non eſſet ſine aliqua acceptione perſonarum, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, & ex ſuo genere ſemper inuoluit peccatum mortale, vt docet inter alios D. Thom. *2.2. quæſt. citata 63. art.1. in corp.* & *in reſp. ad argumenta*, & expoſitores ipſius, *ibidem*, præſertim Bañes *concl.2.* & in hoc conueniunt omnes Theologi, atque Iuriſtæ.

Addo

Digitized by Google

Addo quod ex diſpoſitione Concilij Baſileenſis, & Decretis Clementis VIII. nouiſſimè confirmatis à ſanctiſs. D. N. Vrbano VIII. ſæpe in hoc tractatu in particulari relatis, Eligentes, ſiue Electores, vel vocales tenentur iurare ſe electuros digniorem: quod non poſſent exactè obſeruare in caſu, de quo ſupra. Hoc quoque in maximum Eccleſiarum tùm ſæcularium, tùm regularium nocumentum redundaret; cùm quaſi inuiti Electores eligere cogerentur minus idoneum, ſiue indignum; nam vocales eo caſu ex prædicto Statuto tantopere reſtricti, indignum, attenta ſolùm qualitate perſonæ, & non meriti, ſiue habilitatis, tenerentur etiam nolentes, & repugnante eorum conſcientia, eligere, timẽtes aliquod periculum, ſiue malum, ſi contra Statutum Principis agerent.

Eamdem doctrinam, conſequenter ſaltem, tradit Suarez *to. 4. de Relig. lib. 2. cap. 6. tit. de prima, & ſecunda conditionibus requiſitis ex parte eligendi, num. 2. & ſeqq.* Quam hauſit, (vt exiſtimo) ex placitis prædictorum Doctorum, adducens iura antiqua 18. *q. 2. in cap. Abbatem 2.* in quo ſtatuitur, vt eligatur Abbas de proprio Monaſterio, cum ſequenti tamen additione. *De alijs Monaſterijs* (id eſt eligant) *quando inter ſe aptam perſonam inuenire nequiuerint*. Cui addi poteſt diſpoſitio *cap. nullus inuitus diſt. 61.* vbi Cæleſtinus Papa loquens inquit. *Tunc autẽ alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de Ciuitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus poterit reperiri.* Ecce quomodo ſacri Canones abhorrẽt reſtrictiuam, ſiue reſtrictiuas, de quibus ſupra. Ideò Suarez, *vbi ſupra*, ad declarationem verborum quæ relata fuere, inquit. *Et fortaſſe olim, quando Monaſteria Monachorum ita erant inter ſe diuiſa, vt non efficerent propriè vnum corpus, nec haberent vnum Superiorem communem, hoc erat in more poſitum; vt electio fieret ex proprio Monaſterio: allegaturque tamquam ius ordinarium, & commune, quod non licebat prætermittere, niſi in prædicto caſu neceſſitatis; quamquam forte non fuit hoc tam neceſſarium, quia electio aliter facta valida eſſet, quia non inuenimus verba irritantia in antiquo iure; & alioquin cum electio futura eſſet communi conſenſu ſaltem maioris partis, poterat communitas cedere iuri ſuo: imò præſumenda eſſet ex legitima cauſa, & neceſſitate id facere, niſi oppoſitum manifeſtè conſtaret.*

Nunc autem in Religionibus virorum certum eſt, conditionem hanc non eſſe neceſſariam, ſed ſolùm vt electus eiuſdem Religionis ſit, vt patet ex Clement. 1. de elect. ibi: Ne Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus, vel profeſſionis. Ergo ex vi illius textus ſolùm eſt neceſſaria identitas Religionis, profeſſionis, & habitus: non ergo eiuſdem domus, vel Prouinciæ. Expendimus autem ſupra cap. 3. nu. 11. particulam, de cætero, in eodem textu poſitam, quia ex ea intelligitur, illud eſſe ius nouum; poſt illud autem non habemus ius quod maiorem identitatem requirat, ergo illa ſufficit. Denique vſu omnium Religionum ita receptum eſt. Nam Religiones mendicantes, & aliæ illis ſimiles, tantam habent in ſe vnitatem, vt diſtinctio locorum, vel Prouinciarum valde accidentalis reputetur: ideòque nec in eligendo Prouinciali conſideratur per ſe loquendo, vt eiuſdem Prouinciæ ſit filius, aut habitator; neque in Prælato Conuentuali, quod ſit eiuſdem Conuentus. Maior huius rei conſideratio videtur conſeruari in Religionibus Monaſticis; tamen quoad hoc fere reducta ſunt ad eamdem formam.

Ex quibus nullum infertur præiudicium alternatiuis electionibus Prouinciarum, de quibus in primo cap. late dictum eſt, quia ſemper in illis præſupponitur electio digni. In decreto autem,

de quo

de quo hic agitur, excluderentur indifferenter omnes digni, dummodo extranei, cum incluſione indignorum, dummodo eſſent nationales. Ob quam rigoroſam coarctatiuã de facili oriri poſſunt inſinuata mala, ne dicam maiora, non ſine magno diſciplinæ regularis detrimento, & iactura libertatis electionum, à ſacris Canonibus commendatæ, & non ſine rigore ſæpius præceptæ, ſub pœnis grauioribus; declarando inſuper electionem non liberam, nullam ac irritam.

Eadem, de quibus latè dictum eſt hoc numero, confirmantur eſſe traditis expreſsè in cõcluſione principali deciſionis ſacræ Rotæ Romanæ, *num.*65. præſertim, *num.*6. *&* 7. vbi ex ſententia Butrij, Imol. & aliorum iuriſperitorũ, 1. *par. recentior. tom.* 2. *coram Illuſtriſſimo Pamphilio* concluditur electionem ad certum genus perſonarum redactam, modo paulo ante explicato, eſſe contra ius. Et ratio aſſignatur, quia de iure, quilibet idoneus poteſt eligi, *cap. ad decorem de inſtit.* In qua deciſione inter quã plura dicitur quod Statuta excludentia à beneficio, ſiue à Prælatura certum genus perſonarum, rectè appellantur contra ius; hancque reſolutionem fertur feciſſe ſæpiſſimè Rotam Romanam. Et *nu.*8. eiuſdem præcitatæ deciſionis, *ſequeretur*, inquit Rota; *quod in omni electione minus idonei præferrentur magis idoneis, contra iuris diſpoſitionem*. Et nu. 10. eiuſdemmet deciſionis habentur, quæ ſequuntur: *Cõſiderabant Domini, quod per indirectum euenire poſſet, quod electio non ſit libera, & per conſequens nulla*. Quæ omnia applicari poſſunt caſu quo conderetur decretum, ſiue ſtatutum, in quo decernatur quòd ſolum hi qui ſunt de tali natione, poſſint indifferenter, ipſi ſoli, & non alij eligi in Prælatos.

Summa Cap. X.

1 *In electione ſummi Pontificis teneantur Electores eligere digniorem, & nu.* 3. 5. 7. 9.

2 *Cur in conſtituendo nouo Pontifice præcepit Deus, vt vniuerſi populi cœtus congregaretur.*

4 *Si quis per ſe, vel per alium, ſeipſum eligi in ſummum Pontificem curauerit, tanquam ambitioſus repelli debet.*

6 *In electione ſummi Pontificis ſuffragia vniuſcuiuſque debent eſſe libera.*

8 *An poſſit eligi in ſummum Pontificem aliquis idoneus, licet non ſit magis dignus.*

10 *Forma iuramenti præſcripta in Concilio Conſtantienſi Cardinalibus in electione ſummi Pontificis.*

11 *Cardinales ex vigore Conſtitutionis Gregorij X. eximuntur à quauis obligatione, etiam iuramento firmata; de eligendo hunc, vel illum in Pontificem.*

12 *Appetitus honoris tripliciter poteſt eſſe inordinatus.*

13 *Ambitio quid ſit, & an ſit ſemper peccatum mortale, & nu.* 14.

15 *Honor quomodo poſsit ordinatè appeti.*

16 *Ambitionis effectus ex S. Bernardo recenſentur.*

17 *Prælaturam optare, ſiue petere, an ſit omnino prohibitum.*

CAP. X.

De Ampliſsim. DD. Cardinalium obligatione, circa electionem dignioris in Sum. Pont. Rom.

PVNCTVM principale de quo agitur in hoc cap. illud eſt, An in electione Summi Pontificis teneantur DD. Cardinales electores eligere meliorem, ſiue digniorem, in foro conſcientiæ. Cui diffi-

Digitized by Google

difficultati reſpondetur, quod procul-dubio in electione Summi Pontificis
1 Romani, † electores, ſeu eligentes tenentur ſemper eligere digniorem, modo iam expoſito, præſertim in præcedenti capitulo; cùm nulla maior altitudo excogitari poſſit in Eccleſia ipſo Pontificatu, quod eſt ſummum inter Chriſtianos faſtigium: quare ſequitur nullum eſſe in Eccleſia maius negotiũ, quàm Summum Pontificatum alicui committere, partemq; in eo creando habere, qui cœlorum claues retinet, qui totum Domini gregem eius loco regit: quod opus ſanè diuinum dici debet.

Hoc idem inſinuant verba Pij Papæ Quarti, quæ habentur ad exordium Bullæ ab eo editæ anno ſalutis 1562. de diligentia, qua vti debent Cardinales in electione Summi Pontificis Romani, de qua latius dicam ad finem huius capitis in declaratione doctrinali, ſiue magiſtrali, quæ fit ad Bullam Gregorij Decimiquinti. Verba Pij Quarti ſunt quæ ſequuntur: *Quod ſi in quibuſlibet Eccleſiarum Paſtoribus tantopere prouidendum eſt, ne quis aſſumatur indignus; maiorem certè, & per ſpicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo, qui ceteris Paſtoribus eſt præfuturus, & totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.*

Quamuis concluſio reddatur ſufficienter probata, ex adductis in præcedenti cap. ac etiam ex munere Summi Pontificis, qui non ſolum eſt paſtor vniuerſalis ouium Chriſti, ſed ad illum quoque ſpectat alijs Eccleſijs prouidere de idoneis Prælatis: nihilominus euidentius probatur in particulari ex immediatè ſequentibus.

Primo, auctoritate S. Hieronymi *in Leuit.* quæ auctoritas tota regiſtratur *in cap. licet, 8. q. 1.* quam auctoritatem ad verbum inuenies apud Origenem *homil. 6. in Leuit. cap. 8.* parum poſt principium, *pag. mihi 82. col. 2. impreſſ. Pariſien.* 1604. vbi aſſignans rationem,
2 ſiue cauſam, quare † Deus præceperit, vt in conſtituendo nouo Pontifice, vniuerſi populi cœtus congregaretur, inter alia inquit, *Ut ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui-ve ſanctior, ac in omni virtute alijs eminentior, ille ad Pontificatum eligitur.*

Secundo, auctoritate S. Antonini Archiepiſcopi, qui tom. 3. ſuæ Summæ, *tit. 21. de electione Papæ, cap. 2. §. 7. ad initium*, poſt quã ſtatuit ampliſſimos Dominos Cardinales poſſe eligere Papam, vndecumque voluerint, ad præſcriptum ſacrorum Canonum, & Conciliorum, ſtatim inquit; *Suppoſita tamen æquali ſufficientia in aliquo qui ſit de Collegio, ac in alio extraneo, magis expedit de Collegio eligere, propter rationes ibidem aſſignatas.*
3 Et §. 8. vbi quærit, an Domini † Cardinales teneantur eligere in Summum Pontificem meliorem, ac doctiorem alijs, poſt multa reſpondet affirmatiuè; maximè verò, *quando elector ſua voce auget, ſiue peruenitur ad numerum ſufficientem electionis: tunc, & eo caſu*, ait S. Antoninus, *debet illum eligere, quem iudicat meliorem.* imò ſubdit ſecundum ſententiam Auguſtini de Ancona in ſua Summa de poteſtate Eccleſiæ, *q. 3. art. 3. in reſolutione, §. ex parte eligentis*, vbi de electione Summi Põtificis ex profeſſo tractans, *Si per eligentem*, inquit, *poteſt eligi æqua facilitate doctior, & ſufficientior, ſicut minus ſufficiens, puto quod tenetur doctiorem, & ſufficientiorem eligere, æqua facilitate ſuppoſita.* Quibus addit rationem Auguſtinus de Ancona, vbi ſupra art. 3. in corpore: *Quia conſcientia ſtringit eum ad iſtud.* deinde ſubdit: *Illi autem qui dicunt, quod ſufficit eligere doctum & ſuf-*

& ſufficientem, veritatem dicunt, nulla comparatione facta boni ad meliorem, vel docti ad doctiorem; vbi autem fit, non ſufficit. Superaddens ſtatim: *Multum enim quis haberet largam conſcientiam, quando æqua facilitate poteſt habere meliorem, ſicut bonum, & magis bonum dimitteret, minuſq; ſufficientem, ac minus bonum eligeret*. Et art. 4. in reſolut. inter cætera ait, *Expedit tamen Electori, & ſuadendum eſt ſibi, quod meliorem, ac optimum eligat: hoc eſt enim ſpeciale in electione Summi Pontificis, quod Electores peccatum acceptationis perſonarum committunt, dum ſcienter præferunt minus dignum dignioro*.

Denique S. Antoninus §. 11. *eiuſdem cap*. expreſſis verbis tradidit, quòd ſi DD. Cardinales contra conſcientiam eligant minus idoneum propter pecuniam, ſiue aliorum preces, vel quia non habeant perſonam magis ſibi fauorabilem, vel alio conſimili irrationabili reſpectu, hoc eſt grauiſſimum peccatum.
4 Addens, *Si † quis Cardinalium, per ſe, vel per alium, diuerſis vijs ſeipſum eligi in Summum Pontificem procurauerit, ſe maximè ambitioſum declarat*. Vnde iuxta Canonum ſententiam, tanquam ambitioſus repellendus venit. Et ad omnium confirmationem refert dictum Simmachi Papæ tenoris ſequentis, *Viliſſimus eſt putandus, ſi ſanctitate non præcellat, qui eſt honore præſtantior*. quam ſententiam tradit etiam Angelus *verb. elect. circa finem num. 21*.

Hanc ſententiam vt veram proponit, atque defendit Hieronymus Manfredus Bononieñ. quem ſæpius citat, atque valde cõmendat Hieronymus Platus Ieſuita, *lib. de Cardinal. dignitate, in ſuo tract. de Card. Sancta Romana Eccleſia, par. 1. in diſcurſu, ſiue cap. 7. ab eo directo D. Cardinali Ruſticuccio*, cui titulus extat, *De officio generali DD. Cardinalium, circa finem. §. Pontifice vita functo*, &c. dum ſermonem habens de electione Summi Pontificis, inquit, *Quo citius, ac ſatius poſſunt*, (ſcilicet DD. Car-
5 dinales) *curare debent, penitus † abhorrentes ab omni munerum corruptela, amore, ſpe, cupiditate, metu, aut quauis animi ſollicitudine prorſus exuti, magna humanitate ad id muneris accedentes. Quod ſi ſecus fecerint, peccatum æterna pœna dignũ, atque maledictione diuina admittũt, luentq; facinoris huius pœnam, corpore, animoq;*.

Quod clarius expreſſit in eodem tractatu, ſed cap. 26. directo Cardinali Gioioſæ, inſcripto ab eodem Auctore, *De inconſiderato, atque inutili DD. Cardinalium proceſſu, ad electionem Pontificis*. Poſtquam enim magno verborum apparatu oſtendit inutilem eſſe electionem, in qua tractatur ante Conclaue, vel poſt, vt eligatur aliquis determinatæ nationis, reſpiciendo non ad Dei honorem, atque ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, ſed ad priuata commoda, ſiue vtilitatem, huius rationem aſſignans, ait: *Quia ad eligendum Chriſti Vicarium, Cardinales omnes integritate animi, optimaq; mente accedere debent, non autem precibus, aut pretio corrupti, amore, aut odio aliquo; ſed tota cogitatione reſpiciant, vt oportet, ad vtilitatem Eccleſiæ, honorem Dei præpotentis ante oculos habentes. Si verò ſecus fiat, oleum, atque operam apud Deum, & homines perdunt; quoniam tanta poteſtate ſibi tradita abutuntur; ita quod æternos ſibi cruciatus acquirunt in alia vita, in hac verò, ſummum dedecus, atque infamiam contrahunt*.

Ad medium quoque illius capitis 26.
6 iterum repetit. *Sciant † Cardinales in electione Pontificis, ſuffragia vniuſcuiuſque libera eſſe debere*.

Tandem concludit illud Caput per ſequentia verba. *Concludamus itaque, ſi Cardinales per audaciam, ambitionem,*

aut

aut corruptelam, aliquem Pontificem eligant, electionem huiuſmodi eſſe erroneam. Hæc ille. Cetera eiuſdem Authoris non referuntur, cùm ſint nimio rigore reſperſa, valdeq. prolixa.

Quam ſententiam quoad omnimodam libertatem, defendit Nauarrus *tomo primo Conſiliorum, lib. 1. tit. de electione canonica conſ. 5. num. 2.* Ibi enim expendens quanti facienda ſit omnimoda libertas Electorum, inquit. *Omnis electio metu facta, eſt ipſo iure nulla, per textum putatum ſingularem, cap. vbi peric. §. caterum, de elect. in 6.* ſubdens immediatè: *Quatenus requirit etiam in electionem Papæ, voluntatem liberam eligendi, ſic quod alias non ſit futura valida; quæ communis eſt Doctorum ſententia.*

Quam ſententiam rationibus ibidem adductis, iterum confirmat. & *num. 3. eiuſdem citati conſ. 5.* referens ſe ad illa; quæ docuit in ſuo Manuali *cap. 17. numero 30. & cap. 22. num. 51.* vniuerſaliter aſſerit, quod *omnis metus, etiam non iuſtus, reddit actum nullum, ac inualidum quo ad forum conſcientiæ, ſi principaliter fiat ob illum metum.* Hæc ille.

7 Idem Platus Ieſuita, † adducit, ac ſtrenuè defendit, vti veram, propoſitam ſententiam S. Antonini; quam varijs rationibus, & auctoritatibus ampliat, vti eſt videre in citato lib. de Cardinalis dignitate, atque officio, præcipuè *cap. 21.* per totum, & ſignanter §. *Is igitur.* vbi per modum neceſſariæ illationis, infert quaſi ad verbum, noſtram ſuperius propoſitam concluſionem, dum de Cardinalibus Papæ Electoribus ait: *Itaque non ſolum graui ſe ſcelere obſtringunt, ſi inepto ſuffragium ſuum tribuant, ſed etiam ſi illud tribuant apto, prætermiſſo tamen aptiori: oportet enim, vt dixi, vt eum eligant, qui præter cæteros maximè aptus videatur.* Hæc ille verbatim. In eodem cap. & §. idem confirmat, adducitq. ſententiam Cardinalis Albani *q. 11. de Cardinal.* di-
37 centis, Cardinales vulnerare ſuas conſcientias eligendo idoneum, *quando magis idoneum eligere potuiſſent,* citans pro ſua ſententia Abbatem, & Decium.

Tertio, confirmatur ſupradicta concluſio, ex adductis à Siluestro in ſua Sūma, *verb. electio. 3. num. 3.* vbi ſermonem faciens de Cardinalibus Summi Pontificis electoribus, ait: *Debent primo eligere cæteris meliorem in conſcientia eligentium.* Et paucis interiectis, reſpondens ad obiectionem illorum, qui conātur aſtruere,
8 † ſufficere vt eligatur idoneus, licet non ſit magis dignus, inquit, *Eorum dictum ſecundum Theologos, ac Iuriſtas, debere exponi in foro contentioſo, non autem in foro conſcientiæ;* quapropter ſtatim ſubdit, *debent ſecundo eligere, ceteris paribus, doctiorem.*

Quarto, magis corroboratur ex illis, quæ tradit Nicolaus Garzias *tract. de benefic. par. 7. cap. 16. nu. 2. ad calcē,* vbi poſt allatas auctoritates 36. grauiſſimorum Doctorum, Theologorum, atque Iuriſtarum, innixus etiam cuidam Deciſioni Sacræ Rotæ Romanæ, *Toletanæ Canonicatus, die 18. Maij* 1584. coram S. D. Clemente Octauo, tunc Auditore
9 Rotæ, expreſſe inquit, † *Eligendus eſt dignior, non ſolum ad Summum Pontificatum, verum etiam ad quemlibet Epiſcopatum.* Ex quibus verbis liquido demonſtratur tanquam certum, atque conſtans apud omnes, in electione Sūmi Pontificis præferendum eſſe digniorem. Quod etiam proportionaliter venit obſeruandum in electionibus Epiſcoporum, quorum munus eſt paſcere oues ſuæ curæ concreditas.

Hieronymus Campanil. Epiſcopus Laquedoneñ, in ſuo Diuerſorio Iuris canonici, *rubric. 7. cap. 6. num. 71. per totum, præcipuè verò §. Et cum de elect. &c.* ibi loquens in particulari de electione

Papæ, ad verbum inquit, *Satis eſt in hoc loco pauca tantum adijcere pro electione Papæ, cuius in præſentia agitur; & non recedo à communi ſententia de omni electione verba generalia faciente; ac propterea in ea ſum reſolutione, teneri quemlibet ex ampliſſimis Cardinalibus, ſub pœna lethalis criminis, eligere idoniorem: ita quod dicunt aliqui id adeò verum, vt neque aſtringantur Cardinales aliquem eligere ex eorũ Collegio, ſed alium quærere, qui ſit magis idoneus*. Pro qua ſententia inter alios Auctores, citat Hieronymum Manfredum, de quo ſupra. Alciatum, Raudenſ. Rebellum, & Hieronymum Platum.

Quæ omnia, & ſingula, videntur valde conformia ſtatutis, primo in Concilio Conſtantienſ. ſeſſ. 40. tit. de forma, & modo eligẽdi Papam, poſt medium,
10 per ſequentia verba: † *Quod Cardinales in electione Papæ teneantur inſuper iurare, & iurent dicti Electores, antequam ad electionem procedant, quod in huiuſmodi electionis negotio, attendant, quod eis imminebit, cum de creatione agitur Vicarij Ieſu Chriſti, ſucceſſoris B. Petri, vniuerſalis Rectoris Eccleſiæ, gregis Dominici directoris, puris, & ſinceris mentibus, & quantum credant publicæ vtilitati Vniuerſalis Eccleſiæ proficere, omni cuiuſcunque nationis perſonæ, vel alio inordinato affectu, odio, gratia, vel fauore, abiectis, procedere; vt eorum miniſterio de vtili, & idoneo vniuerſalis Eccleſiæ paſtore prouideatur.*

Secundo ſtatutis quoque in *cap. licet*, in *cap. ne Romani*, & in *cap. vbi periculũ*, in quo continetur Conſtitutio Gregorij Decimi, vltimo edita in Concilio Lugdunẽ, circa electionem Summi Pontificis, per quam ampliat, & confirmat ordinata circa hoc in pręcitatis Capitulis, à Clemente V. & Alexandro III.

11 In qua Conſtitutione † Gregorij X. præcipuè §. *oſtentatur*, magna verborũ exaggeratione præcipitur, vt Domini Cardinales, deponentes omnem inordinatum affectum, atque neceſſitatem ad certum aliquem eligendum, ex vi obligationis, ſiue pactionis, condicti, intendimenti, ac ſimilium, quibus ordinariè adimitur libertas eligendi; ſine qua omnimoda libertate, vt aſſerit Pontifex ille, ceſſat omnis electio; illos hortatur, vt attentius cogitent, quid eis immineat, cũ agitur de Vicarij Ieſu Chriſti, ſucceſſoriſq. Petri, Rectoris vniuerſalis Eccleſiæ, gregiſq. Domini directoris electione; in qua Deo puris, & liberis mentibus intendentes, vtilitatem publicam ſolum præ oculis habentes, abdicatis proprijs, & priuatis commodis; non in ſe, neque in ſuos reſpicientes; non quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei & Eccleſiæ, diligentius perquirant.

Quod vt liberius exequi valeant, ad cautelam, eoſdem eximit ab omni, & quacumque obligatione, etiam iuramento firmata, de eligendo hunc, vel illum.

Quorum omnium, & ſingulorum, quamuis multiplex poſſit aſſignari ratio, placuit tamen ſummariè illam, vel illas fideliter referre, traditas in Concil. Baſileenſi ſeſſ. 12. tit. de electionibus, & cõfirmationibus Epiſcoporum, & Prælatorum, videlicet, *Quoniam tales oportet eſſe Prælatos, qui tanquam columnæ, & baſis ipſam Eccleſiam doctrinæ, ac meritorum viribus firmiter ſuſtentant, ij ad quos ius pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, vt dignam coram Deo, & hominibus electionem faciant, exactamq; proinde apponant ſollicitudinem, vt tales eligant, qui tanto officio valeant ſatisfacere, ſcientes, quod ſi doloſè vel negligenter, ac timore Domini poſtpoſito, in re tam graui ſe geſſerint, ſicut auctores erunt, & cauſa malorum Paſtorum, ita participes fiant pœnarum, quas ipſi mali Paſtores in diſtricto Dei iudicio patientur.* Et *ſeſſ.* 23. eadem reno-

Digitized by Google

renouantur. Hoc idem præcipitur in Concilio Prouinciali Colonienſi celebrato 1536. *par.1. cap.7. & 8.* & in Concil. Trid. *ſeſſ.24. cap.1. de Reformatione*, vbi poſt quam ſtatuit magnopere eſſe elaborandum, ne in electione eius qui ſupra omnes gradus conſtituitur, error committatur, aſſignans rationem ait: *nam totius familiæ Domini ſtatus, & ordo ruet, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.*

Quod magis explicat Sotus relatus à Gutierez, *lib.2. canon. qq. cap.11. nu.1.* parum poſt medium, dicens, quod ſi in omnibus ſacerdotijs & præcipuè in habentibus animarum curam, hoc neceſſarium eſt; quanto id magis neceſſarium erit in Epiſcopis præficiendis, vtpote quorum adminiſtratione tota ſalus ſpiritualis Chriſtianæ Reipublicæ periclitatur? Addo ego, ſi in Epiſcopis, multo magis in ſupremo vertice vniuerſalis Eccleſiæ.

Et num.4. ait: *Contra iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam, fidem populo, & Eccleſiæ frangit, qui non optimum ei miniſtrum abſque fraude, & dolo prouidet; ac proinde peccat mortaliter, vt probat Dominicus à Soto, lib.10. de iuſtitia, & iure, q.2. art.3.* Hæc ille.

Quamobrem *in cap. nihil, tit. de elect.* expreſſis verbis dicitur. *Nihil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum.*

Cuncta hæc arbitranda veniunt, non tantum ad placitum, neque ſecundum iudicium cuiuſque indifferenter, ſed virorum ſapientum, vereque zelum Dei ac iuſtitiæ eius habentium, de quibus longa temporum experientia certum eſt apud omnes, quod ſint viri recti, iuſti, ſapientes, boníque vniuerſalis Eccleſiæ amatores ac promotores.

Denique diſpoſitio, ſiue tenor Conſtitutionis editæ à S. D. N. Greg. XV. 6. Kalend. Decemb. Pontificatus ſui Anno primo, de electione Rom. Pontificis, cuius initium eſt; *Aeterni Patris Filius, &c.* de qua paulò poſt, confirmat, imò præcipit obſeruantiam eorum, quæ ſuperius tradita fuere, circa electionem digni, & idonei ad tale onus, ſecundùm Deum.

Nam inter cætera quæ in prædicta Conſtitutione præcipiuntur, illud eſt, vt non fiat electio ſummi Pontificis, niſi conclaui iam clauſo, & poſt celebrationem Miſſæ, præmiſſo iuramento à DD. Cardinalibus, de quibus ſuſius in eadem Bulla.

Ex quibus omnibus licet colligere dígniorem eſſe omnino eligendum, modo tamen pluries ſuperius declarato.

Quia ſæpe in hoc Capitulo, præſertim num.4. facta eſt mentio de ambientibus Prælaturas, & de odio proſequendo enorme vitium ambitionis, breuiter dicam, quid ſit Ambitio, & quales ſint fructus peſſimi iſtius peſtilentiſſimi vitij. Quod ſemper eſt peccatum, quia repugnat charitati, vt optimè colligit D. Thom. 2,2. *q.131. art.1. argum. ſed contra*, ex ſententia Apoſtoli 1. *Cor. cap.13.* & in corp. eiuſdem articuli, poſtquam dixit, honorem importare *quandam reuerentiam alicui exhibitam in teſtimonium excellentiæ eius.* Subdens: *In tantum debet homini placere teſtimonium ſuæ excellentiæ, quod ab alijs exhibetur, in quantum ex hoc paratur ſibi via ad hoc, quod alijs proſit.*

Et vt magis, & clarius exprimat malignitatem peccati ambitionis, antequã eam diffiniat, ſiue deſcribat, præmittit diſtinctionem de triplici modo, quo cõtingit, vt aliquis homo habeat appetitum honoris inordinatum, per ſequen-
12 tia verba. *Tripliciter † autem appetitum honoris contingit eſſe inordinatum. Vno*

modo per hoc, quod aliquis appetit teſtimonium de excellentia, quam non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem. Alio modo per hoc, quod honorem ſibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc, quod appetitus eius in ipſo honore quieſcit, non referens honorem ad vtilitatem aliorum. Ex quibus colligit diffinitionem ambitionis, in hunc qui ſequitur modum. *Ambitio autem* † *importat inordinatum appetitum honoris. Vnde manifeſtum eſt, quod ambitio ſemper eſt peccatum.* Et peccatum mortale, vt opponitur charitati, cui nihil repugnat, vt communiter aſſerunt omnes Theologi, tanquam excludens ipſam, niſi peccatum mortale.

13

14 Non propter hoc dico, quod † omnis ambitio ſit peccatum mortale; ſed cum D. Tho. *vbi ſupra*, aſſero, quod omnis ambitio, quæ charitati repugnat, peccatum mortale eſt. Quam ambitionem merito D. Tho. vitium appellat, vti eſt videre in reſponſione primi argumenti eiuſdem articuli citati.

Supradicta magis elucidans Caietanus vbi ſupra, §. *ad euidentiam tertij, & quarti dubij*, expreſſis verbis inquit. *Ad euidentiam tertij, & quarti dubij aduertendum eſt, quod honor cùm ſit in genere bonorum vtilium, quoad hoc quod pro-*

15 *pter aliud eſt appetibilis, ad hoc* † *quòd ordinate appetatur, aut delectet, oportet quod referatur in debitum finem, ad quem ordinandus eſt. Et quia ordinatur ad excellentiam hominis, eſt enim honor teſtimonium excellentiæ, & excellentia ordinatur ad vtilitatem aliorum; ideo de primo ad vltimum, honor mihi exhibitus ordinatur ad vtilitatem aliorum. Et ſimiliter, quia excellentia mea eſt principaliter à Deo, ideo honor exhibitus meæ excellentiæ, ordinatur principaliter ad Deum, vt auctorem excellentiæ illius. Et hæc ſunt proculdubio vera. Sed quod difficultatem ingerit eſt, quia non oportet omnem rectum vſum alicuius referre in omne id, ad quod natum eſt referri; ſed ſufficit quod referat illud ad aliquem licitum finem, in quem eſt natum ordinari: verbi gratia, Pecunia ordinatur principaliter ad commutationem, & poteſt ſecundario ad depoſitionem, vel aliquid aliud. Nec oportet, quodlibet vtens pecunia commutet; ſed ſufficit quod ordinet ad aliquem licitum finem. Ita in propoſito, honor ordinatur ad tres, ſcilicet ad Deum, vt auctorem excellentiæ: & ad Perſonam excellentem, vt habentem illam: & ad proximos, vt proſit illis; Si is qui excellit, appetit honorem, aut delectatur honore infra proprios limites, ſcilicet præciſe, vt habens excellentiam, ex hoc ipſo reſeruat locum ſuum Deo, vt auctori: & proximis, vt quibus proſit; quoniam relinquit honori relationes, quas habet, ex hoc ipſo, quod non vſurpat, aut deſpicit relationem illius honoris ad Deum aut proximos. Intelligo igitur ego, eſſe inordinatum appetitum honoris propter non referre in Deum, vt auctorem: et proximos, vt quibus proſit; ſi non referre ſumitur contrariè, aut priuatiuè; & non ſi ſumitur purè negatiuè.*

Et ad finem Commenti eiuſdem art. §. *ad ſecundum vero*. Poſtquam plura optime, ratione, & auctoritate ſtabilita per modum neceſſariæ illationis; ipſemet Caietanus inquit. *Et propterea non poteſt quicumque habens virtutem, appetere quantumcumque honorem, ſed commenſuratum ſecūdum Patriæ morem virtuti illi. Honor enim cum ab alijs exhibeatur excellentiæ alicui, diuerſis excellentijs diuerſi honores accommodati ſunt. Et propterea appetitus rectus non eſt, qui incommenſuratum ſuæ virtuti honorem appetit. Et quamuis nullus honor ſit cuicumque virtuti ſufficiens ſimpliciter, vt præmium, eſt tamen tali virtuti, ab hominibus talibus, talis honor ſufficiens, vt teſtimonium humanum: & tali virtuti, talis alius honor, & ſic de alijs. & propterea vitioſum eſſet, ſi Doctor in Theologia vellet bonorari, vt*

Imperator triumphans, & ſic de alijs.

16 Effectus enormes † ambitionis in parte deſcribit ſanctus Bernardus dicẽs. Ambitio *ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hyppocriſis, liuoris parens; vitiorum origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium; ex remedijs morbos creans, & medicina laborem generans.*

Merito itaque ſanctus Ioannes Chryſoſtomus hom. 56. in Gen. cap. 30. *Ne ambitionem,* (ait ille) *ſectemur, nihil enim perieuloſius, id quod verum experientia ſatis didicimus.* & hom. 83. in Io. cap. 18. *Graue quidem eſt ambitio, graue inquam, & quæ animum perdere valeat.* Idem S. Ambroſius, *lib. 4. in Lucam, cap. 4.* & ſanctus Hieronym. *ad Ruſticum Monachum*; & pariter ſanctus Auguſtinus, *lib. 5. de ciuit. Dei cap. 21.* & ſanctus Gregorius magnus, *par. 13. Paſtoral. admonit. ſecunda.*

Scio equidem, quod appetitus moderatus ad prædicta non dicitur ambitio,
17 neque omnino prohibitum eſt † Prælationem optare, ſiue petere, ſecundum tamen formam, quam tradit D. Tho. *2. 2. q. 185. art. 1. in corpore, & in reſponſione ad argumenta*, præſertim *ad primum, & ſecundum*: quam formam euidenter colligit ſanctus Doctor ex multis locis ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum ibidem citatis; & doctrinam corporis eiuſdem articuli concludit per verba ſancti Chryſoſtomi *homil. 35.* in Matth. vbi exponens illa verba Apoſtoli, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat,* inquit. *Opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt: priuatum autem honorem concupiſcere, vanitas eſt. Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe oret.* Et in reſponſione ad primum adducens verba ſancti Auguſtini, *lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 19.* inquit. *Qui Epiſcopatum deſiderat, &c. quia nomen Epiſcopi, nomen operis eſt, non honoris. Græcum enim Epi, ideſt ſuper, ſcopus vero intentio eſt: ergo Epiſcopon græce, ſi velimus latine ſuperintendere, poßumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, quia præeſſe, & non prodeſſe dilexerit.* Et in reſponſione ad ſecundum argumentum dicit, quod appetere ſtatum Religionis licet, cum ſit via ad perfectionem; ſtatum vero Epiſcopalem, cùm dicat perfectionem, quæ præexigitur in Epiſcopo, ideo eſt præſumptuoſum, quòd aliquis perfectum ſe reputat. Et ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, *hom. 35. in Matth.* merito inquit: *Primatum Eccleſiæ concupiſcere, neque iuſtum eſt, neque vtile.*

Ex Statuto Symmachi epiſt. 1. cap. 5. Nullus itaque per ambitum ad Epiſcopalem honorem permittatur accedere: nam cum hic exceſſus vi laica conuerſatione culpetur: quis dubitat, quin Religioſis, & Deo ſeruientibus incutiat opprobrium?

Et S. Gregorius lib. 7. epiſtolarum epiſt. 110. in antiquis Exemplaribus operum illius, parum poſt initium. *Si recti libraminis examinatione* (inquit) *penſetur, dum improbe ad inanem gloriam locum feſtinat vtilitatis arripere, eo ipſo magis quod honorem quærit, indignus eſt.* Et poſt pauca concludit, *Sic qui vltro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus.* Et ſtatim prædictorum reddens rationem, ſubdit. *Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi vt creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat?*

Modus vero vtendi, ſiue ad practicam reducendi ea quæ pie, ac ſancte ſtatuit S. D. N. Greg. XV. de eligendo ſummo Pontifice, de qua ſupra ſub num. 11. mentionem fecimus, eſt ille latè, & patenter expreſſus, in Cæremoniali continente ritus electionis Romani Pontificis, eiuſdem Gregor. XV. iuſ-

ſu edito, & Romæ impreſſo ex typographia Cameræ Apoſtolicæ 1622. à pag. 73. vſque ad 121.

Et quia nimis prolixum eſſet cuncta hic enarrare; ideo remittimus Lectorem ad ſupradictum librum ſatis notum, & communem.

Summa Bullæ Gregorij XV.

De electione Romani Pontificis.

1 *Deſcribitur, quæ, & qualis diligentia adhibenda ſit in electione ſummi Pontificis Romani, vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris.*

2 *Prædicta Conſtitutio non eſt inutilis, immo valdè vtilis.*

3 *Summus Pontifex Gregorius XV. declarat quod auctoritate ſua diſponit, quæ continentur in dicta Bulla.*

4 *Ponuntur tres formulæ, quibus vti poſſunt Illuſtriſſimi Cardinales in electione Romani Pontificis, per ſcrutinium ſcilicet, per compromiſſum, & quaſi inſpirationem.*

5 *In electione Pontificis Romani, per viam ſcrutinij, & acceſſus, & per viam compromiſſi, nemo poteſt eligere ſeipſum.*

6 *In ſcrutinio, vel ſcrutinio, & acceſſu, neceſſaria eſt publicatio ſuffragiorum.*

7 *Quid agendum caſu, quo plures euadant electi ſuffragiorum paritate, vel imparitate.*

8 *Quibus verbis præſtandum ſit iuramentũ in prædicta electione Romani Pontificis.*

9 *De inſcriptionibus, & ſignis ſchedularum pro ſuffragio præſtando.*

10 *De complicatione, obſignatione & aperitione ſchedularum.*

11 *De nullitate ſuffragij acceſſus, quandouè ſchedulæ ſunt aperiendæ, præſertim in ea parte in qua eſt nomen eligentis.*

12 *Quomodo in ſchedulis ſcribendum ſit nomen electi, & in qua parte fieri debeat inſcriptio ſchedularum.*

13 *Quando habeat locum acceſſus, quando & quomodo fieri debeat.*

14 *Tam in ſcrutinio quàm in acceſſu, non licet plures nominare, cuique fieri poſſit acceſſus.*

15 *Semel tantum licet accedere in vno ſcrutinio, & per acceſſum non receditur à nominato in ſcrutinio.*

16 *Quomodo ſit facienda numeratio ſchedularum, quodque agendum ſit, ſi numero Cardinalium ſchedulæ non reſpondeant.*

17 *Statuuntur pœnæ contra non obſeruantes prædicta.*

18 *Quomodo ſuffragia Cardinalium infirmorum ſint ferenda, & de eorum acceſſu.*

19 *Scrutatores & deputati pro votis infirmorum, quomodo extrahantur, & quam pœnam incurrant, ſi aliquid ſecreti reuelent; deque munere recognitorum, & de combuſtione ſchedularum.*

20 *Quomodo & quando in die fieri debeat ſcrutinium vel compromiſſum.*

21 *Omnino prohibentur ſub pœnis de quibus in Conſtitutione, ne fiant pactiones, promiſſiones, ſigna, & alia huiuſmodi.*

22 *Declarantur illa quæ nullam reddunt electionem Romani Pontificis, & deſcribuntur pœnæ eligentium, electorum, contra formam præſcriptam in eadem Conſtitutione.*

23 *Præcipitur obſeruantia ſecreti in electione Romani Pontificis, & prohibetur Cardinalibus mutatio ſiue alteratio huius Conſtitutionis.*

24 *Deputantur exequutores contentorum in dicta Conſtitutione.*

25 *Non excluduntur ab electione Romani Pontificis Cardinales, etiam quod ſint cenſuris irretiti.*

26 *Derogatur Conſtitutionibus, Decretis Conciliorum, & alijs prædictæ Conſtitutioni oppoſitis.*

27 *Quoties & quando iurare debent Cardinales de obſeruantia prædictorum.*

28 *Reſtringitur derogatio, de qua in §. non obſtanti-*

ſtantibus, indicando ſucceſſoribus Pontificibus obſeruantiam huius Conſtitutionis.

29 *Mandatur publicatio huius Conſtitutionis cum alijs conſuetis clauſulis exequutorialibus.*

30 *Proponitur Concluſio Conſtitutionis. Nulli ergo hominum, &c.*

GREGORIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei:

Ad perpetuam rei memoriam.

AETERNI Patris Filius, Magiſter, & Legiſlator noſter Chriſtus Dominus, cuius omnis actio, noſtra eſt inſtructio, licet portaret omnia verbo virtutis ſuæ, nec eſſet quicquam abſconditum ab oculis eius; tamen priuſquàm ad Apoſtolatus munus duodecim Apoſtolos eligeret, & nominaret, quod aliàs vnquam feciſſe in ſcripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei: & antequam B. Petro ouium ſuarum curam committeret, tertiùm repetita interrogatione, trinã extare æterni amoris eius profeſſionem: Nos ſcilicet erudiens quanta diligentia, cautione, & cura in omnium Paſtorum electione adniti debeamus, vt boni eligantur, & fideles; præſertim verò in Beati Petri Succeſſoris, qui Orbis eſt lumen, Doctor gentium, & Paſtor Paſtorum. Quapro-
1 pter † ſatis etiam admonemur, nihil eorum, quæ ad electionis Romani Pontificis negocium cautius & melius tranſigendum conducunt, omitti debere: ſalus enim non vnius membri, ſed totius corporis agitur, cum de capite conſulitur. Igitur etſi diuerſis fel. rec. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & Sanctorum Patrum decretis ſalubriter prouiſum eſt, vt eius electio ritè, & rectè peragatur, & in ea non caro & ſanguis, aut humana ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum, dominetur; ſed Spiritus ſancti gratia omnia dirigantur, & gubernentur: nihilomi-
2 nus, † vt dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, experientia compertum eſt ſalubriori remedio locum non deeſſe. Nos igitur, quos poſuit Dominus, licet nullis ſuffragantibus meritis, regere Eccleſiam ſuam, ne in extremo die prætermiſſi officij in re tanti momenti à nobis ratio à diſtricto Iudice exigatur, quod multorum etiam votis, & poſtulationibus multum expetitum eſt, ſancti Spiritus adſpirante gratia, faciendum decreuimus.

3 Matura itaque cum † Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione habita, de eorumdem Fratum conſilio pariter, & aſſenſu, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, in poſterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe, quàm in Conclaui, & eo clauſo, ac poſt celebratum in eo prima die Sacroſanctum Miſſæ ſolitum Sacrificium, cui Cardinales intereſſe, & in eo communicare conſueuerunt;
4 ac per † ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium, in Conclaui præſentium: præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales ſimiliter in Conclaui præſentes, nemine diſſentiente, aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi poteſtatem, vt vice omnium Eccleſiæ Catholicæ prouiderent de Paſtore: aut niſi communiter ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus, qui itidem in Conclaui præſentes erũt, nemine pariter diſſentiẽte, quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, per verbum,

ELIGO, intelligibili voce prolatū, aut
ſcripto, ſi voce fieri non potuerit, ex-
preſſum, fuerit celebrata. Numerum
autem Suffragiorum duarum ex tribus
partibus Cardinalium in Conclaui præ-
ſentium, vt electio per viam Scrutinij,
ſiue Scrutinij, & acceſſus valida ſit, de-
cernimus,& declaramus ita eſſe cenſen-
dum, vt in duabus tertijs partibus Suf-
fragium electi non numeretur; nec
5 † quiſquam,ſiue Scrutinij, ſiue Scrutinij
& acceſſus, ſiue Compromiſſi via pro-
cedatur,ſeipſum eligere,ſeu ſuffragium
ſibi dare vllatenus poſſit: Electi tamen
perſona,ſi in Conclaui ſit, debeat in nu-
merum Cardinalium computari. Rur-
ſus nemo per viam Scrutinij, ſeu Scru-
tinij & acceſſus,habeatur pro electo,ni-
6 ſi † publicatis omnibus ſuffragijs,& ele-
cti, ſi numerum tantummodo duarum
ex tribus partibus habuiſſe compertum
ſit, etiam ſchedulis apertis. Ac ſi con-
7 tingat † plures in ſchedulis nominatos,
duas tertias partes ſuffragiorum tuliſſe;
in ſuffragiorum paritate neuter ſit ele-
ctus; in imparitate verò, qui numero
ſuffragiorum ſuperior erit, dummodo
duas tertias partes, etiam in vno ſuffra-
gio excedat, electus cenſeatur. Inſuper
in vnoquoque Scrutinio antequā ſche-
dula in calicem mittatur, à quolibet
Cardinale iuramentum, alta, & intelli-
8 gibili voce fiat,his verbis: † TESTOR
CHRISTVM DOMINVM, QVI
ME IVDICATVRVS EST, ME
ELIGERE QVEM SECVNDVM
DEVM IVDICO ELIGI DE-
BERE, ET QVOD IDEM IN
ACCESSV PRAESTABO. Et
hoc iuramentum à nullo omittatur.
Suffragiorū autem ſchedulæ huiuſmo-
di tàm Scrutinij, quàm acceſſus,vbi fie-
ri potuerit, impreſſæ omnino eſſe de-
beant; vbi non potuerit, vnius tantum
9 manu ſcriptæ ſint; ita † videlicet, vt tam
impreſſæ, quàm ita ſcriptæ, ea omnia,
quæ in ſchedulis huiuſmodi exprimi
ſolent, contineant, præter ſola nomina,
ſeu denominationes eligentis, & electi,
& infraſcripta ſigna, quæ omnia manu
eiuſdem eligentis ſcribantur: & nomen
quidem eligentis in prima parte ſche-
dulæ, electi verò in ſequenti; & rurſus
electi, quantum fieri poterit, charactere
alterato, ita vt cognoſci non poſſit: eaq;
10 † ſchedulæ pars, in qua erit eligentis
nomen,claudatur, ac ſigillo ad hoc pa-
rato, ac ſecretè habito, non autem eo
quo quiſque vti ſolet, obſignetur. Vt
autem videri poſſit, ne quì alicui acceſ-
ſit,eidem in Scrutinio ſuffragium dede-
rit, ſchedulæ omnes duobus alijs ſignis
in vltima parte ſignētur,numero nem-
pe aliquo, & breui dicto ſacræ Scriptu-
ræ, vel alio huiuſmodi; quæ ſigna in
vtraque ſchedula tàm Scrutinij, quàm
acceſſus,eadem ſint. Poſtea verò pars
illa ſchedulæ,vbi hæc ſigna erunt,etiam
complicetur, & obſignetur,ne à Scruta-
toribus videri poſſit,niſi poſtquam fue-
rit per Scrutinium, & acceſſum electio
perfecta; quo caſu ſchedulæ acceſſus à
Scrutatoribus ea in parte,vbi duo prædi-
cta ſunt ſigna,aperiantur,iiſq; inſpectis,
earum ſigillis, aliæ ſchedulæ cum iiſ-
dem ſignis notatæ,& in Scrutinio datæ
reperiantur; vt videlicet an duo hæc ſi-
gna, & ſigillum eadem ſint cognoſca-
tur, & inde duo ſuffragia ab eodem
Cardinali vni data non fuiſſe appareat.
11 At ſi inter ſchedulas † Scrutinij nulla
reperietur iiſdem ſignis notata, quibus
ſchedula acceſſus ſignata erit,aut ſi quis
eidem acceſſerit,quem in Scrutinio no-
minauerit; vtroque caſu ſuffragium ac-
ceſſus nullum ſit. Subſcriptio autem,
ſeu nomen eligentis reſignari non poſ-
ſit, niſi contingat, vt ſigillum, & alia
duo prædicta ſigna ſint eadem cum ſi-
gnis, & ſigillo alicuius alterius Cardi-
nalis,

nalis,aut alia difficultate cogente. Quod
12 autem attinet ad nomen Electi, † illud
eo modo à Cardinalibus ſcribatur,quo-
modo in folio impreſſo, vbi in Concla-
ui notari ſuffragia ſolent. Præterea, vt
ſecreto cautius conſulatur,ſchedulæ ſuf-
fragiorum conficiantur, vna, ſeu pluri-
bus in menſis, in media Capella conſti-
tutis, ita à Cardinalibus remotis, & cir-
cumſeptis, vt quid ſcribatur ab alijs vi-
deri non poſſit. Si quis verò ad menſam
accedere,impeditus valetudine non po-
terit, is ſuffragium ſuum in loco ſuo ſe-
cretè conficere debeat, & ad illud acci-
piendum vltimus Scrutatorum accedat.
13 Et vt † acceſſus ſecretè etiam peraga-
tur, Scrutinio publicato, ſi electio per
conſenſum duarum partium in eo non
fuerit celebrata, ſtatim antequam ad
alios actus deueniatur, Cardinales ſche-
dulam pro acceſſu formatam,prædictis
in menſis conficere, ſicut in Scrutinio,
teneantur. Porrò vſus ſchedularum pro
acceſſu talis erit. Qui accedere alicui
ex nominatis in Scrutinio voluerit, eius
nomen ſcribet: qui verò noluerit, ne
cognoſci poſſit eum nulli accedere, in
loco nominis ſcribat NEMINI. Nul-
14 li autem † tam in ſchedula Scrutinij,
quàm acceſſus, plures nominare liceat;
alioquin ſuffragium, in quo plures fue-
rint nominati, nullum ſit; accedere ta-
men vni ex nominatis à ſe in dicta ſche-
dula, vel alij, dummodo aliquod aliud
ſuffragium in eodem Scrutinio tulerit,
non prohibeatur, & in numerum Car-
dinalium in Conclaui præſentium nu-
15 meretur. Neque in quolibet † Scruti-
nio, niſi ſemel accedere liceat; neque
per acceſſum ab alterius nominatione,
in Scrutinij ſchedula facta, recedi de-
cernimus, & declaramus. Inſuper an-
tequam ſchedulæ, ſiue Scrutinij, ſiue
acceſſus, à Scrutatoribus aperiatur, om-
nes ab ijs diligentiſſimè palam nume-
16 rentur: & ſi † plures repertæ fuerint,
quam ſint Cardinales in Conclaui præ-
ſentes, omnes comburantur, & iterum
ad ſuffragia ſtatim deueniatur. Si quis
autem aliquid ex ſupra expreſſis non
17 † ſeruauerit, aut quomodocunque dire-
ctè, vel indirectè in aliquo contrauene-
rit, ſententiam excommunicationis ip-
ſo facto incurrat. Præterea ſtatuimus,
18 & ordinamus, quod ſi aliquem † infir-
mitas impediuerit ad Scrutinium veni-
re, ad eum adire debeant tres Cardina-
les, ſorte ante Scrutinium, vt infra ad
hanc rem ex omnibus Cardinalibus per
vltimum Diaconorum extracti, cum
capſula perforata, ſed inani, & palàm à
Scrutatoribus clauſa, cuius clauis ſuper
altare remaneat, & Schedulam impreſ-
ſam illi deferre; ipſeq. illam, ſicut alij
Cardinales, præuio iuramento ſupra-
ſcripto, ſecretè conficere teneatur; de-
inde in capſulam conijciat, eaq. per eoſ-
dem Cardinales relata, & aperta, in ca-
licem ſchedula mittatur. Publicato de-
inde Scrutinio, ſi acceſſus agendus erit,
vt etiam infirmi accedere poſſint, vnum
ex folijs, in quibus nomina Cardinaliũ,
& ſuffragiorum numerus notantur, à
tribus Cardinalibus prædictis ſumatur;
& palàm recognito numero ſuffragio-
rum, quæ quiſque in Scrutinio tulerit;
ad infirmum, vna cum alia impreſſa
ſchedula, pro acceſſu parata, & cum ea-
dem capſula ab ijs deferatur. Infirmus
verò alicui accedere, vel nemini acce-
dere debeat, omniaq. & ſingula ſeruen-
tur, quæ de Scrutinij ſchedula ſupra
ordinata ſunt, ſub eadem excommuni-
cationis latæ ſententiæ pœna. At ſi quis
ſcribere valetudine impediatur, per a-
lium præuio iuramento, ab eo qui ſcri-
bet præſtando, de ſeruãdo ſecreto; quod
ſub eadem excommunicationis pœna
ſeruari mandamus, ſcribere liberè poſ-
19 ſit. Ad hæc † Scrutatores tres, ſicut &

tres

tres alij Cardinales, qui ad infirmorum ſuffragia deferenda proficiſcentur, ex omnibus Cardinalibus præſentibus in Conclaui, nulla ordinis ſeruata diſtinctione, ſorte, immediatè ante quodlibet Scrutinium per vltimum Diaconorum extrahantur; & qui ſemel extracti fuerint, in vas iterum conijciantur; alioquin ſi quis contrafecerit, ſicut ſi Scrutatores, vel recognitores aliquid ſecreti in exercendo ſuo officio cognouerint, & illud reuelauerint, eandem latæ ſententiæ excommunicationem incurrãt. Finito Scrutinio, & acceſſu, ſiue electio ſequuta ſit, ſiue non ſit, tres alij Cardinales, ſorte pariter, vt ſupra, extrahendi, Schedulas omnes recognoſcere debeant, ſigillo tamen, & duobus alijs ſignis, ſi aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quæ omnes & ſingulæ Schedulæ, ſiue ſequuta, ſiue non ſequuta electione, poſtmodum ſtatim palam comburantur. Similiter ne electio pro-
20 trahatur, ſtatuimus †, & ordinamus, vt ſub ſimili excommunicationis pœna, eo ipſo incurrenda, Scrutinium bis ſingulis diebus peragatur, ita vt etiam perficiatur; mane ſcilicet poſt ſolitam Miſſam, & prima quidem die tantum poſt Cardinalium ſacram peractam cõmunionem; & pomeridiano tempore hora opportuna, poſt Hymnum *Veni creator Spiritus*, & orationem de Spiritu ſancto: idemq. ſi Compromiſſi via eligatur, obſeruari debeat: atque ad Scrutinium cũ tertium pulſata per loca ſolita Conclauis campanula de more fuerit, omnes, & ſinguli Cardinales conuenire debeãt, valetudine non impediti, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœ-
21 na. Cardinales præterea omnino † abſtineant ab omnibus pactionibus, conuentionibus, promiſſionibus, intendimentis, cõdictis, fœderibus, alijsq. quibuſcũque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorum, ſeu ſchedularum, aut alijs tàm verbo, quàm ſcripto, aut quomodocunque dandis, aut petẽdis, tam reſpectu incluſionis, quam excluſionis, tàm vnius perſonæ, quàm plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiuſmodi, ſeu de ſuffragio dando, vel non dando: quæ omnia, & ſingula, ſi de facto interuenerint, etiã iuramento adiecto, nulla, & irrita, neque ad eorum obſeruantiam quẽquam teneri, aut ex tranſgreſſione notam incurrere fidei non ſeruatæ decernimus; & declaramus; & contrafacientes ex nunc excommunicationis pœna innodamus: tractatus tamen pro electione habendos vetare nõ intelligimus. Quod
22 ſi electio huiuſmodi † alibi celebrata fuerit, quàm in Conclaui clauſo, vel aliter, quàm per ſecreta ſchedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium, in Conclaui præſentium in Scrutinio, ſeu Scrutinio & Acceſſu, electi ſuffragio non computato, vel per viam Compromiſſi, ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclaui præſentibus, nemine diſſentiente initi, & ita vt nemo ſeipſum elegerit: vel quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, omnium pariter Cardinalium, præſentium in Conclaui, communiter, nemine itidem diſſentiente, per verbum ELIGO, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & inualida eo ipſo, abſque vlla declaratione; & ita electo nullum ius tribuat: quinimmo is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur; & tàm ipſe, quàm eligentes, eiusq. fautores, & complices, ſententiam excommunicationis, & anathema, aliasq. cenſuras, & pœnas inuaſoribus Sedis Apoſtolicæ à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas, pariter ipſo facto incur-

currât, à qua, ſicut ab alia quacunque in hac Conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis, tam ipſi, quàm quilibet alius, ſiue S. R. E. Card. ſiue alia perſona cuiuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à maiori Pœnitentiario, cuiuſcumque facultatis vigore, præterquam à Rom. Pont. niſi in mortis articulo abſolui poſſit; & tàm ipſe eiuſque complices, & fautores, quàm alij quicumque etiam S. R. E. Cardinales, huius Cõſtitutionis in aliquo tranſgreſſores, alijs grauiſſimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis. Poſtremò ſtatuimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, vt
23 S.R.E. Cardinales, quæcumque † ſecretum violare quomodolibet poterunt, omnia euitare, & cauere omnino teneãtur; cum intentio, & mens noſtra ſit electionis huiuſmodi tam ſanctum negocium, ſi fiat per Scrutinium, ſeu Scrutinium & acceſſum, vt præfertur, ſecretiſſimè tranſigatur: ac proinde, iiſdem omnibus, & ſingulis S. R. E. Cardin. & eorum Sacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum aliquod ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant, quouis prætextu, cauſa, vel exquiſito colore, ſub eadem excõmunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Vt autem huiuſmodi noſtra Conſtitutio inuiolabilius obſeruetur,
24 tres † Cardinales, qui ſingulis diebus Cõgregationibus agendis præpoſiti ſũt, & cum ijs S. R. E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia obſeruari procurent, & faciant. Volumus etiam, &
25 decernimus, † cenſurarum, & excommunicationum prædictarum, & aliarũ quorumcumque prætextu, vel cauſa Cardinales à Summi Pontificis electione actiua, & paſſiua excludi nullo modo poſſe: quas quidem cenſuras, & excõmunicationes ad effectum huiuſmodi electionis tantum, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſuſpendimus: decernentes eaſdem excommunicationes, & cenſuras eos ſolum afficere, qui deliquerint, non autem alios Conclaui durante, qui cum ijs conuerſati fuerint. Cœterum, etſi opus non eſſe in Domino confidimus, tamen pro officij noſtri debito, & rei de qua agitur grauitate, admonemus, hortamur, & in Domino obſecramus S. R. E. Cardinales, vt attentè conſiderent perſonæ quam ſuſtinent, officium, & dignitatem; quam ſacrum præterea, & quanti momenti ſit opus, quod tractant; & nihil quod ſe non deceat, nihil à re alienum committant: ſed cogitent, quam pernicioſum futurum ſit vniuerſæ Eccleſiæ, Chriſti ſanguine acquiſitæ, ſi malè adminiſtretur; ac proindè exuant omnes mundanas curas, & induant ſolum Dominum Noſtrum IESVM Chriſtum: memores nihil prodeſſe homini, ſi vniuerſum mũdum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Denique animum aduertant ſe in Conclaui clauſos editiſſima in ſpecula conſtitutos eſſe, & factos ſpectaculum Deo, & hominibus à Domino, cuius negocium gerunt, ſupplicij, vel gloriæ ſempiternæ retributionem citiſſimè
26 laturos. Non obſtan. quatenus † opus ſit fel. rec. Alexandri Papæ III. præd. noſtri in Concilio Lateranen. edita, quæ incipit, Licet de vitãda; & aliorũ Rom. Pontt. præd. noſtrorum, etiam in Concilijs generalibus promulgatis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore Iuris clauſis; quibus omnibus, & ſingulis quatenus pariter opus ſit, eorum omnium, & ſingulorum tenores, perinde, ac ſi ad verbum expri-

Digitized by Google

exprimerentur,pro expreſſis, & inſertis
habentes, pro hac vice dumtaxat, illis
aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecia-
liter,& expreſsè derogamus, cæteriſque
contrarijs quibuſcũque. Volumus quo-
27 que præsẽtes noſtras † coram omnibus
in prima Congregatione poſt obitum
Pontificis fieri ſolita,& deinde poſt Cõ-
clauis ingreſſum, & cum quis ad Car-
dinalatus honorem promotus fuerit, cũ
alijs ſimilibus Conſtitutionibus legi, &
iuramentum ſuper illius obſeruatione
præſtari, & ita præcipimus, & manda-
mus. Quibus Conſtitutionibus, & pœ-
28 nis in eis contentis, niſi in † ſuperius
expreſſis, per hanc noſtram derogare
non intendimus, ſed eas in ſui roboris
firmitate relinquere. Sperantes etiam
Rom.Pontificees,qui pro tempore cano-
nicè eligẽtur, omni ſtudio curaturos,vt
quæ noſtris huiuſmodi,& in eis ſalubri-
ter ſtatuta ſunt, inuiolabiliter, ac etiã ſi
opus fuerit, per pœnarũ ipſarum contra
tranſgreſſores executionem obſeruen-
29 tur. Denique volumus † eaſdem præ-
ſentes in Valuis Baſilicarum S. Ioan-
nis Lateranen. ac Principis Apoſtolo-
rum de Vrbe, ac Cancellariæ, nec non
in Acie Campi Floræ,per Curſores no-
ſtros affigi,& publicari,ac eorum exem-
pla ibidem affixa dimitti;& deinde om-
nes, & ſingulos Cardinales,tam abſen-
tes, quàm præſentes, modernos, & qui
pro tempore erunt,& alios quoſcunque
quorum intereſt, vel intereſſe poterit,
quomodolibet in futurum afficere, &
ligare, nullamque harum ignorantiam
prætendere poſſe, ac ſi eis perſonaliter
intimatæ forent, præmiſſis cæteriſque
contrarijs quibuſcunque non obſtanti-
30 bus Nulli ergo † omnino hominum li-
ceat hanc paginã noſtrorum Statutorũ,
Decretorum, Declarationum, Manda-
torum, Innodationis, Voluntatis, Ad-
monitionis,Hortationis,Obſecrationis,

Inhibitionis, Derogationis, Præcepti, & Suſpenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei,& Beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ,apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo,decimo ſeptimo Kalen. Decembris,Pontificatus Noſtri Anno primo.

✠ Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

✠ *Antonius Card. Saulius Epiſcopus Oſtien. promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Franciſcus Maria Cardinalis à Monte, Epiſcopus Portuen. promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Franciſcus Cardinalis Sfortia, Epiſcopus Tuſculanus, promitto, voueo, & iuro.*

✠ *A. Cardinalis Montaltus, Epiſcopus Albanen. S. R. E. Vicecancell. promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Odoardus Cardinalis Farneſius, Epiſcopus Sabinen. promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Octauius Cardinalis Bandinus, Epiſcopus Preneſtinus, promitto, voueo, & iuro.*

✠

✠ *Andreas Cardinalis Perettus, promitto, voueo, & iuro.*

✠ *B. Cardinalis Beuilacqua, promitto, voueo, & iuro.*

✠

✠ *F. tit. S. Praxedis, presb. Card. de Sourdis promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Ego Io. Baptiſta tit. SS. Marcellini, & Petri, Card. Detus, promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Ego Dominicus SS. Apoſtolorum, Presb. Card. Gymnaſius, promitto, voueo, & iuro.*

Ego

✠

✠ Ego Carolus tit. S. Cæſarei presb. Cardin. Madrutius, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego S. tit. S. Chryſogoni presb. Card. Burgheſius, Maior Pœnitentiarius, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego M. tit. S. Onuphrij presb. Card. Barberinus promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Io. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatum Presb. Cardin. Millinus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego M. tit. SS. Quirici, & Iulitæ presb. Cardin. Lantes, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego M. Angelus Tontus tit. S. Petri ad Vincula, presb. Cardin. Nazarenus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego F. tit. S. Auguſtini presb. Card. Verallus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Io. Bapt. tit. S. Ceciliæ presb. Cardin. Lenius, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠

✠ Ego Dominicus tit. S. Martini in Montibus, presb. Cardin. Riuarola, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego P. tit. S. Mariæ de populo, presb. Cardinalis Philonardus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego P. Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei, presb. Card. Creſcentius, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠

✠ Ego Gaſpar tit. S. Crucis in Ieruſalem preſbyter Cardinalis Borgia, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego Robertus tit. S. Alexij, presb. Cardin. Vbaldinus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Tiberius tit. S. Priſcæ, presb. Cardin. Mutus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Gabriel tit. S. Pancratij, presb. Card. de Trejo, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠

✠

✠ Ego Petrus tit. S. Thomæ in Parione, presb. Cardin. Camporeus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Mattheus tit. S. Marci, presb. Cardin. Priolus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego S. presb. Cardin. S. Suſannæ, S. R. E. Bibliothecarius, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Guido tit. S. Ioannis ante portam Latinam, presb. Card. Bentiuolus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Petrus tit. S. Saluatoris in Lauro, presb. Card. Valerius, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego It. Fridericus presb. Cardin. de Zolleren, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego Cæſar tit. S. Petri in Monte Aureo, presb. Card. Gherardus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Fr. Deſiderius tit. S. Clementis, presb. Card. de Cremona, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego Stephanus tit. S. Mariæ in Via, presb. Cardin. Pignatellus, promitto, voueo, & iuro.

✠ Ego L. Cardin. Ludouiſius, tit. S. Mariæ de Traſpontina S. R. E. Cam. promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego Franciſcus tit. S. Matthæi in Merulana, presb. Card. Sacratus, promitto, voueo, & iuro.

✠

✠ Ego M. Anton. tit. S. Euſebij, presb. Card. Goza-

Gozadinus, promitto, voueo, & iuro.

✠ *Ego Alexander S. Mariæ via lata, Diaconus Cardinalis Eſten. promitto, voueo, & iuro.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego Franciſcus S. Angeli in foro piſcium, Diaconus Cardinalis Boncompagnus, promitto, voueo, & iuro.*

✠ *Ego Hippolytus S. Mariæ Noua, Diaconus Card. Aldobrandinus, promitto, voueo, & iuro.*

✠

Io. Beninus.

N. Odot.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Anno à Natiuitate D.N. Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Indictione quarta, die vero vigeſima ſexta menſis Nouembris, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. Pontificatus ſui primo. Introſcriptæ litteræ Apoſtolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earumdem litterarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde amotis, deinde dimiſſis earumdem litterarum copijs affixis, vt moris eſt, per nos Auguſtinum Bracherium, & Brandimartem Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

Octauius Spada Magiſter Curſ.

Summa Conſiderationum ad eamdem Bullam.

1 *Aſſertio Pontificis, præſertim de facto cum eodem geſto, pro vera, & indubitata haberi debet.*

2 *Pontifex Romanus habet poteſtatem condendi Bullas pro futuris electionibus Summorum Pontificum.*

3 *Modus eligendi per ſcrutinium, eſt tutior, & vtilior cæteris modis, & formis electionum.*

4 *Electio non totaliter libera, eſt nulla ipſo iure.*

5 *Nomen hoc,* Electio, *importat ſummam libertatem in eligentibus.*

6 *Libertas eligentium quando, & quomodo diminuatur.*

7 *Quid ſit aliquem cogere, ſiue libertatem auferre.*

8 *Forma eligendi per ſcrutinium, tollit omnem metum, & coactionem, & nu. 10.*

9 *Metus reuerentialis patris efficit nullam profeſſionem filij in Religione.*

11 *Apoſtoli prius functi ſunt munere Cardinalatus, quàm Epiſcopatus.*

12 *Forma iuramenti, præſcripta à Greg. XV. in electione Romani Pontificis, eſt eadem quoad ſubſtantiam, cum ea quam tradidit Concilium Baſileenſe, &c.*

13 *Electores mortaliter peccant, ſi non eligant digniorem, & vtiliorem Eccleſiæ, &c.*

14 *Electo ſummo Pontifice, nemini licet aſſerere, quod ſit aliquis ab ipſo electo, magis idoneus, & dignior.*

15 *Caſus in quibus tranſgreſſores Bullæ incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ.*

16 *Viuente Summo Pontifice, licet Cardinalibus, de conſenſu ipſius, tractare de futuri Pontificis electione: at ſine conſenſu ipſius, nemo poteſt, & nu. 17.*

18 *An quilibet tractatus ſpeculatiuus & diſcurſiuus, ſiue conſultiuus, inter Cardinales, vel alios, factus, viuente Pontifice,*

fiet, de qualitatibus alicuius, qui poſſet eligi in Pontificem, &c. ſit communiter prohibitus ex diſpoſitione Bullæ Pauli Quarti.

19 *Cardinales, viuente Pontifice, offerentes determinatè ſuum votum alicui Cardinali pro futura electione, incidunt in pœnas ſtatutas à Paulo Quarto, etiam non acceptata tali oblatione votorum.*

20 *Tractatus inter Cardinales, de excluſione vnius, pro incluſione alterius, an ſit prohibitus, &c.*

21 *Papa adhuc viuens non debet ſibi eligere ſucceſſorem, & hoc prohibetur iure naturali. & num. 22.*

23 *Soluuntur obiectiones de S. Clemente inſtituto Pontifice à S. Petro: & de Bonifacio Secundo, qui ſibi elegit ſucceſſorem Virgilium Diaconum. & nu. 24.*

Præcipua quædam ponderatione digna, ex noua Conſtitutione fel. rec. Gregorij XV. circa electionem Pont. Rom. pro facilitate legentium, ad tria puncta redacta.

In primo demonſtratur vtilitas, atque neceſſitas editionis ipſius, ſimulq. deſiderium, atque inſtãtiæ multorum, vt conderetur.

In ſecundo, agitur de iuramẽto præſtando ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus in electione Pontificis Romani.

In tertio, manifeſtantur caſus contenti in dicta Bulla, quorum tranſgreſſores incidunt in cenſuras, de quibus in Bulla.

Punctum Primum.

Diuino ſanè iudicio factum eſt, vt inſigne opus editionis huius Bullæ de modo eligendi Romanum Pontificem (Chriſti Domini Vicarium, Petri Principis Apoſtolorum, veri legitimiq. ſucceſſoris, ac totius Eccleſiæ Catholicæ capitis, & Paſtoris) reſeruaretur fel. record. Gregorij XV. vt Gregorius perficeret, quod alter Gregorius huius nominis Decimi, animo conceperat; opereq. iam inceperat in generali Concilio Lugdunenſi; vti apertè teſtantur verba illa maxima ponderatione digna, Conſtitutionis Cõciliaris, de qua fuſius *in cap. vbi periculum, de elect. in 6.*

Equidem cunctis patet, qualis, & quanta fuerit, non dicam tantum conuenientia, & vtilitas, verum & neceſſitas editionis ipſius; ideò à pijs amatoribus pacis vniuerſalis Eccleſiæ, quæ communis mater eſt, cunctosq. filios, æquè amplectitur, magnopere deſiderabatur, charitate duce, omnium virtutum regina, quæ communia proprijs anteponit. De qua inquit S. Gregorius lib. 7. epiſtol. 112. *Magiſtra bonorum omnium charitas: quæ nil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum; ita exercet corda, & corroborat, vt nihil graue, nil difficile exiſtimet, ſed fiat totum dulce quod agitur. Huius igitur eſt proprium nutrire concordiam, ſeruare coniuncta, diſſociata coniungere, praua dirigere, & virtutes cæteras perfectionis ſuæ munimine ſolidare.* hancq. multi efflagitabant, quemadmodum aſſerit ipſemet Gregorius XV. multorum votis, & poſtulationibus hanc Bullam multum expetitam fuiſſe, vt videre eſt ad initium eiuſdem Bullæ. §. *Nos igitur*. cuius Pontificis aſſertionem tan-
1 quam † veram, & indubitatam, cuncti habere debent, maximè cum ſit aſſer-

tio de facto cum eodem Pontifice geſto; nam præter ſacros Canones, & Iuris peritorum auctoritatem ſuper hoc multiplicem, extat deciſio 2. Creſcen. *num. 2. de renunc.* & Caputaquen. *dec. 286. par. 2.* & Mohed. *deciſ. 4. num. 4. de reſtit. ſpol.* Deciſ. Rot. 361. *num. 1. par. 2. in recentioribus*; & *in alia* 405. *nu. 1. par. 1.* & *in Calaguritan. 16. Iunij 1606. coram Ottembergo.*

Ex traditis à Card. Albano *de Cardinal. q. 31.* & alijs innumeris Doctoribus, euidenter colligitur ſequens con-
2 cluſio: Certi iuris eſt, penes † Pontificem Romanum eſſe poteſtatem condendi Bullas, & Conſtitutiones neceſſario obſeruandas pro futuris electionibus Summorum Pontificum ſucceſſorum eius. Hoc enim iuris poſitiui eſt, quod Summi Sacerdotis imperio ſubiectum eſſe cuncti affirmant. Hanc ſententiam in Concluſione expreſſam, tradit Abbas; & alijs *in cap. licet.* & *in cap. 1. de Conſtit.* Hocq. egerunt nonnulli Pontifices Romani, moderantes, declarantes, vel immutantes, ſeu nouam condentes formam, & modum celebrandi electionem Papæ, auctoritate illa ampliſſima, ipſis à Chriſto Domino per illa clariſſima verba tradita: *Quodcumque ligaueris*, &c. vt fuſius *in cap. quodcumque. 24. q. 1.* Per illa enim Sacerdotium, legiſq. condendæ poteſtatem ei traditam fuiſſe, inquit text. *cap. Tranſlato, de conſtit.* quia connexorum eſt idem iudicium. ita gloſſ. & Doctores communiter *in eod. cap. Tranſlato*, inſuper Pontifices, ſancti Patres, & Concilia, de quibus in præludijs, §. *tertio, num. 8. & ſeq.* Sed copioſius id demonſtratur in Elucidario Theologico de certitudine Gloriæ Sanctorum *cap. 1. 3. & 7.*

Vtilitas autem, & neceſſitas prædictæ Bullæ, præſertim in ea parte, in qua ſtatuit formam electionis Romani Pon-
3 tificis per Scrutinium † ſecretum, modò præſcindendo ab alijs annexis, & conditionibus, vt puta acceſſus, & ſimilium, quod ſecretum fuit principale intentum ab ipſo Pontifice; vti videre eſt in eadem Bulla, §. *poſtremò ſtatuimus.* vbi expreſſis verbis inquit, *Intentio noſtra, & mens noſtra ſit electionis huiuſmodi tam ſanctum negotium, ſecretiſſimè tranſigatur.* vbi etiam declarat excommunicatos contrafacientes. Quod euidenter demonſtratur ex innumeris malis, quæ per hunc modum procedendi abſque dubio euitari poſſunt, & de facto euitantur: per hoc enim tollitur, ne certo quis ſciat qui ſint, vel non ſint eligentes, quive includentes, vel excludentes hunc, vel illum: ſatiſq. ac ſufficiens de hoc extat argumentum, quod modus iſte celebrandi electionem Canonicam Prælatorum, eſt, ne dum commendatus à ſacris Canonibus, verum etiam inter formas electionis tanquam tutior, & vtilior ante alias meritò primò numeratur, ac præcipitur illius obſeruantia, quà proceditur per viã Scrutinij, vti videre eſt *in cap. Quia propter, de elect.* Quem modum eligendi commendat, ſimulq. præcipit Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 6.* Addens, *ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* ad euitanda ſcilicet iurgia, & innumera mala, quæ de ſe oriri poſſunt, quoties certo cognoſcitur, qui elegerint, & qui non elegerint hunc, vel illum.

Quibus addi poteſt, quod per vſum prædictæ formæ electionis, admirabili modo conſeruatur libertas eligentium, ſimpliciter neceſſaria in electionibus Canonicis, præſertim Paſtoris, & Capitis Vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ, in qua agitur (vt dicit ipſemet Gregorius in prædicta Bulla, §. *Quapropter.*) non de ſalute vnius membri, ſed totius cor-

poris

poris Eccleſiæ militantis, vt latius di-
ctum eſt ſuperius in multis Capitulis,
4 præſertim cap. 3. Eſtq. cõmunis † ſen-
tentia Theologorum, & Canoniſtarum
requiri primo, & ſimpliciter in electio-
ne Canonica ex parte eligentium, ſum-
mam, ac integram libertatem; cùm
electio non totaliter libera, ipſo iure
5 nulla ſit. Proprium enim † eſſentiale,
atque ſubſtantiale (vt ita dicam huius
nominis, vel vocabuli *Electio*, quemad-
modum vniformiter omnes tradunt)
eſt dicere ſummam libertatem in Eli-
gentibus; cùm eligere ſit, vnum ex plu-
ribus voluntariè capere. Hinc eſt, quod
vbi non ſaluatur integrè libera voluntas
eligentiũ, nulla ſit electio. Hoc habetur
*in cap. Vbi periculum, de elect. in 6. §. Ce-
terum*. In quo continetur Conſtitutio
facta ſuper electione Pontificis Romani
in Concilio Generali Lugdunenſi ſecun
do, vbi inter quamplura dicitur: *Cùm
arbitrium, vel inordinatus captiuat effe-
ctus, vel ad certum aliquod obligationis cu-
iusque neceſſitas adigit, ceſsat Electio, dum
libertas adimitur eligendi*. Vbi loquitur
in particulari de electione Summi Pon-
tificis Romani. Quapropter ſtatim,
& immediatè ſubdit: *Cardinales, eoſdem
obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei
noſtri, per aſperſionem ſui pretioſi ſangui-
nis obteſtamur, vt penſantes attentius,
quid eis imminet, cum agitur de creatione
Vicarij Ieſu Chriſti ſucceſſoris Petri, Re-
ctoris Vniuerſalis Eccleſiæ, Gregis Do-
minici Directoris; omni priuatæ affectio-
nis inordinatione depoſita, & cuiuſlibet pa-
ctionis, conuentionis, obligationis neceſſita-
te, necnon condicti, & intendimenti con-
templatione ceſſantibus, non in ſe recipro-
cent conſiderationis intuitum, vel in ſuos;
non quæ ſua ſunt, quærant, non commodis
priuatis intendant, ſed nullo arctante ip-
ſorum in eligendo iudicium, niſi Deo, puris,
& liberis mentibus, nuda electionis con-
ſcientia, vtilitatem publicam liberè proſe-
quantur, omni conatu, & ſollicitudine,
prout poſſibilitas patitur, id acturi tantum-
modo; vt eorum miniſterio acceleretur vti-
lis, & pernеceſſaria totius mundi prouiſio,
idoneo celeriter eidem Eccleſiæ ſponſo dato.
Qui autem ſecus egerint, diuinæ ſubiaceant
vltioni, eorum culpa (niſi graui propter
hoc peracta pænitentia) nullatenus abolen-
da. Et nos nihilominus pactiones, conuen-
tiones, obligationes, condicta, & intendi-
menta omnia, ſiue iuramenti, ſiue cuiuſli-
bet alterius fuerint vinculo firmitatis inni-
xa, caſsamus, irritamus, & viribus decer-
nimus omnino carere; ita quod nullus ad
illa obſeruanda quomodolibet ſit adſtrictus,
nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione no-
tam vereatur fidei non ſeruatæ, ſed non
indignæ laudis titulum potius mereatur,
cum lex etiam humana teſtetur; Deo ma-
gis tranſgreſſiones huiuſmodi, quam iuriſiu-
randi obſeruationes acceptas*.

Et Pius Papa Quartus in Bulla ab eo
edita circa diligentiam adhibendam in
Romani Pontificis electione, ſeptimo
Id. Octobris 1562. Pontificatus ſui an-
no tertio, cuius initium eſt, *In eligendis
Eccleſiarum Prælatis*, &c. §. *Hac ſancta*.
poſt recenſitos Pontifices ſuos præde-
ceſſores, qui de eadem re Conſtitutio-
nes condidere, præſertim Alexandrum
Tertium, Gregorium Decimum, Cle-
mentem Quintum, Clementem Sex-
tum, & Iulium Secundum, ſubdit, ideò
illas edidere, *ad prouidendum, vt Sum-
morum Pontificum electiones liberè, & re-
ctè, & maturè fierent*. Ad quem finem,
& effectum proteſtatur ipſe, quemad-
modum etiam Gregorius Quintusde-
cimus, quod ideo circa hoc nouas ſan-
xerunt Conſtitutiones, ad tollendos etiã
ſubortos abuſus circa obſeruantiam ea-
rundem. Verb etenim Pij Quarti vbi
ſupra hæc ſunt: *Sed quoniam res huma-
næ ſemper in deterius prolabuntur, niſi ſit,*

qui eas aſſiduè retineat, & conſeruet; Verendumque ſit, ne aliquando propter earum Conſtitutionum tranſgreſſionem, ſuborti abuſus longius ſerpant, & progrediantur. Nos quantum cum Deo poſſumus futuris caſibus, & periculis occurrere volentes, eorundem prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones tum innouando, &c.

Quibus verbis fit ſatis ad argumentum eorum, qui dicunt, quod ſolitum eſt id eſſe tenendum, conſeruandumque. Namque pro rerum temporumque neceſſitate, & varietate certum eſt non tantum licere, verum & debere fieri per Pontifices Romanos innouationem, declarationem Conſtitutionum ſuorum prædeceſſorum, aliaſque rigorioſiores, & ampliores, ſi opus fuerit, condere, ad occurrendum imminentibus malis.

Cui etiam obiectioni poteſt reſponderi ſecundo, obijciendo opponentibus illud Senecæ *epiſt.* 99. dicentis: *Vitium eſt ad plurium exempla componi, ne quid oporteat, ſed quid valeat aſpicere.* Vel illud ſancti Ioannis Chryſoſtomi ad Populum Antiochenum, *Continuo abeunt tempora.* Ideo ſecundum varietatem temporum, forma, ſiue alius modus magis vtilis excogitari poteſt, & forte debet, præſertim circa rem tanti momenti, qualis eſt electio ſummi Pontificis Romani Chriſti Domini Vicarij, & ſancti Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſoris legitimi. Quam rationem vt mihi videtur, inſinuauit Pius IV. in præcitata Bulla ad exordium: poſtquam enim ad memoriam reuocauit, quanta cura, quantaue diligentia vti debeant eligentes in eligendis communiter Eccleſiarum Prælatis, quibus humana, & diuina myſteria committũtur; vtens argumento, quod Logici vocant à fortiori, ſiue à minori ad maius, ait; *Hinc, quod ſi in quibuſlibet Eccleſiarum Paſtoribus tantopere prouidendum; maiorem certo, & perſpicaciorem intelligentiam in Romano Pont. eligendo, qui cæteris Paſtoribus eſt præfuturus, & totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.*

Ex ſuperius adductis verbis Conſtitutionis; *Vbi periculum*, quæ eſt iuris veteris conſeruatiua, ſufficienter colligitur, quando, & quomodo lædatur ſiue diminuatur libertas eligentium, præſer-
6 tim illis †, *Cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel ad certum aliquod obligationis cuiuſcumque neceſſitas adigit, ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi.*

Et D. Tho. id omne miro modo explicauit 4. *ſent. diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 2. *in corp.* dum poſtquam dixit, *quod cadere metum in aliquem, eſt aliquem metu cogi*, ſtatim,
7 & immediate declarans † quid ſit aliquem cogere, quod idem eſt quod libertatem auferre, ſubdit: *Cogitur autem aliquis metus, quando aliquid facit quod alias non vellet, ad euitandum aliquid, quod timet.* Et in reſponſione ad primum argumentum ponens diſcrimen inter virum fortem, & inconſtantem, ſiue de facili trepidantem, dicit, quod *fortis, & intrepidus non timet, quæ non oportet, vel vbi, vel quando non oportet.* Ex conſequenti aſſerens quod inconſtans, & pauidus timet etiam, quæ non oportet, vel vbi, vel quando non oportet..

Et art. 3. eiuſdem quæſtionis in corp. eiuſdem art. poſt nonnullas rationes, & authoritates diſtinguit inter conſenſum liberum, & coactum. Et in reſponſione ad ſecundum argumentum pariter diſtinguit inter quodcumque voluntarium, & voluntarium complete, innuẽs in matrimonio corporali requiri conſenſum liberum, & voluntarium complete. quod etiam in reſponſione ad alia argumenta, & præſertim art. 4. eiuſdem quæſtionis extendit, & merito, ad electionem Prælatorum reſpectu eligentium,

Digitized by Google

tium; & aſſignat rationem deſumptam ex cap. *cum locum de ſponſal. & matrim.* vbi dicitur. *Si metus vel coactio intercedat, nullus eſt conſenſus*. Ab omni igitur metu, & coactione longe eſſe debent eligentes Prælatum, præſertim ſummũ Pontificem Romanum. Cunctiſque
8 manifeſtum eſt, modum † ſiue formam ſcrutinij procul pellere omnem metum & coactionem, ideò &c. Hinc eſt quod Nauar. *lib. 1. conſ. tit. de elect. conſ. 5. nu. 2.* verba faciẽs de electione Prælatorum, & præſertim Pontificis Romani, inquit. *Omnis electio metu facta, eſt ipſo iure nulla per textum putatum ab aliquibus ſingularem in cap. vbi periculum, §. cæterum de elect. in 6. quatenus requirit etiam in electione Papæ voluntatem liberam eligendi ſic, quod alias non ſit futura valida; quæ communis eſt Doctorum ſententia. Et confirmatur primo, eo quod etiam matrimoniũ carnale eſt ipſo iure nullum, ſi metu contrahatur, cap. cum locum de ſponſal. & matrimoniũ ſpirituale quoad hæc æquiparatur matrimonio carnali, iuxta gloſſ. notabilem, & receptam in cap. bona de elect. Secundo*
9 *confirmatur, quod etiam † metus reuerentialis Patris efficit profeſſionem Religionis filij nullam, per textum adiuncta gloſſ. ver. Patrem in cap. præſens, 20. q. 3. & num. ſequenti,* ſcilicet tertio ſubdit; *Omnis metus etiam non iuſtus reddit actum nullum, & inualidum quoad forum conſcientiæ, ſi principaliter fiat ob illum metum, vt nos efficaciter probamus in Manual. Confeſſ. cap. 17. num. 29. & efficacius, cap. 22. num. 51.*

Notum eſt apud omnes, quod hæc facilius euitari poſſunt per vſum illius modi, & formæ electionis, quæ dicitur per ſcrutinium, per quam commodius
10 tollitur † omnis, & quæcumque timoris humani occaſio: quem timorem Veteres, peſſimum conſultorem merito appellarunt; & à fide dignis ſæpe relatum fuit alijs & mihi quoque, quòd occaſione electionum Pontificis Romani ante editionem Bullæ de qua ſupra, aliqui prudentes, & ſapientes Cardinales zelo charitatis Dei accenſi, in locis publicis Conclauis indecens, atque indignum eſſe affirmabant, vt tumultuoſe procederetur ad electionem ſummi Pontificis Romani; quod in ſe inuoluit tam arduum negotium, non oſcitanter pertractandum, ſed maxima attentione, cura, meditatione, zeloque iuſtitiæ & vtilitatis Eccleſiæ perficiendum. Addentes, difficile id euitari poſſe per modum illum apertum, & cunctis manifeſtum, quo antea procedebatur ad electionem Pontificis Romani.

Addo quod modus eligendi per ſcrutinium, vel per compromiſſum, de ſe, & ſecundum ſe celerius conducit Electores timorem Dei habẽtes ad electionis perfectionem, & in his præſtandis, quæ pertinent ad munus eorum, quales ſunt Illuſtriſſimi Cardinales, qui tamquam à Deo vocati ad illam præſtantiſſimam dignitatem, qui Eccleſiæ columnæ exiſtunt, quique in Eccleſia Catholica Redemptoris noſtri Collegium Apoſtolicum, ſub purpurea cruentaque veſte imitari gloriantur; quorum dignitatis laudes cecinere præſtantiſſimi Doctores vtriuſque facultatis, ac Theologi, inter quos vnus eſt Cardinalis Turrecremata *lib. 1. de Eccleſia, cap. 80.* Hieronymus Manfredus *cap. 6.* & Hieronymus Cardinalis Albanus *q. 2. & 7. de Cardinal.* aſſerentes, rationeque, & au-
11 ctoritate probantes, † Cardinalatus munere priuſquam Epiſcopatus, Apoſtolos ex inſtitutione diuina functos eſſe; de quibus dicitur illud 1. Reg. cap. 2. *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*. In quibus profectò ob ſtatus ſui excellentiam viget maior iuſtitiæ, charitatis, pacis, atque Eccleſiæ vtilitatis

 ratio,

ratio; circa quæ idem eſt, ac totaliter vniformis animus, eademq. voluntas, vt poſthabitis proprijs commodis, hoc ſolum S. R. E. beneficium vniuerſale celeriter excogitantes perficiant. De celeritate electionis proueniente ex vſu prædicti modi procedendi per viam ſecretam Scrutinij, habemus certum argumentum in vnanimi, ſatiſque celeri electione Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. maxima cunctorum exultatione ſequuta 18. circiter dies poſt occluſionem Conclauis, die 6. Auguſti 1624. lætiſſimo Transfigurationis Saluatoris noſtri, dieque Dominico.

Punctum Secundum:

DE Iuramento, alta, & intelligibili voce emittendo in vnoquoque Scrutinio, antequam Ampliſſimi Cardinales ſchedulas inuolutas in vrnam, ſiue in calicem ponant, de quo in dicta Bulla Gregorij Decimiquinti, §. *Inſuper*, per ſequentia verba: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me iudicaturus eſt, me eligere, quem ſecundum Deum iudico eligi debere, & quod idem in acceſſu*
12 *præſtabo*. Quæ forma † iuramenti, ſaltem quoad ſubſtantiam, præcipitur in Concilio Baſileenſi *ſeſſ. 12. decret. de elect. Epiſcoporum, & Prælatorum*; in quo iuramento Cōcilij Baſileenſis ſe aſtringunt Electores ad eligendum illum, quem cognouerint vtiliorem Eccleſiæ, pro qua eligitur, quæ firma abſque dubio declarat verba iuramenti, de quo in eadem Bulla Gregorij XV. quæve magis explicātur ex traditis in Conc. Trid. *ſeſſ. 12. de Reformat. cap. 1. § omnes verò, verſ. eoſque*. vbi diffinitur †, Eligen-
13 tes, ſiue promotores mortaliter peccare, *niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint*. Et cap. 18. eiuſdem ſeſſ. §. *Peracto*. verſ. *ex his*. expreſsè præcipitur vnicuique Epiſcoporum, vt inter approbatos ab Examinatoribus *eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit; atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre*. & *in cap. vnico, vt Eccleſ. benef. ſine dimin. conferatur digniori*. Innocentius Tertius grauiter reprehendit quendam Epiſcopum, eo quod non elegerit digniorē. Quanto magis erunt digni rigoroſa obiurgatione, & pœna eligentes, dato quod negligant vtiliorem, atque digniorem eligere in Pontificem Romanum? Idem habetur ex D. Leone *in cap. Metropolitano, diſt. 63.* & *in cap. Moyſes 8. quæſt. 1.* & D. Auguſt. multa dicit *in epiſt. 29.* & refertur à gloſ. *ſuper cap. 2. Iacobi*. D. Thom. *2. 2. quæſt. 185. art. 3.* & *quodlib. 6. art. 9.* & *quodlib. 8. art. 6.* & eſt cōmunis ſententia Theologorum, quos refert Soto de iuſt. & iur. *lib. 3. art. 2. concluſ. 9.* & Canoniſtarum, vt refert Couar. *in reg. Peccatum, par. 2. num. 3.* & in terminis electionis Papæ, Franch. *in cap. vbi periculum, §. Præterea, num. 5. de elect. in 6.* & Hieron. Manfred. *in tract. de ſac. Colleg. dec. 20.* & articulum latiſſimè examinat Rauden. *Dec. Piſ. 33. num. 10. & ſeq.* vbi pro digno, & *deciſ. 34. per totam*, pro magis digno.

14 Scio tamen, † expleta electione Pōtificis Romani, nemini licere affirmare, quod alius ab ipſo electo ſit magis idoneus, & dignior reputari debeat; cum præſumatur ſemper pro ſanctimonia & integritate Summi Paſtoris, quem apex tantæ dignitatis ſuper alios extollit. *cap. cum vos, 4. diſt.* & Alciat. *de præſumpt. reg. 3 præſumpt. 3. & 19.* Rauden. *dec. Piſan. 35. num. 189.* & *cap. non nos, 40. diſt.*

40. *diſt.* vbi de Pontifice dicitur: *Quis enim ſanctum dubitet eſſe, quem apex tanta dignitatis attollit?*

Punctum Tertium.

15 IN quo breuiter † exprimuntur caſus, in quibus tranſgreſſores incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ; de qua in Bulla præfata Greg. XV. De quibus agitur §. *Quod ſi electio, & ſeqq.*

Primus eſt, ſi electio fiat extra Conclaue.

Secundus, ſi in Conclaui non clauſo.

Tertius, ſi ante celebratum Miſſæ ſacrificium, prima die, cui ſolent Cardinales intereſſe, & in eo communicare.

Quartus, ſi non per ſecreta ſchedularum ſuffragia.

Quintus, ſi non per duas ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præſentium.

Sextus, ſi committatur eligendi poteſtas aliquibus ex Collegio, aliquo illorum diſſentiente.

Septimus, ſi fiat electio, quaſi per inſpirationem, aliquo pariter diſſentiente; vel procedente de perſonæ ſpeciali tractatu: & ideò eſt duplex caſus.

Octauus, ſi non fiat per verbum *Eligo*, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce fieri non potuerit, expreſſum. Quod intelligitur de Electione quaſi per inſpirationem.

Nonus, Si contempſerint Cardinales bis in die Scrutinium peragere poſt ſolitam Miſſam, & Hymnum, *Veni creator Spiritus*.

Decimus, de quo in §. *Cardinales præterea*, qui non abſtinent ab omnibus pactionibus, conuentionibus, promiſſionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, alijsq. obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorũ, ſeu ſchedularum, verbo, vel ſcripto quomodocunque dandis, aut petendis, reſpicientibus tam incluſionem, quam excluſionem, tam vnius perſonæ, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiuſmodi: tractatus tamẽ pro Electione habendi non prohibentur.

Occaſione eorum, quæ ſparſim in præcedentibus Capitulis explicata fuere, præſertim in hoc, & præcedenti immediatè cap. nonnulli anxiè concupiſcunt breuem, diſtinctam, dilucidamq. reſolutionem duarum difficultatum, de quibus antiqui, & celebres auctores fuſius pertractarunt.

Prima eſt.

An ſit prohibitus omnis, & quicunque tractatus de Electione Summi Pontificis, ad præſcriptum Bullæ Pauli IV. editæ 1558. cuius initium eſt: *Cum ſecundum Apoſtolum*, occaſione verborum §. *Necnon quoſcumque*, habendus per quoſlibet, Papa adhuc viuente.

Secunda.

An Papa adhuc viuens poſſit ſibi eligere ſucceſſorem.

Pro dilucidatione igitur prioris difficultatis, breuiter, & reſolutè occurrit dicendum.

16 Prima propoſitio: Viuente † Pontifice Maximo, de ſcitu, & conſenſu ipſius proculdubio licet Cardinalibus de futuri Pontificis electione tractare, vt habetur *in cap. ſi tranſitus*, 79. *diſt.* Ve-
17 rum abſque † conſenſu illius, nullus, quauis dignitate, honore, vel auctoritate fulgeat, tale quid agere, vel attentare valet, aliàs criminis læſæ maieſtatis conſtitueretur; ita Bald. *in l. quoniam liberi, C. de teſt.* Cardinalis Albanus, & alij inferius citandi.

Secunda propoſitio. Omnes tracta-
18 tus † purè, ac ſimpliciter, & in rei veritate,

Digitized by Google

tate, ſpeculatiuus, ac diſcurſiuus tantum, qui fieri ſolet aliquando inter Cardinales, vel alios zelum Dei habentes, vt ſic in communi, de qualitatibus quorumdam Cardinalium, qui ſecundum Deum, & homines ſapientes, ſpectata eorum laudabili vita, vere ſunt apti ad Regimen Eccleſiæ, ex quarum regimine ſperari poſſet nō modica vtilitas vniuerſalis Eccleſiæ; in hoc ſolum, ac tantum ſiſtendo, longius ab eis animus, & voluntas quæcumque mouendi, vel diſponēdi quempiam ad electionē, huius, vel iſtius, ſed per modum ſimplicis diſcurſus abſque alia inita deliberatione: Hic tractatus non cenſetur communiter prohibitus ex diſpoſitione Bullæ Pauli Quarti, cum ſit de bono, ac meliori, abſque concluſione Perſonæ ac temporis, dicaturque is tractatus conſultiuus ſolum. Quod habet fundamentum in quamplurimis textibus ſacrorum Canonum *de elect. & electi poteſtate*, præſertim *in cap. bona 2.* In quo cap. Abbas, *num. 12. verſ. ad ſecundum*, inquit. *Non prohibetur quicumque tractatus de eligendo futuro Epiſcopo, adhuc eo viuente; ſed prohibetur deliberatorius ac diffinitorius tantum in ordine ad exequutionem circa hanc, vel illam Perſonam.* Quod non creditur ablatum fuiſſe per Bullam Pauli Quarti, vt facillimè colligi poteſt ex verbis eiuſdem Bullæ in illa parte, quæ dicitur narratiua, ſiue procemium; vbi Pontifex auctoritatibus diuini, & humani iuris vehemẽter exaggerat ambitioſum tractatum, merito ſemper à iure antiquo damnatum, & conuenticula priuata, in quibus aliquid deliberatè circa hoc decernitur. Sed ille tractatus de quo ſupra, lōge eſt ab omni ambitione, & potius zelum Dei, & iuſtitiam eius, ac vtilitatem Eccleſiæ redolet: hac de cauſa videtur nō comprehenſus in prædicta Bulla Pauli IV. Hoc namque indicant verba Procemij eiuſdem Bullæ, præſertim verſ. *Nonne*, vbi leguntur ſequentia verba. *Nonne illud ſacrorum Conciliorum à ſancta Dei Eccleſia receptorum, & approbatorum auctoritas diuerſimode deteſtatur, & punit, cum quemcumque presbyterum, aut Diaconum, ſeu clericum, qui Papa incolumi, & eo inconſulto, ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu accomodare, aut pyctantia promittere, ſeu ſacramentum præbere tentauerit, aut aliquod ſuffragium polliceri, vel de hac cauſa priuatis conuenticulis factis aliquid deliberare, & decernere, præſumpſerit; loci ſui dignitate, & communionem priuandum, anathematiſque pœna plectendum cenſeat. Et propter occultas fraudes, & coniurationum huiuſmodi ſecretas inſidias, ſi quis harum actionum particeps, conſilia eorum, qui de Pontificali agunt ambitu, ad notitiam Eccleſiæ deferat, & rationabili probatione conuincat; eum non ſolum ab omni culpa purgatum remanere, verum etiam remuneratione non indigna ſubleuari velit, & ſtatuat. Et exinde non modo ſacrorum Canonum, ſed etiam ſæcularium legum interpretes peritiſſimi, & probatiſſimi, ambiẽtes Papatum, aut ſuper eo, Papa viuente, & inconſulto, tractantes, ſeu conuenticulas facientes, crimen læſæ maieſtatis in 1. cap. & ſimoniacæ hæreſeos incurrere decreuerint, non ſine clara, & aperta ratione; cum omnis tractatus de loco, dignitate, & bono alicuius viuentis, eo non conſentiente, ab vtroque iure prohibeatur, & reprobetur, præſertim cum inde præſtetur votum captandæ mortis, quod ſacri Canones, & venerandæ leges paſſim abhorrent, & deteſtantur.*

Ex quibus verbis liquido colligitur, prohibitionem tractatus de qua ſupra, eſſe conformem ad ea quæ olim prohibebantur iure antiquo, & per conſequẽs eſſe intelligendam de ambitioſis tractatibus. quod ſatis apertè demonſtrant vltima verba narratiuæ, ſiue Procemij eiuſ-

eiuſdem Bullæ Pauli IV. & priora alterius partis ipſiuſmet Bullæ., quæ Diſpoſitiua nuncupatur, & ſunt quæ ſequuntur. *Quare cum peccatis exigentibus, plures in dies B. Petri ſedem, nobis viuentibus, & inconſultis ambire, & conuenticulas ſuperinde facere dignoſcantur. & ad hoc ſuffragia S. R. E. Cardinalium obtinere, & quodammodo ſubharrare procurent, & ſatagant. Nos cupientes huiuſmodi deteſtabile ambitus, & illi coniuncta ſimoniacæ hæreſeos, & læſæ maieſtatis crimina, non ſolum noſtris, ſed etiam ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum pro tempore exſiſtentium temporibus perpetuo abolere, & non ſolum ex vſu, ſed etiam ex mentibus hominum, præſertim in electione Romani Pontificis, qui Domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti in terris Vicarius exiſtit, radicitus euellere, & in præmiſſis pro tantæ rei neceſſitate, & periculi magnitudine, vt tenemur, ſalubriter prouidere; habita ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris ipſius S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum conſilio, & vnanimi aſſenſu: Hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, Apoſtolica authoritate, & de noſtra Apoſtolica poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ac priuationis, & quaſuis alias ſententias, cenſuras, & pœnas dudum à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, aut ſacris Concil. ſeu Sanctorum Patrum noſtrorum Decretis, Statutis, Capitulis, Canonibus, Conſtitutionibus, & Ordinationibus contra ſic ambientes quomodolibet latas, & promulgatas, approbamus, & innouamus, & perpetuo obſeruari, & in viridi obſeruantia: ſi forſan in ea non ſint reponi, & eſſe debere.*

Tertia propoſitio ad idem; Incidunt
29 profecto † in cenſuras, & pœnas, de quibus ſupra, Cardinales ſi offerant determinate ſuum ſuffragium, vel aliorum, alicui Cardinali, licet pro tempore futuræ vacationis Papatus, etiam quod nō accepretur talis oblatio ab eo cui fit. Addunt aliqui, (Nam ſuper hoc legi quāuis curſim ſcripta multorum edita pro declaratione contentorum in Bulla de qua ſupra Gregor. XV. præſertim eximia gloſſemata ſapientiſſimi, & præſtantiſſimi viri, Illuſtriſſimi D.D. Ioan. Baptiſtæ Coccini, meritiſſimi Decani ſacræ Rotæ Romanæ, & Pœnitentiariæ ſanctiſſimi D.N. Regentis vigilantiſſimi ad eandem Bullam) dato, quod aliquis Cardinalium inciperet conſimilem tractatum oblationis, & impeditus, nequeat illum proſequi. Hoc nempe colligitur ex verbis ipſis Bullæ Pauli Quarti, quæ habentur §. *nos cupientes*, & §. *nec non*.

30 Quarta propoſitio: Si fiat † tractatus in ordine ad prædicta, in quo agatur de excluſione huius, vel iſtius, hoc fine, ſiue intentione deliberata, vt per excluſionē alterius includatur alius, etſi pro tempore vacationis, eſt & ille omnino prohibitus ex tenore prædictæ Bullæ. quæ prohibitio extenditur etiam, vti videre eſt ex verbis eiuſdem Bullæ Pauli IV. hoc palam, & expreſsè ſignificantibus, ad ſuaſores, & conſultores prædictorum, præſertim quando ſequitur effectus. cui additur, quod omnis tractatus deliberatorius, ſeu diffinitorius, per quē concluditur ante mortem Præſulis de certa perſona eligenda, eſt prohibitus, 80. *diſt. cap.* 1.

Pariter quoque ex verbis ipſiuſmet Bullæ reprobatur, atque prohibetur circa hoc de futura electione Pōtificis Romani, omnis, & quicumque tractatus ambitioſus, ſimoniacus, conuentionalis, inhoneſtus, deliberatorius, & vere præparatorius, vt euidenter demonſtrat ſenſus manifeſtus verborum dictæ Bullæ; quod aſſeruerat Hoſtien. *in cap. bona ſecundo de elect. nu.* 11.

Ad ſe-

Nomine Pyctatia, quo vtitur Paulus Quartus in ſua Conſtitut. ſuperius adducta, intelliguntur, quemadmodum docet Io. Baptiſta Scortia Genuen. Ieſuita, in ſelectas Pontif. Conſtit. epitom. 76. theoremat. 180. cartæ, vel ſcripturæ cõtinentes petitiones, aut promiſſiones obligatorias, quæ ita appellantur à petendo ſiue pingẽdo: quod collegit ex Gloſſ. in c. 2. diſt. 75. & alijs iuris peritis, ibid.

21 Ad ſecundam † difficultatem reſpondendum eſt negatiuè, Papam ſcilicet viuentem non debere eligere ſucceſſorem.

Quam negatiuam reſponſionem cõmunis ſchola Theologorum, & Canoniſtarum, validiſſimis argumentis ex ſacris Scripturis, canonumque textibus, ex gloſſ. & alijs eximijs Doctoribus vtriuſque facultatis vniformiter defendentibus negatiuam ſententiam, de qua in reſponſione, quod ſcilicet Papa adhuc viuens nequit ſibi eligere ſucceſſorem:

Immo inter Theologos reperiuntur aliqui, quos refert Ioannes Azorius, *in inſtit. moral. par. 2. lib. 4. de quarto decalogi præcepto, cap. 5. q. 3.* in qua quærit an Romanus Pontifex poſſit ſucceſſorem nominare, & eligere: vbi poſt recenſitas duas opiniones, affirmatiuam ſcilicet, & negatiuam; tandem verſ. *tota igitur controuerſia*, reducit punctum huius difficultatis, an ſit prohibitum Papæ viuenti, ſucceſſorem ſibi deligere; & approbat partem negatiuam, quam probat præſertim ex his, quæ dicuntur in cap. *electionem*, diſt. 79. *Electionem* videlicet *ſummorum Pontificum ſibi Dominus reſeruauit, licet electionem eorum, bonis Sacerdotibus conceſſerit.* Denique concludit per ſequentia verba. *Mihi valde probatur quod Turrecremata cap. in nomine diſt. 23. q. 1. ex ſent. Paludani de poteſtate Eccleſiaſt. ait, Romanum Pontificem iure na-*
22 *turali † prohiberi à ſucceſſore eligendo.* Et quamuis non appareat omnino circa hoc conſtans Azorius verſ. *Hac tamen libera poteſtate*, expreſſis verbis nihilominus affirmat, quod *ipſa naturalis ratio præcipiat ne Romanus Pontifex ſucceſſorem eligat, cum illa dictet innumera penè mala in Eccleſiam oritura, ſi Papa id fecerit.* Vbi cumulat etiam alias rationes, & auctoritates ad idem, quas deſumpſit ex pluribus Canoniſtis, quos referunt Turrecremata, *de Eccleſ. lib. 2. cap. 51. per totum*; Auguſtinus de Ancona *in ſumma de eccleſiaſt. poteſtate, q. 2. art. 3.* per totum, & Hieronymus Albanus Cardinalis *de Cardinalatu ad Paulum Tertium q. 32. & 33.* Qui præcitati Doctores fuſius ſcripſerunt de hac materia, ſemper concludentes pro parte negatiua, ſemper tuendo, ac defendendo Papam, non poſſe nec debere eligere ſibi ſucceſſorem. Pro qua veritate referunt innumeros textus ſacrorum Canonum, quãplurimas leges, & pariter auctoritates præclariſſimorum Doctorum Theologorum & vtriuſque iuris peritorum, præſertim antiquorum, concorditer aſſerentium hanc ſententiam negatiuam eſſe celebriorem, & veritati quoque magis conſonam.

Pro qua veritate cumulant quamplurimas quoque, & validiſſimas rationes, multiplicique reſponſione occurrunt, & ſatisfaciunt obiectionibus in contrarium adductis. Addentes concorditer, ſingulas Electiones Romanorum Pontificum poſt ſanctum Petrum fuiſſe celebratas per electionem, & ſuffragia multorum; & hoc probant etiam eueniſſe in electione Clementis, vt optime inter alios demonſtrat Turrecrem. vbi ſupra, §. *ceterum*, verſ. *Nec obuiat huic.* Nam Petrus *plenus Spiritu ſancto*, (vt habetur in cap. *Petrus*, 8. q. 1.) *in auribus totius Eccleſiæ Clementem inſtituit, omnium conſen-*

conſu interueniente, intellige fidelium. Et cuncta hæc egregie pertractantur, & copioſè nimis, euidenter demonſtrãtes veritatem ſententiæ negatiuæ; quæ nolui tranſcribere, ne volumen in immenſum (vt ita dicam) excreſceret; cùm mea intentio ſemper fuerit, non prolixiores edere tractatus; ſed compendioſam, puram, ſinceram, dilucidamq́. aperire veritatem; & magis, quia libri editi à præfatis auctoribus, ſunt omnibus, præſertim iuris doctis, notiſſimi, & de facili haberi ſolent.

Inter prædictos auctores cum eiſdem ferè conditionibus, de quibus ſupra, maximè connumerandus eſt Cardinalis Caietanus *in ſuis opuſc. tom. 1. tract. 2. Apolog. de auctoritate Papæ, & Concil. par. 2. cap. 12. §. quoad ſecundum*, vbi inter quamplura ampliat rationem ad ſententiam negatiuam de qua ſupra; quam etiam tangunt Auguſtinus de Ancona, Turrecremata, & Cardinalis Albanus *locis ſuperius adductis*, quam fundat Caietanus ſuper illam propoſitionem Ariſtotelis de ſomno, & vigilia dicentis: *Eius eſt potentia, cuius eſt actus*, ſubdens, *Electionis Papæ actus ſimpliciter, & abſolutè non eſt Papæ, ideo poteſtas electiua Papæ non conuenit formaliter Papæ; probatur maior*, inquit ille. *Electio Papæ eſt actus factiuus, quantum ex ſe eſt, tunc Papæ.* (Quod eſt dicere quod per actum electionis pro illo tempore quo eligit Papa efficit Papam illum, quem eligit:) *Ergo repugnat ei quod præſupponat pro nunc Papam.* Iterum ſubdens, *& tenet conſequentia, quia quod fit non eſt, ſi enim eſſet, iam non fieret.* Addens. *Tunc vltra ergo electio Papæ non eſt Papæ: & tenet ſequela, quia elector præſupponitur ſecundum naturam electioni, & eſt ſimul tempore cum electione. Tunc vltra, ergo actus electionis Papæ non eſt Papæ, quia electio Papæ eſt actus electoris Papæ.* Quæ ratio euidenter demonſtrat intentum, nam manifeſtam contradictionem, & implicantiam continet, dicere quod Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem.

Pro ſolutione obiectionum animaduertendum eſt primo, quod ex cap. *ſi tranſitus Papæ* non dicit Symmacus, Papam ſibi poſſe eligere ſucceſſorem, ſed quod poteſt decernere de ſucceſſore; quod exponunt gloſſ. & alij, ideſt condere poteſt Conſtitutiones, & deliberare cum Cardinalibus de forma ſeruanda in futura electione Pontificis Romani, quemadmodum fecerunt Pontifices ſuperius nominati.

23 Ad illud vero de ſancto † Clemente à Petro inſtituto, iam reſponſum eſt ſufficienreter. Poteſt addi ſecunda reſponſio ex Auguſtino de Ancona vbi ſupra, art. 2. in reſpon. ad primum argumentum, quod Petrus plenus Spiritu ſancto Clementem elegit, quia nondum conditum erat Statutum in contrarium, ſtatim ſubdens. *Videns tamen Clemens quod hoc erat pernicioſum exemplar poſteris, quod aliquis ſibi ſucceſſorem eligeret, renunciauit Papatui, & electus fuit communiter Linus; quo mortuo fuit communiter electus Cletus; poſtmodum quarto loco iterum fuit electus Clemens, ac ſi ex illa ſucceſſione nullum ius fuiſſet ſibi acquiſitum, ſicut expreſſè notatur* 8. q. 1. Et Turrecremata vbi ſupra poſtquam dixit, quod factum Clementis non poteſt proponi in exemplũ, quia alij homines falli, & fallere poſſunt, niſi à Deo Spiritu ſancto ſint confirmati, vt Petrus erat. Hinc eſt quod poſt Petri mortem electiones Pontificum, plurimorum diſcretorum maturo iudicio concurrente, factæ ſunt; & circa finem præfati cap. 51. inquit. *Verum quia non omnes ſucceſſores Petri futuri erant tales, qualis Petrus fuit: forma iſta prouidendi de ſucceſſore poterat eſſe futuris exemplo pernicioſa; Sancti Patres ordina-*

dinarunt, vt nulli liceret ſucceſſorem ſibi conſtituere.

Quibus omnibus addit Cardinalis Albanus, factum Clementis de quo ſupra cogente neceſſitate eueniſſe, quia temporibus illis, pauci Chriſtiani comperiebantur. quod probat ex cap. ſi Petrus, & cap. ceſſante, adiuncta auctoritate Archidiac. & aliorum Iuriſtarum; immo electionem illam Clementis aſſerit, diuina annuente prouidentia, factã fuiſſe, vt inquit Roſel. iuxta textum Capituli Apoſtolica 8. q. 1. ſubdens; Sed ea, quæ diuinitus eueniunt, in conſequentiam minime trahenda ſunt, vt dicitur in cap. Apoſtolica, ibidem gloſſ. & alij. Quamobrem vltima verba illius quæſtionis trigeſimæ ſecũdæ Cardinalis Albani hæc ſunt. *Communis igitur, & vera concluſio ſit, Papæ ſibi ſucceſſorem eligere non licere.*

24 Ad illud vero † Bonifacij II. referunt Scriptores vitæ illius, & præſertim Anaſtaſius Bibliothecarius, verum eſſe, quod in ſynodo congregata in Baſilica ſancti Petri elegit ſibi ſucceſſorem Virgilium Diaconum; ſed ante diſſolutionem ſynodi fuit hoc reuocatum, & condita conſtitutio, & in hoc Bonifacius ſe confeſſus eſt reum, & igne combuſſit prædictam nominationem in ſcriptis iam redactam, ante confeſſionem Beati Petri Apoſtoli. Idem refert Cardinalis Baronius tom. 7. Annal. Anno Domini 531. immo addit Gonzalez de Illeſcas in Hiſtoria Pontificali in vita eiuſdem Bonifacij, quod decreuit ipſemet, ne Pontifex Romanus eligeret ſibi ſucceſſorem; quod confirmarunt poſt illum multi Pontifices Romani.

Quaſi neceſſaria illatione ex prædictis colligitur alia concluſio reſolutiua eiuſdem materiæ, de qua in ſecunda difficultate actum eſt; Papa ſcilicet, viuens non valet concedere alteri, neque Cardinali facultatem, vt ipſo viuente eligat ſucceſſorem Pontificem. Hanc concluſionem negatiuam tuentur, ac defendunt omnes Theologi, ac etiam maior, & ſanior pars iuriſperitorum.

Rationes quoque, vt optime animaduertunt Turrecremata vbi ſupra, & clarius Cardinalis Albanus de Cardinal. q. 33. §. *Contraria tamen opinio*, ſuperius adductæ, quibus euidenter demonſtratum eſt Papam adhuc viuentem non poſſe ſibi eligere ſucceſſorem; neceſſaria quoque conſequentia concludunt & demonſtrant hanc vltimam concluſionem, iuxta illud; *Nemo per alium facere poteſt, quæ per ſe ipſum facere nequit, l. pupillus, ff. de auctor. tut. cum alijs concor. ſupra citatis. Sed Papa ſecundum communem opinionem, vt vidimus, ſibi ſucceſſorem eligere non poteſt, ergo neque alteri debet poſſe talem tribuere poteſtatem.* Hæc Card. Albanus, qui vbi ſupra cumulat rationes, & auctoritates multorum textuum, atque legum ad idem demonſtrandum, adiunctis placitis celeberrimorum Canoniſtarum, præſertim antiquorũ. Tandem, §. *verum ſi*, expreſſis verbis referendo ſe, & ſua verba ad quam plura argumenta ſuperius immediatè ab eo adducta, demonſtrantia hanc veritatem, inquit. *Si propterea eum* (videlicet Papam) *ſibi ſucceſſorem eligere poſſe iura non concedunt, ergo minus alteri poteſtatem hanc tribuere poterit, argum. auth. multo magis, C. de ſacroſ. Eccleſ. Cum igitur hic de immutatione ſtatus Eccleſiæ pertractetur, Papa id facere non valeret, per not. per Innoc. in dicto cap. quanto, & in dicto cap. inquiſitioni, & per multa ſuperius in propoſito aggregata.* Ibidem etiam reſpondet ad obiectiones contrariorum, oſtendendo qualiter factum Adriani Papæ cum Carolo magno eueniſſet ſacro approbante Concilio, in quo vniuerſalis Eccleſia adeſſe præſumitur, addens materiam

ſecun-

ſecundæ reſponſionis propter ſchiſmaticos, & hæreticos, qui Eccleſiam, Pontificeſque valde perſequebantur: ideo pro illa temporis differentia accidit factum, de quo ſupra, conſentiente, & approbante toto Concilio.

His addendum eſt, factum de quo ſupra, nullam vim prorſus habere contra determinationem factam in præcedenti concluſione: quia id fuit de auctoritate collata referendum ad tempus vacationis, & poſt mortem viuentis Pontificis; & ita exigente conditione illius temporis, pro bono pacis, atque vtilitatis totius ſtatus Eccleſiæ.

Summa Cap. XI.

1 *Excommunicatus maiori, vel minori excommunicatione, non poteſt eligi in Prælatum Regularem.*

2 *Falſificans litteras Apoſtolicas, vel eis manus apponens, &c. niſi ſit officialis, eſt excommunicatus, & redditur inhabilis ad electionem.*

3 *Electio illegitimi, non diſpenſati, eſt ipſo iure nulla, &c.*

4 *Quilibet Religioſus non profeſſus in ſuo Ordine, vel non ſufficienter inſtructus in Regula ſui Ordinis, eſt in eligibilis. Item qui ex aliquo defectu non poteſt exercere officium, ad quod eligitur. num. 16.*

5 *In Ordine Minorum de Obſeruantia, quinam eligi poſſint in Prælatos.*

6 *In Ordine Prædicatorum qui ſint ineligibiles ad Prælaturas. & num. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 22.*

7 *Indignus, licet ritè electus, ac confirmatus ſit, deponi tamen debet. Immò nunquam licet talem eligere, vel poſtulare. & num. 18. 28.*

8 *Non habens ætatem, ſaltem vigintiquinque annorum, vel carens ſufficientia in his quæ ſpectant ad curam animarum, eſt de iure communi ineligibilis. Item violator interdicti; & qui tempore electionis non eſt idoneus. & nu. 10.*

17 *Excluſus tamquam indignus pro vna Eccleſia, ratione morbi, vel criminis perſonalis, eſt ineligibilis ad aliam, &c. niſi antea probet ſe eſſe liberatũ, vel emendatum. & num. 33. 35. 36.*

19 *Irregularis ſciens ſe talem eſſe, ſi eligatur ad aliquam Prælaturam, tenetur, etiam ſi alijs de eius irregularitate non conſtet, recuſare omnino confirmationem, &c.*

20 *In Ordine Minorum Conuentualium ſunt inhabiles ad quæcumque officia, qui faciunt, vel permittunt fieri ambitus, &c.*

21 *Quando duo eliguntur ad eamdem Prælaturam, in diſcordia, ſi contingat caſſari vtramque electionem, non poteſt alter illorum eligi.*

23 *Grauiter puniendus eſt ille, qui confirmat inſufficientem, inhoneſtum, vel non habentem legitimam ætatem.*

24 *Electus canonicè, ſi petat confirmationem, de iure communi non poteſt redargui, Secus autem fit in Ordine Prædicatorum. & num. 25.*

26 *Declaratur, quando, & quomodo ſit quis eligẽdus de gremio Collegij, vel Capituli.*

27 *Satisfaciunt Electores Statuto condito, præcipuè pro Ordine Prædicatorum, vt electus præſens habeat duo vota vltra medietatem; quando conſtat quòd ſecluſo proprio voto, fuit electus à maiori parte vocalium.*

29 *Vitiatus magna deformitate corporis, non poteſt eligi. Intellige vt num. 30. Item accuſatus iuridicè, dummodo ante accuſationem præceſſerit infamia. nu. 31.*

32 *Item ſunt ineligibiles, Religioſus qui chirurgiam exercuit, ex qua ſequuta eſt mors: Simoniacus: Homicida: Religioſus diſcedens à ſuo Monaſterio pro quouis crimine, etiam leui, & occulto: Pænitens publicus: Ioculator, &c. Neophytus: & ille qui aliàs electus fuit per abuſum poteſtatis*

teſtatis ſecularis: item qui ſcienter ſuſcepit ordines à ſchiſmatico. & nu. 34. Item periurus: is, ob cuius electionem veriſimiliter orirerur ſcandalum: Infamis infamia facti: notabiliter prodigus: Suſpenſus ab officio tantum; & is neque poteſt eligere; item Mendicantes tranſeuntes, etiam auctoritate Apoſtolica, ad non mendicantes. & nu. 38.

35 *Electio propter quæ caſſetur.*

36 *Vt quis dicatur ritè electus, debet tempore electionis eſſe idoneus; aliàs electio eſt nulla.*

37 *Recenſentur effectus ſuſpenſionis maioris, atque minoris.*

39 *Solicitans electores pro electione ſuæ perſonæ, non ſolum probatur ambitioſus, ſed etiam poteſt appellari ſimoniacus; & ſe reddit indignum ad illam dignitatem.*

40 *Quid ſit ſimonia.*

41 *Non obſeruantia alternatiuæ conſtitutæ in aliqua Prouincia, quando poſſit irritare electionem aliter factam.*

42 *Conſuetudo non probatur per actus, etiam iuridicos, ſed controuerſos, neque ex actibus vario modo obſeruatis.*

43 *Litigioſus, & percuſſor non poſſunt eligi in Prælatos.*

44 *Regulares Ordinis Prædicatorum, qui de licentia ſuorum Superiorum, & Sedis Apoſtolicæ inſeruiunt alicui Eccleſiæ, vel perſonæ, ſiue perſonis commorantibus regulariter inter infideles, vel hæreticos, ad effectum conuerſionis eorum, &c. cum degant extra clauſtra; an cenſeantur omnino excluſi ad electiones faciendas, &c.*

45 *Iſti Regulaſes non ſunt priuati voce paſſiua in electionibus, quæ fiunt in ijs Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati, dummodo habeant alias conditiones ad hoc neceſſarias. Imò neque ſunt priuati voce actiua. & num. 46.*

46 *Apponitur Clauſula Bullæ aureæ Sixti IV. pro hac materia.*

CAP. XI.

De impedimentis eorum, qui nõ poſſunt ritè eligi in Prælatum regularem.

1 EXcommunicatus † maiori, vel minori excommunicatione, non poteſt de iure eligi in Prælatum, Priorem, vel Abbatem. Syluester *in ſumm. verbo, Electio, 1. num. 15.* vbi adducit multa iura, quæ hoc prohibent.

2 Qui non ſolum falſificat † litteras Papæ, verum & qui apponit manus litteris Papæ, etiam in modico, niſi ſit Officialis, etiam quod addat punctum, eſt excommunicatus, inhabilis ad electionem, Hoſtien. *in ſumm. de crimine falſi, §. qualiter, col. 4. verſ. ſed hodie.* Felin. idem tradit, *in cap. ex parte, in princ. de reſcript. col. 3. verſ. ſtylus Curiæ.*

3 Illegitimè natus, non † diſpenſatus ante electionem ab habente talem auctoritatem, licet poſſit poſtulari, non debet tamen, nec poteſt eligi, *cap. cum in cunctis,* & *cap. innotuit.* Additur, quod electores eligentes illegitimũ, niſi probauerint ignoranter elegiſſe, incidunt in pœnas taxatas in Concilio Lateranẽſi ab Alexandro; vltra quod electio eſt ipſo iure nulla; quare ſcienter eligentes, ſua poteſtate eligendi priuati ſunt, Gloſ. *ibid. & in eod. cap. cum in cunctis,* declarantur priuati tunc, id eſt pro prima vice poteſtate eligendi, Panorm. *ibid. num. 1. de elect. in princ.*

4 Ineligibilis † eſt omnis religioſus regularis in Prælatum, ſiue Abbatem, vel Priorem in aliquo Conuentu, vel Monaſterio, qui non eſt expreſſe profeſſus in Ordine, vel Religione, quive non eſt ſufficienter inſtructus circa Regulam, & Con-

Digitized by Google

& Conſtitutionem dicti Ordinis, *tit. de elect. in princ. cap. in Magiſtrum, cap. officij tui, cap. cum inter canonicos, cap. cum cauſam*. non obſtante in contrarium quacumque conſuetudine, *cap. nullus, eodem tit.* Tandem idem habetur confirmatum ex decret. Clementis VIII. ſæpe citatis.

Ineligibilis eſt omnis, qui patitur defectum, per quem non poteſt exercere officium ad quod eligitur. Panorm. *in cap. etſi vnanimiter, num.* 8. Butr. *in cap. officij, de elect. nu.* 6. *&* 7. inquit, *Vbi caſſatur electio ex præſumptione delicti perſonæ, ex hoc non inhabilitatur ſimpliciter ad nouam electionem, at impedimento ceſſante, & habilitate ſuperueniente, iterum eligi poteſt.*

Pius quoque Quintus in Bulla *Paſtoris æterni*, directa Franciſcanis de Obſeruantia, ſub anno 1571. ordinat,
5 quod † Fratres Minores Regularis Obſeruantiæ, in Generalem, & reliquos ſuperiores ſolum eligant, qui Regulam Beati Franciſci bene obſeruare, & qui in choro, victu, & veſtitu, quantum officij neceſſitas conceſſerit, cum alijs ſe conformare ſoleant, & debeant. Idem Clemens Octauus in Decretis, de quibus ſupra, & infra.

6 Ineligibilis eſt omnis † in Ordine Prædicatorum; qui neſcit proponere verbum Dei, qui non poteſt ſequi Chorum, Refectorium, & alia loca communia, *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis*; in declarat. *text. tertij, ſub littera N*. imò *iam confirmatus abſolui debet*. Hoc idem habetur in Decret. Clementis VIII. editis pro Regular. reformat. num. 36.

In Ordine Prædicatorum non poteſt eligi, *nec electus confirmari in Priorem, qui neſcit grammaticè loqui abſque falſa latinitate, & qui non ſit inſtructus in moralibus, ſcilicet Scripturæ, vt ſciat competenter proponere verbum Dei in ſuo Conuentu; & ſi ſecus fiat, maximè in Conuentibus, habentibus integrum numerum fratrum, confirmator abſoluatur à ſuo officio, & per triennium omni officio Ordinis priuetur*; text. 3. *cap. de electione Prioris Conuentualis, ſub littera n*. Et in declarat. eiuſdem text. præcipitur ſtrictiſſimè Prouincialibus, vt omnes Priores *inſufficientes abſoluant à ſuis officijs indilatè, nec de cætero poſſint eligi alibi*. Horum omnium ſupradictorum ratio, & fundamentum credo, quod ſit id, quod ha-
7 betur in iure, videlicet, quod † indignus licet ſit ritè electus, ac etiam confirmatus, deponi debet. *cap. nihil, tit. de elect.* Abbas *ibid. num.* 2. Vt enim habetur *cap. qualiter, de electione*. ſufficiens ſcientia, eſt de neceſſario requiſitis in eo, qui eſt eligendus in Prælatum, vt latius patet *in cap. cum nobis, & in cap. cum in cunctis, eod. tit. de elect.*

Quia verò, *vbi aliquid deficit de neceſſariò requiſitis ad validitatem actus, deficit ipſemet actus*; ideò ſi aliquis eligatur ſine debita ſufficientia, electio eſt nulla ipſo facto. *cap. cum in cunctis*, & Abb. *in cap. qualiter, num.* 4. & communiter omnes.

8 Qui non habet ætatem † ad minus vigintiquinque annorum (de iure communi) & qui non eſt ſufficiens in illis, quæ pertinent ad curam animarum, non poteſt eligi, nec confirmari. *cap. nullus, cap. cum in cunctis, tit. de electione*. Quid ſimile in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, *diſt. 2. cap. de electio-*
9 *ne Prioris Conuentualis* habetur. In † Prouincijs autem Lombardiæ, & Romana, ex ordinatione ſecunda Cardinalis Alexandrini, olim Protectoris, non poteſt eligi, neque poſtulari, multo minus cõfirmari, in Priorem alicuius Conuentus ſupradictarum Prouinciarum, cui annexa ſit cura Monialium, niſi *ſit ætatis*

quadraginta annorum expletorum, & habeat viginti annos à receptione habitus, vt latius dictum eſt cap. 4. nu. 38.

Itē ex diſpoſitione Ordinationis tertiæ eiuſdem Illuſtriſſimi Alexandrini, nullus poteſt eligi in Priorem alicuius Conuentus, in quo ordinariè ſit lectio Theologiæ, qui *trigeſimum quintum annum ætatis non habeat, & in ordine ſexdecim*. Pariter ex Ordinatione quarta eiuſdem, in alijs minoribus Conuentibus, nullus poteſt eligi in Priorem, qui non ſit triginta annorum, & quindecim in Religione. Et ex Ordinatione quinta eiuſdem, *Prior actualis vnius Conuentus, non poteſt eligi, aut poſtulari in Priorem alterius Conuentus, nec etiam Supprior, aut Lector actualis, poterunt eligi in Conuentibus, in quibus officia actu exercent; & ſi ſecus factum fuerit, electio eſt nulla, & irrita.*

Ex diſpoſitione enim ſupradictæ Ordinationis immediatè citatæ, apertè cōſtat, quod etiam Lectores Conuentuū, qui in illis non habent diſcipulos fratres, quibus actu legant artes, vt Philoſophiam, ſeu Theologiam, ſunt nihilominus in eiſdem Conuentibus pro munere Lectoris actualis aſſignati, non eligi poſſunt in eodem Conuentu in Priorem, cùm ſint Lectores actuales illorum Conuentuum, primamq. vocem in conſilio, ac exemptiones habeant, & fruantur priuilegijs Lectorum actualium, & vtplurimum legant Scripturam in Eccleſia poſt Veſperas. Nam ſecundum diſpoſitionem Capitulorum Generalium tenentur legere ad minus Caſus conſcientiæ fratribus Conuentus: vnde officium Lectoris actu exercent, eo modo quo poteſt exerceri in illis Cōuentibus. Quare ſimpliciter Lectores actuales dici poſſunt, & per conſequens comprehenſi in præcitata Ordinatione, quia aliquo modo officia Lectoris ibi exercent: & hoc ſufficit ex vi verborum prædictæ Ordinationis.

Quæ ordinatio de Prioribus actualibus non eligendis in alio Conuentu, videtur habere fundamentum in iure, *cap. etſi vnanimiter, tit. de poſtulat. Prælat. in princ.* vbi prohibetur, *ne Epiſcopus actualis vnius Eccleſiæ poſſit eligi in Epiſcopum alterius Eccleſiæ; & ſi ſecus fiat, electio ſit irrita*. Vnde Euariſtus Papa *in epiſt. 1. ad Epiſcopos Aegypti*, quæ refertur *in cap. ſicut vir, 7. q. 1.* inquit, Epiſcopos non eſſe mutandos ab vna ad aliam Eccleſiam, *abſque ingenti neceſſitate; tum ne detur occaſio ambitioni, tum etiam vt Eccleſiæ perfectius ſeruiatur.*

Ex Ordinatione ſexta eiuſdem Cardinalis Alexandrini, inhabiles declarantur illi, cuiuſcumque conditionis ſint, qui per ſe, vel per interpoſitam perſonam, procurauerint officium Prouincialatus, vel Prioratus, aut Superioratus: & talis ſic electus, vel inſtitutus, ac etiā Electores taliter requiſiti; & eligentes illum, ſunt inhabiles modo dicto, tam actiuè, quam paſſiuè. & ad hoc probandum ſufficiunt quatuor teſtes. Et hoc eſt ſingulare in ſupradictis Prouincijs, Romana, & Lombardiæ.

10 Violatores † interdicti, non poſſunt eligi, nec poſtulari, *cap. ad hæc, cap. gratum, tit. de poſtulat. in princ.*

Qui non eſt idoneus tempore electionis, non poteſt eligi, *cap. dudum, §. Si autem erat dignus, in princ. tit. de elect.*

11 In Ordine † verò Prædicatorum, qui renunciauit officium Magiſtri Nouitiorum, remanet inhabilis per annum ad Prioratum, computando annum à die renunciationis: excipiuntur Magiſtri in Theologia acceptati, Patres Prouinciæ, & Lectores actuales, Romæ 1607. Ordinatione 13. & Pariſijs 1611. Ordinatione 4.

Qui non habent duodecim annos à

profeſ-

profeſſione in eodem Ordine Prædicatorum, non poſſunt eligi in Priores, Valentiæ 1596. Ordinatione decima, Romæ 1601. declaratione 5. & Pariſijs confirmatione quarta: quæ non fuit reuocata quoad vocem paſſiuam, ſed tantum quoad actiuam, vti videre eſt in actis Capituli Generalis Rom. 1608. tit. Ordinationes, num. 4.

Illi pariter, qui iã condemnati ſunt ad pœnas grauioris culpæ, etiam poſt reſtitutionem, niſi per multos annos commutauerint mores in melius, ad Prælaturas non ita de facili admittantur. Romæ 1589. auctoritate Apoſtolica fuit ordinatum: ideò magna cautela obſeruandum eſt.

Illi qui fuerunt Apoſtatæ, etiam poſt reuerſionem, ac receptionem benignã, in Ordine Prædicatorum, per viginti annos in Prælatos eligi, vel confirmari non poſſunt, etiam quod ſint habilitati ad omnes gratias Ordinis; ita vt ſi ſecus fiat, totum ſit irritum, & inane. Romæ 1569. Ordinatione 13.

Illi qui manſerunt extra Ordinem ſine debita licentia Superiorum, poſt eorum reuerſionem non poſſunt habere aliquod officium, Prælaturam, neque Vicariatum ad decennium poſt eorum reuerſionem, ſine ſpeciali licentia in ſcriptis Magiſtri Ordinis, Romæ 1508. Confirmatione 6. & in declaratione text. 6. cap. de itinerantibus, in fine.

Qui verò abiurauerunt in ſancto Officio, tanquam vehementer ſuſpecti de hæreſi, non poſſunt reſtitui, nec habilitari ad dignitatem, ſeu officium toto tempore vitæ ſuæ, neque per Magiſtrũ Ordinis. Auenioni 1558. Bonon. 1554. confirmatione ſexta.

Illi pariter non poſſunt eligi, qui degunt quomodocumque, & ſub quouis prætextu extra clauſtra, etiam quod ſint aſſignati in aliquo Conuentu, dummodo actualiter non inſeruiant ſancto Officio, Romæ 1573. 1579. & 1601. declarat. 4. quod latius explicabitur ad finem huius Cap. ſub num. 44.

Non poteſt eligi, qui per ſententiam iam eſt priuatus voce paſſiua, Romæ 1589. declaratione 4.

12 Habilitati † ad beneficia extra Ordinem, non poſſunt eligi in Priores in Ordine Prædicatorum, text. 6. cap. de itinerantibus: neque illi, qui recurrunt ad emendicatos fauores perſonarum extra Ordinem Prædicatorum, ex Conſtitionibus Apoſtolicis Greg. XIII. Clementis VIII. à Paulo Quinto confirmatis, contra Fratres Ordinis Prædicatorum, mendicantes fauores, per perſonas extra dictum Ordinem, vel non aſſumptas à dicto Ordine, vt à ſuis Superioribus conſequantur dignitatem, gradum, officium, & remiſſionem pœnæ. nam declarantur excommunicati, ac ipſo facto priuati voce actiua, & paſſiua, prout latius continetur in Conſtitutione Clementis VIII. ſuper hoc edita, cuius initium eſt, Religioſos viros, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 23. Maij 1592. Et ad hoc probandum ſufficiunt eorum inſtantię oretenus, ſiue in ſcriptis porrectæ, nomine illorum Superioribus eiuſdem Religionis: quæ Conſtitutio venit connumeranda, ex ordine dicti Clementis inter perpetuas Conſtituones neceſſariò obſeruandas in Ordine Prædicatorum. Idem ſtatuerunt Pius V. Gregor. XIII. pro Ordine Minorum, vt tradit Rodericus tom. 2. quæſt. Regul. q. 56. art. 2. quod totum ampliauit ad Ordinem Minorum Conuentualium, & Monachorum Cœleſtinorum Paulus V.

Fratres aliarum Prouinciarum, qui non manſerunt aſſignati ad minus per triennium, in aliena Prouincia, non poſ-

ſunt in illa eligi in Priores, niſi alias ſint notorij, in tex. 6. in eiuſdem declaratione cap. de itinerantibus.

Item in eodem Ordine Prædicatorũ, in vno eodemque Conuentu, non poſſunt eligi immediatè in Priorem, neque in eadem Prouincia in Prouincialem duo Fratres germani, vnus poſt alium immediatè; & ſi ſecus fiat, electio eſt nulla, Romæ 1608. Pariſijs 1611. & Bononiæ 1615.

Viſitatores actu viſitantes Conuentus, ſeu Prouinciam, & eorum ſocij, ineligibiles ſunt; quia in vtroque reperitur eadem ratio, & finis illius legis & ſtatuti: & ſi fiat in contrarium, declaratur totum irritum, & inane. Romæ 1601. confirmat. 13. Valliſoleti 1605. confirmat. 9.

Qui non vacauerunt in eodem Conuentu, tempore duorum Prioratuum, non poſſunt eligi in Priorem in eodem Conuentu. Quemadmodum qui fuit Prouincialis in eadem Prouincia, nequit iterum eligi in Prouincialem, niſi vacauerit per octo annos. Ita Iulius II. ſtatuit in ſua Conſtitutione, quæ incipit, Sub Religionis iugo, &c. Dat. Romæ 6. Kal. Auguſti 1504. de qua ſuperius, cap. 5. nu. 78.

Animaduertendum eſt, quod ex vi verborum præcitatæ Conſtitutionis Iulij II. qui fuit alias Prouincialis, in eadem Prouincia, non poteſt reeligi in Prouincialem, niſi vacauerit per octo annos. Nam de Menſe Maij 1620. cum fuiſſet electus in Prouincia Lombardiæ P. Magiſter N. qui antea à ſex annis fuerat Prouincialis eiuſdem Prouinciæ; re delata ad S. D. N. Paulum V. conceſſit facultatem Reuerendiſſimo Patri Generali Magiſtro Fratri Seraphino Sicco confirmandi dictam electionem, auctoritate tamen Apoſtolica, ſupplendo pro illa vice omnibus defectibus, ac illum de nouo inſtituendi; diſpenſando pro tunc ſuper diſpoſitione præfatæ Bullæ, & declarando eam eſſe intelligendam, prout verba ſonant de vacantia octo annorum completorum, vt fuſius dicam ad finem huius numeri. Quare declaratio tertij Capituli Generalis Bonon. 1564. qua dicitur, Prouinciales debere

12 vacare per tempus duorum Prouincialatuum, debet neceſſario exponi de Prouincijs, in quibus Prouinciales durant per quadriennium, niſi ſuperueniat alia declaratio, facta in forma ſpeciali auctoritate Apoſtolica, qua derogetur in ſpecie contentis in Bulla Iulij II. De qua ſpeciali derogatione debet conſtare: alias obſeruanda venit omnino Bulla Iulij II. vti patet cap. licet Romanus in 6. de Conſtitutionibus, & DD. ibidẽ.

13 Ad id vero quod † legitur in Ordinationibus factis auctoritate Apoſtolica, per ſpeciale Breue à Viſitatoribus Apoſtolicis pro Prouincia Regni, à Cardinali ſcilicet Aretino, & ab Epiſcopo ſanctæ Agathæ Gothorum, anno 1588. vt patet fol. 23. earumdem Ordinationum, qui fuit Prouincialis in eadem Prouincia Regni, non poſſit eligi in eadem Prouincia ad idem officium, niſi elapſo ad minus ſexennio, quod eſt tempus trium Prouincialium; Dici poteſt, hoc potuiſſe ordinari per ſpecialem, & amplam facultatem illis conceſſam à Sixto Quinto: Sed verius dicitur, quod cum non fiat ſpecialis mentio de derogatione Bullæ Iulij II. per ſupradictam Ordinationem nihil ſtatuitur contra illam. Quare ſtandum erit diſpoſitioni Bullæ Iulij II.

Ad obiectionem vero illorum, qui adducunt declarationem præcitatã Capituli Generalis in eodem Ordine Prædicatorum celebrati, qua diſponitur vt Priores Prouinciales vacẽt tantum tempore duorum Prouincialatuum, cum ſit de

ſit de directo oppoſita verbis præcitatæ Bullæ Iulij II. quæ Bulla continet ius ſpeciale, ſiue priuilegium, præter diſpoſitionem iuris communis, cuius cognitionem non ita de facili habent omnes: ideo inquit, Petrus de Baiſio in ſuo Director. elect. cap. 1. 1. par. priuilegia conſiſtunt in facto, & poſſunt probabiliter ignorari, quod alij dicunt id euenire poſſe abſque culpa, & peccato. Cumque nec appareat quod ſpeciali auctoritate Apoſtolica fuerit facta, neceſſario referenda venit ad diſpoſitionem eiuſdem Bullæ, quæ cum ſit quid facti, poterat ignorari, vt optimè traditur in iure, cap. 1. de conſtitutionibus, cui additur Gloſſa illa celebris in *cap. porrecta nobis*, tit. de confirmat. vtili, vel inutili; ſub loco citato ſequentis tenoris. *Quia omnium habere memoriam, & in nullo peccare, potius eſt diuinitatis, quam humanitatis.* Cod. de veter. iure enucl. l. 2. §. ſi quid autem, &c.

In huius confirmationem, immediatè poſt citatam declarationem factam in eodem Ordine Prædicatorum in Capitulo Bononien. 1564. ponitur alia de directo contra tenorem eiuſdem Bullæ Iulij II. Nam Iulius II. expreſsè ſtatuit, ne poſſit tempus Prouincialium extendi vltra quadriennium. Et in illa declaratione immediatè ſequenti ad illam, ſtatuitur quod Prouinciales Bohemiæ poſſint durare per ſexennium, nulla facta mentione de auctoritate Apoſtolica, neque de ſpeciali derogatione Bullæ Iulij II.

Quod eſt cõforme declarationi tex. 8. prologi Conſtit. Ord. Prædic, ſub litt. q, in qua dicitur ſtandum eſſe declarationi factæ in Capitulo Generali, dummodo tamen manifeſtum non contineat errorem; quemadmodum continet illa de qua ſupra Capit. Bonon. 1564. abſque tamen culpa, ob adductas rationes.

Inſuper ſciendum eſt, quod in illa priori declaratione citata, ſcilicet tertia, ponitur negatiua tantum ne poſſint ſcilicet Prouinciales ad idem officium in eadem Prouincia aſſumi infra tantum tempus, quanto duorum Prouincialium officia integra durare ſolent; non tamen diſponitur quod illo tranſacto poſſint eligi; ponitur negatiua, non tamen affirmatiua: ideo nullum inde poteſt colligi argumentum.

Ad ſupradictorum maiorem claritatem, in regeſto Reuerendiſſimi Patris Generalis Magiſtri Fratris Seraphini Sicci Papienſis fol. 31. à tergo circa medium, ad verbum habentur quæ ſequuntur.

Die 26. Maij 1620. Cum fuiſſet electus in Capitulo Ianuæ celebrato in Prouincialem P. Magiſter Frater Conſtantinus Gandinus de Brixia, confirmatus fuit cum auctoritate conſueta tam ſuper Fratres, quam ſuper Moniales, & perſonas tertij habitus vtriuſque ſexus, habito prius verbo cum ſanctiſſimo D. N. Paulo Papa V. & obtenta auctoritate ad ſupplendum defectibus ſi qui eſſent; maximè cum non vacauerit per octo annos, poſtquam alia vice fuit Prouincialis eiuſdem Prouinciæ, iuxta Conſtitutionem Iulij Papæ II. cui derogatum fuit pro hac vice ac diſpenſatum, &c. Quod fuit diſtinctè per litteras nunciatum eidem P. Prouinciali confirmato, & quatenus opus eſſet de nouo auctoritate Apoſtolica inſtituto.

Et Anno 1624. Sabbato ante Dominicam Deus qui errantibus, nam fuit dies 27. Aprilis, occaſione obitus Patris Magiſtri Fratris Reginaldi Celij Prouincialis Prouinciæ Romanæ, celebratum fuit in Conuentu Gradenſi Capitulum electionis tantum futuri Prouincialis, prætermiſſis electionibus Diffinitorum, & alijs ſolitis fieri Capitulis Prouincialibus ad præſcriptum Conſtitutio-

dinis, qui iam ſunt electi ad aliquam dignitatem extra Ordinem, *cap. de elect. Prioris Conuentualis*.

Vicarij electionum legitimè miſſi, atque Commiſſarij Generales in aliqua Prouincia, vel pro aliqua Cauſa, in qua, vel quo, ſpeciali durante tempore ſuæ viſitationis, non poſſunt eligi in illa Prouincia, vel Conuentu, vbi actualiter ſunt Vicarij, vel Viſitatores: & ſi ſecus fiat, totum eſt irritum, & inane. Neapoli 1600. *Ordinat.* 7. *Romæ* 1608. *Confirmat.* 9.

16 Laborans aliquo † morbo durabili, per quem impeditur ab exequutione ſui officij, non debet, nec poteſt confirmari. *cap. cum inter*, & Doctores *ibidem*.

17 Qui fuit excluſus † tanquam indignus pro vna Eccleſia ratione morbi, vel criminis perſonalis, non poteſt eligi ad aliam Eccleſiam; & proportionaliter nominatus in Priorem, vel Guardianum vnius Conuentus, non poterit ritè excluſus pro vno Conuentu, eligi pro alio, niſi antea probet ſe liberatum, vel emendatum: nam repulſio, quæ rationabiliter facta fuit reſpectu vnius Eccleſiæ, fidem facit quod talis ſic repulſus, non poteſt eligi ad aliam Eccleſiam. *cap. cum inter canonicos*. Panorm. *ibidem num.* 7.

18 Nunquam licet † eligere, aut poſtulare indignum, & inhabilem: S.Tho. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *in reſponſ. ad* 3. Sotus *lib.* 3. *de iuſt. & iure. art.* 2. vbi in ſpecie docet, quod ſtante ſtatuto fundationis beneficij, vt detur ſemper vni perſonæ de tali familia, ſimile ſtatutum venit interpretandum, *dummodo adſit idoneus in familia*. Aliter debet conferri perſonæ idoneæ; etiam quod non ſit de tali familia.

Electus ad aliquam Prælaturam, cui
19 conſtat † quod ſit irregularis, etiã quod alijs non innoteſcat, tenetur recuſare omnino confirmationem; & ſi non poſſit alia via, debet ſaltem confirmatori ſuam pandere irregularitatem occultam, cum non potuerit ritè eligi. Io. de Anan. *cap. innotuit, num.* 2.

20 In Ordine Minorum † Conuentualium ſancti Franciſci, inhabiles ſunt ad quæcumque officia, & Prælaturas, qui faciunt, vel fieri permittunt ambitus, vel ſolutiones pecuniarum pro officijs, vel Magiſtratibus obtinendis, etiam pro Confirmationibus, ſigillo, vel ſcriptura, aut quacumque alia re ad prædicta ordinata, vel alias pactiones, ſeu promiſſiones: ex Bulla Pij Quinti. *Ad extirpandos*, &c. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum ſexto idus Iunij 1568.

Idem mandauit obſeruari Pius V. in Ordine Seruorum, vt videre eſt in Statutis, pro reformatione ipſius Ordinis editis, de commiſſione, & facultate eiuſdem Pontificis, ab Odoardo Epiſcopo Cæſenatenſe, & executioni demandata die 13. Maij in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis Cæſenæ celebrato: vbi etiã præcipitur, vt Priores non poſſint perdurare vltra biennium, nec ad illudmet officium in eodem Conuentu aſſumi poſſint, niſi tranſacto integro biennio.

In quo Ordine Minorum, ex diſpoſitione Statutorum Editorum à S. Carolo Borromæo, ex ordine, & facultate ſibi, & Generali illius Ordinis conceſſa à Pio Quinto, num. 3. ſtatuitur, vt qui ſunt eiuſdem Prouinciæ, non poſſint aſſumi in Prouincialem eiuſdem Prouinciæ, ſed præficiatur alter ex aliena Prouincia idoneus, & cultor regularis obſeruantiæ. Et cùm experientia modò contrarium oſtendat, credo quod ſuper his ſit aliqua reuocatio, vel diſpenſatio Apoſtolica.

21 Quoties duo eliguntur † in eadem Eccleſia, vel ad eandem dignitatem, ſiue officium, & Prælaturam, in diſcordia

dia tamen electorum, licet ſint ſufficienter nominati; ſi tamen contingat vtramque electionem caſſari propter aliquem defectum in ea repertum, non poteſt amplius alter illorum eligi, vel nominari ad eandem prælaturam, in eadem Eccleſia, vel Collegio, propter euitandam diſcordiam. Si vero omnes electores, liberè, & concorditer elegerint ritè, & canonicè vnum ex illis, electio ritè facta poteſt confirmari: nam tunc ceſſat cauſa ſuperius aſſignata, de electione in princip. cap. conſiderauimus; quod videlicet propter ſcandalum euitandum poteſt fieri licitè prohibitio, vt quis non eligatur in tali Eccleſia vel Collegio, licet ipſe in nullo deliquerit, & alias ſit habilis: nam etiam multa licita, ſunt dimittenda propter ſcandalum euitandum, vt *in cap. nihil prodeſt, de præſcriptionibus*, & *cap. cum teneamur,*
22 *de prebendis*. In † Ordine vero Prædicatorum nullus ſufficienter nominatus in ſuperiori, ſiue præcedenti ſcrutinio iam caſſato, non poteſt amplius eligi, vel poſtulari, niſi fuerit de nouo habilitatus ab habente talem auctoritatem, *cap. de electione Prioris Conuentualis*.

Vnde in 1. lib. Decret. *tit. de elect. & electi poteſtate cap. nihil*; habetur. *Nihil eſt quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum*. In quo cap. punitur
23 grauiter † confirmator, ſi hominem inſufficientis ſcientiæ vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ confirmauerit; & ſi habet beneficia ſuſpenditur à perceptione fructuum, quouſque indulgentiam valeat promereri. & in 6. *tit. de elect. cap. perpetuo* dicitur. *Indignum in electionibus nominantes, contra conſcientiam ſuam agunt, & diuinam vindictam, & Apoſtolicæ vltionis metum, vt qualitas facti ſuaſerit, poſſunt non immerito formidare*.

Et in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* hortantur omnes habentes aliquo modo ius in electionibus, & promotionibus, vt in primis meminerint, *nihil melius ad Dei gloriam, populorum ſalutem, poſſe efficere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ Gubernatores promouere ſtudentes, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non qui precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus; ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, ac omnibus alijs qualitatibus præditos ſciant, quæ iuxta ſacrorum Canonum, & Concilij decreta requirantur*.

24 Canonicè † electus petendo confirmationem, non poteſt redargui, de iure tamen communi, immo poteſt proteſtari ordinario confirmatori, ſi illum non confirmabit quod recurret ad Superiorem maiorem. Hoc eſt de iure communi, *cap. poſtul.* Panorm. *nu.* 4. Secus
25 autem † in Ordine Prædicatorum, vt dictum eſt ſupra, & generaliter vt latius dicam inferius, præſertim ad finem huius cap. non eſt procedendum celeriter ad petendam confirmationem per ipſum electum, maximè ad effugiendam notam affectati deſiderij Prælaturæ, ne dicam peſtilentiſſimæ ambitionis, quæ procul eſſe debent à Regularibus, qui Chriſtum imitantes mites eſſe tenentur, ac humiles corde, verbis, & operibus.

Electio ſecundum honeſtatem, & conuenientiam, debet fieri de perſona,
26 quæ ſit de gremio † Collegij, vel Capituli, dummodo aliàs ſit idonea: Licet electio facta de extraneo idoneo, ſit valida, & bona, *cap. quia propter*, Nauar. *conſil. 6. de electione*, & ita communiter omnes.

Bañes

Bañes *de iure, & iuſtitia, tit. de acceptatione perſonarum, art. 2.* inquit, *Eligere dignum prætermiſſo digniori eſt peccatum mortale ex genere ſuo.* quod probat per illud Concilij Baſileeñ *ſeſſ. 12. Decret. de electione Epiſcoporum, & Prælatorum*, vbi refertur iuramentum, quo Electores aſtringuntur eligere illum, quem verè, & realiter cognouerint vtiliorem eſſe Eccleſiæ, vt latius ſupra in alijs cap. dictum eſt, præſertim cap. 7. Et in Concil. Trident. ſeſſ. 24. diffinitur mortaliter peccare Electores, niſi eligant illos quos reputant digniores. Immo tradit ipſemet Bañes, hanc eſſe communem ſententiam Sanctorum, Canoniſtarum, Theologorum, ac etiam Iuriſtarum.

S. Thomas *2. 2. q. 63. art. 1. in reſpon. ad* 4. inquit, *quod ille qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam in qua eſt nutritus. & propter hoc mandatur in Deuteronom. cap. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus:* dummodo tamen ſemper ad minus dignus ſit, cùm nunquam liceat eligere indignum. Vnde æquitas à legibus cõmendata, vt eligatur quis de gremio, habet locum quotieſcumque adſunt digni, & habiles in rei veritate pro regimine Eccleſiæ, vel Conuentus, vt latius explicat S. Thomas in hoc & ſeqq. articulis.

Cui addendum eſt id quod ex ſancto Thoma colligitur *in corpore primi articuli citatæ quæſtionis*, quod æquitas commendata à legibus, vt eligatur idoneus de gremio, debet ſeruari, quando illa Eccleſia, Collegium, vel Conuentus, abundat ſapientibus, & prudentibus; vel quod experimento compertum ſit, illos eſſe aptos, & vtiles, pro regimine temporali, & ſpirituali dictæ Eccleſiæ, dicens expreſſè; *Contigit tamen aliquam conditionem perſonæ facere eam dignam reſpectu vnius rei & non reſpectu alterius*, ſubdens; *ſicut conſanguineitas facit aliquem dignum ad hoc quod inſtituatur hæres Patrimonij, non autem ad hoc quod conferatur ei Prælatura Eccleſiaſtica.* & in reſponſione ad primum argumentum inquit. *In diſtributiua iuſtitia conſiderantur conditiones perſonarum, quæ faciunt ad dignitatis, vel debiti cauſam.*

Ex deciſione Rotæ Romanæ, nu. 65. tom. 1. par. 1. Proſperi Farinacij facta die Lunæ 24. Nouemb. 1605. *num.* 4. *coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Pamphilio.* habentur ſequentia. *Quamuis pro validitate electionis, ſatis ſit ſi dignus eligatur, & electio de digno, omiſſo digniori ſuſtineatur; id tamen procedit poſtquam celebrata eſt electio, quæ ex omiſſione dignioris non retractatur, vt litium occaſiones amputentur: ſed ante electionis celebrationem, omnia iura clamant, quod meliores, & ſanctiores eligantur. Et ideo peccant qui ſcienter, omiſſo digniori, eligunt dignum, vt notant omnes, in cap. conſtitutus, de appellat. cum allegatione in cauſa Toletana Canonicatus 18. Maij 1584. coram ſanctiſſimo Gregorio XIII.*

In Ordine Prædicatorum eligendus, ſi eſt de corpore Capituli, ſiue ſit aſſignatus in Conuentu, in quo facienda eſt electio, & reuera adeſſe poſſit electioni, etiam quod actu non interſit, debet habere duo vota vltra medietatem, ex Decret. Pauli III regiſtrato in Actis Capituli Generalis Romani 1558. *Ordinat.* 6. Silu. *tit. electio ſecundo, nu.* 23. *circa medium.* Idem omnino ſtatuitur in Capitulo Generali Romano 1601. in Capitulo Romano 1589. *declarat.* 6. præcipitur idem.

In Conſtitut. eiuſdem Ordinis Prædicatorum, *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis*, in declaratione text. 3. *ſub littera, L*, ita habetur. *Declaramus ſatisfieri*

27 *tisfieri dicto decreto*; † *quod ſi electus ſit de numero eligentium, oportet vt habeat duo vota vltra medietatem, dummodo conſtet ipſum electum fuiſſe à maiori parte, ſecluſo voto ſuo.* & ibi ponitur exemplum, *ſi ſint ſex vocales, debet neceſſario habere quinque vota, ad hoc vt eius electio ſit ritè facta.*

Hocque decretum Pauli IV. fuit etiam conditum, quemadmodum teſtantur acta præcitati Capituli Generalis 1558. ad excludendam omnem, & quamcumque electionem Prouincialis, Prioris, Vicarij, vel ſocij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, factam ex vi renunciationis, ſiue ceſſionis, vel collationis voti ipſius electi.

Eligendo indignum, committitur peccatum † mortale, & fit contra iuſtitiam commutatiuam, propter Eccleſiæ, vel Conuentus læſionem. Ac etiam contra iuſtitiam diſtributiuam, propter acceptationem perſonarum, quia indigni, dignis anteponuntur, vt *in cap. vnico*, & *in cap. graue, tit. de præben.* eſtque communis Summiſtarum ſententia, *verb. Electio.* Ita docet Concilium Trid. *ſeſſ. 24. cap. 11.* Et S. Auguſtinus epiſt. 29. citatus à D. Tho. vbi ſupra 2. 2. *q. 63. art. 2. argumento ſed contra*, inquit. *Quis ferat ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?* Ideo gloſſa ſuper illud Iac. 2. inquit. *Quicumque diuitem propter diuitias honorat, peccat.* Quibus verbis addit S. Tho. vbi ſupra, *art. 3. argumento, ſed contra*. *Et pari ratione ſi aliquis honoretur propter alias cauſas, quæ non faciunt dignum honore, quod pertinet ad acceptionem perſonarum.* Statim ac immediatè concludens. *Ergo acceptio perſonarum in exibitione honoris eſt peccatum.*

29 Vitiatus magna deformitate † corporis, vti homo ſine pollice, vel cum magna macula in oculo, non poteſt eligi, Leuit. 21. *Homo de ſemine tuo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo*; *cap. cum tua, de electione*; *cap. expoſuiſtis*.

30 Et intellige † de vitiatis, dummodo macula ſit talis, vt inducat ſcandalum, vel ſcandaloſam deformitatem, quod relinquitur iudicio Superioris. Io. Andr. in cap. 1. *de corpore vitiatu*, cum quibus ſolus Papa diſpenſat. Innoc. *in cap. cum æterni*, de re iudic. lib. 6.

31 Accuſatus † iuridicè, inquiſitus, ſiue denunciatus, pendente accuſatione, inquiſitione, vel denunciatione, non poteſt eligi, dummodo præceſſerit ante accuſationem infamia, maximè vero apud bonos, *cap. omnipotens Deus, tit. de accuſatione*, Panorm. *ibid.* Gloſſ. *in dicto cap. verb. Nunciantur*. Innoc. *cap. accuſatum, de ſimon.*

32 Religioſus † qui chirurgiam exercuit, ex qua ſequuta fuit mors, eſt ineligibilis; *cap. tua de homicidio*, Felin. *in dicto cap. tua col. 2.*

Simoniacus eſt ineligibilis, *cap. ſi alicuius, tit. de elect.* Io. Andr. & Panorm. *ibid.* ſed clarius in Conſtitut. Pauli II. incipiente, *Cum deteſtabile ſcelus ſimoniacæ, &c.* id demonſtratur, & communiter omnes.

Homicida eſt ineligibilis iure diuino, & humano, primi Paralipomen. cap. 28. *cap. ſi quis omnem 1. q. 7. cap. ad aures, tit. de ætat. & qualit.*

Diſcedens Religioſus à ſuo Monaſterio, pro quocumque crimine, etiam leui, & occulto, efficitur ineligibilis, *cap. poſt tranſactionem, verb. Quatiquam de renunciat.* Petrus de Baiſio, *in direct. electionum, cap. 25.*

Pœnitens publicè non eſt eligendus, *cap. placuit*, Petrus Baiſius *vbi ſupra, cap. 27.* nec eligi poteſt qui ſuſcepit Ordines ſcienter à ſchiſmatico. Id communiter aſſeritur.

33 Regula generalis eſt, † Habens crimen,

men, ſiue animi, ſiue corporis, per quod reddatur inhabilis ad exercitium officij ſui, ſiue dignitatis, talis non poteſt eligi. Panorm. & Io. Andr. *cap. fin. de poſtulat. Prælat.*

34 Cum eligendus † ad eccleſiaſticam Prælaturam debeat eſſe grauis in moribus, & in ſcientia ſufficiens, Ioculator, Goliardus, & Buffo, eſt ineligibilis, *cap. de vita, & honeſtate clericorum.*

Neque Neophitus poteſt eligi in Prælatum, *cap. quoniam multa*, & *cap. Neophitus* 48. diſt.

Nec eligi ille poteſt, qui aliàs fuit electus per abuſum poteſtatis ſecularis, cùm remaneat ineligibilis ad quamcumque dignitatem, *cap. quiſquis, de electione*, & *cap. ſi quis deinceps*.

Nec omittam compendioſè recenſere, quod traditur *in cap. ſuper eo tit. de electione, & electi poteſtate*, videlicet,
35 quandoque † caſſatur electio, propter crimen electi verè probatum: quandoq. propter crimen præſumptum: quandoq. propter infirmitatem ipſius electi, talem, qualem habet impedire promotionem, de qua eſt *in cap. cum inter*. Si vero conualeſcat ex infirmitate redditur eligibilis; ſecus in vitioſo, qui ſemper præſumitur malus, niſi probetur mutatus, Abbas *in cap. ſuper eo nu. 3*.

Et generaliter loquendo, qui ritè eli-
36 gi † debet, neceſſario tempore electionis debet eſſe idoneus, alias electio eſt nulla: nec ſufficit quod ſuperueniat idoneitas poſt electionem, *cap. dudum*, tit. de elect. Abb. ibid. nu. 8. *Quod enim à principio eſt nullum, tractu temporis non conualeſcit, cap. non firmatur*, de Regulis iur. in 6.

Vitium præcedens † electionem in perſona electi, ſed ante tempus electionis purgatum, ſiue emendatum, non obſtat electo, nec infirmat electionem alias canonicè factã de illo, *cap. dudum*; Doctores *ibidem*, præcipuè vero Butr. *num.* 31. Io. Andr. citat à Franco, vna cum alijs, *in cap. nullus*, & *in cap. ex eo quod, in 6. tit. de electione*, tradit quod *eligendus in Prælatum in Eccleſijs regularium, requiritur quod ſit expreſsè profeſſus, licet ad hoc vt eligat, ſufficiat quod ſit tacitè profeſſus*.

Diſputat Anton. de Butr. *ſuper prima primi decret. cap. auditis, num. 23. tit. de electione*, an quodlibet peccatũ, vel delictum in perſonam electi, reddat electionem nullam. Et poſt varias allegationes text. & Doctorũ reſpondet cum Com-
37 poſt quod ſi eſt † delictum inducens irregularitatem, aut ſuſpenſionem maiorem, talis electio eſt nulla, alias non, *cap. cum inter dilect. de exceſſ. Prælat.* Deinde ſubdit. *Nec obſtat quod ſit ſuſpenſus, quia ſuſpenſio minor quoad ſe non reddit electionem nullam ipſo iure, licet quandoque caſſandam. Nec obſtat cap. cum in cunctis, quia in illo non inuenitur iure expreſſum electionem ſupradictam eſſe nullam, ſed eligentes priuatos poteſtate eligendi; quando electus videlicet non eſt commendabilis vita, & moribus:* Ex quibus omnibus per modum neceſſariæ illationis infert quæ ſequuntur: *Ex quo apparet caſus in quo electio non eſt nulla, & tamen eligentes ſunt priuati poteſtate eligendi; vt quando ignorant indignitatem electi, vel peccant in forma expreſſa in cap. quia propter; alias eſt nulla, & ſunt priuati, vt in cap. congregato, & cap. ſcriptum, de elect.* Immo plus dicit Innoc. in Clemen. *de excomm. ſi celebrat, in addit.* quod *irregularitas non reddit electionem ipſo iure nullam, loquendo de iure poſitiuo*.

38 Periurus † omnis, & vt talis declaratus, eſt ineligibilis, *cap. querelam de iur. iur.* Mandagot. 2. *par. ſui tractatus de elect. cap.* 59. & Boerius *in addit. ad idem caput Mandagot.*

Eligi non poteſt is, ob cuius electio-

nem veriſimiliter orir etur ſcandalum. Ita ſentit Panorm. *cap. conſiderauimus*, & Felin. *in cap. nihil, de præſer. ver.* 13. quos citat Petr. de Baiſio, *in ſuo direct. electio. cap.* 2. *num.* 1.

Infamis infamia facti, vel iuris, eſt ineligibilis, *diſt.* 51. *cap. qui in aliquo*.

Notabiliter prodigus eſt ineligibilis. Bald. *in cap. eum in cunctis, de elect. col.* 2. & *cap. Petrus Diaconus*, 39. *diſt.* Ibid. Archidiac.

Idem *cap.* 7. *num.* 5. Suſpenſus ab officio tantum, nec eligi, nec eligere poteſt, *cap. eum dilectus, de conſuetudine*, & communis opinio Doctorum.

Mendicantes tranſeuntes, etiam auctoritate Apoſtolica, ad non Mendicantes, carent voce in electionibus. Clem. vt profeſſores ibid. Card. Flor. & Zabarella.

39 Sollicitans † electores pro electione ſuæ perſonæ, ſemetipſum reddit indignum ad illam dignitatem, & non ſolum probatur ambitioſus, ſed etiam poteſt appellari ſimoniacus, dum preces emittit pro ſua promotione. Panorm. *cap. per inquiſitionem, num.* 5. & S. Thom. quolib. 5. art. 23. poſt difinitam ſimoniam, quòd ſit †, *Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, aut ſpirituali annexum*; inquit, *Si Prælatus intendit obligare eum cui dat beneficium Eccleſiaſticum ad aliquam recompenſationem faciendam ſibi, vel ſuis conſanguineis, intentio ſimoniaca eſt; intendit enim quandam tacitam venditionem. Si verò non intendat eum obligare, ſed intendat quòd ille ſibi, vel ſuis propria ſponte tēporaliter recompenſet, eſt quidem praua intentio, & carnalis, ſed non ſimoniaca*; Quam Doctrinam aliqui rationabiliter quidē trahunt, & applicant ad illos qui eliguntin aliqua electione canonica in Prælatum Regularem amicum, ſiue beneuolum, animo, & intentione, recipiendi pro ſe, vel pro ſuis aliquam recompēſationem.

40

Alia impedimenta ad hoc cap. pertinentia poterit lector conſpicere cap. 5. *de legitimis electoribus*. & cap. 4. *de impedimentis*, &c.

41 In quamplurimis Prouincijs Ordinis Prædicatorum intra, ac extra Italiam, ad magis † tuendam pacem, & conſeruandam diſtributiuam iuſtitiam, per Statuta Capituli, ſiue Capitulorum Generalium mandatur, vt in electionibus Prouincialium ſeruetur alternatiua perſonarum diuerſarū nationum: alias electio facta, ſiue facienda, nulla, & irrita declaratur. Quo caſu obſeruanda venit omnino præfata alternatiua, aliter electio nulla erit, niſi antea fuerit diſpenſatum, vel fuerit reuocatum Statutum alternatiuæ ab habente auctoritatem id faciendi.

42 Neque valet adducere, quod aliquando poſt dictam alternatiuam fuerit celebrata vna, vel altera electio, non conformiter ad Statutum de alternatiua: eo quia † Cōſuetudo nō probatur per actus etiam iuridicos, ſed controuerſos, ex *deciſ.* 65. *num.* 13. *coram Illuſtriſſimo Card. Pamphilio recentior. par.* 1. *tom.* 1. quod probatur multorum text. & auctoritatum argumentis, addendo, quod neque probatur ex actibus vario modo obſeruatis, *ibidem num.* 16. Inſuper mala non ſunt adducenda in exemplum. Et ad conſtituendam veram, ac realem conſuetudinem deſtructiuā legis, multa cumulatiuè ſufficienter, probata requiruntur; Ideo communis omnium ſententia ea eſt, vt conſuetudo ſit difficilis probationis, vt latius dicam cap. 20. Eo magis quia in declarat. *text.* 8. *prologi Conſtit. eiuſdem Ordinis Prædicat. ſub littera q*. expreſsè declaratur, non eſſe in poteſtate alicuius Prouinciæ, prætextu cuiuſcūq. conſuetudinis, aut priuilegij, non acceptare, aut non obſeruare Statuta Capitulorum

lorum Generalium: Imo ſingulas Prouincias ſubiectas eſſe Decretis Capitulorum Generalium; itaut *vnaquaeq. prouincia teneatur Acta Capitulorum Generalium publicare, acceptare, & inuiolabiliter obſeruare.*

Et in text. 9. eiuſdem Prologi, apertis verbis declaratur, *Ordinata, ſiue ſtatuta in Capitulis Generalibus durare, quouſque fuerint per ſimilem poteſtatem reuocata.*

Tandem in declarat. text. 1. eiuſdem Prologi, *ſub littera C.* cauetur in hunc qui ſequitur modum: *Prælati diligenter attendant, ne contra Conſtitutiones, abuſus, aut conſuetudines præualere incipiant;* Additur, *vt ſi qui Priores, aut præſidentes inuenti fuerint, qui abuſus inducant, aut conſuetudines, noſtris legibus contrarias incommuni tolerent, in pœnā ab officijs abſoluātur.*

Supradicta omnia remanent corroborata ex traditis in Deciſ. Sac. Rotæ Romanæ, *coram D. Iuſto, 19. Martij 1601. Tarraconem Sacriſtia*, quam verbatim adducit Nicolaus Garzias, *de beneficijs Eccleſiaſticis, tom. 1. part. 7. cap. 15. num. 7. & 8.* vbi præſuppoſita concordia inter Archiepiſc. Tarraconen. & Capitulum eiuſdem Eccleſiæ, quæ concordia cùm ſit qualificata, quam Archiepiſc. alterare non poteſt, cū Sacriſtia ſemper ſit conferenda Canonico, ideò collatio facta Antonio Teres cenſetur nulla, nec poteſt ſubſiſtere, pro quo citat Federic. *conſil. 69. num. 2.* Put. *Deciſ. 328.* Tanc. Abb. Hoſtien. cum innumeris alijs Authoribus, & Deciſionibus idem concludentibus. Imò ad calcem eiuſdē numeri duo addit; Primum, quod ſtante concordia, de qua ſupra, ex defectu poteſtatis collatio aliter facta cenſetur nulla: Secūdum quod prædicta concordia non poteſt dici hodie mutata, licet prædicta Eccleſia Regularis redacta ſit ad ſecularem, cùm contenta in dicta concordia qualificata ſint compatibilia, pro quo vltimo citat Abb. But. Oldrad Rebuff. Gonz. & alios.

Quæ omnia proportionaliter ritè, ac rectè trahi poſſunt ad caſum nullitatis actus facti contra alternatiuam de qua ſuprà, quæ ad genus concordiæ reduci poteſt, immo in iure ſub illius nomine comprenduntur.

43 Non poteſt etiam eligi in † Prælatum percuſſor, neque litigioſus, vt colligunt nonnulli Doctores Theologi, & Iuriſtæ ex prima Pauli *ad Tim. cap. 3.* dicentis, *Oportet Epiſcopum irreprehēſibilem eſſe, &c. non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, ſed modeſtum. & ad Tit. cap. 1.* idem repetit Apoſtolus. ex Direc. elect. Petri de Biaxio *cap. vltimo num. 21. & 22.*

Ad remouendas difficultates, quæ in dies oriri poſſunt, & de facto naſcuntur circa veram intelligentiam eorum, quæ ſuperius cap. 5. num. 47. §. *Degentes extra clauſtra.* dicta ſunt, quæue repetuntur in hoc cap. ſub num. 11. Videndum
44 eſt, An † Regulares Ordinis Prædicatorum, qui de licentia ſuorum Superiorum, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ inſeruiunt alicui Eccleſiæ, vel Perſonæ, ſiue Perſonis commorātibus regulariter inter infideles, vel hæreticos ad effectum conuerſionis eorum, ſiue pro conſeruatione & famulatu ſpirituali fidelium, & catholicorum exiſtentium in huiuſmodi partibus, cum degant extra clauſtra, comprehendantur & ipſi in decreto Capituli Generalis Romani eiuſdem Ordinis Prædicatorum 1583. in quo decernitur; *quod fratres qui ordinariè permanent extra Conuentum quacumque occaſione, & pretextu, præterquam pro Officio Sanctæ Inquiſitionis, non cenſeantur aſſignati in Conuentibus ad vocem habendam in electionibus, quacumque ratione in illis aſſignantur; ſed omnino excluſi intelligantur quoad electiones faciendas.* Quod etiam Romæ 1589. confirmatum fuit, cum

declaratione, *quod tantummodo vocem actiuam non habeant in electione in Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati*. Et iterũ Romæ 1601. ordinatum fuit, *vt Fratres extra Ordinem commorantes, etiamſi alicui inſeruiant Cathedrali Eccleſiæ, vel ibi ſint Lectores, nec paſſiuam, nec actiuam habeant vocem*. Ex declaratione textus 6. ſub lit. O. Capituli de electione Prioris Conuentualis tranſlata.

Horum declaratio, atque determinatio, vt mihi videtur, conſiſtit in reſponſione, ſeu propoſitione affirmatiua
45 ſequentis tenoris; videlicet, Regulares † de quibus ſupra, habere poſſunt, & debent vocem paſſiuam in electionibus, quæ fiunt in illis Conuentibus illius Prouinciæ in qua ſunt aſſignati, dummodo habeant alias conditiones ad hoc neceſſarias ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum Ordinis eiuſdem; & quando inueniuntur in Conuentu ſuæ aſſignationis poſſunt habere vocem actiuam. Vel ſi fuerint in debita diſtantia; hoc eſt intra diætam; quia à ſtatuto, de quo ſupra, implicitè ſaltem, & virtualiter videntur excluſi, & in illo non comprehenſi Regulares pro dilatione, & conſeruatione fidei laborantes. Quod probatur, argumento deſumpto ex verbis *cap. 3. de conſtit. §. quod de vno dicitur, &c.* ibidem gloſſ. *Vbi eſt* (inquit) *eadem ratio, ibi viget idem ius; & quod de ſimilibus, idem iudicium eſt habendum*. Sed cunctis apparet, quod in caſu propoſito inuenitur ſimilis, & eadem ratio, ne dicam fortior, cũ illa eorum qui inſeruiunt ſancto Officio, qui certè non comprehenduntur, ſed excluduntur à pœna contenta in dicto Statuto; nam ij de quibus in caſu, pro negotio fidei etiam commorantur extra clauſtra, & regulariter vt obtemperent Superiorum mandatis, illuc pergunt, habentes pro fine, & ſcopo conſeruationem, & dilatationẽ fidei, modo explicato. Igitur eadem ratione, qua nõ comprehenduntur illi, eadem eximuntur & iſti; itaque propoſitio reſponſiua eſt vera, & indubitata, & vt talis reputari debet.

Hoc totum robur recipit ex alio Statuto condito in eodem Ordine Prædicatorum pro diuerſis Prouincijs Indiarum in pluribus Capitulis Generalibus, præſertim in Capitulo Generali Valentiæ celebrato 1596. vti videre in actis eiuſdem Capituli Valentini, *tit. declationes, num. 8.* vbi habetur, *Declaramus pro Prouincia ſancti Antonini de nouo Regno, conſideratis rationibus coram nobis productis, quod Fratres, qui apud Indos in doctrinis reperiuntur, vocem habeant in Conuentu in quo ſunt aſſignati*. Qui Fratres in prædictis doctrinis, ſiue Parachijs commorantes, etſi degant ordinariè extra clauſtra, quia tamẽ ibi ſunt, vt inſtruant homines illius Regionis circa veritatem fidei Catholicæ, vt ad illam conuertantur, & vt iam conuerſis adminiſtrent ſacramenta, aliaque neceſſaria ad ſalutem, ſanctiſque documentis ſtabiliantur, & confirmentur in veritate fidei Catholicæ; merito itaque eximuntur à pœ-
46 na † priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, per declarationem Capituli Valentini, de qua ſupra. Cumque ſimilia, imò eadem proportionaliter peragãt Religioſi, de quibus in caſu propoſito, propter ſimilitudinem, ſeu identitatem rationis, illi quoque eximi debent à pœna priuationis vtriuſque vocis. Quæ magis confirmantur ex his, quæ tradit Sixtus Papa Quartus in Bulla aurea, cuius initium eſt, *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum*. Data Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1479. ſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui anno octauo. §. *Et ne*. vbi declarat priuatos voce actiua, & paſſiua, Regulares Ordinum Prædica-

torum,

torum, & Minorum, qui iam habilitati ad beneficium Eccleſiaſticum per ſedem Apoſtolicam, poſtquam ſuper hoc obtinuerint litteras ab eadem Sede, careant vtraque voce, niſi adſit conſenſus ſuorum Superiorum. quam clauſulam paulò poſt ad verbum referam. Et in hac parte, hæc Bulla non fuit vmquam reuocata, vt latius dicam paulò poſt, adducendo verba illius Clauſulæ.

Ex quibus liquido conſtat, quod Religioſi, de quibus in caſu propoſito, nullo pacto comprehenduntur in Decreto pœnali Bullæ Sixti Quarti, ad præſcriptum, ſiue ad exemplar cuius conditum eſt Decretum, de quo ſupra, in Ordine Prædicatorum in executionem videlicet illius Bullæ. Decretumque præfatæ Bullæ, quemadmodum & illud quoque quod edidere Patres Ordinis Prædicatorum in præcitatis Capitulis Generalibus, in odium, & pœnam illorū, qui propter vtilitates, & lucra particularia, Capellanias, & ſimilia, commorantes extra clauſtra procurant, proculdubio condita ſunt. Cùm autem in caſu propoſito cuncta dirigantur ad gloriam Dei, ad propagationem ſanctæ fidei Catholicæ, & ad bonum commune, totius Reipublicæ Chriſtianæ, de bono opere non erunt puniendi, ſed præmiandi Regulares, qui oleum, & operam indefeſſe diu, noctuq. non ſine magno labore, & periculo vitæ corporalis impendunt, in ſalutem fidelium, & propagationem fidei Catholicæ: ex hoc enim digniores, aptioreſque fiunt, vt illis fruantur, quibus ceteri Regulares intra clauſtra degentes.

Propoſitionem, ſiue reſponſionem affirmatiuam ad propoſitam quæſtionem, probant, & confirmant quoque tradità à Leone Decimo in Bulla directa Magiſtro Generali, & Vniuerſis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus Ordinis Prędicatorum, cuius inium eſt, *Accepimus*, &c. Datum Romæ, ſub annulo Piſcatoris die 24. Auguſti 1518. Pontificatus ſui anno ſexto, cuius fidele, & authenticum exemplar habetur in libro priuilegiorum Ordinis, folio mihi 188. 189. & 190. Quod etiam magis corroboratur ex Bulla Sixti Quarti, *Mare magnum* nūcupata, cuius initium eſt, *Regimini Vniuerſalis Eccleſiæ*. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1474. pridie Kalen. Septembris, Pontificatus ſui anno quarto, in qua declarat participes multorum priuilegiorum, ac fauorū Ordinis Prædicatorum, illos qui laborāt in partibus infidelium, vel hæreticorū pro dilatatione, ſiue pro conſeruatione fidei Catholicæ.

Non obſtat, quod dictum Statutum etiam confirmatum ſæpè in Cap. Generalibus eiuſdem Ordinis Prædicatorum excipiat tantum Inquiſitores, ideo non videatur extendendum ad Patres Prædicatores, & alios qui apud Indos, vel infideles, aut hæreticos cum debita licentia ſanctę ſedis Apoſtolicæ, ſiue Vniuerſalis Inquiſitionis Romanę, vel Congregationis de propaganda fide, præſuppoſità ſemper illa ſuorum Superiorum, morantur pro ſalute animarum, & conuerſione infidelium; ex quo verſamur in exceptione, ſeu priuilegio correctorio iuris communis. *cap. 1 in fin. de filijs presbyter. in 6.* Doctores communiter *in l. ſi conſtante, in princ. ff. ſolut. matrim.* Rogerius *de iuris interpret. q. 5. num. 1.* Quia reſpondetur dictam Conſtitutionem eſſe contra ius commune in ea parte, in qua priuat voce actiua Patres exiſtentes extra Clauſtra Monaſterij de licentia Superiorum, & ob vtilitatem publicam, præſertim illos, qui ſunt in eadem Prouincia, vel etiam in Capitulo, *cap. coram 35. de elect.* vbi quod in Prouincia exiſtentes debeant vocari ad electionē,

cap. in Geneſi. §. *nec præmiſſi.* Gloſſ. *in cap. cum inter, eodem titulo, de elect.*

In ea vero parte, qua excipiuntur Inquiſitores, illud decretum eſt ſecundum ius commune: & ideo cum militet eadem ratio in exiſtentibus extra clauſtra pro ſalute animarum, & conuerſione infidelium, quæ eſt pro Inquiſitoribus, illi etiam cenſentur eſſe comprehenſi in dicta exceptione, *l. illud, ff. ad leg. Aquil. l. illud, C. de ſacroſ. Eccleſ. l. bis ſolu, verſ. ſatis etiam, C. de reuoc. donat.* Tiraq. *in l. ſi vnquam. verſ. libertis, num.* 45. *& ſeq. C. eod. tit.* & quia debet fieri ea interpretatio, quæ ſit ad fauorem Reipublicæ. Gloſſ. *in l. quemadmodum, C. de Agricol. & cenſit. l. ita vulneratus.* §. *fin. ff. ad legem Aquil.* & facit *cap. odia, de reg. iur. in* 6.

Et idem dicendum eſt à fortiori de Patribus in eadem Prouincia, ſeu loco degentibus, in quo electio eſt facienda, qui extra clauſtra commorantur, vt curam animarum in Parochia diligẽtius, & comodius exercere poſſint; de ſcitu, approbatione, ac licentia expreſſa illis antea conceſſa à S. Sede Apoſtolica, & à ſuis Superioribus.

CLAVSVLA BVLLAE SIXTI QVARTI

Pro Ord. Prædicatorum, & Minorum editæ, quæ communiter appellatur Aurea:

Quæ etſi in multis ſit reuocata, & in alijs declarata, ſeu modificata, & limitata; in illis tamen, quæ continentur in ſequenti Clauſula, nullam patitur qualificationem ex prædictis; ſed eſt in ſuo robore. Verba clauſulæ ſunt.

ET, ne ex † habilitationibus ad vnum, vel plura beneficia Eccleſiaſtica in titulum, vel commendam obtinenda cum facultate, vt interim donec illa aſſequantur, pro Capellanis aliorum in beneficijs deſeruire; & quod etiam poſtquam beneficia huiuſmodi aſſecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis reſidere, cameras habere in illis, & in Generalibus Capitulis Fratrum eorumdem Prædicatorum & Minorum vocem actiuam, & paſſiuam habere, ac priuilegijs, & fauoribus, gratijs, & indultis conceſſis ipſorum Ordinum profeſſoribus gaudere poſſint; præfatis Ordinibus, & illorum profeſſoribus grauamen inferatur: Eiſdem motu, & auctoritate decernimus, huiuſmodi conceſſas, & quas eis concedi contigerit, habilitationis literas, intelligi, & interpretari debere, vt Fratres ipſi, quibus literæ huiuſmodi conceſſæ ſunt, & concedentur in poſterum, quandoque per Sedem prædictam, poſtquã aliquod beneficium adepti fuerint, pacifice, aut pro Capellanis in aliquibus Eccleſijs deſeruire, conceſſionibus prædictis, prout vocem actiuam & paſſiuam, reſidentiam in domibus ipſorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia quæ Ordinum præfatorum ſunt concernentia, de eorum Ordinum Prælatorum conſenſu, duntaxat gaudere poſſint, & non alias, nec alio modo. Idem ſtatuentes de promotis ad Cathedrales, etiam titulares, appellatas Eccleſias, & alias dignitates Eccleſiaſticas. Huius Bullæ datum eſt 7. Kalen. Auguſti 1479. Pontificatus eiuſdem Sixti anno octauo.

Summa Cap. XII.

1 *Scrutatores aſſumpti in electione per ſcrutinium, præſumuntur fide digni, niſi contrarium contra eos probetur.*

2 *In Ordine Prædicatorum Scrutatores non poſſunt eſſe cæci, vel alio impedimento inhabiles ad tale munus. & num. 9.*

3 *Recenſentur neceſſariò obſeruanda in electionibus*

nibus per viam Scrutinij.

4 *In Ordine Prædicatorum poteſt addi in electionibus quartus Scrutator, qui eſt eligendus per vota ſecreta.*

5 *De iure communi neceſſariò Scrutatores debent eſſe tres. Declara vt num. 6. & 21.*

7 *Debent Scrutatores ſedere in loco publico, & ibi recipere ſchedulas, ſiue vota electorum, ſeruatis alijs ſupra declaratis circa formam electionis.*

8 *Circa electiones, & Scrutatores, quid ſeruetur in Ordine Prædicatorum. & num. 9.*

10 *Quando in Ordine Prædicatorum poſſint Prouinciales, &c. mittere Vicarium Electionis; cum declaratione caſus in particulari, quando ritè mitti poſſit.*

11 *Quid ſit Diſſenſio, & quot modis oriatur.*

12 *Diſſenſio, & Diſcordia, quid ſignificent.*

13 *Quænam ſint in electionibus indicia magna diſſenſionis. & num. 15. & 16.*

17 *Munus Scrutatorum quale ſit in Electionibus.*

18 *An ſit credendum Scrutatoribus dicentibus malè fuiſſe notatas ſchedulas; & vocalibus aſſerentibus ſe non dediſſe aſſenſum in electione. & num. 19.*

20 *Pergere debent Scrutatores, ad vocales infirmos, & exiſtentes in Conuentu, ſiue Ciuitate, detentos aliquo iuſto impedimento, ac etiam ad carceratorum nondum tamen condemnatorum, ſiue voce priuatos.*

22 *Omiſſio collationis numeri ad numerum, quando electio eſt vnanimis, non inficit electionem.*

23 *Poſtquam vota ſunt poſita in vrna, non licet ea mutare.*

24 *Ex Decreto Clem. VIII. ante electionem legendæ ſunt Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eorum qui eligi debent.*

25 *Decretum electionis, debitè confectum, quod ſolet tranſmitti confirmatori, fidem facit indubiam de electione, licet tale decretum non ſit de eſſentia electionis.*

27 *Recenſetur caſus in Ordine Prædicatorum, in quo tertius Scrutator renunciauit votum ſuum, cuius loco Supprior admiſit alterum, qui immediatè poſt illum erat antiquior profeſſione.*

28 *Quomodo eligendus ſit quartus Scrutator.*

29 *In decreto electionis mittendo confirmatori, narrari debet electionis proceſſus, & numerus electorum, in quo eſt facienda mentio non ſolum de electo, verum etiam de ſufficienter poſtulato.*

30 *Decretum in ſcriptis præſentandum confirmatori de electione iam celebrata, non eſt de ſubſtantia electionis, præcipuè quando confirmator eſt præſens in eodem Conuentu, vel Ciuitate, ſed ſatis eſt vt vnus, vel plures ex Scrutatoribus, narrent confirmatori quæ geſta ſunt in præcedenti electione.*

31 *Scriptura publica quænam ſit.*

32 *An inter Scrutatores electionis noui Prouincialis, ſit admittendus prædefunctus immediatè Prouincialis. & num. 35.*

33 *Adducuntur multa de metu reuerentiali in electionibus, & in alijs actibus.*

34 *An verum ſit quòd metus non excludat conſenſum.*

36 *Commiſſarius, ſiue Vicarius electionis an poſſit eligi in Scrutatorem.*

37 *Reſoluitur primò dubium circa tranſmiſſionem ſcrutinij ad Superiores maiores, maximè quando inſtat maior pars vocalium, & ſcrutatorum; Secundò oſtenditur qualiter puniendi ſint impedientes tranſmiſſionem ſcrutinij ad Superiores maiores; Tertiò ex Concilio Trid. & alijs demonſtratur quàm cautè procedendum ſit ad fulminandas excommunicationes, & præcepta contra ſubditos.*

DE

Digitized by Google

CAP. XII.

De Scrutatoribus, de Præſidente, ſiue Vicario, & de ſcrutinio electionis tranſmittendo Confirmatori.

EX diſpoſitione capituli, quia propter, de elect. habetur tanquam principale, & eſſentiale primariū in forma eligendi per ſcrutinium, aſſumptio Scrutatorum, qui neceſſario ſunt aſſumendi de Collegio, vt latius dictum eſt cap. 4. num. 63. & ſequentibus; hoc eſt de numero eligentium, qui ſint fide digni, quiuè habeant poteſtatem, vt ſecreto, & ſigillatim vota ſua, & aliorum vocalium diligenter exquirant, & ea in ſcriptis redacta, mox illa in communi publicent, vt *in cap. publicato*. Gloſſ. & Doctores *in cap. quia propter, de elect.* Mandagottus *tract. de elect. par. 1. cap. 23.* & Boerius *ibidem*, qui *ſub littera F*, tradit,
1 quod fide digni † præſumuntur, niſi aliquid canonicè obijciatur contra eos, & probetur; quam ſententiam dicit eſſe Hoſtien. *in cap. quia propter.* ſubdens: *Illud autem cauendum eſt, ne iſti* (ſcilicet Scrutatores) *ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, quia tales non debent in electionibus intereſſe.* Et Mandagottus *vbi ſupra*, §. *verum cum quidam*. Tutius eſt ſequi ſententiam, quod Scrutatores aſſumantur de Collegio modo dicto, cùm auctoritate Concilij fulciatur. Ita Azorius *par. 2. inſtit. moral. lib. 6. de 4. decal. præcept. cap. 14.* & ita communiter omnes.

In Ordine vero Prædicatorū, vt paulò poſt dicam, additur vnum, quod eſt ſeruandum ſimpliciter, & abſolutè in omni electione, in qua proceditur ſecundum formam ſcrutinij per Scruta-
2 tores, vt † non ſint cœci, vel alio impedimento inhabiles ad tale munus, & ad ſingula illius muneris obeunda. Vota eligentium, vt refert Silu. *verb. elect. 2. nu. 8.* ſcribi, ſiue notari debent per Scrutatores ſcriptura priuata, communiter tamen: Qui Silueſt. *vbi ſupra, num. 12.* de mente Io. Andreæ, Innocentij, Vincentij, Tancredi, Goffredi, Hoſtienſis, & aliorum, adiuncta allegatione multorum Canonum de elect. enumerat eſſentiala obſeruanda in electione, quæ fit per ſcrutinium; nam Silueſter *vbi ſupra, num. 12.* ſequendo doctrinam prædictorum Doctorum enumerat ſigillatim eſſentialia obſeruanda in electione, quæ fit per viam ſcrutinij, aſſumptis Scrutatoribus modo explicato; quorum etſi aliqua fuerint ſuperius explicata cap. 3. & 7. ibi tamen nō omnia declarata fuere, ſed aliqua tantum, & ſub alia ratione, ſiue reſpectu; ideo hic exiſtimaui vtile cuncta breuiter recenſere, reducendo illa ad XII. quamuis ab eodem Silueſt. referantur ad XVIII. maxime, quia illorum declaratio clariorem efficit doctrinā de Scrutatoribus, eorumq. munere, de quibus hic neceſſario agen-
3 dum eſt. Primum † vt aſſumptis Scrutatoribus, fiat per Vocales congregatos ſimul electio. Secundum, vt Scrutatores aſſumantur per Collegium. Tertium, vt ſint tantum tres, nec plures, nec pauciores: quod limitatur ex Archid. & alijs in cap. quia propter, quando ſeruari poteſt; & vbi numerus eligentium eſt copioſus. Quartum, vt Scrutatores ſint de Collegio. Quintum, vt vota ſingulorum exquirant. Sextum, vt inquiſitio ſigillatim fiat. Septimum, vt omnium vota ſingulorum exquiſita in ſcriptis redigantur. Octauum, vt vota in communi publicentur. Nonum, vt iſta publicatio fiat mox. Decimum, vt facta collatione, & publicatione, fiat per vnum

vnum

Digitized by Google

vnum nomine Capituli electio per verba ſingularis numeri, vt *in cap. ſicut, tit. de elect. in 6.* & *cap. cum ab vno de re iud. lib. 6.* Vndecimum, vt ſolemniter publicetur. Duodecimum, vt ſeruetur ſucceſſiuè ordo omnium prædictorum, vt enumerata ſunt; aliter ſi iſte ordo præpoſteretur, nihil valet. Quæ omnia colliguntur ex dicto cap. quia propter, & ibi gloſſa, & Doctores communiter.

Hinc eſt quod in cap. celebrato Bononiæ 1564. Ordinis Prædicatorum, *tit. de ſac. Concil. Trid. decretis,* ſtatuitur, *Ad recipiendas vero prædictas ſchedulas, tres ſcrutatores à Conſtitutionibus deputati*
4 *ſedeant, quibus Conuentus † poſſit addere quartum, pro ea duntaxat electione, in proximo celebranda.* Qui quartus eſt eligendus per vota ſecreta, & non aliter: alias electio eſt nulla, ex eodem cap Generali Bononien. 1564. Et omne fuit ordinatum auctoritate Apoſtolica, quod amplius eſt.

5 Numerus quoque † trium ſcrutatorũ eſt adeo neceſſarius regulariter, vt omiſſio vnius, irritam faciat electionem per ſcrutinium, ex deciſ. 10. Rotæ, coram Reuerendiſſimo D. Coccino, Decano. *Meten. Monaſterij Lunæ 5. Iulij 1621.* quæ præcipuè fundatur in diſpoſitione cap. quia propter; cuius Capitis diſpoſitionem nequaquam abſtulit Concilium Tridentinum, firma tamen manẽte opinione Vincentij, & Tancredi *in cap. quia propter,* docẽtium, quod quando
6 in Collegio † eſſent pauci Electores, ſufficerent duo tantum ſcrutatores. Quam ſequuntur Innocentius, & Panormitanus, *in dicto cap. quia propter:* quæ opinio placet Angelo, *verb. Electio, num. 26.* & communiter omnibus, cùm ſit ſaltem conſequenter contenta in tex. dicti cap. *quia propter,* & Silueſter *verb. Electio ſecundo ſub nu. 7.* eandem ſententiam Panormitani, & Innocentij laudat, & approbat; eamque magis declarat dicendo. *Si electores ſunt tantum tres, duo ex illis ſcrutabitur tertium; ſi vero tantũ duo, vnus ſcrutabitur alium; & ſi ſit vnus ſolus, iſte vocatis teſtibus, exprimet votum ſuum, & publicabit,* ita ſentiunt Archidiaconus, Vincentius, & Ioannes, quos adducit Silueſt. *vbi ſupra, nu. 12.*

7 Poſtquam vero prædicti tres, aut quatuor ſcrutatores † ad menſam in cõſpectu omnium ſederint, ſchedulas inuolutas ab Electoribus accipiant, & in vrnam, aut capſulam demittant, nihil aliud reſpicientes, niſi quod vna tantum ab vno exhibeatur ſchedula, poſtquam omnes acceperint, in communi effundant, & legant; & facta collatione numeri ad numerum, cùm inuenerint quod aliquis extra collegium, aut numerum eligentium exiſtens, fuerit electus à maiori parte, vltra medietatem omnium eligentium, eius electio rata, & legitima habeatur. Duo vota vltra medietatem adeſſe oportet, ne fraudi locus adſit, & ne poſſit aliquis ſeipſum eligere.

Habito ſchedularum numero, & collatione facta numeri ad numerum, ſchedulæ omnes in conſpectu præſentium electorum exurantur. In declaratione text. 3. *de electione Prioris Conuentualis.* Sixtus V. in Bulla ad Franciſcanos data 29. Iulij 1587. iubet ſchedulas comburi; alias electio eſſet nulla, vt latius dictum eſt ſupra cap. 4. nu. 20. Deinde ſcrutatores in medium Capituli venientes, nomina publicent eorum qui fuerunt electi, exprimentes numerum votorum, quem vnuſquiſque habuit. Quod etiam faciendum eſt, licet nullus fuerit à maiori parte vltra medietatem electus, vt ad ſecundum ſcrutinium poſſint dirigi Electores. Decretum vero electionis, ab illo qui inter ſcrutatores primus fuit, quamuis electo votum non

contu-

contulerit, per hæc verba formetur. *Ego Frater, N. vice præſentium Electorum, eligo Fratrem, N. in Priorem, &c.*

In Ordine Prædicatorum in declarat.
8 text. 2. † cap. de electione Prioris Conuentualis ſub littera, G. *Declaramus quod quando eligitur Magiſter Ordinis, vel Prior Prouincialis, aut Conuentualis, publicato ſcrutinio debet vnus vice omnium eligentium formare decretum, ſicut fuit declaratum Florentiæ 1272. & fieri debet communis electio per vnum, nomine Capituli, per verba ſingularis numeri. Ego*, &c. *cap. ſicut in 6. de elect.* Silueſter *electio 2. num. 11. poſt medium*. Quod ſi primus ſcrutator fuerit electus, ſecũdus ſcrutator in publicando ſcrutinio, & formãdo decreto ſuccedat; in hoc enim ſeruanda eſt conſuetudo Capitulorum. Vnde procedi dicitur ad electionem, demum, quando fit illa pronunciatio decreti, de qua ſupra immediatè. Vnde illa quæ procedunt, ſunt præambula; ſed actus electionis conſiſtit in ſola illa pronunciatione, Butr. *in cap. auditis, tit. de elect. num. 5.* Debet fieri hæc pronunciatio nomine totius Capituli, à quo dependet actus electionis, Butr. *ibid. nu. 6.* & ea ſolum quæ in Capitulo publicantur, in Decreto electionis ad Confirmatorem mittendo, ſcribenda ſunt, ſubſcriptis nominibus ſcrutatorum; clauſum vero, & ſigillo munitum, ad confirmatorem tranſmittatur. & idem modus eligendi ſeruetur in electione Prioris Prouincialis, & Magiſtri Ordinis, & Diffinitorũ Capituli Generalis, & Prouincialis, & ſocij Prioris Conuentualis euntis ad Capitulum Prouinciale. In reliquis vero omnibus, quæ hic expreſsè non mutantur, antiqua ſtatuta obſeruentur.

Socij vero Prouincialis euntis ad Capitulum Generale, ſiue Diffinitoris Capituli Generalis, eodem modo à Diffinitoribus Capituli Prouincialis eligantur, aut deſignentur, ſicut antea conſueuit fieri in receptione quoque nouitiorum.

Ex declarat. text. 1. cap. de electione Prioris Conuentualis, *ſub littera, D*, hæc
9 habentur. *Declaramus † quod illi debent eſſe ſcrutatores, non qui prius habitum ſuſceperunt; ſed qui poſt profeſſionem, diutius habitum ſuſceptum portauerunt, ſicut declaratum fuit apud Tholoſam 1304. Vnde illi qui per apoſtaſiam à noſtro Ordine receſſerunt, cum ſint omni voce priuati, nec ad aliquam electionem poſſint admitti, non poſſunt eſſe ſcrutatores, nec etiam vocem in electione habere, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Generale, aut Prouinciale Capitulum fuerint diſpenſati: quæ fieri non poteſt ante tres annos, ita tamen quod anni quibus fuerit in apoſtaſia, non computentur quoad locum, ſed ſint ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine poſt profeſſionem, quam ipſi haberent, quando exierunt; & ita illi qui diutius habitum Religionis poſt profeſſionem portauerunt, dicentur eſſe antiquiores, Pariſijs 1611. Declarat. 1. illis qui primitus habitum profeſsionis receperunt, ſed illum poſtea per apoſtaſiam dimiſerunt. Declaramus quod præfati ſcrutatores non debent eſſe cæci, neque ſurdi, ſed debent eſſe tales; quod poſſint audire vota electorum, & audita ſcribere, & legere.*

Ex eadem declaratione, *ſub littera, C.* Declaratur, quod inter ſcrutatores, debet computari Supprior primo loco, ſeu Vicarius electus in abſentia Supprioris, per duos, vel tres antiquiores Patres de Conuentu; apud Caturcium 1319. & Rotomagum 1320.

Vicarius datus à Capitulo Prouinciali ſupra Priorem, & omnes alios Fratres pro regimine Conuentus, talis habebit vocem in electione ſicut cæteri Fratres, & ad illum pertinebit conuocare Fratres ad electionem; Supprior nihilominus

nus cum duobus antiquioribus tenebit ſcrutinium, vt fuit declaratum apud Auenionem 1367.

Prouinciales vero, vel Vicarij Prouinciarum, ſeu Congregationum, non poſſunt Vicarios pro electione Prioris facienda, mittere ad Conuentus, niſi in
10 caſu magnæ diſſenſionis, † vel quando in veritate Conuentus eſt adeo deſtitutus hominibus, quòd nullus ſit in eo qui electionem dirigere ſciat; qui ſic miſſus careat voce paſſiua: & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, inane, Romæ 1553. & iterum Romæ confirmata fuit 1558. Auenion. 1561. Bononiæ 1564. Butr. *in prima primi Decret. tit. de elect. cap. licet, nu. 7.* inquit. *Diſcordare dicuntur electores, quando non concordant electioni, vel illi non conſentiunt, licet alium non eligant*, in prima, vel ſecunda electione, ſiue altera electione, modo ſtatim declarando.

Ad tollendas lites, & contentiones, quæ frequẽter oriuntur occaſione miſſionis Vicarij electionis, de qua hic agitur, declarandum eſt quis ſit caſus magnæ diſſenſionis; & pariter quando in rei veritate nullus inueniatur inter Electores, qui ſciat electionem dirigere.

Sed primò conſiderandum eſt quod diſſenſio licet ſit nomen non adeò vſitatum, præſertim apud Iuriſtas, idem tamen omnino ſignificat quod diſcordia, dicente D. Thom. 2.2. *q. 29. art. 1. in reſponſione ad tertium argumentum*, quod *paci opponitur duplex diſſenſio, ſcilicet diſſenſio hominis à ſe ipſo, & diſſenſio hominis ad alterum; concordiæ autem opponitur ſecunda diſſenſio.* Huius ſecundæ diſſenſionis hominis ad alterum colligi poteſt
11 diffinitio † ex traditis à S. Thoma vbi ſupra, *& in corp. art.* & *4. ſent. diſt. 16. q. 1. art. 2. q. 4. in reſpon. ad ſecundum argumentum*, quod videlicet diſſenſus, ſiue diſſenſio, ſit *negatio conſenſus hominis ad alterum circa aliquem, vel aliquos actus futuros*. Qui quidem diſſenſus fit multis modis: aliquando per errorem, aliquando per furorem, aliquando per metum cadentem in conſtantem virum, vel alijs modis in iure probatis à Maſcardo, *in tractatu de probationibus concl. 109. nu. 8. & ſeqq.*

12 Ex quibus infertur, † diſſenſum magnum ſignificare multiplicem negationem conſenſus circa actum, vel actus futuros. Diſcordia verò importat diſcrepationem cordium quoad omnem actũ appetitus ſenſitiui, ſiue rationalis, gloſſ. *in clem. 1. §. 1. in verb. Diſcordia de iure iurando*. Hinc eſt quod magna diſcordia appellatur magna diſcrepantia cordium circa aliquem actum, præſertim in vnione celebrandum; & in propoſito noſtro eligentium abſque vnione, ſed proterue contendentium inter ſe circa perſonam eligendam; vti de electione Canonica, quæ cõcors eſſe debet, *cap. quam ius 18. q. 2. cap. cupientes, & cap. quorumdam de elect. in 6.* Quæ magna diſcordia, ſiue diſſenſio, poteſt iudicari per Superiorem ex his quæ clamosè, & non ſine ſtrepitu acciderunt in vna, vel altera electione, in qua nullus euaſit ritè, atque canonicè electus ob diſcordiam vocalium, ſiue eligentium, ſed aliqui vnum, aliqui alterum ſtudent eligere, ſiue excludere; ex quibus natæ ſunt rixæ, & tumultus in Conuentu inter vocales, & alios non vocales, parum, aut nihil curando, an ſigna hæc, & conſimilia magnæ diſſenſionis, ſiue diſcordiæ, appareant in vno, vel in pluribus diebus. Quo caſu poteſt Superior, ad quem ſpectat confirmare, opportunè prouidere de remedio; quemadmodum in caſu diſcordiæ in eligendo Conſularem, vel executores, ad Iudicem ſpectat, ſiue ad Superiorem tunc prouidere, vt latè tradunt multi Doctores, præſertim

Digitized by Google

Iaſon *in l. fin. num. 4. C. de Iudicijs*.

Hinc eſt quod conformiter ad rectũ, & ad iura ſuperius inſinuata, Patres Ordinis Prædicatorum in Capitulis Generalibus immediatè citatis ſub num. 10. huius capitis, congregati ſtatuerunt vt in caſu magnæ diſſenſionis poſſit Prouincialis, ſiue Vicarij Prouinciarum, vel Cõgregationum, Vicarium electionis mittere, qui tamen careat voce paſſiua.

Poſſunt Superiores habita cognitione ſufficienti magnæ diſſenſionis actu repertæ inter eligentes, etiam ante actũ, vel tempus præfixum electionis, orta occaſione futuræ electionis, licet inde ſecuta fuerint alia non attinentia ad electionem, prouidere de opportuno remedio, deſtinando Vicarium, de quo ſupra.

Signa verò, ſiue indicia quibus id or-
13 dinariè dignoſcitur, ſunt † quando frequenter altercantur inter ſe Electores, intuitu, ſiue cauſa electionis futuræ, cum improperijs, obijciendo modo vni, modo alteri, quod non ſit legitimus vocalis, quia ſuſpenſus, vel excommunicatus, aut priuatus voce; & quod talis quẽ ſcit, ſiue credit aliqua pars eligentium debere ab alia parte eligi, ſit incapax talis Prælaturæ, & officij, hoc vel illud crimen graue ei obijciendo; occaſione, & cauſa quorum naſcuntur inter vocales rixæ, altercationes, comminationes, & id genus alia mala. Et ſatis eſt quod hæc ſciantur, & vt vera cognoſcantur eo modo quo moraliter id fieri poteſt, abſque alio proceſſu, ſiue alia iuridica informatione; ſed ſatis eſt vt de prædictis habeatur notitia à fide dignis.

Secundus caſus eſt, † quoties in vna,
14 vel altera alectione iam celebrata, ſcientibus, & conſentientibus vocalibus, ſiue eligentibus, omiſſa ſunt aliqua pertinentia ad ſubſtantiam electionis Canonicæ quæ ſecũdum diſpoſitionem iuris communis, vel legum Ordinis Prædicatorum, poſſunt electionem reddere nullam, vel annullandam; vel quãdo omitterentur communiter pertinentia ad ſolemnitatem electionis, numero tamen plura.

In quibus caſibus cum non poſſit aſſignari alia Regula magis particularis, & determinata circa iudicium prædictorum caſuum, aliqua in hac materia relinquuntur iudicio, & arbitrio Superiorum; qui memores iuſtitiæ diuinæ non poſſunt, nec debent pro eorum mero arbitrio, ſed tenentur ad iudicium horum procedere, exiſtente ſemper rationabili cauſa reali, & non ficta; ac remota ſemper omni, & quacumque ſuſpicione fraudis, vel affectionis humanæ, vtque magis iſte, quam ille eligatur. Nam ſi probetur, vel liquido appareat in his dolus, aut fraus, miſſio Vicarij in tali caſu declarari debet nulla.

Quamuis de rigore non ſit neceſſarium ad effectum mittendi Vicarium electionis in Ordine Prædicatorum, ſuper hoc capere iuridicam informationem; nihilominus non debent Prouinciales, ſiue Vicarij Prouinciarum vel Congregationum eiuſdem Ordinis, eſſe faciles ad tranſmittendum huiuſmodi Vicarium, ſiue ſuam pandere intentionem paratam ad illum mittendum, vni vel alteri vocalium; cùm conſimilis facilitas etiam adhuc non ad effectum redacta, de ſe & ordinariè cauſare poſſit nonnulla mala contra libertatem electionis; præſertim, vt ille vnus inducat alios ſuæ factionis ad ſcribendum eidem P. Prouinciali de neceſſitate, potius inuenta, quàm reali, circa miſſionem Vicarij; & quod peius eſt, aliquando eamdem promptitudinẽ manifeſtantes alijs de habendo Vicario, illi videntes ſe poſſe conſequi quod deſiderant ex adiutorio ſpe-

rio ſperatæ miſſionis Vicarij electionis,
& ipſius voto eligere quem exoptant,
excitantur, vt ea quæ nõ ſunt mala nun-
cient ac ſi eſſent, vel minimas conten-
tiones amplificant, & vt de hoc, quaſi
certi de Vicario venturo, aliquando etiã
non bonis artibus data opera, procu-
rant, vt iurgia naſcantur inter vocales &
nata augeantur. Quæ omnia proculdu-
bio palam inuoluunt dolum, & frau-
dem manifeſtam, valentque (vt ſæpius
demonſtratum eſt) electionem irritam
declarare. Non ſit ergo præceps in hoc
Prouincialis vel Vicarius, ſed abſque
reali cauſa, & neceſſitate vrgente actua-
li, nec promittat miſſionem, neque de
facto mittat Vicarium, neque expediat
litteras patentes pro aliquo, donec ad
minus ſciuerit à vocalibus hinc & inde,
inter illos verè reperiri magnam diſſen-
ſionem circa electionem; vel expectet
informationem tertiæ alicuius pruden-
tis perſonæ non habentis intereſſe in
electione celebranda. Sed coram Deo
& hominibus tutius eſt, & fortè neceſſa-
rium, expectare vt Electores procedant
ad electionem, ad euitandas ſuſpiciones
quaſcumque doli, & fraudis, & intendi-
menti, quæ poſſunt ſuſpicari, & quæ va-
lent inficere electionem, vel ſaltem im-
pedire confirmationem electionis.

Cuncta hæc piè conſiderantes P. P.
Ordinis Prædicatorum, ſtatuerunt, li-
mitaruntque auctoritatem Prouincialis
ſiue Vicarij Prouinciæ circa mitten-
dum Vicarium electionis, in duobus ca-
15 ſibus tantum: † quando ſcilicet reperi-
tur magna diſcordia inter eligentes, ſeu
quando inter vocales nullus eſt qui in
veritate ſciat electionem canonicam di-
rigere. Et Patres Ordinis ſancti Franci-
ſci de obſeruantia inter Statuta Capituli
Generalis Toletani, vt explicarent ca-
ſum primum per magnam diſcordiam
electorum, interpretati ſunt quoties vno
16 die naturali ex eligentium † diſcordia
nullus ritè euadit electus, præſuppoſito
quod illo die pluries actus electionis fe-
cerint: quo caſu poteſt Præſes Capituli
(in dicto tamen ſancti Franciſci Ordi-
ne tantum) eligere quem voluerit ipſe,
vt tradit Roderic. *tom. 2. qq. Regul. q. 52. ar. 5.* pro quo citat Clement. *exiui de Pa-
radiſo:* & idem docet Laurentius de Por-
tel. Ordinis minorum de obſer. *in ſuis
dubijs regular. tit. electio, & eligere. nu. 8.*
Igitur valdè periculoſum eſt, præſertim
in foro conſcientiæ, propter inſinuatas
rationes, deſtinare aliquam perſonã pro
munere Vicarij electionis, antequam
eligentes ſiue vocales ſimul congregati
proceſſerint ſemel atque iterum ad ele-
ctionem: quia tunc melius certiorari
poteſt quod in rei veritate ſint diſcor-
diæ, & diſſenſiones inter vocales ortæ
non aliunde, ſed occaſione electionis.

Scrutatores debent eſſe de Collegio,
& numero electorum, ſecundum com-
munem opinionem Doctorũ, aliter ele-
ctio eſſet nulla, Tabiena verb. Electio
primo nu. 20. Ang. verb. Electio, nu. 26.
cap. quia propter *aſſumatur*, (non dicit;
eligatur) de numero electorum præſen-
tium. & Tabiena, *vbi ſupra* addit poſt
relatas diuerſorum opiniones, quòd cõ-
munis opinio tenet, vt ſcrutatores ſint
de numero eligentium, alias electio erit
nulla; & hoc eſt magis conueniens lit-
teræ cap. quia propter.
17 Munus ſcrutatorum † eſt, vt recipiant
ſigillatim ſchedulas Electorum. Secun-
dò, vt ſchedulas receptas numerent, an-
tequam aperiantur; & ſi non fuerint
æquales numero electorum, comburan-
tur coram omnibus; de electione Prio-
ris Conuentualis, in declaratione tex. 3,
ſub littera, L, in fine. Tertio, vt omnem
adhibeant diligentiam, vt vnuſquiſque
vnam ſolam ſchedulam ponat in vrnã,
Bononiæ 1564. & iterũ Bononiæ 1615.

excõmunicantur qui ponunt duas ſchedulas; Silueſter *verb. Electio. 1. num.* 7. Tabiena *electio 1. num.* 19. Rodericus *in ſua ſumma, cap.* 105, *concluſ.* 4. docet id præcipere Concilium Tridentinum, dum præcipit nomina eligentium eſſe ſecreta, &c. Quartò facienda eſt collatio numeri, ad numerum tantum; In Ordine Prædicatorum omiſſa collatione zeli, ad zelum, vel meriti, ad meritum. Clemens V. in Concilio Vienneñ, declarando regulam Fratrum Minorum, concedit illis, vt in electionibus canonicis ſuorum Prælatorum, nulla fiat collatio zeli, ad zelum; neque meriti, ad meritum; ſed ſolum numeri, ad numerum. Ita tamen quod non eligatur indignus. cap. de elect. Prioris Conuentualis, in declarat. text. 2. *ſub littera X.* poſtquam legerint Scrutatores inter ſe dictas ſchedulas.

Qua collatione facta, ſcilicet numeri ad numerum, ſi inuenerint quod aliquis non de numero electorum, à maiori parte vltra medietatem omnium eligentium exiſtens, fuerit electus per duo vota vltra medietatem, ille eſt legitimè electus.

Quintò, hoc facto, ſchedulæ in præſentia omnium electorum comburantur. Deinde in medio Capituli venientes Scrutatores, vnus, nomine omnium per verba ſingularis numeri electionem publicet de illo, in quem omnes, vel maior pars electorum, per electionem conſenſerit. Et Decretum electionis debet formare per ſequentia verba: *Ego Fr. N. primus*, vel *ſecundus Scrutator*, vel *tertius*, *Vice præſentium electorum, eligo Fratrem N. in Priorem huius Conuentus ſancti N.* & *poſtulo Fratrem N.* &c. Et hoc idem in electione Magiſtri Ordinis Prædicatorum, & Prioris Prouincialis, cap. de electione Prioris Conuentualis eiuſdem Ordinis, text. 3. in declarat. *ſub littera N.* & Florentiæ 1272. & cap. de electione Magiſtri Ordinis, in declarat. tex. 5. Quæ collatio, & publicatio ſcrutinij, debet fieri ſucceſſiuè, *cap. quia propter*, §. *electiones*, vnà cum formatione Decreti; & debent fieri mox ſtatim, ſine vlla mora, ne protrahatur electio. nam *cap. Eccleſia veſtra*, &c. dicitur omnia ſupradicta debere obſeruari, vt forma electionis per ſcrutinium cõpleatur; nã per publicationem ſcrutinij electio eſt incœpta, non tamen finita, nec conſummata: & poſt publicationem ſcrutinij præcipit Gregor. IX. ne poſſint mutari vota electorum, ſed compellendi ſunt perficere quod cœperunt, vt habetur in cap. publicato ſcrutinio, & Nauarr. *vbi ſupra, conſil.* 7. *num.* 4. & hæc forma non poteſt variari, niſi ex ſpeciali auctoritate Summi Pontificis, vt *in cap. in Geneſi*, vbi dicitur, quod electio celebrata contra formam Concilij Generalis, de qua ſupra in cap. quia propter, eſt irrita, & inanis. Idem habetur *in cap. Cumana*, & *cap. cum poſt petita*, & *cap. quam ſit, in* 6. & *in cap. quia propter, de elect.* Idem docent Panorm. Butr. & Gloſſ. Imo gloſſ. *ſuper cap. cum petita*, inquit: *Poſt collationem electio in continenti eſt facienda, & publicari debet, alias vitiatur:* Et Gloſſ. *ſuper. cap. ſi cui, in* 6. ait quòd publicari ſcrutinium, eſt vota ſingulorum electorum in cõmuni pandere, Roder. *tom.* 2. *quæſt.* 52. *art.* 14. Nauarr. *lib.* 1. *conſiliorum, de elect. conſil.* 2. *num.* 2. & Declaratio Conſtitutionum, *text.* 3. *cap. de electione Prioris Conuentualis Ordinis Prædicatorum, ſub litt. K, per totum.*

Scrutatores debent pergere ad infirmos vocales, ab eis petentes eorum ſuffragium. *cap. quia propter, verſ. quid de infirmis.* Et ſermo eſt de infirmis, vel alias impeditis, exiſtentibus tamen in Monaſterio, tum etiam in Ciuitate, vbi eſt Monaſterium, vel Conuentus, in quo cele-

celebratur electio, Ang. *verb. electio, num. 17.* Pro qua opinione citat Hoſtieñ. Innocentium, & alios textus, etiam vocales, qui ſunt in Ciuitate, vel in hortis Ciuitatis legitimè detenti, debent requiri de eorum voto, per ſcrutatores; nam iſti dicuntur præſentes. Armill. *verb. electio, num. 13. ad calcem.*

18 Non eſt credendum ita † de plano dicentibus male fuiſſe notatas ſchedulas, ſed ſcrutinio ab eis facto ſtandum eſt, *extra de teſtibus cogen. cap. præterea.* Quid ſimile dixit Rot. Rom. in quam-
19 plurimis deciſionibus, non eſſe † ſcilicet credendum Vocalibus aſſerentibus non dediſſe aſſenſum in electione per ſcrutinium, niſi ſecum habeant ad minus vnum ex Scrutatoribus, ſiue Notarium Vicemgerentem Scrutatorum: vt habetur in deciſ. coram Illuſtriſſimo Lancellotto *in Leodien. Decanatus, die 28. Nouemb.* 1608. Idem habetur *cap. cum dilectus, tit. de elect. §. nos verò.* Gloſſ. & Doctores, *ibidem.* & Hoſtienſis *in ſumma, eod. tit. num. 11. col. 5. poſt medium, verſ. quia alij ſunt.* Doctores *in cap. quia propter.* Baiſius *in direct. elect. p. 3. cap. 28. num. 3. in principio.*

Alia verò, vti conuocatio ad ſonum campanæ, inuocatio gratiæ Spiritus ſancti, publicatio ſcrutinij ad ſonum campanæ, & ſimilia, quæ non pertinent ad neceſſitatem, & eſſentiam electionis, ſi omittantur etiam malitioſè, non inficiunt electionem; ſed confirmator ſua auctoritate, & ex priuilegio, poteſt ſupplere ſimiles defectus. Nam Sixtus IV. conceſſit Ordini S. Hieronymi, & nobis etiam per communicationem, vt poſſent Prælati ſupplere quoſcumque defectus, prætenſiones, contemptus, negligentias iuris, vel Statutorum Ordinis, quæ in electionibus acciderint. Quod priuilegium eſt per extenſum, in compendio priuilegiorum S. Hieronymi Regnorum Hiſp. *tit. electio, §. 4.* & à Roderico, *tom. 2. quæſt. Reg. q. 52. art. 1. & 5.*

20 Scrutatores † pariter, nedum pergere debent ad infirmos vocales exiſtentes in Conuentu, vel Ciuitate, verum etiam ad carceratos, nondum tamen condemnatos; vel alio legitimo impedimento detentos, non valentes conuenire cum alijs vocalibus in Capitulum, à quibus aſſumere debent ſchedulam, ſeu ſchedulas, per ipſos reponendas in vrnam. *cap. quia propter, in princ.* & *cap. de elect. Prioris Conuentualis Ordinis Prædicatorum.* Tabiena *in verb. electio 1. num. 6.* & Butr. *in cap. quia propter, tit. de elect. num. 67. & 68.* tradit Scrutatores teneri accedere pro ſchedula ad Vocales, iuſtum impedimentum habentes.

21 Si fuerint tantum † tres Vocales, ſufficiunt duo Scrutatores, qui ſcrutabuntur tertium. *cap. cum terra, tit. de elect.* vt ad initium huius cap. latius dictũ eſt.

22 Si omittatur collatio numeri † ad numerum, quando electio eſt vnanimis, & electus, eſt ab omnibus electus concorditer, non inficit electionem. Silueſter *verb. electio, 2. nu. 11. poſt medium,* & in declarat. text. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis Ordinis Prædicatorum, *ſub littera F,* dicitur: *Quando autem concorditer eligitur ab omnibus aliquis, non oportet vt fiat collatio numeri, ad numerum, ſed ſufficit vt ille qui præeſt dicat, Cum ſimus tot Electores, omnes elegerũt N.*

23 Poſtquam † vota ſunt poſita in vna vrna, & permixta, ac confuſa, non licet ea mutare propter inconuenientiam, & fraudes, quæ inde poſſent ſequi, & facilimè tolleretur, ne electio eſſet ſecreta.

Ex Decret. Clement. VIII. de Regul. Reform. *num. 36.* præcipitur, vt an-
24 tequam ad † electionem deueniatur, in primis, & ante omnia, perlegãtur Conſtitutiones, de qualitate, & requiſitis eligendo-

gendorum, & præmittatur iuramentum de eligendo meliorem ſecundùm Deum; de quo alias latè dictum eſt, præſertim cap. 7. 9. & 10.

25 Decretum electionis † ſi ſit factum cum omnibus requiſitis ad publicam ſcripturam, fidem facit indubiam, *cap. innotuit, in princ. de elect.* Panorm. *ibidem, num.* 14. Licet decretum non ſit ſimpliciter de ſubſtantia electionis, nam etiam per litteras poſſunt Scrutatores fidem facere de electione. Panorm. *ibid. cap. innotuit, num.* 16.

26 Scrutatores etiam † non debent habere aliquod impedimentum infirmitatis impedientis officium ſui muneris. Quo caſu, admittendi ſunt loco illorum, non qui antiquiores ſunt poſt illos, quibus incumbit de iure; & hoc ſecundùm ſeriem Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum; ſed ille, vel illi, quos maior pars vltra medietatem vocalium elegerint, dummodo tamen ſit de numero vocalium; in Ordine Prædicatorum, ex declarat. text. primi de electione Prioris Conuentualis, & declarat. text. 6. cap. 7. de Capitulo Generali, ſub littera E.

Die 5. Octobris 1619. iuridice delatum fuit Superioribus maioribus Ordinis Prædicatorũ, qualiter † in Conuen-
27 tu quodam Prouinciæ N. occaſione electionis noui Prioris celebratæ, acciderat quod cum ille qui iuxta ſeriem Conſtitutionum dicti Ordinis, ob antiquitatem profeſſionis, erat tertius Scrutator, renunciaſſet votum ſuum, nec voluiſſet Capitulo intereſſe; Supprior admiſerat loco illius Patrem illum qui erat antiquior profeſſione, poſt illum immediatè, ad munus tertij Scrutatoris, ſine prævia illius electione, facta per Capitulum.

Quod totum prout ſucceſſerat fideliter relatũ Patribus grauioribus in Conſilio congregatis, &c. Dicti Patres attendentes diſpoſitionem Conſtitutionum, omnes fuerunt in voto, non potuiſſe ſubſtitui illum antiquiorem, ſed debuiſſe eligi alium à maiori parte electorum, prout clarius diſponunt Conſtitutiones, in cap. de elect. Prioris Conuentualis: nam illi tres antiquiores habentur pro electis à Capitulis Generalibus, quæ totum Ordinem Prædicatorum repræſentant.

Si vero quartus Scrutator ſuperaddendus eſt in Ordine Prædicatorum, non erit neceſſe eum eligi à maiori parte vltra medietatem, ſed ſufficit vt habeat
28 plura vota. Si vero duo æqualia † vota habeant, ille erit Scrutator quartus, qui eſt antiquior in Ordine, ex cap. de electione Prioris Conuentualis in declarat. 1. text. 4.

Scrutatores autem illi tandem dicuntur, qui cum Suppriore, vel Vicario, ſiue Præſidente electionis reſident ad bancum, & ſchedulas accipiunt, modo alias explicato.

Scrutinium vero eſt ſcriptum continens ſeriem electionis à principio vſque ad finem: quod fit vt appareat fuiſſe ſeruatam debitam formam iuxta Canones, vel Leges particulares alicuius Religionis ſeruandam; vtque eligentes non valeant amplius negare ſe electioni conſenſiſſe. Et hoc Decretũ, ſeu ſcrutinium eſt de ſolemnitate electionis, non autem de neceſſitate. Vnde quando Superior eſt præſens in domo, ſat eſt teſtimonium duorum Scrutatorum; Abſente tamen debet mitti ſcrutinium. Silueſt. *tit. electio* 1 *num.* 21. *in fine dicti numeri.*

29 Debetque † in ſcrutinio narrari totus electionis proceſſus, & numerus, & nomina eligentium, apponendo in illo, quod nihil eorum, quæ ad canonicam electionem requiruntur, in tali electione fuerit omiſſum; ex declarat. text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis, Ordinis Prædicatorum, *ſub littera K. in principio.* Scrutinium, ſiue Decretum

electio-

electionis, ſat eſt vt ſit ſigillatum ſigillo Capituli: Mandagottus, *de elect. cap.* 28. 1. *par.* Quæ votorum ſcrutatio hoc modo fieri debet, vt primo Scrutatores ponant ſchedulam in vrnam, & ſua vota ſcrutentur, ad tollendam fraudem, quæ poſſet dependere ex eorum voluntate, & poteſtate: Silueſt. *tit. electio* 2. *num.* 7.

Huius obſeruatio optima eſt, ſed conſuetudo inoleuit, vt ſimul vota omnium electorum ſcrutentur: cui conſuetudini ſtandum eſt.

Publicato ſcrutinio vota variari non poſſunt; *cap. publicato, in princ. de elect.*

Debent tamen prius in ſcrutinio apponi electiones, & poſtulationes, in quibus maior pars conſenſerit; & iſtæ à Confirmatore debent approbari pro canonicis; ex text. 4. cap. de electione Prioris Conuentualis.

Quando inquit Gloſſ. Conſtitut. Ordinis Prædicatorum, diſt. 1. cap. 3. *litt. D. num.* 4. quod electores per ſuas litteras poſſunt petere à Confirmatore, vt concedat eis poſtulatos, intelligitur ſecundùm formulas editas ab Vmberto, cap. de poſtulatione Priorum, de poſtulatis ſufficienter; & de litteris, ideſt de ſcrutinio, vt latius dictum eſt ſuperius cap. 1. & 2.

30 Decretum electionis,† quod in Ordine Prędicatorum appellatur ſcrutinium continens ſeriem, ſiue formam electionis iam celebratæ, cum expreſſione nominis rite electi, ac etiam poſtulati, & numeri eligentium Superiori, ſiue Confirmatori dirigendum, ſtatimque celebrata electione conficiendum, atque à Scrutatoribus ſubſcribendum: ſignificat ſcripturam publicam, qua Confirmator inſtruitur de his, quæ acta ſunt in actu electionis iam celebratæ, per Vocales, ſiue Eligentes, vel Electores, ex qua cognoſcit, an ſeruata fuerint eſſentialia iuris in prædicta electione canonica; quæ ſigillo Capituli, vel Conuentus regulariter venit munienda; & quã primum ipſi Confirmatori tranſmittenda, vt celeriter prouidere poſſit Eccleſiæ, vel Conuentui de Prælato. Hinc eſt quod in declaratione text. 4. cap. de electione Prioris Conuentualis, in Ordine Prædicatorum, *ſub littera n. Declaramus, quòd Conuentus, qui mittit ad Prouincialem pro confirmatione Prioris electi, debet in ſcriptis narrare totum electionis proceſſum, & ſcribere numerum eligentiũ, & quot vota tam electus, quam non electi habuerunt, eique ſignificare, nihil eorum, quæ ad canonicam requiruntur electionem, fuiſſe omiſſum.*

Quod decretum in ſcriptis redactum, an ſit de ſubſtantia electionis, vel poſtulationis, *diuerſæ ſunt ſententiæ Peritorum*, inquit Mandagott. *de elect.* 1. *par. cap.* 38. vbi approbat, ac defendit ſententiam eorum, qui dicunt prædictum decretum non eſſe de ſubſtantia actionis, ſed ſolum, ac tantum pertinere ad ſolemnitatem electionis canonicæ. Ita vt abſque decreto de quo ſupra, poteſt confirmari electio alias canonica.

Et ratio Maudagoti ea eſt: *nam decretum eſt teſtimonialis litera dumtaxat plenam probutionem faciens, potiſſime vbi ſuper electione inter aliquos litigatur; niſi forſan per tabellionem publicum, qui in omnibus interfuit, autentice ſcriptum eſſet; quinimo, quantumcumq. decretum plenum, & ſufficiens habeatur, nihilominus tamen perſonæ aliquæ de his, quæ electioni interfuerũt, ſunt hodie ad Superiorem mittendæ, vt per eas Superior de perſona electa, & de forma electionis, ac de ſtudijs eligentium plenius inſtruatur.*

Quamobrem in Ordine Prædicatorum ſæpe confirmati fuerunt in Prouinciales, & Priores Conuentuales nonnulli, legitime electi ex ſola atteſtatione ſcrutatorum oretenus facta Confirma-

tori præſenti. Ideo Syluester in ſua Summa *verbo elect. 1. num. 21.* ex teſtimonio multorum Iuriſtarum, præſertim gloſſæ Diſt. 6. §. *ſed aliud*, ait. *Eſt de ſolemnitate, non de neceſſitate electionis.* Deinde ſubdit. *Unde quando Superior eſt præſens in domo, per vnum eligentium, verbo recitentur geſta in electione; ſed quando eſt abſens, mittitur decretum.* Hinc eſt quod ſapienter pluries fuit concluſum in Conſultationibus habitis Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, coram Reuerendiſſimis Magiſtris Generalibus Ordinis Prædicatorum, eſſe confirmandum Priorem rite electum in eodem Conuentu Mineruæ, ac S. Sabinæ de Vrbe, ex ſola relatione oretenus facta ab vno, vel a duobus, ſiue tribus Scrutatoribus. Et cum circa annum 1622. vnus ex Scrutatoribus renueret approbare relationem eorum, quæ acciderant in electione vnius Prioris ex nominatis, nullam adducens ſuper hoc rationem, ſiue cauſam, hoc non obſtante fuit adhuc confirmatus.

Eandem ſententiam, quod decretum de quo ſupra, non ſit de eſſentia, ſiue de neceſſitate electionis canonicæ ad effectum confirmationis, tradunt communiter Doctores, *cap. Epiſcop. 61. diſt. §. ſed aliud.* Quod etiam repetit Ioan. de Imol. *cap. Innotuit, num. 12. tit. de elect.* Archid. Card. & Alexand. etiam tenent decretũ eſſe de ſolemnitate, & non de ſubſtantia electionis, vti eſt videre *cap. quanto, 63. diſt.* & *in cap. Epiſcop. quod ſupra*, quibus adhæret Bartolom. de Fir. *in tract. de Epiſcopo, 1. par. lib. 4. quaſt. 16* & Boerius *in addit. ad cap. 38. Mandagoti.*

Siluester *vbi ſupra eodem num. 21.* expreſſe affirmat, innixus præſertum doctrinæ Innoc. *cap. innotuit, tit. de elect.* decretum electionis, de quo ſupra immediate, plenam fidem facere pro electo. Et ad obiectionem eorum, qui dicunt id negari a quampluribus Doctoribus, reſpondet id eſſe intelligendum quoties fuerit confectum manu priuata, ſecus ſi per publicam perſonam, vti per vnum vel plures ex Scrutatoribus, vel per tabellionem, ſiue per Secretarium, vel Scribam Capituli, qui ab aliquibus ſolet eligi in conſimilibus electionibus; *quod etiam placet Panorm.* vt aſſerit idem Syluester vbi ſupra, *dicenti hoc verum eſſe, dummodo in tali ſcriptura interueniant omnia requiſita ad ſubſtantiam ſcripturæ publicæ, vt teſtium præſentia, & ſimilia.*

31 Et ſi quis cupit ſcire quæ ſit † ſcriptura publica, & authentica, quæ per ſe fidem facit, etiam abſque appoſitione ſigilli, quaſi ex ſe auctoritatẽ habens, legat Abbatem de fid. Inſtrum. §. *ſcriptura*, & inueniet quod illa eſt, quæ conficitur per officialem publicum, ſuper pertinentibus ad officium ſuum, & ad ſui validitatem non requirit aliud adminiculum, quæ ordinariè fieri ſolet per teſtes iuratos.

Scrutatoribus voluntatum eligentiũ modo dicto, à iure ſtrictius imponitur, præſertim a Concil. Trid. *ſeſs. 25. de regular. cap. 6.* vt ſecretum omnino ſeruent de his, quæ acciderunt in ſcrutatione votorum, ſiue voluntatum eligentium, ad quod ſeruandum tenentur ſemper, & cum omnibus; ideo in Ordine Prædicatorum *tex. 5. cap. 7. diſt. 2. de cap. Prouinc.* id ſtrictiſſimè præcipitur per ſequentia verba. *Dictis autem Scrutatoribus voluntatum, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, quod dictum ſcrutinium alicui per modum aliquem non reuelent.*

Quærentibus, an expediat, pro maiori libertate electionis canonicæ, per ſchedulas celebrandæ, in qua eligendus eſt Prior, ſiue Miniſter Prouincialis alicuius Religionis, vt excludatur in tali electione à munere Scrutatoris, prædefunctus immediate Prouincialis: Reſpon-

ſpondendum venit per ſequentes concluſiones.

32 Prima: De † iure communi, & de rigore iuris, non inuenitur explicitè cautum, quod prædefunctus Prouincialis, ſit excludendus à munere ſcrutatoris in electione immediatè celebrãda, ſui ſucceſſoris in eadem Prouincia. Vnde iuxta regulam generalem, cum hoc non ſit expreſsè lege cautum, neque cauendum neceſſario, & de rigore venit.

Inſuper text. capitulorum, *tit. de electione, & electi poteſtate*, ſolum, & tantum diſponunt, vt ſcrutatores aſſumantur de gremio, ſiue de corpore Capituli eligẽtium, nec aliquid rigoroſius ſtatuunt circa hoc. Ita etiam tradunt ſummiſtæ *in verb. electio*, in ſpecie vero Tabiena, *verb. Electio 1. nu. 19.* & ſuper rigorem legis non eſt addendum, &c.

In Ordine vero Prædicatorum, *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis, tex. 1.* & clarius in gloſſa eiuſdem text. *ſub littera D*, expreſsè declaratur quòd non ſolum ſcrutatores debeant eſſe de corpore Capituli, ſed quod ſint de antiquioribus, quoad habitum, & profeſſionem in dicto Ordine de numero tantum electorum, vt latius patet de electione, *cap. 10.* non tamen videtur excluſus Prouincialis à tali munere.

Quamobrem, quod non eſt iure determinatum, relinquitur arbitrio boni viri, *l. quæſitum, ff. de vſuris*, Butr. *in cap. dudum, tit. de elect. & electi poteſtate, n. 33.*

Secunda: Implicitè tamen, & virtualiter iura communia, atque particularia, ex conſequenti ſaltem, videntur prohibere, ne poſſit aſſumi in ſcrutatorem ordinarium, vel ſupranumerarium, ille qui fuit immediate Prouincialis in futura electione ſui ſucceſſoris.

Sæpius etenim, & in quamplurimis capitulis, *tit. de electione, & electi poteſtate*, præcipuè verò *in cap. cum terra, §. electio*, commendatur libertas eligentium: libertas enim omnimoda in electionibus eſt de ſubſtantia electionis canonicæ. Vnde Abb. ſuper præcitatum cap. *nu. 1.* expreſsè inquit. *Non eſt electio, vbi non eſt voluntas libera eligendi*. Et idem clarius habetur *in cap. vbi periculum, §. ceterum de electione in 6.* Verum vbi aſſumitur in ſcrutatorem, qui immediatè functus eſt officio Prouincialis, non ſaluatur libertas de qua ſupra. Itaq. iura communia ſaltem ex conſequenti, hoc videntur prohibere.

Dum enim Electores intuentur prædefunctum Prouincialem connumerari inter Scrutatores, quorum munus eſt aperire, & legere ſchedulas ſingulorum eligentium, ſcientes primo quod optimè cognoſcit prædefunctus Prouincialis eorum characteres; ſecundo quod multi inter illos ad inſtantiam eiuſdem Prouincialis inueniuntur, qui verbo, vel ſcripto, promiſerant eligere hunc, vel illum ſecundum voluntatem eiuſdem prædefuncti Prouincialis; tertiò pauidi ne aliquod damnum patiantur, niſi elegerint quem voluerit prædefunctus Prouincialis, maxime vbi remanet ipſe Rector Prouinciæ, vſque ad confirmationem ſucceſſoris: timore quodam humano, & reuerentiali, vehementer exagitati, formidoloſi, & quaſi nolentes eligunt, quem ſciunt eſſe gratum Prouinciali prædefuncto, & contradicente multoties eorum conſcientia propter inhabilitatem eligendi.

Quibus additur illud memorabile Nauarri, *tom. 1. conſiliorum lib. 1. conſil. 5.*
33 *num. 2.* in fin. dicentis quod † timor reuerentialis ſufficiens eſt auferre libertatem, & per conſequens nullam reddere electionem, reclamante altera parte, & metu ſufficienter probato: tunc, & eo caſu, electio venit ad minus per Superiorem anullanda.

Volun-

Voluntas enim coacta, licet ſit voluntas, non eſt tamen libera voluntas, *cap. cum dilectus*. Vnde merito Nauarrus, *vbi ſupra, num.* 4. innixus vt credo diſpoſitioni *cap. ad aures, tit. de his quæ vi metuſque cauſa fiunt, §. qui terrore gracorum*, & *cap. Abbas eodem tit. §. qui per metum*, inquit. *In ſpiritualibus omnis metus, etiam non iuſtus, modo ſit talis, quod ſi non interceſſiſſet ille actus, vt puta electio, vel alius non fuiſſet factus, nullum facit actum*. Sed *conſil. 9. nu. 2.* quid ſimile adducit dum inquit, *quod in ſpiritualibus annullandis ſufficit metus reuerentialis minor iuſto timore, dummodo talis metus ſit cauſa, modo ſupra expoſito, ſequentis actus*, vt puta electionis.

Et iure merito, nam quæ metu, & vi fiunt, de iure debent vt irrita reuocari, *l. 1. ff. eodem, &c.* & in præcitato cap. *Abbas*, dicitur, quod ea quæ ſunt facta per metum, etſi non omnia, aliqua tamen, ipſo iure non tenent.

Conſenſus naturalis in electione nihil valet, ſed pro naturali, & ſubſtantifico fundamento, requiritur conſenſus qualificatus, qualificatione libertatis, quemadmodum in carnali matrimonio, *cap. cum locum de ſponſal.* Ita tradunt communiter Doctores, in ſpecie, Belamer. *cap. licet, num. 43. & 44. §. confirmatur*, expreſsè inquit quod actus geſtus per metum adeo infectus eſt, vt ſit damnatus, diuino, humano, ciuili, & canonico iure,

34 Vbi etiam ſapienter reſpondet † ad illam obiectionem, quod metus conſenſum non excludit. Verum eſt de ſimplici conſenſu, non autem qualificato, qualis requiritur in electione, modo ſupra immediatè explanato. Immo ſuperaddit hoc eſſe, innixus veritati, ſecundum communem Doctorum ſententiam.

35 Tertia Concluſio. Ad tollendas † itaque omnes occaſiones coactionis, & violentiæ, videtur tutius excludendum fore à munere ſcrutatoris, prædefunctum Prouincialem.

Inſuper ad tollendam publicationem ſuffragiorum, ſecretè per ſchedulas eligentium emiſſorum, quod eſt ſpecialiter prohibitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 6.* ex qua publicatione oriuntur odia, inimicitiæ, & aliquando vindictæ aduerſus eos qui non elegerunt, contra diſpoſitionem cap. ſciant cuncti, in quo excommunicantur illi perſequẽtes illos qui non elegerunt hunc, vel illum ad eorum placitum; videtur ſecurius excludi debere à munere Scrutatoris prædefunctum Prouincialem, ne ex ira, & odio præconcepto contra illos qui non elegerunt ad illius mentem, reuelet ex cognitis ſuffragijs hunc vel illum non elegiſſe ſucceſſorem.

Ad remouendam itaque omnem ſuſpicionem coactionis, ſiue fraudis, prædefunctus Prouincialis excludi poteſt, & forſitan debet à munere ſcrutatoris.

Quid ſimile videtur inſinuatum in Conſtitutionibus ſacri Ordinis Prædicatorum, *diſt. 2. cap. 3. de electione Prioris Prouincialis, text. 6.* vbi ſtatuitur, quod Scrutatores in electione futuri Prouincialis, ſint non Prouincialis prædefunctus, ſed tres Priores Conuentuales præſentes in Capitulo, antiquiores in habitu, & profeſſione.

Hoc idem replicatur clarius in gloſſ. ſiue declarat. eiuſdem tex. *ſub littera G*, vbi in gloſſ. & in text. deputatur Vicarius aſſiſtens electioni, non prædefunctus Prouincialis, ſed Prior illius Conuentus, in quo Capitulum Prouinciale celebrandum eſt.

Quibus omnibus ſuperaddi poteſt, quod dũ admittitur prædefunctus Prouincialis in numero Scrutatorũ ſui ſucceſſoris, ſtatim oritur multiplicatio Scrutatorum

tatorum, nam efficiuntur quatuor; & de iure communi, ac ſecundùm ſeriem Conſtitutionum Ordinis Prædicatorũ, ordinariè debent eſſe tantum tres; imò hoc eſt de iure communi, vt ſint tantum tres, ex deciſ. Romanæ Rotæ *Meten. Monaſterij, 5. Iulij 1621.* & ex alia eiuſdem Rotæ *Treueren. Abbatiæ S. Maximini, 10. Nouembris 1624.* cuncta collecta ex diſpoſitione cap. quia propter, de elect. de quibus latius cap. 4. ad finem. Et quando ſuperaddendus eſt quartus, ob aliquam rationabilem cauſam, debet peti à Capitulo, & ab electoribus nominari, vt latius patet in cap. de electione Prioris Conuentualis, & Prioris Prouincialis Ord. Prædicatorum, diſt. 2. quæ manifeſtius referũtur ſuperius, vbi nominantur in ſpecie, ac in indiuiduo, qui aſſumi debeant in Scrutatores, inter quos nulla penitus fit mentio de prædefuncto Prouinciali, etiam quando remanet Vicarius Prouinciæ.

Imò in Prouincijs ferè totius Ordinis Prædicatorum, non ſedet cum Scrutatoribus, neque ſubſcribit ſcrutinium electionis ſui ſucceſſoris, ſed ſolum litteras ſubſcribit, quas vltra ſcrutinium ſolent mittere Diffinitores Capituli Prouincialis, qui ſunt diſtincti à Scrutatoribus.

Si qui verò obijciant vſum, vel conſuetudinē vnius, ſiue alterius Prouinciç. Reſpondendum eſt, quod declaratio text. 1. prologi Conſtitut. Ordinis Prædicatorum, *ſub littera c.* vti eſt videre in Conſtitutionibus nouiſſimè Barchinonæ excuſſis, 1620. euertit omnino conſimilem conſuetudinem, vtpotè contrariam diſpoſitioni Conſtit. & Ordin. Capitulorum Generalium, contras quas Conſtitutiones nulla dari poteſt conſuetudo, vt latius dicam de conſuetudine, cap. 20.

Et magis quia in Capitulo Generali Bononiæ, 1564. abuſus appellantur, conſimiles malæ introductæ conſuetudines, quas tenentur extirpare Priores, ſub pœna abſolutionis ab eorũ officijs.

Tandem ablata eſt omnis difficultas in Capitulo Generali, Mediolani celebrato, die 15. Maij, 1622. tit. *declarat.* per ſequentia verba: *Declaramus in electione Prioris Prouincialis debere tres Priores antiquiores, non tamen Vicarium Prouinciæ (dummodo non ſit vnus ex dictis antiquioribus) ad bancum ſedere.*

Qua occaſione nõ omittam animaduertere, quod † aliquis Viſitator, vel Commiſſarius, non tamen Vicarius electionis, deputatus à Prouinciali, & à Reuerendiſſimo Generali in aliquo Conuentu, vel Prouincia, fuerit electus in Scrutatorē vocũ, talis electio remaneat vitiata eſſentialiter: ideo conſimilis Vicarius, vel Commiſſarius debet acriter reprehendi, quia permiſit ſe eligi in Scrutatorem contra diſpoſitionem iuris communis, vt ad initium iſtius capitis ſatis copioſe dictum eſt, & latius cap. 4. num. 21. & in veritate non poteſt cum alijs ſcrutari vota eligentium. Quod potiſſimè habet locum in Ordine Prædicatorum, cum vltra diſpoſitionem iuris communis adſit diſpoſitio textus cap. 1. de elect. Prioris Conuentualis, adiuncta declaratione eiuſdem textus, & capitis, vbi ſemper præſupponitur tanquã certum, & indubitatum, quod Scrutatores tam ordinarij, quàm extraordinarij, ſint de corpore Capituli, ſiue de numero eligentium. Additur his omnibus, quod contra Viſitatores, & Commiſſarios præfatos militat euidenter eadem ratio ſuperius adducta, quare Vicarij Prouinciarum non debeant connumerari inter Scrutatores electionis ſui ſucceſſoris immediati.

Ad obiectionem eorum, qui aliquando dubitarunt, an ſcrutinium formatum

tum de electione canonica ritè, ac legitimè celebrata, inſtante, nedum Præſidente electionis, cum maiori parte Vocalium, & duobus alijs Scrutatoribus ex
37 quatuor, poſſit, † ac debeat tranſmitti ad Superiorem maiorem, inuito etiam Superiore ordinario, ad quem ſolitum eſt conſimilia ſcrutinia dirigi, atque tranſmitti, ad effectum confirmationis obtinendæ, propter aliquas rationabiles cauſas.

Reſpondendum venit affirmatiuè, ſimpliciter, & abſolutè loquendo; præcipuè verò, quando interuenit aliqua rationabilis cauſa futuri prætenſi grauaminis à Superiore ordinario inferēdi. In iure etenim factum contrarium reputatur temeritas, & audacia, vti eſt clarè videre *in cap. quia plerique, de elect. in 6.* vbi loquitur Bonifacius VIII. ac præcipit Prælatis ordinarijs ne interdicāt ſuis ſubditis recurſum ad Superiores maiores, ſiue relationem ſtatus Eccleſiarum (intellige, tam Cathedralium, quàm Regularium) vbi Gloſſ. ad fin. præcitati cap. *ſub littera F.* verbatim inquit, *Et ſi ipſe Prælatus non facit quod præcipitur, peccat: quod enim imperatur,* (ſubdit Gloſſ.) *neceſſe eſt fieri.* & in additione ad calcem eiuſdem Capituli habentur ſequentia. *Et obligat præceptum Canonis,* (intellige omnes, ac etiam Regulares) *ſicut & Iudicis.*

Quod totum clariùs apparet ſeruandum eſſe in Ordine Prædicatorū, quemadmodum habetur in declaratione, ſiue gloſſa cap. 2. inſcripti, de electione Prioris Conuentualis; diſt. 2. tex. 1. *ſub littera d. pag.* 109. in nouiſſima impreſſione Cōſtitut. facta Barchinonæ 1620. vbi col. 2. ad calcē leguntur ſequentia verba: *Si in Conuentu habēte Suppriorem, per Prouincialem fuerit datus Vicarius dicti Conuentus ſuper Suppriorem, & omnes Fratres; Vicarius in tali caſu debebit conuocare Fratres ad electionem. Supprior autem cū duobus antiquioribus tenebit ſcrutinium; & prædictus Vicarius habebit vocem in tali electione, ſicut ceteri Fratres, vt fuit declaratum Auinione* 1367. Animaduertas quod modo non habet vocem talis Vicarius, vt demōſtratū eſt ſuperius cap. 5. nu. 89. Ex quibus verbis loquido conſtat ſcrutinium quoad ſui formationem, cuſtodiam, & miſſionem, pertinere ad Suppriorem, ſiue Præſidentem electionis, & ad maiorem partem ſcrutatorum; cum ipſi Vicario, de quo ſupra immediatè, nullum ius concedatur circa miſſionem, & retentionem ſcrutinij, ſed illud remaneat penes Præſidentem electionis, & duos Scrutatores ex quatuor, caſu tamen, quod quartus Scrutator modo expoſito ſuperius in hoc capite, fuerit electus.

Imò ius retinendi, atque tranſmittendi ſcrutinium, de quo ſupra, videtur competere Suppriori cum duobus antiquioribus Scrutatoribus, ex doct. Imolæ *in l. Titia textores, ff. de legat.* 1. vbi etiam Alex. *num.* 6. docuit iuriſdictionem pluribus diſtributiuè conceſſam priuatiuè, cuique ipſorum intelligi demandatam: Idem Menoch. *de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 18. *nu.* 12. & Surd. *conſ.* 56. *nu.* 46. *in* 1. *vol.* Hoſtien. relatus à gloſſ. *in cap. quia propter, de elect.*

Dato autem quod Vicarius inſtitutus per Prouincialem ſupra Suppriorem impediret miſſionem iam formati ſcrutinij electionis canonicæ ritè celebratæ, ad Superiorem maiorem, vt putà ad Generalem, ſiue Protectorem, etiam reclamante maiori parte vocalium, & Scrutatorum, proteſtante quoque in forma debita; quibus non obſtantibus præfatus Vicarius illis deneget ſupradictam miſſionem, contra quos etiam promulget, ſiue promulgare faciat excommunicationem lat. ſent. vel ob hoc imponat illis aliam

Digitized by Google

lis aliam pœnam ad effectum illos compeſcendi, & remouendi ab eorum inſtantia, de tranſmittendo ſcrutinium ad Superiorem maiorem; quæritur primò, de validitate emanatæ excommunicationis; ſecundò, an ſit puniendus ſupradictus Vicarius?

Ad primum facillimè reſpondetur, ſententiam excommunicationis de qua ſupra, eſſe nullam, cum errorem intolerabilem manifeſtè contineat; laborat enim quantum in ſe eſt, interdicere, ſiue prohibere ſubditis actum legitimũ, ac illis nedum permiſſum, ſed approbatum, imò in iure communi, & Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum receptũ. facit text. cap. præcit. quia plerique, §. *nos huic malitiæ, &c.* adiuncta Gloſſ. & doctr. Card. Toleti in ſua inſtructione ſacerdotum, *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 4. vbi citat multos canones, & gloſſas, Hoſtien. Abb. Gabriel. & S. Antonin. inter cetera colligens ex præcitatis locis: *Tunc autem dicitur ſententia excommunicationis errorem continere intolerabilem, quando aliquis excommunicatur, quia facit quod in ſe bonum eſt, vel non facit quod ex ſuo actu illicitum eſt. Ita* (inquit ille) *diffinit Capitulum Venerabilibus, de ſent. excommun. in* 6. *§. vlt.* idem tradit Marius Alterius *tom.* 1. *de cenſuris, lib.* 3. *diſput.* 8. *cap.* 1. & eodem *lib. diſput.* 2. *cap.* 10. *ad exordium.*

Quibus addendum eſt, ſi caſu quo ſupra, fuerit interpoſita à maiori parte Vocalium, vel Scrutatorum appellatio legitimè facta, non ſolum deuoluit negotium, ſed etiam ſuſpendit. Scacc. *de appell. lib.* 3. *cap.* 2. *q.* 17. *limit.* 22. *num.* 47. Alex. *in cap. dilecto filio, num.* 9. *verſ. & per iſtum textum*, vbi inter cetera dicit, Si Iudex faciat alicui præceptum, vt ſoluat Titio Centum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à tali præcepto poterit appellare: multò fortius Vocales poterunt appellare à grauaminibus, de quibus ſupra. De legitima appellatione, ac illius effectu multiplici fuſius dicam in meis ſelectis qq. quæſtione de Regular. appellatione.

Ad ſecundum dubium reſpondetur, præfatum Vicarium in caſu propoſito eſſe puniendum, nedum pœnis à iure ſtatutis contra nulliter ſententiam excommunicat. ferentes, verum etiam pœnis à ſac. Concil. Trident. & à Conſtitut. ac Ordinat. Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, inflictis contra illos qui ex leui cauſa, & ſine vrgenti neceſſitate promulgant præcepta formalia, ſiue excommunicationes latæ ſententiæ contra ſuos ſubditos. *cap. quia plerique, de offic. ordin. in* 6. *§. præſumptores*, & in prologo Conſtitut. Ordinis Prædicatorum tex. 10. vbi verbaliter dicitur: *Porrò Prælati omnes à multitudine Præceptorum, & Ordinationem abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum iniciant; nec propter defectum vnius, vel paucorum quem, vel quos non non audent corrigere, communitatem inuoluant.* Et in Capitulo Generali Bononien. 1564. imponitur Prelatis, vt præcepta obligantia ad mortale, aut nunquam, aut rarò imponant; à fortiori multò minus ferre debent excommunicationem latæ ſententiæ, de qua in Conc. Tridentino, *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* vbi exprimit Concilium excommunic. debere ferri in ſcriptis continentem cauſam rationabilem, &c. aliter qui fert excommunicationem, remanet ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis. Et ad initium præcitati capituli leguntur ſequentia verba: *Quamuis excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris: ſobriè tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt, cùm experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni,*

temni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm ſalutem.

Et ad calcem eiuſdem Capituli, §. *in cauſis quoque criminalibus, &c.* ſtatuit Concilium, *Licebit Iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas id poſtulet.* idem habetur 11. q. 3. cap. nullus.

In eodem quoque Ordine Prædicatorum in Conſtitut. tex. 6. præcipuè in gloſſ. ſiue declaratione eiuſdem tex. verbatim dicitur ſub litt. m. pag. 7. *Non debent tamen Prælati eſſe faciles, nec præcipitanter & indiſcretè præcepta, & excommunicationes fulminare; ſed cum maturo conſilio, & ex diligenti deliberatione præhabita, & ex cauſa vrgenti, & neceſſaria huiuſmodi præcepta diſcretè facere; ſicut fuit ordinatū Pariſijs 1269. Oxoniæ 1280. Ferrariæ 1290.* Vnde & in primo Capitulo Generali poſt Concil. Trident. Bononiæ celebrato anno 1564. de ſententia excommunicationis ſic habetur: *Et quoniam in huiuſmodi ſententijs ferendis ſancta Synodus moderamen eſſe voluit, deinceps attendant Reuerendi Prouinciales, & Diffinitores, vt niſi pro grauioribus cauſis, quæ præſentaneum exigunt remedium, non imponantur. Priores etiam Conuentuales quàm rariſſimè, & matura deliberatione, cenſuris vti debent; & qui in hoc faciles inuenti fuerint, à ſuis Superioribus corrigantur. Præcepta etiam ad peccatum mortale obligantia, aut nulla, aut quàm pauciſſima fiant: maximè circa eas ordinationes quæ longo tempore ſunt duraturæ. In alijs quoque omnibus, quæ ad releuandas ſubditorum conſcientias neceſſaria videbuntur, Prælati ſe benignos, & faciles exhibeant: memores illius, qui miſericordiam dilexit, plus quam ſacrificium.*

Summa Cap. XIII.

1 *Modus electionis per ſcrutinium eſt difficilior ceteris modis electionum.*

2 *Præſidens electionis debet notificare vocalibus in exordio electionis vacantiā Prælaturæ, & modum per quem vacat.*

3 *An poſſit fieri noua electio ante veram & realem vacantiam Dignitatis ſiue Prælaturæ. Et quid obſeruetur in Ordine Prædicatorum. & num. 4.*

5 *Præſidens electionis debet notificare futuram electionem vocalibus, & quomodo.*

6 *In Ordine Prædicatorum debent omnes vocales in die electionis celebrare Miſſam, vel ſaltem ſumere ſacratiſſimam Euchariſtiam.*

7 *Præſidens electionis quiſnam eſſe debeat.*

8 *Electio in quo loco fieri debeat.*

9 *Quid agendum ſit Præſidenti electionis, poſtquam vocales conuenerunt vbi electio eſt celebranda: & quid ipſe proteſtari debeat. num. 10.*

11 *Quid ſtatuat Concilium Tridentinum in electionibus faciendis.*

12 *An omnia quæ adduntur numeris antecedentibus obſeruanda in electionibus agendis, requirantur vt eſſentialia ſimpliciter. Et quid ſuper hoc ſeruetur in Ordine Prædicatorum.*

13 *Supprioratus officia, ſiue Vicariatus in electionibus, quibuſnam conferri debeant.*

14 *In Ordine Prædicatorum non poteſt electio celebrari, niſi per viam ſcrutinij.*

15 *Abſolutio ſolita fieri à Præſidente Electionis ante ipſam electionem, quos effectus producat. & num. 17. 18. & 19.*

16 *Abſolutio conferri ſolita in Curia Romana ei qui aliquam gratiam impetrauit, reddit gratiam efficacem.*

20 *An Præſidens Electionis poſſit, nulla aſſignata ratione vera & reali, excludere à voce paſſiua eum, qui licet ſpectet ad illam Prouinciam, in qua electio celebrari debet;*

bet; tempore tamen electionis inuenitur aſſignatus in aliena Prouincia. & num. 22. 24.

21 *Defenſio, cum ſit de iure naturæ, negari non poteſt.*

23 *Priuatio vocis ſemper includitur inter pœnas grauioris culpæ.*

25 *Excommunicatus quomodo abſque alia informatione, poſſit inſtante electione priuari vtraque voce.*

26 *Præſidens Electionis ſciens vocales velle determinatè eligere vnum ex his quatuor, v.g. A, B, C, D, ſi ipſe friuolo prætextu declaret priuatos voce paſſiua A, B, C; vt neceſſario eligatur D, &c. an talis electio ſecuta, in perſonam D, &c. ſit valida, an veniat annullanda.*

27 *Electio coarctata ad vnam perſonam tantum, eſt contra ius commune.*

28 *Præſidens Electionis, an de conuenientia tantum, non autem de rigore iuris, poſſit eligi in Prælatum in illamet electione, cui præeſt. & num. 30. 32. 35. Et quid dicendum de Vicario alicuius nationis, ſiue Prouincialis iuriſdictionem habentis ſuper futuros vocales. num. 36.*

29 *Religioſus ad pacem conſeruandam non ſolum ab omni malo, ſed etiam ab omni mali ſpecie cauere debet.*

31 *Metus probabilis tantum in electoribus ſufficit ad reddendam nullam electionem factam.*

33 *In Ordine Prædicatorum non poſſunt Viſitatores Conuentuum, vel Prouinciarũ, neque eorum Socij, durante eorum viſitatione, eligi in Prælatos in ijs locis, quos viſitant &c. & idem ſeruatur de Præſidentibus electionum. num. 31.*

CAP. XIII.

De modo dirigendi pacificè electionem canonicam, præſertim Regularium, & de munere Præſidentis electionis.

EXperientia didicimus (inquiunt Doctores nõnulli) perſonas etiam inſignes aliquando erraſſe circa vſum, & praxim eorum quæ ante electionem Canonicã, præſertim per ſcrutinium, quæuè in actu eiuſdem electionis, & poſt illam quoque agenda ſunt. Ideo vtilitati, & fortè etiam neceſſitati conſulens multorum, Caput hoc decimumtertium addidi: & ne ſupradicta videantur voluntariè propoſita, eadem omnino quoad ſubſtantiam inueniet Lector apud Silueſtrum *ver. Electio 2. num. 13.* verba Silueſtri ſunt: *Multi viri docti etiam perfecti deficiunt, practicam ignorantes iſtius modi*; per viam videlicet ſcrutinij, vt dicit Panor. *in cap. Quia propter. de electione*, & Gloſſ. *in cap. Cum expediat, eodem tit. in 6.* Idem etiam, quamuis ſub alijs verbis, palam docet Angelus in ſua Summa *ver. Electio, num. 23. §. Duodecimum, quod ſeruetur.*

Idq. inuoluit difficultatem, non quia modus ille ſit in ſe difficilis, ſed compa-
1 ratiuè † ad alios, videlicet ad illum per compromiſſum, & ad alium, per quaſi inſpirationem; eo quod plura abſque dubio ſeruanda ſunt in modo procedendi per ſcrutinium, quam per compromiſſum, & quaſi communem inſpirationem. Si tamen alij duo modi cõſiderentur in ſe, & ſecundum ſe, videntur difficiliores, etſi pauciora requirant ad ſui complementum, quia exigunt vnanimem conſenſum omnium ac ſingu-

lorum Eligentium, in illo autem per ſcrutinium ſufficit conſenſus maioris partis vocalium, vt ſit ritè ac rectè quis electus.

Animaduertit Mandagotus *tract. de elect. par. 2. cap. 59. ad initium*, & Boërius *ad idem caput*, quod in exordio electio-
2 nis canonicæ celebrandæ † Præſidens electionis debet vocalibus notificare vacantiam Prælaturæ, & modum per quē vacat, exprimendo An per mortem, renunciationem, tranſlationem, vel remotionem prioris Prælati. Hi enim ſunt modi, quibus ordinarie, & regulariter ſuccedit vacantia Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium, vt patet extra *de Tranſlatio. cap. Inter*. Addi etiam poteſt tempus quo incepit vacantia.

Ex quibus colligitur quod regulariter non poteſt procedi ad electionem,
3 niſi † præſuppoſita vera & reali vacātia; aliàs electio erit nulla & irrita. Generaliter tamen in Ordine Prædicatorum *diſt. 2. cap. 2. de elect. Prioris Conuentualis, in declarat. primi text. ſub litera A*, dicitur. *Declaramus † quod fratres noſtri,*
4 *ſicut iura volunt, non poſſunt ſibi eligere, vel poſtulare Priorem, niſi ille qui præeſt in tali officio, ſit penitus amotus. Nec etiam poſſunt eligere ſub conditione, ſi eum contigerit amoueri, ſicut fuit declaratum Pariſijs* 1239. Si verò adſit Priuilegium Apoſtolicū in forma ſpeciali ſuper hoc conceſſum, quemadmodum iuſtis de cauſis cōceſſum eſt multis Eccleſijs intra & extra Italiam, vt ante vacantiam procedatur ad electionem ſucceſſoris; electio eo caſu, ſi habebit alia requiſita, erit tempore ſuo confirmanda: vti in Conuentu ſanctæ Catharinæ Martyris apud Formellum, Ordinis Prædicatorum Ciuitatis Neapolitanæ, in quo poſt Septuageſimam proceditur ad electionem noui Prioris confirmandam tempore congruo poſt ſcilicet vacantiam Prædeceſſoris: Et hoc ex Indulto ſpeciali Pauli III. tenoris ſequentis.

Copia Breuis directi Prouinciali vtriuſque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, Pro Conuentibus ſubiectis illius regimini, in Regno Neapolitano, circa electionem Prioris, faciendam ante vacantiam prædeceſſoris.

PAVLVS PAPA III.

Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filij vniuerſi fratres ſingulorum Conuentuum, ſeu Domorum Ordinis Fratrum Prædicatorum Regni Neapolitani, quod cū in Conſtitutionibus, ſeu Ordinationibus dicti Ordinis inter alia caueatur expreſſe, quod ſucceſſores exiſtentium pro tempore Priorum Conuentuum Ordinis prædicti, finito ipſorum Priorum officio, dumtaxat, & non antea à Fratribus Conuentuum huiuſmodi reſpectiue eligantur, ſeu poſtulentur; ac deinde ipſi ſic electi, ſeu poſtulati tempore, quo Capitulum Prouinciale celebratur per dictum Capitulum, ſeu ipſo iam celebrato, per tunc exiſtentem Priorem Prouincialem confirmentur. Vos autem in Ciuitate Mantuæ Prouinciali Capitulo vtriuſque Lombardiæ celebrato, mature conſiderantes temporis ſpatium inter electionem, ſeu poſtulationem & confirmationem prædictas neceſſario interponi, & ſi ſucceſſores, vt præfertur, electos, ſeu poſtulatos, à Conuentibus prædictis abeſſe contingat, quamplures dies, & menſes ante eorum reditum plerumque conſumi, & præterire; Interimq. Cōuentus huiuſmodi cum maximo ipſorum diſpendio Prioribus carere: vt diſpendio

huiuſ-

huiuſmodi, ac fratrum dictorum Conuentuum rixis, & diſcordijs ceteriſq. ſcandalis, quæ euenire poſſent occurrentes, & Conuentuum indemnitati, Fratrumq. eorundem vnanimitati, & concordiæ, conſuleretis; decreuiſtis, & ordinaſtis vt deinceps ante tempus, quo Capitulum prædictum celebraretur, Fratres Conuentuum dicti Regni, & aliorum, quibus vobis expedire viſum fuiſſet, ſucceſſores tunc exiſtentium Priorum Conuentuum eorundem, etiam quod tunc exiſtentes Priores prædicti eſſent per ſex, vel ſeptem menſes poſt dictum Capitulum celebratum in eorum officijs, adhuc reſpectiue permanſuri, eligere, ſeu poſtulare poſſent; ipſiq. ſic electi, ſeu poſtulati, per Capitulum huiuſmodi, ſeu ipſo finito, per tunc exiſtentem Priorem Prouincialem, vt præfertur confirmarentur. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, decretum, & ordinatio prædicta non ſint adhuc ſortita effectum; & ſi ſeruarentur, vſuiq. & executioni mādarentur, ex hoc Cōuentus profecto, & Fratres prædicti quamplura cōmoda, & vtilitatem permaximam conſequerentur. Pro parte Fratrum eorundem fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt vobis decretum, & ordinationem huiuſmodi ſeruari faciendi, illaq. vſui, & executioni demandandi licentiam, & facultatem concedere, aliáſq. in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis vt decretum, & ordinationem huiuſmodi in poſterum ſeruari facere, vſuiq. ac executioni mandare libere & licite valeatis; ac dictis Fratribus vt illis vti poſſint, licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate per præſentes concedimus, & indulgemus: decretum, & ordinationem prædicta, poſtquā in eſſe deducta fuerint, dicta authoritate approbantes, & confirmantes, illiſq. perpetuæ firmitatis robur adijciētes: Supplentes quoque omnes & ſingulos tam iuris, quā facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in

eiſdem. Nō obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon præmiſſi aliiſque Conuentuum, & Ordinis Prædicatorum iuramento confirmatione Apoſtolica; vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque; & indultis, ac litteris Apoſtolicis, eidem
1 *Ordini, & illius Fratribus per ſedem Apoſtolicam conceſſis, & confirmatis: Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro eorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret; tenores eorum præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrarijs quibuſcunque. Aut ſi Fratribus dictis Ordinis, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indultu huiuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 14. Martij M.D.XXXXI. Pontificatus Noſtri anno Septimo.*

Blo. El. Fulgin.

Porrò itaque in aliqua parte diei præ-
5 cedētis † diem electionis, qui præeſt electioni notificare debet in loco communi per ſe, vel alium, Vocalibus, ſiue Electoribus, quòd die ſequenti, tali hora celebrabitur electio noui Prioris, ſiue Prælati. ex Silueſt. *elect.* 2. *num.* 12. Et in Ordine Prædicatorum, idem mandatur cap. de elect. Prioris Conuentualis ad exordium. Et hoc obſeruari debet, præſertim in Ordine Prædicatorum, in quo ex Decretis Capituli Generalis Bar-
6 chinonæ 1574. debent † omnes Vocales in die electionis celebrare, vel ſaltem

tenentur refici ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, niſi habeant legitimum impedimentum infirmitatis, vel alterius generis, ſub pœna priuationis vocis actiuæ; quod eſt ſpecialiter mandatum in Concilio Baſileæ, *ſeſſ. 12. & 37. Decret. de elect.*

7 Ille dicitur † præſidere electioni, cui de iure, aut ex conſuetudine ſpectat tale munus, aliàs ſenior Electorum præſidebit: Petrus de Baiſio *in Director. Elect. cap. 4. 3. par.* vbi citat Innoc. *cap. 1. de maior. & obed.* & Ioannem Andream *ibidem*, Panormitanum, & Felinum, *in dicto cap.* ac Bartol. & alios Iuriſtas.

Secundò, poſt celebratas Miſſas hora competenti, conuocandi ſunt Electores

8 ad ſonum campanæ in aliquo † honeſto, & publico loco, in quo facienda eſt electio, præmiſſo tractatu, ſaltem in communi, de idonea & digniori perſona eligenda: de quo loco fuſius dictum eſt cap. 6. & ſanctus Antoninus 3. par. ſuæ ſummæ tit. 19. cap. 2. §. 2. *Nota* (inquit) *quòd poteſt fieri in Eccleſia, vel Capitulo, vel alio honeſto loco ſimili, & maximè iuxta conſuetudinem*; poſt pauca addens, *& non debet fieri ante ſepulturam prædeceſſoris, extra eo. bona memoria: ſi tamen fieret, valeret.*

9 Tertiò, congregatis † omnibus vocalibus, qui volunt, & debent, & poſſunt conuenire, Præſidens electionis breuem admonitionem per communia præmittat, hortãdo omnes vocales cum ſumma pace, dilectione, & charitate, poſtpoſito omni reſpectu humano, ad eligendum idoneum, & habilem, atque digniorem pro beneficio ſpirituali, ac temporali Eccleſiæ vel Conuentus, cui præficiendus eſt.

Quartò, præmittenda eſt petitio, an ſcilicet placeat vocalibus, locus, & tempus procedendi ad electionem.

10 Quintò, † debet clarè, & intelligibiliter proteſtari coram omnibus, quod non intendit admittere non de iure admittendos, nec pariter excludere, qui de iure non ſunt excludendi; addendo quod nullus eorum intendit coeligere cum excommunicato, dato quod aliquis eſſet inter illos.

11 Sextò, iuxta decretum † Concilij Tridentini, *In electione Superiorum, quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia ritè, & ſine fraude fiant: In primis ſancta Synodus Tridentina diſtrictè præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur; nec in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcumque titulares, ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra huius decreti Conſtitutionem, aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is qui ad hunc effectum, ſe in Prouincialem Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinceps ab omni officio in Religione obtinendo inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; & ſi in poſterũ aliæ concedantur, tanquam ſubreptitiæ habeãtur.*

Septimò, fieri debet abſolutio à cenſuris, per eum qui præeſt electioni.

Octauò, inuocanda eſt deuotè, & humiliter gratia Spiritus ſancti dicendo hymnum, *Veni Creator*.

Nonò, expletis omnibus ſupradictis, Supprior, vel Vicarius electionis, cum duobus Scrutatoribus, ſiue tribus, ſi quartus ſcrutator fuit electus, accedere debẽt ad menſam in loco patenti in oculis omnium præparatam pro excipiendis ſchedulis; ſigillatimque iurare debent de eligendo digniorem, ſecundum Decret. Clement. VIII. & alia ſtatuta ſuperius adducta, *cap. de qualitate electionis*, & in alijs præcedentibus.

Quæ

12 Quæ omnia licet † non requirantur cuncta vt eſſentialia ſimpliciter ad electionem, ſed aliqua potius ad ſolemnitatem electionis; hinc eſt quod eorum omiſſio, non inficit electionem alias ritè & canonicè factam: nam primum reputatur eſſentiale à multis, præſertim à Siluest. *vbi ſupra, verb. Electio 2. num. 12.* quod tamen negat Panorm. relatus ibidem à Silueſtro.

Nihilominus grauiter ſunt puniendi illi in Ordine Prædicatorum, quorum culpa, aliqua ex ſupradictis fuerint omiſſa, eruntque priuandi ſaltem ad tempus officio Supprioratus, vel Vicariatus, vel munere Scrutatoris, cum euidenter agant contra ſtatuta in Conſtitutionibus, & in actis Capitulorum Generalium. Et ita fuit in Congregationibus Patrum ſapiẽtum decretum pluries Romæ, coram Reuerendiſſimo Patre Generali totius Ordinis Prædicatorum, & approbatum per Illuſtriſſimum Dominum Protectorem, ac exequutioni quoque ſæpe demandatum.

Quare non omnibus indifferenter, ſed ſolum bene inſtructis in Conſtitutionibus, ac Ordinationibus Capitulorum Generalium, committi debent of-
13 ficia † Supprioratus, ſiue Vicarij electionum, ad euitanda multa, & grauia inconuenientia, in præiudicium potiſſimè pacis, & vnionis, ac obſeruantiæ Regularis.

Propter quod laudandus eſt maximè, & extollendus nedum vſque, verum ſupra ſidera, vſus, & laudabilis conſuetudo earum Prouinciarum, in quibus officium Supprioratus ordinariè imponitur Patribus graduatis, in litteris & moribus, bene inſtructis: quemadmodum è contrario venit ſummopere vituperãdus abuſus earum Prouinciarum, in quibus indifferenter aſſumuntur ad officium Supprioratus docti, & indocti, & vt frequentius parum apti. Ex quo abuſu neceſſario extirpando, oriuntur in dies infinita, (vt ita dicam) mala, prout longa temporum experientia manifeſtè indicat: quorum malorum cauſa ſunt Præſidẽtes Prouinciarum, ac Conuentuum Priores, ad quos pertinet talium inſtitutio, & prouiſio.

Deinde iuxta ordinata in Capitulo Generali Bononienſi 1564. Ordinis Prædicatorum, procedendum eſt ad electio-
14 nem † per ſchedulas, aſſumpto modo procedendi per Scrutinium, vt communiter fit in omnibus electionibus canonicis Prelatorum Eccleſiaſticorum, poſt Concilium Tridentinum, etiam in alijs Religioſis: qui modus procedendi eſt adeo neceſſarius in Ordine Prædicatorum, vt non poſſint Electores aliter nec alio modo procedere. Vnde ſi ſecus fiat, electio eſt nulla, vt habetur clarius in præcitato Capitulo Generali Bononienſ; quamuis apud alios ſimpliciter ex auctoritate grauiſſimorum Auctorum, & ſacræ Rotæ Romanæ, per Concilium Tridentinum nõ ſit ablatum Compromiſſum, neque modus procedendi per communem inſpirationem. Attamen in Ordine Prædicatorum ex diſpoſitione prædicti Capituli Generalis, habetur pro ablato, vt latius dictum eſt cap. 7.

Cùm in hoc Capitulo facta fuerit mentio de abſolutione † facienda ante electionem canonicã, ab illo qui præeſt tali electioni, nonnulli religioſa curio-
15 ſitate ducti, quærunt, † quidnam operetur, ſiue quem effectum producat prædicta abſolutio.

Quibus antequam præcisè reſpondeatur, infraſcripta præ oculis conſideranda proponuntur.

16 Primum eſt, quod † abſolutio ſolita conferri ei qui impetrauit aliquam gratiam in curia Romana, hoc præcipuè operatur, vt reddat gratiam obtentam

efficacem. Decius *in cap. Apoſtolicæ; nu. 6. de except.* Felin. *nu. 1. verſ. & idem de abſolutione*, Rebuffus, *in praxi par. 1. tit. de forma nouæ prouiſionis, num. 1.* Couar. *in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. nu. 3.*

17 Secundum, † abſolutio, de qua ſupra, realiter, & in effectu, non operatur abſolutionem à cenſuris, ſed ad effectum de quo, &c. ſuſpendit impedimentum proueniẽs ab excommunicatione, quouſque ſcilicet gratia ſortiatur effectum: quo ſequuto, impetrans ſtatim reincidit in excommunicationem, nec diuinis intereſſe poteſt, nec alia ſimilia facere, quæ excommunicatis ſunt interdicta; Rebuff. *in praxi tit. de forma nouæ prouiſionis, verb. Teque abſoluentes, num. 15. & 19.*

18 Tertium; hanc † eandem clauſulam apponunt Epiſcopi in collationibus, & Prælati Regulares, quando alicui ex ſuis ſubditis cõferunt gratiam, ſiue gradum aliquem. Per quam clauſulam remanent impetrantes abſoluti, non ſimpliciter ab omni excommunicatione, ſed ab illa, ſiue illis à quibus abſoluentes habent facultatem, de iure, vel ex priuilegio abſoluendi, Vgol. *de cenſuris, tabul. 1. cap. 4. §. 5. nu. 189.* Nauar. *in cap. ita quorundam, not. 1. nu. 18.*

Ex quibus deduci poteſt argumentum à ſimili, continens reſponſionem præciſam, ad motam obiectionem, dicendo,

19 † quod qui preeſt electioni canonicæ, dum abſoluit Electores præſentes, talis abſolutio operatur ad minus ſuſpenſionem impedimenti prouenientis ab excommunicatione occulta, ad effectum vt ritè, ac rectè, valeant eligere, dummodo tamen ante actum electionis, nullus præceſſerit rumor, vel inſtantia, ſiue iuridica oppoſitio, cõtra vnum, vel plures ex Electoribus in ſingulari.

Cùm in hoc Capite, directè agatur de Præſidente electionis, & de illius facultate, vtile erit, & forte neceſſarium, breuiter adducere reſolutiones difficultatum ſequentium valde, & multis deſiderabiles, quas potuiſſem adducere ſuperius cap. 3. & 5. ſed quia illa cap. erant ſatis prolixa, hoc autem breue: ideo huc diſtuli prædictas ſolutiones referre.

Prima difficultas.

20 N. Regularis qui † determinatè ſpectat ad vnam aliquam Prouinciam ſui Ordinis (vt moris eſt) tempore tamen, quo facienda eſt electio, in ea Prouincia cui eſt incorporatus ſiue affiliatus, dato quod inueniatur aſſignatus à ſuis Superioribus in aliena Prouincia, & Electores, ſiue vocales ſuæ Prouinciæ, declarata eorum voluntate Præſidenti electionis, ſiue Superiori, quod ſunt diſpoſiti, & parati illum eligere, & non alium, quamuis abſentem; ſi id prohibeat Superior, vel Præſidens, illumque excludat, ne poſſit eligi, nulla aſſignata ratione vera, & reali, ſolum dicendo, quod ideo illum excludit, quia non nouit illum, ſub hac ratione videlicet, quia non habet notitiam bonam, nec malam de illo; præſertim, ſi ex vi Statutorum illius Religionis liceat Electoribus eligere etiam abſentem à Prouincia: talis electio proculdubio annullanda venit ad minus.

Primò: quia inſtante electione, nullus, alias habilis, & idoneus, poteſt ipſo inaudito, & non ſeruato ordine iuris, ſaltem quo ad ſubſtantialia, priuari voce actiua vel paſſiua, præſertim vbi nulla inuenitur rationabilis cauſa. quod habetur expreſſum *in cap. inter quatuor de maior. & obed. verſic. iuris namque* & *cap. conquerente, de reſtit. ſpoliat.* Nauar. *to. 2. conſil. 1.*

conſil. 1. eodem tit. litt. D. col. 2. Eo magis, quia ſententia omnis lata contra indefenſum nulla eſt, quia defenſio, cum ſit
21 de iure naturæ, † negari non poteſt. Soccinus *in l. ſi quis arbitratu, num. 51. ff. de verb. oblig.* Alex. *in l. ſi ſic, num. 18. ff. de legat.* 1. & ibi Adden. & Cardinalis Lancellot. in quodam voto extra Rotam in cauſa Precij Fiani, *verſ. ex quibus:* eo magis ſi agatur de priuatione vocis illius, qui iam eſt in poſſeſſione, iuſque acquiſitum eligendi, vel vt eligatur, iam habet: quia priuatio hæc ſemper inuoluit pœnam, vt aſſerunt in ſimili caſu Surdus *dec. 216.* Rota Rom. *dec. 536. nu. 10. p. 1. recentior,* & *deciſ. 693. nu. 3. p. 1. recentior.* & *deciſ. 275. corã Greg. XV. nu. 13.* in impreſſ. & ibi additionator *ſub nu. 20.* Idem etiam colligunt Doctores, maxime Hoſtienſis, Ioannes Andr. & Felinus *cap. Minimè, de accuſat.* & Roderiq. Tom. 2. qq. Regul. q. 52. artic. 2. ad primum Dubium. vbi adducit ad idem rationes, textus ſacrorum Canonum, ac alias leges, Mirand. *Manual. Tom. 2. q. 23. art. 22. concl. 3. verſ. Hac inquam.* vbi addit Roderiq. loco citato ad tertiũ.

22 *Dato quod maior † pars Capituli renuat in hoc Præſidenti, vel Superiori obedire propter iniuſtitiam quam prætendunt, poteſt ad electionem procedere abſque Præſidente, ac etiam ſine minori parte.* Dummodo tamen minor pars non fuerit contempta, ſed debito modo vocata, & tempore congruo expectata. Ratio huius, vt exiſtimo, ea eſt, quam adducit Gloſſ. *in capit. Bonæ 36. de electione ver. Nec prædicta.* ſi aliquid fiat contra abſentem, vel non legitimè citatum, non valet. & Doctores *ibidem,* & *cap. Quod ſicut, 28. de elect.* Gloſſ. *ver. conſentire,* inter quamplura inquit. *Quod iniuria facta abſentibus illam non tenentur remittere:* intellige abſentes, ac etiam Electores præſentes, contra quorum voluntatem, ac inſtantiam fuerit priuatus vnus, vel alter abſentium, ſine ſatisfactione.

Id omne in Ordine Prædicatorum certiſſimum extat, ex declarat. 4. Capituli Generalis Romani 1589. cuius verba referuntur ad initium cap. 5. num. 2. & pariter colligitur idem ex traditis in Proœmio Conſtitut. eiuſdem Ordinis, text. 5. ad calcem, vbi habentur ſequentia verba. *Nec damnent aliquem ad pœnam grauioris culpæ, niſi in iudicio confeſſum, vel conuictum, & in ſcriptis; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, &*
23 *inane.* Sed † inter pœnas grauioris culpæ priuatio vocis ſemper includitur, quaſi in primo loco, tam actiuæ, quam paſſiuæ: ordinariè ergo & regulariter, nullus poteſt in dicto Ordine declarari voce priuatus abſque proceſſu, & alijs ſeruatis de Iure neceſſario ſeruandis. Vſus quoque, & conſuetudo idem euidenter demonſtrat.

Idem quoque ſtatutum habent Fratres Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, quemadmodum videre eſt in Capitulo Generali Val. 4. num. 28. vt aſſerit Laurẽtius Peirinus eiuſdem Ordinis, in ſuo Religioſo ſubdito, & Prælato, Tomo 1. q. 1. de obedientia, §. 10. ad finem, *contra quod* (inquit ille) *facta, omnino ſunt caſſa, & irrita.*

Ex quibus neceſſaria conſequentia
24 colligitur ſequens Corollarium: † Nequeunt igitur Præſidentes electionum, ſiue alij Superiores, in actu electionis vocales præſentes, vel abſentes, non ſeruato ordine Iuris, voce actiua, vel paſſiua priuare, etiam prætextu criminum, quæ contra illos inuenerint in viſitatione: ſed cognitio horum criminum, in aliud tempus transferenda eſt, præcipuè vt de medio tollatur omnis, & quæcumque cauſa contentionis, ſeu occaſio obloquendi, atque inſurgendi contra Præſidentem, atque celebratã electionem, recur-

recurrendo multoties ad Tribunalia extra Ordinem, non ſine præiudicio decoris ſuæ Religionis.

Si quis verò objiciat illud Statutum Ordinis Prædicatorum contentum in præcitata declarat. 4. Capituli Generalis Romani 1589. ad verbum relata ſuperius in hoc tract. cap. 5. de excommuni-
25 cato, qui † inſtante electione, ob excommunicationem poteſt voce vtraque priuari, ſine alia informatione.

Reſpondetur, hoc eſſe ſingulare, ac in iure expreſſum in odium excommunicationis, ac excommunicatorum, præſertim in caſu electionis actiuæ, & paſſiuæ. Tunc enim omnis cauſæ cognitio dicitur ſuperflua; quamuis etiam in hoc caſu ſit neceſſaria declaratoria ad minus inhabilitatis eligentis, vel eligendi, præuia cauſæ cognitione ſaltem ſummaria. *cap. cum ſecundùm leges*, §. *confiſcationis, de hæret. in* 6. Gloſſ. *in cap. quam ſit, in verb. eo ipſo, de elect. in* 6. Felinus *in cap. Pandulphus, num.* 35. *& ſequentibus, de reſcript.* & *in cap.* 2. *num.* 1. *de ſponſal.* Gonzalez *ad Reg.* 8 *gloſſ.* 56. *nu.* 127. Tiraquel. *l. ſi vnquam, verb. reuertatur, num.* 398. *vſque ad* 404. *de reuocand. donation.* Gratianus *Diſcept. forenſ. cap.* 809. *num.* 13. Ad quæ reſpicientes ſapienter Patres Ordinis Prædicatorum, congregati in Capit. Generali Romano 1589. in Statuto de quo ſupra, addiderũt quod inſtante electione excluſio excommunicati debet fieri, quando *manifeſtum eſt illum incidiſſe in excommunicationem latæ ſententiæ, cum ſufficiat apertè conſtare eum commiſiſſe aliquid, per quod reuera ipſo facto in excommunicationem latæ ſententiæ inciderit.* In Ordine quoque Minorum ſancti Franciſci de Obſeruantia, ex diſpoſitione Bullæ Pij Quinti *Paſtoralis, &c.* de qua alias ſuperioribus cap. facta eſt mentio, Dat. Romæ apud ſanctum Petrum 1571. Pontific. ſui anno ſexto, habito reſpectu maximè, ad illa verba eiuſdem Bullæ: *Quod Prouincialium Miniſtrorum electio libere per vota ſecreta fiat, ita vt Commiſſarius Generalis, & qui electioni præſidet, ſi formam prædictam tranſgredi, ſeu Electores quo minus libere eligant, quouis modo impedire, conuictus fuerit, officio priuatus exiſtat.* Adiunctis Statutis Cap. 7. Tolet. §. *de electionibus, verb. inſuper*. huiuſmodi reſtrictiones, ſiue coarctationes ad perſonas prohibentur; alias electio eſt nulla, & irrita, quoties per illas tollitur omnimoda libertas eligentium. Et ideo contra Præſidentem ſtatuuntur pœnæ, de quibus immediate: & hoc totum eſt contra ius commune.

Si quis verò objiciat Bullam prædictam Pij Quinti, non loqui in ſpecie de electione, de qua in caſu propoſito; ſæpius ad ſimilem inſtantiam, dictum, & probatum eſt, quod diſpoſitio Bullæ, & ordinationum extendi debet ad omnes electiones, in quibus viget eadem, vel ſimilis ratio, propter illam Reg. generalem, *Vbi militat eadem ratio, idem ius ſeruandum eſt.*

Secunda difficultas.

26 M Superior, ſiue Præſes electionis celebrandæ † in aliquo Monaſterio, vel Prouincia, euidẽter iam ſciens diſpoſitionem, atque voluntatem Vocalium ferri, vt determinatè eligant A. ſiue B. vel C. & D. tantum, reſoluti quod nullum alium extra illos quatuor eligere volunt in Priorem Conuentualem, ſiue Guardianum, vel Miniſtrum, ſiue Priorem, vel Præpoſitũ Prouincialem; inſtante prædicta electione, ſiue in actu eiuſdem electionis, ſi declaret A. B. & C. priuatos voce paſſiua, ſub friuolo prætextu delicti, ſiue delictorum in viſitatione contra illos repertorum, ſed non proba-

probatorum, vt euadat electus D, quem omnes ſciunt eſſe deſideratum à Præſidente electionis: ſi ſequatur electio in perſonam ipſius D, venit ad minus caſſanda, & irritanda, nec debet vllo pacto confirmari; & fortè non poteſt, cum de ſe nulla, & irrita ſit.

27 Quod probatur primo, quia † electio (de qua ſupra immediatè) reductiuè ſaltem, ſiue per indirectum, dici debet electio coarctata ad vnum tantum, contra diſpoſitionem iuris communis, & præſertim Cōcilij Tridentini irritantis electionem ad vnam tantum perſonam reſtrictam.

Secundo, quia electio de qua ſupra, manifeſtam inuoluit fraudem ex parte Præſidentis, & coactionem aliqualem ſaltem ex parte eligentium, quæ illis aufert omnimodam libertatem electionis, quæ eſt neceſſaria ſimpliciter in electionibus canonicis, vt fuſius dictum eſt, præſertim cap. 1. & 3. quod animaduertit inter alios quamplures Doctores, Abbas Panorm. *cap. cum terra*; & *cap. licet, de elect.* & Silueſt. *tit. electio 1. nu. 26.* vbi ex auctoritate Panorm. & aliorum inquit: *Conſuetudo ſi auferat libertatem eligendi, non valet*. Quod etiam repetit ad calcem eiuſdem numeri. Idem etiam ſentit & docet Tabien. *verb. Electio 1. nu. 23.* addens poſt multa. *Vnde non eſt electio, vbi non eſt voluntas libera*. & ad calcem eiuſdem numeri inquit. *Vnde non valeret conſuetudo vt electio dependeret à voluntate Principis, vel alterius; quia tolleret libertatem eligendi*, prout in caſu propoſito. Hanc ſententiam acceri me defendit Miranda in ſuo Manuali Prælat. *tom. 2. quæſt. 23. art. 22.* præſertim *concl. 3.* quam appellat ſententiam communem Doctorum, *in cap. quod ſicut*, & *cap. bona de elect.* Idem quoque tradit Roder. *tom. 2. quæſtionum Regularium, quæſt. 52. art. 11.* Itaque ſi aliqua adducatur circa hoc conſuetudo, illi nō eſt ſtandum; & corruptela ſiue abuſus potius appellari debet, non autem conſuetudo.

Ad argumentum verò eorum qui dicunt prædictam electionem eſſe liberam, nam poſſunt vocales in tali caſu eligere aliquem alium de eadē vel aliena Prouincia: Reſpondetur quod ſtante diſpoſitione, & deliberatione vocalium ad eligendum vnum ex illis quatuor tantum, optimè manifeſta Præſidenti, certum eſt quod indirectè ſaltem per huiuſmodi priuationem vocis paſſiuæ illorum trium, læditur non parum libertas eligentium, non ſine illorum metu; eo magis ſi in illa Prouincia vel Conuentu vigeat antiqua conſuetudo, vt Prouinciales eligantur de eadem Prouincia, vel Prior de Conuentu reſpectiuè, & non aliunde.

Cuncta hæc confirmantur ex adductis à Ludouico Miranda, tom. 2. ſui Manual. Prælat. *q. 23. art. 22. poſt tertiam concluſionem*, quæ ſunt. *Vnde non ſatis mirari poſſum qua ob abuſum, ac deprauatam conſuetudinem, quam multoties in aliquarum Religionum Capitulis Generalibus, & Prouincialibus practicari vidi, qua Superiores, & Præſidentes prædictis Capitulis, neſcio quo iure, aut qua auctoritate, & poteſtate, electiones limitant, atque coarctant ad tres, vel quatuor perſonas iuxta ipſorum libitum, & voluntatem, interdum priuando aliquos grauiſſimos Religioſos viros, voce paſſiua, ſine proprijs demeritis, & abſque eo quod intimetur ipſis aliquid quod fuerit probatum contra illos, vt ſeſe defendere poſſint; & quod peius eſt, dicunt ſe illud facere pro bono pacis, ex ſola forſan ſiniſtra informatione aliquorum Religioſorum ambitioſorum, qui pro eo quod non promouentur ad officia Ordinis pro ſuis demeritis, nihil non moliuntur, contendunt, atque procurant, quàm vt prædicti Patres*

princi-

principaliores, graues, experti, prudentes, & Religioſi, quique illos intus, & in cute, vt dicitur, agnoſcunt, non aſcendant ad Præfecturas, & aliquo quæſito colore priuentur ſuffragijs, & voce ſaltim paſſiua in electionibus.

Hæc inquam, deprauata conſuetudo, merito longe releganda foret, nullaque id auctoritate, & poteſtate deberet permitti, cum ſit contra omnem prorſus rationem, contra ius commune; quin verò, & quadam ratione eſſe videatur contra ipſum ius naturale, ac diuinum, ſtricte prohibens, vt innocentes ſine iuſta cauſa, & propria culpa non damnentur; & ne quis voce actiua, & paſſiua, ſeu pœna aliqua mulctetur, abſque eo quod prius citetur, audiatur, deturque ſibi copia eorum quæ contra ipſum fulminata ſunt, locuſque defenſioni, & tempus quo ſe defendere poſſit.

Tertia difficultas.

HÆc difficultas eſt præcedēti quaſi annexa, An ſcilicet, qui eſt Præ-
28 ſidens † in aliqua electione canonica, ſiue aliorum Officialium, poſſit eligi in Prælatum, vel Officialem ab eiſdem Electoribus quibus præeſt.

Antequam præciſè reſpondeā, animaduertam quòd præſens difficultas poteſt intelligi, vel de rigore iuris, vel de conuenientia. Hic non agitur de rigore iuris, quia nullum ius inuenitur hoc expreſsè prohibens: ſed ſermo erit in ſequentibus de conuenientia tantùm; & quid magis circa hoc expediat, præſer-
29 tim inter Regulares, qui † pro conſeruanda pace, & charitate inter ſe, tenentur nedum cauere quod eſt malum, & iure prohibitum, verum etiam ab omni ſpecie mali debent abſtinere, propter conditionem ſui ſtatus, qui eſt ſemper tendere ad maiorem perfectionem. ita communiter ſancti Patres, & omnes Doctores Catholici, præſertim S. Tho. 2.2.q.186.art.2. ſermonem faciens de his ad quæ tenetur religioſus vt perfectionem acquirat, & maximè an teneatur etiam ad conſilia, *in corp. art.* inter quamplura inquit: *Status autem Religionis eſt quadam diſciplina, vel exercitium ad perfectionem perueniendi, ad quam quidem aliqui peruenire nituntur exercitijs diuerſis: ſicut etiam medicus ad ſanandum vti poteſt diuerſis medicamentis.* Et paulò ſuperius dixerat religioſum tendentem ad perfectionem vti debere inſtrumentis diſpoſitiuis ad illam, præſuppoſitis ſemper illis quæ fuſius docuerat in 1. art. eiuſdem quæſt. præſertim *in reſp. ad 4.* vbi inquit. *Religionis ſtatus principaliter eſt inſtitutus ad perfectionem adipiſcendam per quadam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis.*

His ita ſtabilitis proponitur conclu-
30 ſio negatiua. Non † conuenit, neque expediens eſt, regulariter loquendo, vt Præſidentes electionum, & Superiores eligantur ad Prælaturas ab electoribus quibus præſunt, etſi forma poteſtatis collatæ eis non reſiſtat.

Ratio prior ad eamdem concluſionem ſtabiliendam eſt, nam propter auctoritatem, & ſuperioritatem oriri poteſt, & de facili oritur timor, metuſque reuerentialis; quo interueniente, vt latius demonſtratum eſt in ſuperioribus Capitulis, præſertim 3. 9. & 10. nullam & irritam efficit electionem. Gloſſ. & Panorm. *in cap. bona memoria de elect.*
31 addunt, † ad nullitatem electionis per metum ſufficere, quòd probabiliter eligentes timeant.

Secunda ratio ad idem ex Panorm. & alijs citatis à Silueſt. *verb. Elect. 2. nu. 20. circa finem.* Licitus quicumque modus eligēdi debet carere omni dolo, & frau-
32 de poſſibili: ſed electio † in qua eligitur ille, qui habet poteſtatem ſuper eligen-
tes, vel

tes, vel immediate habuit, inuoluit mo-
dum minimè carentem omni fraude
poſſibili, imò reſperſum vt plurimum
dolo & fraude, vt probat inter alios Mi-
randa in ſuo Manuali Prælat. Regular.
tom. 2. *q.* 22. *art.* 7. in probatione con-
cluſionis, vbi etſi loquatur reſtrictè de
electione diſcretorum, quæ fit in perſo-
nam Vicarij, ſiue Præſidentis Conuen-
tuum: quæ tamen ibi adducit, conclu-
dunt ſimpliciter, & probant concluſio-
nem negatiuam à nobis propoſitam.
Hinc eſt quòd ex illis ab eodem relatis,
& pro maiori parte in experientia diu-
turna fundatis, per modum neceſſariæ
illationis colligit; *Quapropter ſupradicto-
rum electio, iure optimo præſumenda eſt in
foro exteriori; non quidem ſpontanea, & vo-
luntaria, ſed violenta, & metu, minis,
ſeu aliquibus medijs illicitis facta, merito-
que proinde annullanda, & irritanda:
quod vt non fieret, cautè & prudenter ſa-
tis in aliquibus Prouincijs ſtatutum, & or-
dinatum eſt, vt Vicarij & Præſidentes ſu-
pradicti in prædictorum Diſcretorum ele-
ctione, habeant tantum vocem actiuam,
& nullo modo paſſiuam; ne propterea in
damnum, & detrimentum totius Religio-
nis, ſua iuriſdictione abutantur, & gratia
captandæ beneuolentiæ ſubditorum, & ſuf-
fragiorum, euenire poſſint omnia ſupradi-
cta inconuenientia.* Eidem concluſioni
fauent tradita à Silueſt. vbi ſupra.

Quamobrem in Ordine Prædicato-
rum, ad tollendam omnem & quam-
cumque ſpeciem ſiue occaſionem me-
tus, & timoris, vtque electiones Præla-
torum & aliorum officialium omnimo-
da gaudeant libertate, vt decet; ſtatu-
33 tum eſt † ne Viſitatores Conuentuum
ſiue Prouinciarum, neque eorum ſocij,
durante ipſorum auctoritate, & actuali
viſitatione, poſſint eligi in Conuentibus
& Prouincijs reſpectiuè, quorũ vel qua-
rum ſunt Viſitatores: & ſi ſecus factum
fuerit, totum ſit irritum & inane, vt vi-
dere eſt in actis Capituli Generali Ro-
mano 1601. *tit. confirmationes, num.* 14.
& Valliſoleti 1605. *eodem tit num.* 9. &
34 pariter quod † neque Vicarij electionũ,
qui ſcilicet præſident electionibus, eligi
valeant in electionibus quibus præſunt,
declarando contrarium irritum, & ina-
ne, vt habetur in declaratione text. 1.
cap. 1. *diſt.* 2. *de elect. Prior. Conuent. ſub
littera, D,* vbi additur. *Et hæc ordinatio
facta fuit primum Romæ* 1553. *deinde
fuit confirmata ibidem* 1558. *& Auinion.*
1561. *& Bononien.* 1564. Et in ordi-
nationibus editis à Cardinali Alexan-
drino pro Prouincijs Lombardiæ, &
Romanæ, Ordinatione quinta, ad tollẽ-
das fraudes, & metus occaſionem; ſta-
tuitur vt Suppriores Conuentuum, qui
ordinariè ſunt Præſidentes electionum
illius Conuentus, in quo Officium Sup-
prioris actu exercent, nequeant eligi in
Priores eiuſdem Conuentus, per ſequen-
tia verba. *Nec etiam Suppriores ac Le-
ctores poſſint eligi in Conuentibus, in quibus
officia actu exercent: & ſi ſecus factum
fuerit, electio ſit nulla, & irrita.* Quæ or-
dinatio vna cum alijs editis ab eodem
Cardinali, confirmata fuit auctoritate
Apoſtolica, & eſt in viridi obſeruantia
in prænominatis Prouincijs.

Ex his omnibus euidenter colligitur
per modum neceſſariæ conſequentiæ &
verioris Corollarij, ſequens concluſio.
35 Itaque † valdè conueniens, vtile, ac ma-
ximè rationi conſonũ eſt, vt ſi fiant ele-
ctiones, de quibus in prima concluſio-
ne, nullæ, & irritæ declarentur, vel ſal-
tem caſſentur, ad euitanda inconueniẽ-
tia de quibus ſupra; niſi euidenter con-
ſtet quòd huiuſmodi electio ſit totali-
ter aliena ab omni & quacunque ſuſpi-
cione etiam remota prædictorum. quod
non nego poſſe euenire ſed tamen co-
ram Deo fateor de raro hoc accidere,

ideò tutius eſt quo ad Deum, & homines, ne ſequantur huiuſmodi electiones, vt decreta particularia, de quibus ſupra, fiant vniuerſalia & communia, ſaltem quoad effectum caſſationis & annullationis conſimilium electionum; ne præberetur anxa prædictis abuti ſua poteſtate, etiam in præiudicium regularis obſeruantiæ, relaxando, indulgẽdo donis, vel minis, vel alio indebito modo ſuffragia procurando, in detrimentum Religionis, & fomentum ſuæ ambitionis: nam ambitioſus omnis repellendus eſt à quacumque Prælatura; & quoties apparent ſigna ſuæ ambitionis, etiam electus non debet confirmari. *cap. cùm poſt petitam, de elect.* Doctores *ibidem*.

Inſtanter, & frequenter percunctan-
36 tibus, an † prædicta veniant modo explicato obſeruanda in electionibus eorum, qui immediatè extiterunt Vicarij nationum, ſiue Prouincialis iuriſdictionem habentis ſuper futuros Vocales, ſiue Eligentes nouum Prouincialem, de ſucceſſore immediato cuius agitur; ex conſultatione virorum ſapientum tam Canonicorum, quàm Theologorum reſpondendum eſt. Primò, quod indubitanter ſuperius adducta comprehendunt electionem Vicarij Prouincialis, ac etiam nationum; ſemper innixus Regulæ collectæ ex cap. 2. de conſtit. vbi Gloſſa, inquit: *Ibi debet eſſe idem ius, vbi vigêt eadem ratio; & de ſimilibus, idem iudicium eſt faciendum.* Secundo dicitur, quod virtualiter ſaltem in Statutis Ordinis Prędicatorum, & aliorum Ordinum ſi quæ ſunt præter recenſita, continetur horum prohibitio, præſertim ſpectata cauſa, & fine optimo ſuperius inſinuato, ad tollendas ſcilicet fraudes, abuſus poteſtatis, ambientium affectate nimis dignitates, & Prælaturas.

Summa Cap. XIV.

1 *Confirmatio quid ſignificet. & num. 4. 6 8.*

2 *Per Confirmationem contrahitur inter Eccleſiam, & illum, cui præficitur, vinculum indiſſolubile. & num. 6 7. 6 9.*

3 *Pontifex Romanus confirmat omnes, & quoſcumque Prælatos, vel per ſeipſum, vel per alios; quibus talem facultatem confirmandi conceſſit.*

5 *Electio quæ non fuit ritè facta, confirmari non poteſt.*

6 *Tenetur confirmator, ſub pœna peccati mortalis, ac alijs pœnis, nemine etiam inſtante, ante confirmationem diligenter inquirere de perſona electa, & de forma electionis; Ideo non debet eſſe præceps ad confirmationem, præcipuè verò vbi electio fuit celebrata in diſcordia. & num. 8. 10.*

7 *Quare ſi confirmauerit indignum, etiam canonicè electum, remanet ſuſpenſus, & amittit poteſtatem confirmandi. & n. 9.*

11 *Ideo ad præfatum examen perficiendum, in iure communi aſſignatur terminus trium menſium.*

12 *In Ordine Prædicatorum, ac etiam ſimpliciter loquendo, nulla debet fieri confirmatio electionis canonicæ ſine conſilio grauiorum virorum, congregando à confirmatore.*

13 *Cõfirmatio facta à Superiore ſine Capitulo, vel conſilio diſcretorum &c. niſi conſuetudo immemorabilis ſit in contrarium, eſt nulla.*

14 *Electus adminiſtrans poſt confirmationem nulliter factam, an incidat in pœnas cap. Auaritiæ, de elect. in 6.*

15 *Confirmator tenetur cõfirmare electum idoneè, niſi ſubſit aliqua rationabilis cauſa.*

16 *Declarantur illa verba Conſtitutionis Ordinis Prædicatorum, quibus dicitur, quod Prouincialis, Priorem electum confirmabit, ſi ei viſum fuerit.*

Electio

17 *Electio eſt voluntatis, Confirmatio autem neceſſitatis.*

18 *Quid agendum ſit caſu, quo confirmator ex aliquo humano reſpectu renuat confirmare electionem ritè factam de perſona idonea.*

19 *Electus canonicè, contra quem non extant vrgentia, omnino confirmandus eſt.*

20 *Quando poſſint priuari electores voce actiua, ipſis non citatis.*

21 *Electus, de iure communi non poteſt confirmari, eo inuito. Limita in Regularibus, vt num. 22.*

23 *Confirmatus non poteſt renunciare, poſtquam acceptauerit, ſine conſenſu, & licentia Superioris.*

24 *Quando in Ordine Prædicatorum Priores Prouinciales, atque Conuentuales incipiant tempus ſuorum officiorum, & per conſequens quando etiam illa compleant.*

25 *In Prouincia Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum, qui fuerunt confirmati poſt feſtum omnium Sanctorum, biennium eõrum officiorũ incipit in Paſchate ſequenti.*

26 *In Ordine Prædicatorum quando incipiat tempus acceptationis officij.*

27 *Adducuntur verba Priuilegij Pauli Tertij, conceſſi Prouinciæ vtriuſque Lombardiæ circa Vicariatum Prouinciæ in caſu vacantiæ.*

28 *An ſtante Priuilegio, quod habet Ordo Prædicatorum, quo tribuitur vt conceſſum vni Prouinciæ, intelligatur conceſſum & alijs, præfato Priuilegio Pauli III. vti poſſint aliæ Prouinciæ. & num. 31. 32. 35. 37.*

29 *Priuilegiũ conceſſum ſpecialiter quibuſdam, non debet obſeruari generaliter.*

30 *Priuilegium conceſſum vni loco, non poteſt trahi ad alium locum.*

33 *Priuilegium aliud eſt fauorabile, & aliud odioſum. & quænam vtraque ſint. num. 34.*

36 *Priuilegium odioſum reſtringi debet.*

38 *Priuilegium quod habet Ordo Prædicatorũ, vt conceſſum vni Prouinciæ, cenſeatur conceſſum & alijs, quomodo ſit intelligendum.*

39 *Priuilegium an poſſit acquiri ex ſola conſuetudine.*

40 *Tempus conſentiendi electioni, eſt vnus menſis.*

41 *Caſſata confirmatione propter defectus iuriſdictionis confirmatoris &c. non dicitur caſſa electio.*

42 *Quando interponitur in debita forma appellatio, ne ordinarius confirmator procedat ad confirmationem iam ſecutæ electionis, ad alium ſuum Superiorem, durante prædicta appellatione, nequit ille primus confirmare.*

43 *Poteſt confirmator confirmare electionem digni, etiam prætermiſſo digniori.*

44 *Non eſt ita de facili procedendum ad priuationem vocis actiuæ cum electoribus, etiam quod delinquant.*

45 *Electio cui contradicitur, non debet confirmari, niſi prius remotis contradictionibus.*

46 *In Ordine Prædicatorum, qui habet litteras Magiſtri Ordinis ne poſſit cogi ad acceptandum Prioratum, etiam quod confirmetur à Prouinciali, non tenetur acceptare confirmationem; & litteræ confirmationis debent legi in loco publico.*

47 *Aſſignatur modus, quo fieri debet inquiſitio de electione, ſiue de perſona electa.*

48 *Declarantur nonnulla pertinentia ad diſpenſationem eorum quæ accidere poſſunt circa electionem canonicam.*

49 *Aſſignatur obligatio quam habet confirmator, quando efficitur prouiſor: & quid ſeruetur ſuper hoc in Ordine Minorum, & aliorum Regularium. num. 50.*

51 *In Ordine Prædicatorum tenentur Præſidentes Conuentuum, vt celeriter mittant litteras confirmationis.*

52 *Quos defectus ſuppleat confirmator, per confirmationem.*

53 *Quid agendum ſit, quando in caſu negligentiæ, electores non eligunt intra tempus*

ſtatutum: quidue faciendum ſit quando Prouincialis in Ordine Prædicatorum cognita diſcordia vocalium, non adhibet opportuna remedia, ad illam remouendam; quiduè agendum ſit, quando prouiſio facta à Superiore de Prælato, ſiue Priore ſuum non habet effectum.

54 *Quando poteſtas prouidendi de Prælato ordinario deuoluatur ad Superiorem, immediatè, vel ad alium.*

55 *Quādo infringi poſſit confirmatio iam facta.*

56 *Declaratur facultas quam habet confirmator, vt poſſit caſſare electionem canonicam, iam celebratam, abſque iniuria electi.*

57 *Quando liceat etiam per pecuniam oblatam impedire iniquam electionem.*

58 *Ante confirmationem cuiuſcumque electionis canonicæ, ſi naſcantur difficultates, dirimi debent, ſola illa electione excepta, in qua eligitur Summus Pontifex Romanus.*

59 *Explicatur facultas conceſſa Patri Generali Ordinis Prædicatorum, vt poſſit authoritate Apoſtolica confirmare electiones de iure poſitiuo nullas.*

60 *Diſputatur de facultate quam habent Superiores Regulares Prouinciarum circa proponendos, & eligendos ab electoribus.*

61 *Pariter proponitur dubium, An liceat Superioribus maioribus intereſſe electionibus canonicis Prælatorum inferiorum.*

62 *An omiſſio ſecuta in ſcrutinio electionis tranſmiſſo Confirmatori, illius clauſulæ,* Cum eſſemus tot vota, talis habuit tot, vel tanta vota, *& c. vitiet electionem, & impediat confirmationem?*

63 *Ritè electus poteſt, abſque nota ambitionis, procurare confirmationem ſuæ electionis. Declara vt num. 65.*

64 *Confirmator prouidēdo eligit, & confirmat.*

66 *Regularis electus ad aliquam Prælaturam, & confirmatus, ſi vtrumque ſemper renuat, an poſſit dici verè confirmatus; an potius cenſeatur ceſſare vacātia talis Prælaturæ. & num. 71. 72.*

70 *Nomina ſimpliciter prolata, exponenda ſunt in ſenſu proprio & formali.*

71 *In Ordine Prædicatorum, electus, & confirmatus cum præcepto formali de acceptatione, ſi confirmationi non conſentit, quid ſeruetur. & num. 72. 73.*

74 *Lex noua debet interpretari per antiquam, niſi contrarium contineatur in illa.*

75 *Quid ſtatuatur in Ordine Prædicatorū circa aſſignationes & mutationes faciendas, vel factas in ijs locis, in quibus electio de proximo celebrari debet.*

76 *Electus an poſſit non conſentire electioni de ſe factæ, & confirmationem renuere. & num 78.*

77 *Quis dicatur pertinaciter renuere confirmationem.*

CAP. XIV.

De Confirmatore, ſeu Confirmatione.

COnfirmatio (vt incipiamus à ſignificatione huius nominis) quemadmodum aſſerunt Iuriſperiti concorditer, im-
1 portat † titulum canonicū, quo quis ius acquirit in beneficio; ſub nomine beneficij latè ſumpti, comprehendendo Dignitates, & Prælaturas. Electioni enim à Collegio Clericorum, ſiue Monachorum, vel aliorum Regularium, ritè factæ, & de perſona idonea, ſuccedit Confirmatio, qua Superior iam electum, præmiſſis præmittendis, intra tempus lege præſcriptum confirmat: per quam Con-
2 firmationem † inter illum, qui præficitur alicui Eccleſiæ, & ipſammet Eccleſiam cui præficitur, contrahitur vinculum indiſſolubile, quod ſine legitima Superioris auctoritate ſolui non poteſt. Abbas, & alij *cap. 2. de tranſlat. Epiſc.* ſan-

ctus

ctus Antonin. 3. *par. tit.* 19. *cap.* 4. & Silueſt. *verb. confirmatio, num.* 1. *&* 2. ac alij Summiſtæ *ibidem*.

Confirmatio quidem plenum ius tribuit confirmato circa beneficium, vel dignitatem ad quam erat electus, ita vt poſſit cuncta exercere, quæ ſunt iuriſdictionis, *cap. noſti. cap. tranſmiſſum, de elect.* Tuncq. ſpirituale coniugium inter Eccleſiam, & Prælatum ritè cõfirmatum, quod erat per electionem inchoatum, perficitur, *cap. inter corporalia, de tranſl. Prælat.* & Azorius *par.* 2. *inſtit. moral. de quarto Decalog. præcepto, lib.* 6. *cap.* 16. & Miranda *in ſuo manual. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 32.

3 Pontifex Romanus ſua † ampliſſima poteſtate, quam habet à Deo in tota Eccleſia Catholica, inſtituit, & confirmat omnes, & quoſcumque non ſolum Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, verum, & omnes alios Prælatos, vel per ſeipſum, vel per alium: Conceſſerunt enim Romani Pontifices ſpeciali indulto Regularibus, vt Abbates eorum inferiores ſub Generali, ſiue Prouinciales, vel Miniſtri, aut Vicarij Prouinciarum, confirmarentur à Generalibus vniuſcuiuſque inſtituti reſpectiue. Ita docet inter alios Hoſtien. *in ſum. lib.* 1. *tit. de elect. num.* 27. *§. à quo confirmanda, fol. mihi* 23. *à tergo ſecundum impreſſ. Venet. apud Iuntas* 1581. & S. Antonin. 3. *par. tit.* 19. *cap.* 4. *ad initium*. Generales vero, vt plurimum, præſertim in Ordine Prædicatorum, & Minorum ritè electi, ſtatim intelliguntur cõfirmati. hocque colligitur ex traditis ab Hoſtien. loco ſupra citato, & alijs. Confirmatio ſanè, quæ hodie fit ſine cauſa, & cognitione prædictorum, eſt ipſo iure nulla, ita docet Abbas, *cap. nihil, de elect.* Imò ex textu eiuſdem *cap. nihil*, habetur non ſolum nullitas confirmationis indigni, quæue ſequitur ſine præuio examine illorum, de quibus ſupra; verum etiam rigoroſa punitio Promotoris, ſiue Confirmatoris. vti eſt videre *in dicto cap. §. volentes igitur.* & Gloſſ. *ibidem, ver. poteſtate.* & *ver. ſuſpendatur*.

Confirmatio enim, vt quamplures Iuriſtæ tradunt, præſertim Hoſtien. *in ſum. lib.* 2. *tit. de confirm. vtil. vel inutil.*
4 *§. quid ſit*, eſt † *iuris prius habiti corroboratio*; quapropter qui confirmat, nihil de nouo concedit, ſed iam conceſſum, ſiue aliter acquiſitum corroborat.

Et regula generalis eſt, quam Iuriſtæ colligunt ex contentis *in cap. inter dilectos, de fide inſtrum. §. cum igitur*. videli-
5 cet, *Vbi electio* † *non fuit ritè facta, confirmari nequit*.

Cui regulæ additur etiam alia generalis collecta ex Hoſtienſe, & S. Antonino, *vbi ſupra*; quod videlicet confirmatio electionis regulariter fieri debet ſeruatis ſeruandis, de quibus latius inferius, à proximo Superiore. Eamdem regulam expreſsè tradit Silueſt. *tit. confirmatio humana, num.* 4. quam colligit *ex cap. ſi Abbatem, de elect. in* 6. ex Panormitano *cap.* 1. *de ſupplen. neglig. Prælat.* & ex *cap. cum dilectus, diſt.* 54. & ex *cap. bonæ, de elect.*

6 Munus † Confirmatoris, eſt igitur, etiam nemine opponente, vel inſtante, diligenter examinare duo in electione canonica, ante actum confirmationis, qualitatem ſcilicet, & habilitatem perſonæ electæ. Secundum, conſiderare proceſſum, ſiue formam electionis, & modum in ea ſeruatum, ne per dolum, aut per negligentiam, præiudicium inferat Eccleſiæ, vel Collegio, aut Conuentui, & ſibi ipſi pœnam acquirat. *cap. cum nobis olim, tit. de elect. in princ.* & *cap. nihil, de elect.* Doctores *ibid.* & *cap. poſtquam, eod. tit. §. debet*. Si vero electus ſit valde notus, & communiter, vt dignus approbatus, tunc examine ſuæ perſonæ

non indiget. *cap. in Lateranen. tit. de præbendis*. Nauarr. *conſil. 2. num. 3. eod. tit. de elect.* & *in text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis, ſub littera i.* Ratio ſupradictorum aſſignata à Doctoribus, maximè à Butrio *ſuper 1. decretal. tit. de electione cap. venerabilem, num. 15.* ea eſt, *quia confirmator electionis dicitur Iudex, & cognitor. Vnde confirmatio fieri debet per viam iudicij.* Hæc ille. Nam ſi id
7 negligenter † omiſerit confirmator, maxime, ſi propter hoc non integræ vitæ hominem, vel non legitimæ ætatis, ſeu litteraturæ admiſerit, vel confirmauerit; à perceptione ſui beneficij, vel fructuum illius, tamdiu ſuſpenſus remanebit, quamdiu Antiſti ſuo Superiori videbitur; & confirmandi poteſtate ſaltem pro prima vice priuabitur. Quod ſi id per malitiam hoc ſciens fecerit, grauius punietur, *cap. nihil eſt, de elect.* & confirmatus deijci debet, cum talis confirmatio ſine cauſæ cognitione facta nulla ſit, *cap. vlt. de elect. in 6.*

Quapropter in Ordine Prædicatorum, extat Decretum Capituli Generalis, tenoris qui ſequitur. *Declaramus, quod in Cap. apud Verdunum Prouincia Franciæ celebrato 1356. ſic dicitur, Imponimus vniuerſis Prouincialibus, & eorum Vicarijs, ſub pœna abſolutionis, quatenus electos in Priores, quantumcumque vnanimiter, non præſumant confirmare, niſi ſint ſufficientes in ſcientia, & moribus, & niſi veriſimiliter præſumant, quod correctioni, & honeſtati, ac reformationi Ordinis operam dabunt efficacem.* Idem habetur in decret. Clement. VIII. editis pro reformatione Regularium, Anno 1599. *num. 36.* vbi dicitur. *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi eligantur, qui poſſunt, & conſueuerunt Regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſeruare, præſertim quæ pertinent ad ſeruitium chori, ac veſtitum, & victum communem.*

Et *in cap. quoniam, tit. de elect. in 6.*
8 Præcipitur † confirmatori, ne ſit præceps in confirmatione, ſed ante illã negotium electionis diſcutiat: repentina enim confirmatio, maximè vero facta inordinato affectu, ſiue cupiditate, cùm eo caſu præferatur cupiditas diſpoſitioni iuris; ideo merito cenſetur nulla in eodem capite, ſupra immediatè citato, §. *aliter confirmatio facta non tenet.*

Quando confirmator confirmat aliquam electionem, poſt legitimam diſcuſſionem, intelligitur ſupplere illis defectibus tantum, qui ſubſunt ſuæ facultati; non autem ſimpliciter ſupplet omnibus defectibus.

Diligens inquiſitio, requiritur potiſſimè vbi eſt diſcors electio, Io. Andr. *cap. cupientes, nu. 1. tit. de elect. in 6.*

Si Prælatus per negligentiam confirmauerit indignum, etiam quod fuerit canonicè electus, amittit poteſtatem
9 confirmandi † pro vna vice. Si vero habeat beneficia Eccleſiaſtica, remanet ſuſpenſus in perceptione fructuum, donec fuerit reſtitutus, *cap. nihil eſt,* & *cap. in Geneſi; tit. de electione in princip.* vbi textus, & gloſſa clarè dicunt confirmatorem eſſe aſtrictum inquirere ante cõfirmationem, An forma electionis canonicæ, à iure ſtatuta, fuerit obſeruata; & an perſona electa ſit digna, ex text. eiuſdem *cap. nihil eſt*, ſepæ citati, addendo quod non ſolum ante, ſed etiam poſt confirmationem repertus de iure indignus, vt puta quod ſit inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, aut non ætatis legitimæ, vel non ritè electus, cum interuentu alicuius eſſentialis defectus, deijciendus eſt non ſolum à regimine; verum etiam, vt ſupra dictum eſt, confirmator in tali caſu, ſi per negligentiam id egerit, priuari debet munere confirmandi. Si vero per malitiam fuerit conuictus id feciſſe, grauiori ſubiaceat.

iaceat vltioni: vtriuſque tamen pœnæ exequutio pertinet ad Superiorem maiorem: Quoniam in his quæ publicæ vtilitati interſunt, Iudex tenetur ex officio agere neceſſaria, etiam nemine inſtante. Butr. *in cap. cum nobis; de electione, num. 9. & nu. 37.* ideo confirmator errans in his grauius puniri debet.

Ratione quidem publicæ vtilitatis,
10 tenetur † confirmator ex officio examinare qualitates electi. Innoc. *in cap. 1. de poſtulat. Prælat. num. 5.* Hac tamen cautela, quod in ſpecie non eſt inquirendum de aliquo crimine, niſi ipſe electus fuerit antea de illo diffamatus; ſed in genere tantum inquirendum eſt, vt de ætate, de ſcientia, de vita, & honeſtate perſonæ, & alijs conſimilibus, ac de alijs neceſſario requiſitis in electione, vt dictum eſt.

Quamobrem valdè cautus eſſe debet confirmator, atque tenetur neceſſaria diligentia vti ante confirmationem, ne ignoranter incidat in prætaxatas pœnas.
11 Ideo in iure † aſſignatur illi ad confirmandum tempus trium menſium. In *cap. nihil, tit. de electione*, & in alijs etiam eiuſdem tit. expreſsè ſtatuitur, vt non ſolum ſit deijciendus indignè promotus, verum etiam vt indignè promouens puniatur vt ſupra. Vnde confirmans indignum, vltra mala ſupra narrata, enormiter delinquit in ſuo officio: Gloſſ. *in cap. præcitato; nihil, §. ſi Prælatus per negligentiam confirmauerit.* Quod videtur etiam conforme diſpoſitioni Concilij Tridentini, *ſeſſ. 6. de reformat. cap. 1.* quamuis confirmatio non percludat viam deponendi indignè promotum; nam indignè promotus poſt confirmationem etiam, deponi poteſt, vt *in cap. nihil*, & Abbas *ibid. nu. 2.*

In Ordine Prædicatorum, nulla
12 debet fieri † cõfirmatio Prouincialium, aut Priorum, niſi prius congregato conſilio grauiorum Patrum, qui per fabas, aut per calculos debent vota ſua pro cõfirmatione, vel caſſatione electionis ſecreto præſtare, Barchinonæ 1574. Romæ 1580. confirmat. 22.

13 Quod totum † videtur valde conforme iuri communi, quod nullam declarat omnem confirmationem factam à Superiore, non vocato Concilio, niſi conſuetudo immemorabilis ſit in contrarium, Silueſt. *verb. Confirmatio humana; num. 4. in fin.* Tabiena *eodem tit. num. 8.* Quod fuit ſtatutum in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum Bononiæ celebrato 1564. & Valliſoleti 1603. & vltimo Vlyſſipone confirmatũ 1618. confirmat. 4. Et Ariſtoteles in epiſt. ad Alexandrum magnum inquit: *Rerum humanarum auguſtiſſimum eſt conſultatione vti: nam eius ope, quod melius, ac vtilius ſit inuenitur.* Et ipſamet ſapientia lib. Prouerb. inquit. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.*

Nam vbi neceſſaria requiritur præſentia Concilij, ſiue conſiliariorum, non valet quod in eorum abſentia factum eſt; vt poſt multos allegatos tradit Ioan. Andr. *de electione, cap. quoniam, num. 2.* & ibi loquitur in ſpecie de confirmatione. Idem prorſus ſentit in caſu confirm. Butr. *in cap. quoniam; de electione*, vbi citat Archidiacon. & alios celeberrimos Doctores *in cap. fin. de elect. in 6.* ibi, *in confirmatione deſideratur conuocatio Capituli ſiue Concilij diſcretorum; alias cenſetur nulla cõfirmatio.* & Rota Romana, *in Terulen. Vicariæ 28. Februarij 1614. coram R. P. D. Buratto*, quæ eſt impreſſ. in recentior. *par. 2. deciſ. 522. verſ. 1.* & eadem Rota, *in Vrgelen. Abbatiæ 14. Ianuarij 1583. coram Illuſtriſsimo Cardinali Seraphino impreſſ. par. 1. deciſ. 598.* idem dixit, & confirmauit.

Azorius par. 2. inſtitut. moral. lib. 6.

Digitized by Google

de 4. decalogi præcepto, cap. 26. q. 8. *Iure communi* (inquit) *non poteſt confirmator confirmare electionem ſine Capitulo*; nomine Capituli comprehendendo etiam conſilium diſcretorum, ſiue prudentum, & ſapientum. Pro qua ſententia citat Archidiac. & Geminian. *in cap. quoniam, de elect. in 6.* Additque limitationem fundatam & ipſam in iure communi, & eſt: *At conſuetudo contraria ſi recepta fuerit, valet, cap. non eſt, de electione, in 6.*

14 Vbi etiam reſoluit † difficultatem, An electus adminiſtrans poſt confirmationem nulliter factam, incidat in pœnas, de quibus *in cap. auaritiæ de electione in 6.* de quibus pœnis fuſè dictum eſt ſuperius cap. 1. nu. 19. & ſeqq. dicendo cum Gloſſa in eodem cap. auaritiæ, *Si per ignorantiam facti credens ſuam confirmationem eſſe validam, adminiſtrauerit, non incidit; ſi verò adminiſtret per iuris ignorantiam, incidit.*

15 Confirmator † tenetur confirmare electum idoneum, niſi ſubſit aliqua rationabilis cauſa, vel aliquod legitimum impedimentum, cap. poſt quam, §. *electio*, vbi Panorm. nu. 1. habet, *Confirmari debet electio ſine dilatione, ſi rectè ſit facta, & de perſona idonea. Et ſi ordinarius confirmator renuat confirmare electum dignũ, poteſt, & debet compelli*, cap. *nullus*, de iure patron. Addens Panorm. vbi ſupra. Cõfirmationem eſſe neceſſitatis, quamuis electio ab exordio ſui fuerit voluntatis, & Silueſt. vbi ſupra, nu. 2. & 5.

In Capitulis Generalibus Ordinis Prædicatorum celebratis Barchinonæ 1574. Romæ 1580. Bononiæ 1564. habetur, *quod confirmator non debet renuere confirmare ritè electum*. Et in text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis, & clarius in declarat. eiuſdem text. ſub littera, I. *Etſi conſtitutio dicat quod Prouincialis Priorem electum confirmabit, ſi ei*

16 *viſum fuerit*: Quod † verbum non deſignat liberam poteſtatem, ſed diſcuſſionem rationis, & arbitrium boni viri. & ideo non debet Prouincialis ſecundũ libitum ſuæ voluntatis, ſed ſecundum iudicium rationis, Priorem electum confirmare. Vnde paulò poſt in eadem declaratione ſequentia leguntur. *Item declaramus, quod Priores Prouinciales electionem canonicè factam non debent niſi ex cauſa rationabili caſſare.* In quo caſu re-
17 ctè dicitur quod † electio eſt voluntatis, confirmatio vero neceſſitatis; Ioann. Andr. *in cap. poſtquam, tit. de elect.* Butr. *ibid. nu. 5.* & omnes communiter.

Electio canonicè facta modo ſupradicto, & præuia informatione, debet confirmari ſine dilatione, *tit. de electione, in princip. cap. poſtquam*, vbi Doctor. & in ſpecie Panorm. *num. 1. & 2.* docent electionem eſſe voluntatis, confirmationem vero neceſſitatis: nam confirmator ex debito iuſtitiæ tenetur confirmare electionem ritè factam, modo ſupradicto, rationem redditurus ſuo Superiori tantum, id requirenti.

18 Si vero confirmator † renuat aliquo humano reſpectu, confirmare electionem de perſona idonea ritè factam, recurrendum eſt ad Superiorem maiorem, qui Confirmatorem compellere debet, vt confirmet electionem in tempore breui eidem præfigendo, iuxta diſpoſitionem iuris: quo elapſo, niſi ſequatur effectus confirmationis, deuoluitur ius confirmandi ad Superiorem maiorem; & eſt communis opinio Doctorum, vt adducit Panorm. *nu. 8.* Super quo extat deciſio ſacræ Rotæ Romanæ, coram Illuſtriſſimo Cardinali Pamphilio, *Legionen. confirmat. Luna 23. Ianuarij* 1617. In qua inter cætera concluditur ex teſtimonijs ſacrorum Canonum, & celeberrimorum Doctorum,
19 quod † *canonicè electus, contra quem non*

extant

extant vrgentia, confirmari omnino debet: & ſi renuat confirmator ordinarius, recurrat ad Superiorem maiorem.

20 Superior regularis priuare † poteſt Electores ritè non eligentes, poteſtate eligendi, etiam illis non citatis, quando notoriè conſtat illis non competere defenſiones, quia ſcilicet elegerunt contra formam à iure ſtatutam, *cap. cum in cunctis*, *§ fin.* & *cap. cum olim*. Panorm. *ibid.* Nauarr. *lib. 6. conſ. tit. de renunc. conſil. 2.* contra illos enim ſententia iam lata eſt ab ipſo iure.

Litteræ patentes Priorum confirmatorum in Ordine Prędicatorum, legi debent in loco publico Conuentus. Valliſoleti. 1605. *ordinat.* 12.

21 Electus de iure † communi, non poteſt confirmari eo inuito: quia cum contrahatur matrimonium ſpirituale vt ſupra dictum eſt; requiritur etiam ex conſequenti conſenſus, non ſolum electorum, ſed etiam electi, ſicut in matrimonio carnali. *cap. innotuit, in primo, de elect.* Panorm. *eodem cap. num.* 13. & Gloſſ. ac

22 alij Doctores, *ibid.* Attamen in † Regularibus, propter ſolēne votum obedientiæ, cum non habeant, nec velle, nec nolle; ſed eorum velle, & nolle, dependeat à voluntate ſui Prælati, ſeruatis ſeruandis, poteſt electus, & confirmatus, compelli ad acceptandum officium, ad quod eſt confirmatus, etiam ſub cenſuris, dummodo renuens non aſſignet cauſam rationabilem.

23 Electus † verò, & ritè confirmatus, non poteſt renunciare poſt quam acceptauerit ſine conſenſu, & licentia ſuperioris. *cap. cum inter Canonicos, in princ.* & Doctores *ibid. tit. de electione.*

Quid ſimile ſtatuitur in Prologo Cōſtitutionum Ord. Prædicatorum text. 3. ſed clarius in declaratione eiuſdem textus, *ſub littera*, O. dum dicitur, *Nullus Prælatus, ſiue Præſidens, poteſt declarare ſeipſum abſolutum ab officio ſuo, propter quamcumque tranſgreſſionem admiſſam. Ita fuit declaratū in Cap. Romano* 1518.

In Ordine Prædicatorum, ex text. 3. cap. de elect. Prioris Conuentualis, & in principio declarationum ſub littera H. ità habetur, *Declaramus, quod Conuentus qui mittit ad Prouincialem, pro confirmatione Priores electi, debet in ſcriptis narrare totum electionis proceſſum, & ſcribere numerum, & nomina eligentium, & ei ſignificare, quod nihil eorum, quæ ad canonicam electionem requiruntur, in tali electione fuit omiſſum.* vbi in text. inter cętera numeratur formatio decreti, *Ego Fr. N. &c.* quod computatur meritò inter ſubſtantialia electionis ſignificanda confirmatori.

24 In Capitulo Neapolitano 1515. declarat. 6. ita habetur, *Declaramus* † *Prouinciales, ac Priores Conuentuales, tempore ſui Prouincialatus ſiue Prioratus, incipere à die acceptationis: Et ita habet conſuetudo in Ord. Prædicatorum.* Hoc idem habetur in declaratione text. 3. de electione Prioris Conuentualis ſub *littera I.* in antiquis: in nouiſſimis enim prædicta declaratio habetur ad text. modo citato, ſub littera L. §. *Tertio quia.* vbi dicitur, *Declarantes etiam, quod quantumcumque aliquis ſit canonicè electus, & confirmatus, ac ſibi factum præceptum de acceptatione, niſi conſentiat, nunquam eſt Prior, neque Prælatus.* Hoc idem habetur in Capitulo Generali Romano 1530. *tit. declarationes, num.* 9. Vbi decernitur tempus Priorum Prouincialium, & Conuentualium, incipere ab hora acceptationis tantum.

Diſpoſitio prædictorum Capitulorum Generalium, neceſſariò venit interpretanda, quoties Priores Conuentuales tempus ſuorum officiorum complent, ante Septuageſimam: nam ſi infra Septuageſimam, & Paſcha contingat

expleri

Digitized by Google

expleri eorum biennium, ſiue triennium; ſi eo anno celebratur Capitulum Prouinciale, præcipuè vero electionis Prouincialis, eorum biennium, ſiue triennium adhuc extendi debet vſque ad Capitulum Prouinciale futurum. Si vero illo anno non celebratur Capitulum Prouinciale, eorum biennium, ſiue triennium protrahendum eſt vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè, ex diſpoſitione Bullæ Iulij II. relatæ ſuperius cap. 5. num. 78.

Si autem Prouincia non habet Prouincialem, quocumque tempore accidat finiri biennium, ſiue triennium Priorum, eorum officium Prioris erit dilatandum, vſquequo fuerit electus nouus Prouincialis. Idem dicitur proportionaliter de Prouincialibus, quotieſcūque Ordo non habet Magiſtrum: tunc debent durare in eorum officijs vſque ad electionem completā Magiſtri Ordinis. Quod totum colligitur ex verbis Bullæ Iulij II. *de temporalitate Priorum, & Prouincialium, in Ordine Prædicatorum,* de qua ſupra.

25 In Prouincia † vero vtriuſque Lombardiæ, ex ſpeciali Priuilegio Leonis X. relato à P. Magiſtro Feſto Vrceano, in Summario maiori Cōſtitutionum eiuſdem Ordinis Prędicatorum *fol. 248. impreſſionis Cremonæ, apud Chriſtophorum Draconium, 1613.* Priores Conuentuales, qui infra, vel circa Aduentum Domini complent eorum biennium, dummodo illo anno celebretur Capitulum Prouinciale, durant in eorum officijs, vſque ad futurum Capitulum Prouinciale: & conſuetudo laudabilis iamq; inueterata, declarauit tempus circa Aduentum Domini, intelligi debere poſt feſtum omnium Sanctorum.

26 Tempus Acceptationis † dicitur in Ord. Prædicatorū, quando poſt apertas litteras patentes ſuæ cōfirmationis, eam publicat, vel locum tenere incipit; exercendo munia Prioris; ſeruata tamen cōſuetudine antiquiori quarundā Prouinciarū, fundata tamen in reali Priuilegio Apoſtolico; alias abuſus eſſet meritò extirpādus, qui eſt vt omnes Priores biennales, tempus ſui officij compleant in Capitulo Prouinciali, quando celebratur illo anno, excepto Prouinciali, qui Sabbato precedenti Dominicam Deus qui errantibus, deſinit eſſe Prouincialis; & illi in Vicarium Prouinciæ ſuccedit in eodem Ordine Prædicatorum Prior illius Conuentus in quo celebratur præſens Capitulū Prouinciale; vti videre eſt in diſpoſitione primi textus, & ſequentium; *cap. de Electione Prioris Prouincialis, diſt.* 2. & clarius ex declarationibus eorumdem textuum, niſi adſit priuilegium aliter diſponens à Sancta Sede Apoſtolica in forma ſpeciali, cū expreſſa derogatione diſpoſitionis Conſtitutionum eiuſdem Ordinis obtentum, quemadmodum habet celebris Prouincia vtriuſque Lombardiæ conceſſum à Paulo III. ſequentis tenoris.

Verba Priuilegij Pauli III. quod conceſſit Prouinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, fideliter relata à P. Magiſtro Feſto Vrceano in ſuo Compendio maiori, tit. *de Vicarijs Prouinciarum cap. 26.* hæc ſunt.

27 *EXponi † nobis feciſti, quod in Capitulo Prouinciali nuper celebrato in domo S. Dominici Brixiæ ſtatutum fuit, vt nullus Prior, etiam Prouincialis, vltra quam per biennium perdurare poſſit in Officio; & in principio Capituli ſecundi anni, officium Prouincialatus terminari debeat, & ex eo principio in poſterū Vicarius Prouinciæ ſit, & remaneat, quouſque Prouincialis alius ſit electus, confirmatus & præſens in Prouincia. Item etiam fuit ſtatutum,*

tum, vt ſi Prouincialis infra tempus ſui Prouincialatus decederet, vel amoueretur, tunc & eo caſu Prior Bononienſis, qui pro tempore erit, vices Prouincialis obtineat, donec Prouincialis alius fuerit electus, confirmatus, & præſens in Prouincia. Et ſupplicari nobis feciſti, vt huius ordinationes confirmare dignaremur &c. Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica per præſentes approbamus, & confirmamus huiuſmodi ordinationes, & ſtatuta, illaq. perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obſeruari debere mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs quibuſcumque &c.

In quo Priuilegio Pontifex Romanus primò concedit ad petitionem Prouinciæ, ne Prouincialis poſſit perdurare in ſuo officio vltra biennium. Secundò, quod in principio Capituli Prouincialis ſecundi anni ſui regiminis expleat prouincialatum. Tertiò, in hoc caſu authoritate Apoſtolica, non obſtante diſpoſitione contraria Conſtitutionū Ordinis Prædicatorum, inſtituitur & conſtituitur Vicarius Prouincię, donec Prouincia pręſentem habuerit nouum Prouincialem. Quartò, occaſione vacantiæ Prouincialatus non obſtante in contrarium diſpoſitione earumdem Conſtitutionum, de quibus ſupra, inſtituitur Vicarius Prouincię in tali caſu Prior Conuentus Bononienſis pro tempore.

Animaduerſiones circa vſum iſtius Priuilegij.

Cum hoc Priuilegiū ſit directè contra ius commune totius Ordinis Prædicatorum, expreſſum in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis; ſecundum quas, & ad præſcriptum quarū reguntur profeſſores dicti Ordinis, vti eſt videre in locis ſupra citatis *cap. de Electione Prioris*

28 *Prouincialis*, † reſtrictè habet locum ſolum ac tantum in prædicta Prouincia vtriuſque Lombardiæ, non autem in alijs, vt communiter tradunt Iuriſperiti, quos refert inter alios Suarez *de legibus lib. 8. de lege humana fauorabili cap. 26. & ſequentibus*. In hoc enim caſu dicunt omnes Canoniſtæ tenorem priuilegij eſſe neceſſario ſeruandum; præſertim ſi priuilegium, ex parte materiæ & obiecti ſtatuat determinatum locum, vtputa talem Prouinciam; nam pro illa ſola, & non pro alijs valet, Iaſ. *in l. Beneficium, num. 18. & 24. ff. de Conſtit. Princip.* Surd. *deciſ. 274. ad fin. cap. 1. & 2. de priuil. in 6.* Gonzalez *ad regul. 8. gloſſ. 55. num. 17.* Rota *deciſ. 663. num. 2. par. 1. re-*
29 *cent.* Accedit quod Priuilegium † ſpecialiter quibuſdam conceſſum, generaliter obſeruari non debet. *l. 3. in fin. C. de legib. l. ius ſingulare. ff. eod.* Rota *in Hiſpalenſ. Decimar. 20. Iunij 1594. Mantic. impreſſ. apud eumdem ſub deciſ. 284. num. 5.* Et in terminis caſus propoſiti, Priuile-
30 gium † conceſſum vni Eccleſiæ, vel Prouinciæ, ſeu loco, nequit trahi ad aliam Eccleſiam, ſiue Prouinciam, vel locum; de quo eſt textus valde notabilis *in cap. cum Capella, de priuileg.*

Nec obſtat quod in Ordine Prędicatorum detur communicatio priuilegiorum inter Prouincias eiuſdem Religionis, vt quod vni Prouinciæ eſt conceſſū,
31 extendatur etiam ad alias. Quia † hoc non habet locum in Priuilegijs exorbitantibus, & quæ rarò conceduntur, vt optimè conſiderauit Rota *in deciſ. 214. par. 2. recentior.* & *deciſ. 55. nu. 14. & 15. par. 2. diuerſ.* & *in Valentina 28. Nouembris 1603. coram Illuſtriſſ. Card. Lancellotto,* & *in Toletana 16. Nouemb. 1605. coram Iuſto.* & *in Mediolanen. 10. Aprilis 1606. coram R.P.D. Coccino.* Et ſi loquatur in materia determinata, ſicuti in caſu propoſiti Priuilegij determinati

ad qua-

Digitized by Google

ad quatuor caſus tantum ſupra enumeratos, ad illos ſolum, & non ad alios trahi poteſt; quemadmodum priuilegium determinatum ad tale tempus, pro illo tantum valet & non pro alio tempore vim habet. Exemplificant Doctores moderni: ſi Papa concederet vti lacticinijs, & ouis diebus prohibitis, in Hiſpania, non extenderetur tale priuilegium ad Italiam vel Galliam; & ita dicunt eſſe aſſerendum de alijs. Inſuper addentes quòd priuilegiũ vni Regno vel Prouinciæ conceſſum eo ipſo cenſetur limitatum ad locum Prouinciæ potius quàm ad perſonas, licet expreſſè de hoc nulla fieret mentio in priuilegio, quia cauſa ipſa conceſſionis priuilegij, vt in caſu noſtro, limitat & determinat locum.

Quam ſententiam ſeu explicationem tradunt communiter Doctores, quam colligunt *ex l. hoc modo, ff. de condit. & demonſtrat.* ita refert Suarez, *vbi ſupra*, Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 24.* & Azorius *par. 1. inſtit. moral. lib. 5. cap. 22. & 23.* ex doctrina multorum textuum, & multiplici auctoritate antiquorum Doctorum, Canoniſtarum, & Theologorum eandem ſententiam amplificatam tuetur ac defendit.

Cuncta hæc ante illos docuerant nonnulli ſummiſtæ antiquiores, præſertim Silueſter *tit. priuilegium, num. 1. 2. & 2.* Tabien. & Armilla, *eodem tit.* & Angelus in ſua ſumma, *tit. priuilegium, nu. 1. 2. & 3.* & Roſella, *eodem tit. priuilegium, nu. 3.* id fuſius pertractat.

Idem priuilegium Pauli III. de
32 quo ſupra, nequit † extendi ad alias Prouincias eiuſdem Ordinis Prędicatorum, niſi ſuper hoc de participatione illius habeant indultum Apoſtolicum, vel viuæ vocis oraculum firmatum propria manu alicuius Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. S. R. E. Cardinalis, eo quod ſit priuilegium quod Iuriſtæ appellant odioſum. Satis enim notum eſt
33 quòd priuilegium diuiditur † in fauorabile & odioſum: & quamuis ſecundum membrum prima facie videatur continere contrarium ei quod explicatur in ratione priuilegij, vt ſcilicet contineat ius ſpeciale quod ad fauorem ſpectet, & non ad odium; priuilegium etiam, quod vocunt odioſum, ſi diligenter expendatur, fauorabile eſt reſpectu eius cui conceditur; reſpectu verò alterius tertij, cui præiudicat, odioſum eſt: vt in caſu Priuilegij, de quo ſupra, quoad Vicariatum Prouinciæ poſt vacantiam Prouincialatus, ſiue terminationem officij Prouincialatus; qui Vicariatus ex vi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum in vtroque caſu competit Priori illius Conuentus, in quo celebratur Capitulum Prouinciale; quo iure expoliatur, virtute dicti Priuilegij, & inſtituitur Vicarius Prouinciæ poſt terminatum officium Prouincialatus, ipſemet Prouincialis, & in caſu mortis, ſeu amotionis Prior Bononienſis. Hoc itaque priuilegium odioſum eſt reſpectu Prioris Conuẽtus, in quo celebratur Capitulũ Prouinciale; & fauorabile ſimul reſpectu Prouincialis, & Prioris Bononienſis. Datur igitur duplex priuilegiũ:
34 quoddam purè † fauorabile, quod ita vni prodeſt & nemini nocet; aliud vero odioſum, quatenus ex fauore vni conceſſo alter ſentit incommodum. ita exponunt multi Iuriſtæ, Bald. *in l. 1. ff. de Conſt. princ. nu. 8.* & Panor. *in cap. quia de priuil. & cap. olim de ver. ſignif.* Silueſt. *tit. priuilegium ad initium*, Angelus, & Tabiena *eodem tit. num. 1.* Ideò reſtringen-
35 dum eſt † priuilegium Pauli III. de quo ſupra, & non extendendum, iuxta doctrinam Nauar. *in ſuo Manuali cap. 12. nu. 79. §. illud autem*, vbi, *ex cap. priuilegia*, adiuncta reſolutione Decij, & aliorum

aliorum iuriſperitorum, concludit idem
36 quod ſupra, priuilegium † ſcilicet odioſum eſſe reſtringendum, *cap. ex tuarum, de auctor. & vſu pall.* Socin. *conſil.* 266. *nu.* 56. *lib.* 2. Seraphin. *deciſ.* 605. *nu.* 2. & *deciſ.* 827. *nu.* 1. Et ratio aſſignari poteſt: nam bonum commune, quod ſecum fert obſeruantia Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, præferendum eſt abſque dubio bono ſingulari, quod concernit vtile vnius perſonæ tantum, non autem vniuerſitatis. Equidem ſi ponderentur mala oritura ex ſucceſſione præteriti Prouincialis in Vicarium Prouinciæ, & bona quæ communitati Prouinciæ prouenire poſſunt, ſi ille fiat Vicarius Prouinciæ, quem inſtituunt Conſtitutiones eiuſdem Ordinis, maiorem vtilitatem ſentiet Prouincia ex hoc ſecundo.

Tenor itaque priuilegij ſeruandus eſt, nec aliter poteſt interpretari ſiue
37 extendi † ad alias Prouincias, maximè cum non ſit conceſſum motu proprio, ſed petente eadem Prouincia cui conceſſum eſt, non detorquendo verba, & ſignificationem propriam eiuſdem priuilegij: ſic enim poſtulat ratio & rectus modus interpretandi priuilegia, quæ odioſa appellantur. Quæ interpretatio fouetur ex traditis *l.* 1. §. *fin. ff. de iur. immunit.* Abb. *num.* 6. Felin. *in cap. cauſam quæ, col.* 10. *de reſcript.* Surd. *conſ.* 140. *nu.* 59. Quod etiam ampliari poteſt, quod cùm ſit ſtricti iuris, ideo non eſt extendendũ ad perſonas in illo minimè nominatas; *cap. P. G. de offic. deleg.* Rot. *in deciſ.* 214. *nu.* 3. *par.* 2. *recentior.* Imò cum in iure conſtitutum reperiatur, vt priuilegia intra ſuos terminos ſe debeant continere, *cap. porro, cap. cum capella, de priuileg.* ideo in priuilegijs non ſit extenſio de cauſa ad cauſam, nec de perſona ad perſonam, etiam ex indentitate rationis, *cap. priuilegium*, & *ibi* not. *de reg. iuris in* 6. not. *in Clem.* 1. *de cenſib.* Thomas Grammat. *deciſ.* 28. *num.* 31; Bart. & ſcrib. *in l.* 1. *ff. de conſtit. Princip.* Peregr. *de iure Fiſci lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 2. Adeo vt verba priuilegiorum non plus operentur, quàm ipſa ſonent, *cap. porrò, de priuileg.* Alex. *conſ.* 860. *num.* 2. *lib.* 1. Seraph. *deciſ.* 605. *nu.* 2. ea ratione, quia ex ipſis verbis colligitur quòd Papa voluerit concedere, Menoch. *conſil.* 245. *nu.* 3. Ludouiſ. *deciſ.* 159. *nu.* 10.

Eo magis, quia cùm in petitione fiat mentio tantum Prouinciæ Lombardię, conceſſio debet referri tantum ad petita; & Principis reſponſio intelligitur ſecundum ſupplicata, & petita, *cap. inter, in fin. de fid. inſtrum. l. ſi defenſor.* §. 1. *ff. de interrog. action.* Menoch. *conſil.* 33. *nu.* 14. Surd. *conſ.* 49. *nu.* 24. & *conſ.* 357. *nu.* 34. Rota *deciſ.* 687. *nu.* 6.

Ex quibus facillimè reſoluitur obiectio eorum qui dicunt extare priuilegium in Ordine Prædicatorum, vt quòd eſt conceſſum vni Prouinciæ, intelligatur cõceſſum omnibus Prouincijs eiuſdem Ordinis; dicendo quòd hoc eſt
38 intelligendum † de priuilegio fauorabili tantum; ſiue de illo, quod non eſt cõtra diſpoſitionem Conſtitutionum eiuſdem Ordinis; vel de illo quod eſt conceſſum motu proprio ipſius ſummi Pontificis Romani. Quod optime cognouerunt Prouinciæ eiuſdẽ Ordinis Prædicatorum: nam in caſu vacantiæ Prouincialatus per mortem vel amotionem, Prior illius Conuentus, in quo erat aſſignatum Capitulum Prouinciale, effectus eſt, ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum locis ſupra citatis, Vicarius Prouinciæ.

Et ad aliam obiectionem quod Pri-
39 uilegium † poteſt acquiri abſque Principis conceſſione, ſed ex ſola conſuetudine. Reſpondetur primo, quòd contra diſpoſitionem Conſtitutionum Ordinis

dinis Prædicatorum nulla dari poteſt vera & rationabilis conſuetudo, vt habetur in Proœmio earumdem conſtitutionum, & fuſius demonſtrabitur rationibus, & validiſſimis argumentis, cap. 20. huius tractatus. Secundo ad idē reſpondetur, quod priuilegium ſignificat quamdam exceptionem à lege, vel ius aliquod ſupra legem, quod poteſt condere ſolus auctor legis, vel ſuperior. Et ſi recurras ad tacitam vel interpretatiuam voluntatem Principis vel Superioris, obijciam tibi illud commune iuriſperitorum axioma, quod Princeps ſiue Superior non præſumitur, quemadmodum nec tenetur, ſcire ſpecialia facta, vel conſuetudines ſingulares, Rota *in Toletana annatarum* 23. *Ianu.* 1589. *coram Orano*; de qua deciſione Theodorus de Rubeis *ſingular. par.* 1. *fol.* 295. *num.* 6. Igitur ſpecialis conſuetudo non inducit tacitam voluntatem Principis, vel Superioris, præſertim vbi conſuetudo eſt contra legem manifeſtè, vt in caſu noſtro. Non tamen nego cum ſenſu vniuerſali Iuriſtarum dari poſſe in aliquibus caſibus, (etſi non in caſu relato) conſuetudinem ſufficientem inducere priuilegium; quando ſcilicet conſuetudo talis eſt, vt ratione illius liceat, quod liceret per priuilegium; quæ conſuetudo debet eſſe immemorabilis Iaſ. *in l. de quibus, col. fin. ff. de legib.* Decius *conſ.* 141. *nu.* 2. *& conſ.* 185. *num.* 172. Mareſcott. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 100. *nu.* 8. Mohed. *deciſ.* 2. *de conſuetud. alias* 209. maxime de iure canonico, & quādo agitur de priuilegijs perſonarum eccleſiaſticarum, gloſſ. & Doctor. *in cap. clerici, de iudic.* Mareſcott. *dicto cap.* 100. *num.* 26. Ad quam probandam requiruntur nonnulla, quæ maxima cum difficultate inueniri poſſunt; de quibus Maſcardus *tom.* 1. *concluſ.* 423. *&* 429. & immemorabilitas ferè nunquam ſufficienter probatur.

40 De iure communi † tempus conſentiendi electioni, vel confirmationi, eſt vnus menſis, à die intimationis factæ confirmationis, *cap. quam ſit, tit. de electione in* 6. Gloſſ. *ibidem*.

41 Caſſata confirmatione, † vel caſſa annunciata, propter defectum iuriſdictionis confirmatoris, vel propter ſolemnitatem ab eo omiſſam, non ex hoc electio caſſa dicitur; *cap. ſi confirmationem, in* 6. *de electione*.

42 Si ab electione † Cathedralis Eccleſiæ, vel Regularis, in ſcriptis, & rationabiliter ab Electoribus appelletur ad Papam, prædicta appellatione pendente, ſi electus confirmetur à confirmatore ordinario, confirmatio talis nulla eſt, *cap. ſi poſtquam, in* 6. *de electione*, vbi Gloſſa, de electione quæ ſuſpenſa fuit, de qua in dicto cap. ait: *Suſpenſa fuit propter appellationem, iuriſdictio Superioris, vel Iudicis inferioris: ideo non potuit Metropolitanus electum confirmare*. Immo ſi talis electus, & confirmatus ab Ordinario, ſe ingerat adminiſtrationi, perdit ius ſibi acquiſitum ex electione, niſi appellans renunciet in ſcriptis ſuæ appellationi, ibidem Doctores.

Quando Electores eligunt nominatum, ſufficienter in ſcrutinio præcedentis electionis iam caſſatæ, antequam de nouo rehabilitatus fuerit, eorum electio in Ordine Prædicatorum eſt nulla, & poteſtas prouidendi de Priore deuoluitur ad Prouincialem, de electione Prioris Conuentualis, tex. 2. *ſub littera I.* & Gloſſ. *ibidem*, vbi citatur Capitulum Generale apud Montem peſſulanum 1271. & apud Florentiam 1272.

Bañes *de iure, & iuſtitia, tit. de acceptatione perſonarum, q.* 63. *art.* 2. expreſsè

43 docet. *Confirmatorem poſſe, & debere confirmare electionem factam de digno; etiam vbi dignior pretermiſſus eſt, dummodo di-*

do dignus ſit magis gratus Electoribus, quia moraliter erit etiam magis vtilis vnitati, & paci communitatis; & ijs circumſtantijs, hic, & nunc, dignior cenſetur vt plurimum; quod eſt cautè, & ſincerè obſeruandum, omni poſtpoſito humano reſpectu.

Tempore Reuerendiſſimi Generalis Beccariæ in Conuentu, M. habente curam monialium, Prouinciæ Romanæ, fuit concorditer à maiori parte vocalium electus in Priorem dicti Conuentus P. F. N. qui cum non haberet ætatem 40. annorum, quæ etas erat neceſſaria iuxta diſpoſitionem ordinat. ſecundæ Cardinalis Alexandrini, propter curam monialium: re delata ad Generalem, præhabito ſuper hoc maturo conſilio Patrum, caſſauit electionem, quia erat contra diſpoſitionẽ ordinationis præfati Cardinalis; nullamq. & irritam illam declarauit; & ad cautelam rehabilitauit Electores, vt procederent ad nouam electionem, prout de facto proceſſerunt. Potiſſimè vero, quia in dicta ordinatione nullum eſt decretum expreſſum irritans, neque fit mentio de
44 priuatione vocis † Electorum, quæ eſt neceſſaria non implicitè tantum ſed potius explicitè, ac expreſsè, vti faciunt canones quando hoc intendunt, *tit. de electione, & electi poteſtate*. & multæ ordinationes Capitulorum Generaliũ, quando id præcipiunt, hoc etiam exprimunt, quod eſt neceſſarium in materia odioſa, & pœnali: nam vt refert Panor. *cap. cum in cunctis, num. 6. Pœnam priuationis vocis incurrunt Electores, quando eligunt ſcienter indignum*; ſcilicet illegitimum, ignorantem, & non habentem ætatem. Si vero eligant habẽtes alios defectus præter nominatos in canone ſupra citato, *cap. cum in cunctis, §. clerici ſanè*, non incurrunt pœnam de qua in eodem capitulo. Ratio eſt, inquit Panorm. *quia id iure non cauetur*. Vnde cum verſentur in pœnalibus, ſi iura non exprimant nullitatem, & priuationem ſimul, non incurritur vtrumque, ſed illud tantum de quo fit in iure communi, vel particulari mentio, clara, ſiue expreſſa. Quapropter de rigore, quando leges, maximè particulares, prohibent aliquem actum ſtrictius, interpretandæ veniunt de illo ſolum, de quo fit mentio in dicta lege: ſi de confirmatione, venit prohibita confirmatio tantum, ſi de electione, & confirmatione ſimul, vtrumque cenſetur prohibitum. Exemplum horum, clarum, & expreſſum habemus in ordinat. 5. & 6. Cardinalis Alexandrini, de quibus ſupra; in quibus declaratur nulla electio, & priuati voce qui egerint contra diſpoſitionem ſextæ Ordinationis.

Vbicumque verò nulla extat pœna expreſſa de Electorum priuatione, nulli dubium eſt, quod non poſſit agi de illorum priuatione: nam ſuperius oſtenſum eſt aliquos poſſe eligi, ſed non confirmari; & pœna vlterius non progreditur.

Si aliquis in Ordine Prædicatorum, à maiori parte eligitur, & tamen ratio-
45 nabiliter † contradicitur tali electioni, non debet confirmari electus quouſque contradictiones audiantur, & remoueãtur; Valentiæ 1337. in declarat. text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis.

Si aliquis in Ordine præfato eligatur,
46 habens † litteras Magiſtri Ordinis, quod non poſſit cogi ad ſuſcipiendum onus Prioratus, etiam quod confirmetur à Prouinciali, niſi conſentiat confirmationi; talis non eſt abſoluendus; ſed ſufficit quod electio caſſetur, ad hoc vt Electores poſſint de nouo procedere: in Capitulo Generali apud Victoriã 1321. & apud Tholoſam 1304. vt latius in declaratione, vbi ſupra.

Ex Capitulo Generali Valliſoleti 1604. ordinat. 12. habetur. *In Prouincijs, in quibus hactenus patentes litteræ confirmationum Priorum in Capitulo legi non conſueuerunt, deinceps legantur coram Fratribus, in refectorio, vel Capitulo; notando in eiſdem litteris, diem, & horam, quibus fuerunt intimatæ.* Quæ ordinatio ideo edita fuit, vt tollatur omnis ambiguitas Fratribus de ſuo Priore, & vt ſciant omnes tempus determinatum ſuæ confirmationis, & per conſequens, tempus durationis Prioris. Valliſoleti 1605. ordinatione 13.

Inſuper; *Ne multa à RR. A. PP. Prouincialibus præuiſa, memoria labantur, vtq. falſificationibus litterarum omninò oſtium occludatur: Mandatur omnibus Prouincialibus, vt librum habeant, Regeſtum nuncupatum, in quo præcipuè res, & acta eorum annotari debeant, inter quæ connumerantur confirmationes Prælatorum, ſiue illorum inſtitutiones, & ſimilia.* ibidem.

Doctores in *cap. indemnitatibus*, con-
47 corditer docent † inquiſitionem faciendam a confirmatore, ante confirmationem de perſona electa, vel de proceſſu electionis, debere fieri ordinarie ſine ſtrepitu, & figura iudicij; licet poſſit fieri via iuridica, vt clare docet præcitatus textus *cap. indemnitatibus*. Quamuis in eodem textu expreſsè habeatur ſermo de electione Monialium; communis tamen opinio Doctorum habet, eſſe hoc prorſus extendēdum ad electiones quoque virorum, vt diſcordiæ, & lites amoueantur, & quamcitius terminentur; & id docent per ſequentia verba, *Hodie eſt commune etiam in electionibus virorum, vt ſic lites citius terminentur*, Clement. diſpendioſam, de Iudic.

In Conſtitutionibus Ord. Prædicat. *diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis in declarat. tex. 2.* vbi ponitur exemplum de eligentibus nominatū in priori ſcrutinio, antequam rehabilitetur, fit expreſſio quod electio eſt nulla, & ius prouidendi deuoluitur ad Prouincialem. Quando verò eligunt antequam confirmator dicat, caſſo electionem, etiamſi dicat, *Ite, eligite alium, quia iſtum nolo confirmare*; tunc electio eſt nulla: neque tamen ad Prouincialem deuoluitur ius prouidendi, ſed iterum eligere poſſunt electores alium Priorem.

Eligentes indignum, de quo in cap. *cum in cunctis*, remanent priuati voce in eadem electione, *cap. cum in cunctis, cap. Vintonien. & c. de electione*. Panor. in præcitatis capitulis. Gloſ. & Doct. *ibid.*

48 Quoniam vero † ad Superiorem, qui eſt etiam confirmator, pertinet aliquando diſpenſare ſuper aliquibus quæ accidunt in electionibus, pauca hæc ſequentia, ſed neceſſaria ad materiam diſpenſationis pertinentia, hic apponuntur.

Omnis diſpenſatio requirit cauſam veram, & realem, & vrgentem, aliter non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio; Ita tradunt Sacri Canones, Gloſ. & Doct. maxime in *cap. cum ad monaſterium.* tit. de ſtatu Regul.

Diſpenſatio autem ad vnum, extenditur etiam ad conſequutiua ad illud, Gloſ. in cap. *quia in tantum*. de præben. & in cap. *Si quis in clerum*, 7. q. 1. & Hoſtien. in cap. *poſtulaſti*. de Reſcriptis.

Diſpenſatus vero in minori dignitate, vel prælatura, non eſt diſpenſatus ad maiorem, cap. *cum Vintonien.* in prin. de elect. Panor. ibid. num. 8. & alij.

Diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas, non intelligitur diſpenſatus ad dignitatem Epiſcopalem: nam vt Sacri Canones tradunt, & dicunt Doctores; Diſpenſatio eſt ſtricti iuris, quemadmodum diſpenſatus ad dignitatem Epiſcopalem, talis diſpenſatio non extenditur ad dignitatem Archiepiſcopalem.

Animaduertendum eſt etiam, quod diſpen-

Google

diſpenſatio facta ſine cauſa rationabili non valet; *cap. dudum, tit. de electione, in princ.* Panorm. ibid. num. 38. *hoc enim importat* (inquit Panorm.) *verbum diſpenſare, ideſt ſemper præſuppoſita cauſa rationabili*. vbi allegat Innoc. *in cap. cum monaſterium*. de ſtatu Regul. & multos Canones, ac Doct. & Gloſſ.

49 Quando confirmator efficitur † Prouiſor de Prælato in aliqua Prouincia, vel Conuentu, ob caſus, in iure, vel Conſtitutionibus expreſſos, tenetur tunc dare in Priorem Prouincialem, vel Conuentualem, perſonam timorem Dei habentem, quæve ſit pro regimine dicti Conuentus, vel Prouinciæ melior, penſatis omnibus penſandis. Caiet. in ſua ſumma *verb. electio*.

Si confirmator, quando eſt Prouiſor, de indigno prouideat, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter hoc accidat, abſoluendus venit talis ab eo prouiſus, & ius prouidendi de nouo Priore, ſiue Prælato reuertitur ad Vocales iam pro vna vice priuatos, prout *in cap. Vintonien. tit. de elect.* & Mandagott. *tract. de elect. nouorum Prælatorum, cap. 9. ſub littera P.*

Quæ ſuperius recenſentur de Con-
50 firmatore, potiſſimè vero † quando euadit non ſolum confirmator, ſed prouiſor, cuncta extendi debent ad Prouincialem, & Diffinitorium Fratrum Minorum, & aliorum Regularium, ſiue ad Generalem, & Diffinitorium Capituli Generalis, quando Prouincijs, locis, & monaſterijs ſui Ordinis, nulla præuia electione canonica, ſecundùm eorum Priuilegia, & Statuta, auctoritate Apoſtolica confirmata, prouident de miniſtris Prouincialibus, ſiue Guardianis, vel Rectoribus Conuentuum, domorum, & locorum: nam cum vtrobique inueniatur eadem ratio, ideo eiſdem etiam adſtringuntur legibus, ſecundùm communiorem Doctorum ſententiam.

In Prouincia Romana, & Lombardiæ, Suppriores Conuentuum, in Or-
51 dine Prædicatorum, tenentur † poſt quatuor dies à receptione confirmationis, illam fideliter, ac celeriter remittere ad manus Prioris cõfirmati, ne Conuentus patiatur, ob vacantiam ſui Prælati, Ordinat. 11. Cardinalis Alexandrini. Quod eſt conforme ad ſacros Canones editos per Gregor. X. in Concilio Lugduneñ, vt electiones, & confirmationes præſententur quam cito, ſub pœnis ſtatutis contra negligentes. Et Nicolaus mandauit dictam præſentationem fieri intra octo dies.

Quia vero confirmatio non tribuit validitatem electioni, propter eſſentia-
52 les defectus annullandæ; ideo † niſi confirmatio fiat ex certa ſcientia, ab habente poteſtatem ſupplendi omnes defectus, etiam eſſentiales, electio annullanda non recipit vires per confirmationem factam in forma communi; *cap. quod ſicut, de elect. §. etiam confirmata*, Doctores, *ibidem*, & clarius *cap. examinata, tit. de confirmat. vtili, & inutili*.

Sciendum eſt ex diſpoſitione cap. *ne pro defectu*, quæ eſt Conſtitutio Generalis Concilij Lateraneñ, ſub Innoc. III. tit. de electione, & electi poteſtate, *Si*
53 *illi † ad quos ſpectat electio Prælati Cathedralis, vel Regularis Eccleſiæ, intra terminum ſibi aſſignatum à iure communi, vel particulari, non actu, canonicè aliquem elegerint, dummodo hoc proueniat ex ſola eorum negligentia, tranſacto ſtatim tempore ſtatuto, deuoluitur ius prouidendi ad proximum Superiorem.*

Quæ deuolutio, vt optimè animaduertunt Doctores, ad initium præcitati cap. reſtringitur tantum ad caſum negligentiæ; qui Superior immediatus in eo caſu, & non in alio, habet tantũ tempus ad prouidendum, quantum Electores habuerunt ad eligendum; quo caſu,

prouiſio Superioris habet locum,& vim electionis, & confirmationis, vt optumè notat Panorm. *vbi ſupra,num.* 3. *&* 4.

Si vero aliunde proueniat, quod Electores tempore ſtatuto non eligant, remoto ſemper legitimo impedimento, eos iuſtè detinente;tunc,& eo caſu prouiſio deuoluitur ad Papā, vt *in cap. quanquam, eodem tit. de elect. in* 6. & *ibi* Gloſſ. *ver. deuoluetur* : nec requiritur aliqua ſententia, ſed ex iuris diſpoſitione fit ipſo facto deuolutio, modo ſupradicto.

In Ordine vero Prædicatorum, vbi ſtatuitur tempus vnius menſis, pro eligendo aliquo in Priorem canonicè, alicuius Cōuentus, computandi à die notitiæ vacantiæ, qui menſis computabitur ſecundùm Calendarium, vt colligunt Mandagott. *de elect. cap.* 18. & Boerius *ad idem cap. ſub littera i*, ex multis textibus ſacrorum Canonum. Si Electores ex ſola eorum negligentia contempſerint aliquos actus electionis, quidam credunt quod non ſolum in caſu negligentiæ; ſed in omni etiam caſu, quo Electores alicuius Conuentus non eligant infra menſem, ius prouidendi deuoluatur ad Prouincialem, iuxta diſpoſitionem textus 111. cap. de elect. Prioris Conuentualis, vbi ſub littera M, leguntur ſequentia: *Si non elegerint infra menſem, Prior Prouincialis prouideat*. Sed cùm verba Cōſtitutionis, neceſſariò debeant interpretari per ius commune, maxime vero in materia electionis, in qua non licet quicquam ordinare, quod ſit in totum, vel in partem diuerſum, ſiue contrarium diſpoſitioni iuris communis, iuxta tradita *in cap.* 1. *ſuper his, tit. de maior. & obed.* Quod etiam clarius expreſſit Nauarr. *tom.* 1. *conſiliorum,lib.* 1. *conſ.* 5. *nu.* 1. & fuſius demonſtratum eſt cap. 1. huius tractatus. Quapropter verba præfati textus Conſtitutionis, veniunt referenda ad caſum negligentiæ tantum: Ita etiam illa, quæ leguntur in Capitulis Generalibus, ſuperius citatis. *Quod ſi Electores non elegerint infra menſem, etiam quod multos actus fecerint, ius prouidendi deuoluatur ad Prouincialem*; quibus addendum eſt, *dummodo tamen id proueniat ex eligentium negligentia, & non aliunde*.

Si vero accidat caſus, vt Superior immediatus, vtputa Prouincialis, cognita diſſentione, & diſcordia Vocalium, quantum in ſe eſt non occurrerit de opportuno remedio, vt Electores aliquem dignum infra menſem eligant; in ſpecie vero deſtinando virum prudentem in Vicarium electionis, eo quia Vocales in magna diſcordia, ſufficienter probata inueniantur; quia ſcilicet pluries ad actum electionis proceſſerunt, ſed propter diſcordiam neminem elegerunt: Ex diſpoſitione ſiquidem Capitulorum Generalium antiquorum, & modernorum, ad hunc effectum conceditur facultas Prouincialibus prouidendi de Vicario electionis, vt electio de nouo Priore, cum pace, & quiete celeriter fiat. Si vero omittat ſcienter, vel culpabili ignorantia, hoc non eſt attribuendum ſimpliciter neglıgētiæ Electorum, ſed Prouinciali potius imputandum eſt: quo caſu, nedum in pœnam ſuæ negligentiæ, verum etiam attenta diſpoſitione præcitati Canonis continentis Conſtitutionem Conciliarem editam in Concilio Lateranenſi, de qua paulò ſuperius, ad illum nullatenus ſpectare debet prouiſio de nouo Priore.

Nam Gloſſ. *in præcitato cap. ne pro defectu*; inquit, *Nota quod per negligentiam amittit quis ius eligendi*. Ita à ſimili confirmator, ſi contra illum agatur de negligentia, ius deperdit prouidendi, cum in locum eligentium tunc ſubſtituatur. Quæ omnia magis declarantur ex contentis in declarat. text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis in Ordine Prædicato-

dicatorum, in quo ſequentia leguntur: *Declaratum fuit in Capit. Romano 1542. quod ſi Vocales fuerint diſcordes, & pares in electione Priorum, ſi infra menſem fecerint aliquem electionis actum, quamuis nullus egrediatur electus, non propterea deuoluitur auctoritas ad Prouincialem, prouidendi de Priore, & ſic Priores taliter prouiſos, decernimus non eſſe Priores.* Verba iſtius declarationis ſunt ſubtilius ponderanda; neque minimam contrarietatem habēt cum illis declarationis Capit. Generalis Rom. 1601. nam prima declaratio loquitur infra, ſeu intra menſem electionis; ſecunda verò, elapſo iam menſe electionis.

Hinc eſt quòd immediatè ſubdit, *Sed tranſacto menſe prædicto, ſi ex culpa, vel defectu Electorum, electio non fuerit infra illū menſem canonicè facta, poteſtas prouidendi de Priore ad ipsū Prouincialē deuoluitur.* Et in Cap. Generali Romano 1530. tit. declarationes, num. 2. expreſſe dicitur: *Si aliquo caſu, & legitimo impedimento occurrente, Electores non elegerint; præcipiat illis Prouincialis, vt infra certum tempus ritè eligant: quod ſi non elegerint, tunc, & non antea prouideat Conuentui de idoneo Priore.* Fateor quidē hoc vltimum proponi, non tamquam neceſſarium, ſed ſolùm vt valde expediens, atque conueniens: optimum tamen erit, præſertim quando caſus non fuerit plenè clarus, ſed turbidus, vt Superior, & confirmator non celeriter, ac in rigore, ſuo vtatur iure, ſed pro aliquo breui tempore mandet vt iterum eligentes procedant ad electionem; quo caſu ſi nullus euadat ritè electus, cum maxima iuſtificatione poterit prouidere quamprimum de Prælato, ſiue Priore.

Cùm igitur ſtandum ſit declarationibus factis in Capitulis Generalibus, quæ nihil noui præcipiunt, ſed ſolum, & tantum textum Conſtitutionum declarant, eſt euidens, quod caſus primus ſuperius adductus, quando Electores procedunt, & ſunt diſcordes, vel pares in electione, non debeat imputari Vocalibus, neque eorum negligentiæ adſcribi, niſi adhibitis remedijs paulò ante memoratis.

Quod totum ſapienter animaduertens Magiſter Fr. Petrus Martyr Vrceanus in ſuo Summario maiori Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, vir quidem ſapientia, & morum bonitate egregius, quem ob ſuas præclaras dotes ſingulari affectu ſum ſemper proſecutus, ad calcem cap. 8. partis 3. ſui Summarij; quod caput inſcribitur *de tempore electionis*; ſed clarius cap. 10. manifeſtis verbis aſſerit, ob negligentiam Electorum deuolui auctoritatē prouidendi de Priore ad Prouincialem. Vbi etiam citat *cap. ne pro defectu*, & oſtendit ad diſpoſitionem iuris communis traditi in dicto capit. redigenda eſſe cuncta, & ſingula circa hoc tradita à Conſtitutionibus, & Capitulis Generalibus, Ordinis Prædicatorum. Quo caſu, ſi aliquo accidenti eueniat vt electio, ſiue prouiſio facta per Superiorem, ſuo careat effectu, poteſtas eligendi iterum reuertitur ad primos, & cōſuetos Electores. Armil. *verb. electio, num. 12.* pro quo cumulat etiam multos textus, & auctoritates Doctorū. Hanc quoque difficultatem proponit, & ſoluit Antonius de Butr. *cap. bona, tit. de elect. num.* 84. per ſequentes propoſitiones.

54 Prima igitur propoſitio † eſt: *Siue in caſu negligentiæ, ſiue in caſu delicti aliquorum Electorum eueniat, vt tranſactis tribus menſibus Electores neminem canonicè elegerint, poteſtas prouidendi ad proximum Superiorem deuoluitur; vt patet in cap. cum in cunctis, §. fin. & de conceſſion. prabend. cap. 2. & in cap. ne pro defectu.*

Secunda, *In caſu vero delicti totius Capituli,*

pituli, poteſtas deuoluitur ad Papam, vt late probat Gloſſ. in cap. cum in cunctis, verſ. Clerici.

Tertia, per modum illationis infertur, *Non reperitur ergo diſpoſitum, quod deuoluatur ius prouidendi ad proximum Superiorem, niſi in caſu negligentiæ, per cap. ne pro defectu: ergo in alio caſu perſiſtere debemus in antiquo iure, vt deuoluatur poteſtas ad Papam.* hæc ille.

Si quis autem objiciat ſtylum, conſuetudinem, ſiue vſum contrarium, vt quando Electores non elegerint intra menſem, electio deuoluta fuit aliquando ad immediatum Superiorem in Ordine Prædicatorum, nullo habitu reſpectu, An hoc proueniat ex negligentia Electorum, ſiue aliunde.

Reſpondendum eſt primo, quod ex deciſionibus quamplurimis ſacræ Rotæ Romanæ, præcipuè vero, *Burgen. de Cudeyo Veneris 3. Iunij 1594. coram Illuſtriſſimo Cardinali Mantica,* canonizatur illa communis Doctorum ſententia, qua aſſerunt *omnem conſuetudinem ſacris Canonibus inimicam, non eſſe ſeruandam,* iuxta text. *cap. cognouimus, 12. q. 2.* Abbas *in dicto cap. num. 2. & 12.* Vnde cum illa adducta in argumento ſit huius ordinis, non eſt alicuius valoris.

Secundo omnis conſuetudo debet eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta ad minus 40. annorum ſpatio, *cap. cum Eccleſia, de cauſ. poſſeſſ. cap. auditis, de præſcrip. & cap. vltimo, in fin. cum Gloſſ. in verb. legitimè præſcripta, de conſuetudine,* Decius *conſ. 134. num. 1. verſ. & in caſu noſtro.* Quæ præſcriptio eſt difficillimæ probationis, ad quã inter alia requiritur ſcientia Principis, ſiue conditoris Legum. Io. Andr. *de Regulis iuris, in 6. regul. 79. num. 9. & cap. cum venerabilis, de conſuet.* Butr. *ibid. nu. 21.* Papa, neque Princeps in animo habet concedere quæ ignorat, *cap. 1. de Conſtit. in 6.*

Tertio, neque ſtylus Curiæ Romanæ poteſt allegari, vbi reperitur ius in contrarium; in additionibus ad deciſiones, ſiue quæſtiones Capellæ Tholoſanæ, *deciſ. 115. num. 3.* Io. Andr. *in tit. de regul. iuris, in 6. reg. 79. Nemo poteſt plus, num. 3.* expreſsè inquit: *Conſuetudo omni iuri contraria non valet.* pro quo citat multos text. imò illam appellat irrationabilem. In ſpecie extat *cap. mala, & cap. fruſtra, diſt. 8.* Et quantumcunque diuturna, extirpanda venit. cap. fin. extra, de præben. cum ſit potius dicenda corruptela. Quid ſimile traditur *in cap. ad audientiam, de conſuet.* Io. de Anan. *cap. cui tanto, de conſuetud.* aperte inquit, num. 1. *Nullam conſuetudinem rationabilem dari contra legem Superioris.* Citat pro ſe *cap. cum venerabilis;* & Gloſſ. *ibid. & cap. 1. de tregua, & pace;* & *cap. 2. de maior. & obed.* ac Gloſſ. *ibidem.*

Quartò reſpondetur, quod conſuetudo non facit aliquem capacem actus, cuius ille per ſe eſt incapax: *cap. quanto, de conſuetud.* Abbas *ibid. num. 2.* Io. And. *in cap. 2. de præben. in 6.* Sed in caſu ſolius negligentiæ Electorum, redditur capax Superior immediatus, actus prouidendi de Prælato, vel Priore; in alijs autem caſibus hoc competit Papæ. Igitur attenta diſpoſitione iuris communis, preciſè Superior immediatus, eſt incapax prouiſionis noui Prælati extra caſum negligentiæ. Ex benignitate tamen Apoſtolica conceſſum eſt Ordinibus Mendicantium, & alijs, vt videre eſt in eorum Priuilegijs, & Conſtitutionibus confirmatis per Sedem Apoſtolicam, conceſſum eſt Superioribus Ordinum, & Prouinciarum, vt quoties Electores non elegerint tempore ſtatuto, vel ſi nulliter elegerint, ad tollendos Fratrum diſcurſus, & ad alia remouenda incommoda, vt ipſi Superiores Regularium prouidere poſſint; vt ſuperius in hoc

cap.

cap. probatum eſt, & vt teſtantur inter alios Hoſtien. *in ſumma, lib. 1. tit. de elect. nu. 27.* & S. Antonin. 3. *par. tit. 19. cap. 4. ad initium*.

Anton. de Butr. *ſuper prima primi Decret. tit. de elect. cap. cum dilecti, num. 63.* ex profeſſo diſputat, An contra electum confirmatum, admittatur aliquis per exceptionis viam. & poſt quamplures citationes textus, & Doctorum celeberrimorum, reſoluit propoſitam difficultatem per ſequentes Concluſiones.

Prima, *Si quæratur de nullitate ipſius electionis, quoad infringendam confirmatio-*
55 *nem, Dico † quod quædam eſt confirmatio*
non contentioſa, ideſt, quæ fit extraiudicia-
liter, non aſſumpta cauſæ cognitione, non ci-
tato hoc, vel illo; & ſic fieri poteſt, licet de
neceſſitate præmittatur citatio. Quo caſu,
quando ſcilicet quatenus ſimplex confirma-
tor, vt dicitur in Clement. 1. de officio, &
poteſtate iudicis delegati, tunc quoque poſt
ipſam confirmationem, poteſt contendi nul-
litas electionis, & poteſt peti retractari,
etiam quod valeat talis confirmatio. Pro
qua opinione citat Compoſt. *in cap. quod*
ſicut, de elect. & Innocent. *in cap. conſti-*
tutus, de appell.

Secunda, *Alia eſt confirmatio contentioſa, ſuper qua proceditur iudicialiter; & tunc oportet quod in ipſa interueniat cauſæ cognitio, & abſque ea non valet confirmatio, C. de iud. l. iudices, C. quomodo, & quando. Innoc. in cap. ſupracitato. Cum dilecti.* (Vnde ſubdit Butr.) *& dic, quod hæc, ſcilicet confirmatio, obtinet vim ſententiæ, & facit electum haberi pro Prælato; non tamen facit ipſum verè Prælatum, ſi ſubeſt in electione realis defectus naturalis, quia hunc defectum ſententia non poteſt ſupplere. Sententia enim ad ſummum, ſupplet tantum defectum poſitiuum.*

Tertia tandem concludit, *Numquid autem poſſit opponi, vel poſt ſententiam? Hic videtur caſus; quod ſtatim explicatur.*

Quarta, & vltima igitur erit. *Si vero confirmator non ſolemniter inquiſiuit, neque de certo crimine, vel defectu ſolemnitatis, vel perſonæ, ſed in genere tantum, adhuc poßet de omiſſis criminibus, vel defectu perſonæ inquiri, vel agi; ſed de defectu formæ, non, quia de ea debet ſemper ſpecialiter inquiri. Si autem fuiſſet ſtatutum tempus, ad opponendum ante confirmationem, eo caſu opponens nõ eſſet audiendus niſi ſecundum formam decr. qui. ma. actus poſſunt. cap. 1. Innoc. in cap. cum dilecti.*

Dominicus Bañes, *in ſuis deciſ. de iure, & iuſtitia, tit. de iudicis iuſtitia, q. 67. art. 2. in reſp. ad 2. arg.* ab eo propoſitum in comment. eiuſdem art. inquit.

Ad 2. Negatur conſequentia, & ratio
56 *eſt, quia confirmator ex officio, habet † ius*
confirmandi, vel caſſandi electionem, prout
ſibi videbitur expedire pro bono communi;
ita prorſus, vt ſicut Electores liberè eligunt,
quem ipſi iudicant eſſe dignum ſcientia pri-
uata, ita confirmator legitimè confirmat,
quem iudicauerit eſſe dignum, ſiue ſcientia
publica, ſiue priuata: & in hoc deficit con-
firmator à ratione iudicij, quod Iudex vt
ſic, tenetur ferre ſententiam ſecundum al-
legata, & probata, & ſi oppoſitum fecerit,
nulla eſt ſententia. Ceterum confirmator
quomodolibet caſſauerit electionem, etiam
digni, caſſa eſt. Intellige ſemper, præſup-
poſita vera, & rationabili cauſa, vt in
hoc, & alijs capitulis ſæpè declaratũ eſt.

Quod ſi aliquis obijciat contra: Ille confirmator iniuriam facit electo, ergo tenetur ſemper confirmare eum ex iuſtitia, Probatur antecedens, quia ſtatim iudicabitur electus, ſuſpectus, vel infamatus de aliquo crimine, propter quod non confirmatur illius electio ritè facta.

Reſpondetur nihilominus, Negando antecedens. & ad probationem reſpondetur, Quod eſt temerarium iudicium, quia multis vijs poteſt caſſari electio, etiam digni. Hæc ille.

Poteſt

Poteſt addi ſecunda reſponſio, ſiue explicatio prioris, continens caſum ſpecialem relatum à Mandagoto, *tract. de electione, par. 1. cap. 28.* & amphatum ſiue magis explicatum à Boerio *vbi ſupra, ſub littera, F, & G,* dicente. *Sine nota, ideſt infamia, ſaltem quo ad communem hominum opinionem credentium quòd propter culpam electi, electio non habuit effectum.* Subdens ſtatim. *Sed quantum ad veritatem iuris,ſi electio caſſetur propter malum electionis proceſſum, non propter vitium electi,non incurrit aliquam infamiam electus; extra eod. ſuper eo, vbi de hoc.* Addens. *Nam turpius eijcitur quam non admittitur hoſpes, extra de iure iur. quemadmodum.*

Memor ſit ſemper confirmator, quod neceſſario, & ex debito ſui officij tenetur confirmare, ſi nihil reale, & validum conſtet contra electum. Panor. *in cap. poſtquam, de electione, nu. 1.* & eſt commuuis ſententia, *ibidem*, ac alibi Doctorum: nam ſecundum Gloſſ. & alios, *in cap. quanto Apoſtolica, diſt. 63. verb. Relatio*, Confirmatio electionis digni rectè factæ pleno iuri innititur; ita vt electus hoc modo petens confirmationem, non ſuperbe & audacter (vt quidam modernus ſcribit non rectè quidem,) ſed ea reuerentia, & humilitate, qua decet, ſe exhibendo ſemper paratiſſimum ad obediendum mandatis Superiorum, nullam, tunc petit gratiam, vt tradit Panorm. *loco citato.*

Sotus *de iuſtitia, & iure, lib. 9. q. 6. art. 1.* innixus doctrinæ S. Thomæ, optimè concludit. *Poſtquam ius alicui rectè acquiſitum eſt ad aliquam dignitatem, vel Prælaturam, ſiue beneficium, eidem licet, media etiam pecunia, impedimenta iniuſta remouere, ſine nota ſimoniæ; nempe ſi quis indebitè obſtaret, ne legitimè electus confirmatorem adiret, aut in poſſeſſionem iam confirmatus admitteretur.*

Vlterius procedens Sotus vbi ſupra, *§. circa hæc autem inſurgit*, mouet, & reſoluit ſequentem dubitationem.

57 *Vtrum ad cauendam iniquam* † *electionem, quæ Eccleſiæ nociua eſt & pernicioſa, liceat pecuniam offerre? Caietanus in illa noua quæſtione primi quodlibeti, aſſerere non formidat in electione Pontificis maximi, ſi liquido conſtiterit electionem in indignum declinare, vt Eccleſiæ peſtilentem, licere oblato pretio huiuſmodi electionem cauere: hoc enim eſſet Eccleſiæ vexationem redimere. Sed tamen ad eligendum, inquit, bonum, id non licet. Et quidem vſque adeo in priorem ſententiæ partem arbitror conſentiendum, vt etiam poſteriorem crediderim eſſe temperandam. Enim vero tanta pernicies eſt, & atrox Eccleſiæ diuexatio, ſi non eligatur dignus, ac ſi eligatur indignus: quoniam inter hæc non eſt medium. Quocirca vbi duo eſſent tantum, inter quos nutaret electio, quorum vnus eſſet dignus, & alter indignus, vt liceret pretio indignum repellere, liceret profectò electionem ad dignum inflectere, quia repulſio vnius, eſſet electio alterius. Arbitror enim, vt ſupra dicebam, quod licet huiuſmodi ſpiritualia vendere, omnino ſit intimè malum, redimere tamen non vſque adeo, quin extrema neceſſitas licitum id poſſit facere.*

Quapropter vbi multi eſſent digni, neutiquam liceret pretio ambire vnius electionem. Imò quamuis alij eſſent alijs digniores, non liceret id in fauorem digniſſimi facere; quoniam vbi dignus ſperatur eligendus, non ingruit extrema neceſſitas eligendi alium, quæ ſola huiuſmodi largitionibus, ſimoniam aſpergit. Hæc ille.

Pro maiori ampliudine, atque declaratione eorum quæ ſuperius in hoc Capitulo tradita fuere, eſt animaduertendum, qualiter *in cap. poſtquam, tit. de electione*, in text. adiuncta gloſſ. & Doctores *ibidem*, † ſi naſcatur difficul- 58
tas aliqua in electione Prælatorum omnium,

nium, ſola excepta electione ſummi Pontificis, per Superiorem, ante confirmationem examinari omnino debent, vt latius ſuperius dictum eſt in hoc capite.

Electus in controuerſia, non debet confirmari lite pendente; *de reſtitut. in integrum, cap. cum veniſſet in fine*, Gloſſ. *ibidem*.

Et pariter quoties in magna diuiſione celebrata eſt electio alicuius Prælati, præſertim regularis, inter quos ſumma vigere deberet animorum concordia, quamuis electio ſit facta à maiori parte, ſine tamen magno exceſſu votorum, vel meritorum ipſius electi, maximè opponente, & inſtante contra prædictam electionem, minori parte parata ad probandum quod opponit; iuſtè quidem niſi ceſſent oppoſitiones, poteſt & forte debet confirmator abſtinere à cõfirmatione, & de conſilio diſcretorum infringere, ſiue caſſare electionem iam celebratam in diſcordia, & tumultu, ex Gloſſa *in cap. ſi quando tu, de electione in 6.* Azorius, *par. 2. inſtit. moral. lib. 6. de 4. decalogi præcepto, cap. 14. §. 11. quæritur*, quod etiam docuerant ſummiſtæ antiqui, præſertim Angelus, Silueſter, Tabiena, & alij, *tit. electio, & confirmatio*.

59 Quærentibus, quid operentur, † & quem effectum habeant verba poſita in Breui Apoſtolico, conceſſo Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum à Paulo V. Fratri Seraphino Sicco Papienſi, vt poſſit videlicet ſupplere, ad titulum reformationis, quoſcumque defectus electionis canonicæ, dummodo illi conſtet de voluntate eligentium: Reſpondendum eſt, quod per ſupradicta verba conceditur Reuerendiſſimo Patri Generali, vt quoties iudicauerit expedire, intuitu tamen reformationis, poſſit electionem confirmare de iure poſitiuo, propter defectus aliquos etiam eſſentiales, in iure inualidam; dummodo tamen de iure naturali ſit valida, & ſeruata ſit forma quoad eſſentialia, cap. quia propter, de electione; & eidem conſtet de conſenſu, & voluntate eligentium vltra medietatẽ circa perſonam electam: Tunc, & eo caſu, non obſtantibus defectibus alijs multis de iure poſitiuo eſſentialibus, poteſt confirmare electionem factam modo ſupradicto. Ita exponunt clauſulã, de qua ſupra, quæ in alijs Breuibus inuenitur, Auctores grauiſſimi, in ſpecie Compoſtell. *in cap. quod ſicut, de elect. num. 15.* & Anchar. *ibid. col. 4. §. ad 2. verſ. alij dicunt*. Et Innoc. *ibid. nu. 8. verſ. ſi autem*.

60 Quamuis ſuperius cap. 3. † fuerit aliqualiter tactum dubium illud valdè ab electoribus deſiderabile; vtrum ſcilicet Prouinciales, ſiue Miniſtri, vel Generales poſſint ad eorum libitum electoribus proponere aliquas perſonas determinatas, vt vnus ex illis neceſſario eligi debeat cum excluſione aliorum, declarando etiam electionem ex nunc pro tunc aliter factam, nullam, & irritam: hic tamen breuiter ad multorum petitionem, præfati dubij reſolutionem poſui, quæ in paucis conſiſtit.

Hanc enim difficultatem reſoluit negatiuè Roderic. *tom. 2. quæſt. Regul. q. 51. art. 11.* Pro qua reſolutione negatiua cumulat nonnullas rationes, atque Doctorum auctoritates, cum ſequenti tamen cautela, quando non interuenit ſpecialis neceſſitas, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſuper hoc ſpecialiter collata. Ad idem faciunt illa quamplura adducta à Miranda, *in ſuo Manuali tom. 2. q. 23. art. 22.* præſertim *concl. 1. & ſequentibus*. Pro qua reſolutione negatiua, præter multos textus ſacrorum Canonum, citat Bullam Pij V. *Paſtoralis officij*, &c. & conſtitutionem Ca-

pituli

pituli Generalis Toletani ſui Ord. Minorum de Obſeruantia, *cap.7. §.de elect.*

Quam reſolutionem confirmant quoque, & magis augent tradita à Panorm. *in cap.licet,de elect.num.7.* vbi cumulatis auctoritatibus aliorum grauiorum Doctorum inquit, *Si Electores compellantur à Superiore eligere perſonam, ſiue perſonas determinatas, tunc, & eo caſu ſi eligatur vnus ex ſpecificatis, electio eſt nulla*; ſubdens, *eſt enim euidenter contra ſignificatum huius vocis, Electio, ſiue eligere: nam eligere, eſt vnum ex pluribus voluntarie capere. quare ceſſat electio vbi adimitur Electoribus libertas nominandi quem idoneum iudicauerit, cap. vbi periculum, in 6. de elect. §. ceterum.*

In Ordine verò Prædicatorum cuncta hæc clariora, atque certiſſima ſunt, vti eſt videre in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis *diſt.2.cap.2.* cui titulus eſt *de elect. Prioris Conuentualis*, in declaratione text. 4. *ſub littera n*, vbi maximè commendatur libertas electionis, & adducitur Statutum Capit. Bonon. 1564. ac etiam Romani 1608. tandem præſuppoſito caſu realis neceſſitatis verbatim habetur: *Quare vbi non fuerit peculiaris neceſſitas, nullus Electoribus proponatur. Quod ſi neceſſarium eſſe exiſtimabunt, non pauciores, quàm tres in ſingulis electionibus proponant. Ceterum ſi Electores alioquin dignum (quamuis non de propoſitis) elegerint, eam tamen electionem confirmator, diuini iudicij memor (niſi iuſta ſubſit cauſa) confirmare non differat.*

Imò ſecundùm doctrinam Nauar. *in ſuo manuali, cap.17.num.19. & cap.22. num.51. & lib.1.conſil. tit. de elect.conſ.5.* ſuperius adductam, in cap.3. nu.4. puniri debent Superiores auferentes libertatem Electoribus eligendi quem voluerint modo ſupradicto, vltrà peccatum mortale: quod confirmat Roderic. *in ſua ſumma, tit. de elect.* 103. & Panorm. *in præcitato cap.3.* latius adductus, præcipuè cum id procedat ex defectu auctoritatis.

Tandem ſacra Congregatio Concil. Trident. requiſita, *An ſtante libertate electionis, liceat Prælato Superiori proponere duos, vel tres, ex quibus neceſſario vnus eligatur.*

Reſpondit: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, non licere.*

Robertus Card. Vbaldinus.

Locus ✠ ſigilli.

Hinc eſt quòd in Breuibus Reuerendiſſimis Generalibus Ordinis Prædicatorum conceſſis, occaſione viſitationum à Summis Pontificibus Rom. præcipuè verò à tempore Pauli III. vſque ad Paulum V. incluſiuè, quæ ego ipſemet ſæpius vidi, ac legi, datur eiſdem ſpecialis facultas, vt intuitu reformationis poſſint proponere Electoribus non minus quàm tres idoneos ad reformationem, cùm excluſione aliorum. Et ſpatio viginti circiter annorum, vidi ſemper, quòd non fuerit facta propoſitura cum excluſione aliorum abſque ſpeciali licentia, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Quamobrem cõtrarium facientes, tanquã vſurpatores auctoritatis maiorum ſuorum, veniunt puniendi, atque priuilegium confirmationis pro aliquo tempore, meretur amittere, cùm permiſſa ſibi abutatur poteſtate: 11. q. 3. *cap. priuilegium.*

Quid autem dicendum ſit de vſu, atque conſuetudine earum Religionum,
61 cuius mos eſt † vt Generales perſonaliter interſint electionibus Miniſtrorum, ſiue Prouincialium, aut Commiſſarij per ipſos Generales ad hoc ſpecialiter deſtinati. Id enim videtur de ſe auferre libertatem Electoribus, qui ſaltem ob timorem reuerentialem frequenter, ne dicam ſemper, eligerent non quem voluerint

fuerint ipſi, ſed quod placuerit eorum Generali, ſiue Commiſſario ab eo tranſmiſſo: qui metus reuerentialis ne vlterius progrediar, ex ſententia Nauarri *tom. 1. conſiliorum, conſ. 5. num. 2.* ſuperius relata cap. 10. de ſe eſt ſufficiens reddere electionem nullam. & *num. 3. eiuſdem conſ.* referens ſe ad ea, quæ docuerat in ſuo manuali *cap. 17. nu. 30.* & *cap. 22. num. 51.* vniuerſaliter concludit, quòd *omnis metus etiam non iuſtus, reddit actum nullum, & inualidum.* Quæ omnia confirmantur ex adductis ſuperius ad cap. *de Scrutatoribus*, quæ ad hoc propoſitum ſunt diligenter ponderanda, eò magis quia conſuetudo omnis, per quam læduntur, ſiue tolluntur ſubſtantialia electionis, inter quæ illud eſt præcipuum de omnimoda libertate, tanquàm irrationabilis omninò venit extirpanda, prout deducitur ex textu *cap. cum Monaſterium; cap. cum terra*; adiuncta Gloſſ. & Doctoribus, inter quos eſt Panorm. *in dicto cap. cum terra, de elect. num. 4.* dicens, *Non debet attendi ad id quod factum fuit in præterito tempore, ſed potius ad id quod de iure fieri debuit.* Ideò iudicium huius relinquo ſapientibus, atque timoratam conſcientiam habentibus; ad eorum memoriam reducendo, qualiter humanum iudicium mutatur, atque peruertitur timore, atque cupiditatis ſpe. *11. q. 3. cap. quatuor.*

Hoc vno adnotato, quòd ad Dei gloriam, & Beatæ Virginis, & ſancti Patris Dominici, in Ordine Prædicatorum numquam quid tale, abſque vrgentiſſima cauſa, & ſufficienti auctoritate factum eſt, ſperans quòd neque in poſterum fiet abſque magna neceſſitate: quo caſu, & non aliter conſtito de reali neceſſitate reducta ad duos caſus tantùm expreſſos in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis, videlicet magnæ diſſenſionis inter Vocales, vel quando inter illos nullus in veritate reperitur, qui poſſit, & ſciat dirigere electionem, poteſt deſtinari Vicarius electionis, & debet miti; qui Vicarius in vtroque caſu ſemper caret voce paſſiua, neque iuriſdictionem habet regulariter ſuper Vocales.

62 Percunctantibus verò, † An omiſſio in ſcrutinio, ſiue decreto electionis tráſmittendo confirmatori, illius clauſulæ, *(Cum eſſemus e. g. viginti vota, talis electus habuit duodecim vota)* nullam, ſiue irritam faciat electionem? Reſpondetur per ſequentes propoſitiones, quarum prima eſt.

Si in rei veritate omiſſa fuit in actu electionis à ſcrutatoribus collatio numeri ad numerum, ex qua collatione colligitur electio legitima huius, vel iſtius; electio profectò talis, nulla, & irrita eſt. Ratio deſumitur ex contentis *in cap. in Geneſi, de elect.* vt expreſsè tradunt quamplures celeberrimi Doctores *in eod. cap.* præſertim Antonius de Burrio *num. 1. 2. & 4.* & præſertim *num. 10.* vbi expreſsi tradit, prædictam collationem eſſe ſimpliciter de forma electionis; addens etiam quod vnanimiter ſit quis electus: quã dicit eſſe communem ſententiam Doctorum.

Secunda propoſitio. Præſuppoſita prædicta collatione realiter ſubſequuta, ſufficit vt Confirmator ex decreto, ſiue ſcrutinio in ſcriptis redacto, & ex alijs litteris firmatis à Scrutatoribus, poſſit concludere, quod electio fuerit celebrata à maiori parte Vocalium præſentium: hac tamen adiuncta conditione, ſiue qualitate; dummodo aliunde non appareat contrarium. Hanc propoſitionem cũ prædicta qualificatione colligit Ant. de Butrio *cap. Eccleſia, de elect. num. 7.* dum inquit: *Non apparente contrario ſufficit ad validitatem electionis concludere, quod electio ſit celebrata à maiori parte Vocalium.*

Ad obiectionem illorum, qui ex diſpoſitione cap. nihil, de elect. dicunt, Confirmationem eſſe faciendam cum cauſæ cognitione, ac examine, tam electi, quàm formæ electionis; quod examen neceſſariorum ad formam, non videtur poſſe expleri in cauſa omiſſionis clauſulæ, de qua ſupra: Reſpondetur negando conſequentiã: quia pro examine faciendo à confirmatore ſufficit, vt ex ſcrutinio, & litteris ſcrutatorum poſſit concludere Confirmator ſeruatam fuiſſe formam cap. quia propter, præſertim quoad illud, quod electio fuerit celebrata à maiori parte Vocalium; prout latius in ſecũda propoſitione dictum eſt. Ideo quoties id poteſt, vel euidenter, vel ſatis probabiliter colligi, ſufficit: præſertim vbi deeſt oppoſitio rationabilis, ſiue malitia apparens: Cùm nõ ſufficiat ad hoc vt quis ſit ritè electus, quòd habeat maiorem partem, quam alij; ſed oporteat vt habeat maiorem partem omnium eligentium, vel per ſcrutinium, vel per compromiſſionem, vel per cõmunem inſpirationem, alijs ſubtilitatibus iuris relictis. ex cap. 2. de elect. Prioris Conuent. in Ordine Prædicatorum, *text. 1. ſub lit. a, & b*. licet ſeruandum ſit in electionibus Canonicis Prælatorũ Regularium decretum Concilij Trident. *ſeſſ. 25. de regular*, vbi inter cetera decernitur, vt Superiores Regularium, vt omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant, eligantur per vota ſecreta, ita vt eligentium nomina numquam publicentur.

Acriter tamen reprehendi debent ſcrutatores, qui omittunt in decreto electionis Superiorum, præſertim Regularium, illam clauſulã de qua ſupra, cuius expreſſio eſt valde vtilis, etſi in illa alia clauſula communi includatur, ſaltim virtualiter; qua dicitur nihil eorum, quæ ad Canonicam requirũtur electionem, fuiſſe omiſſum. Hoc non obſtante ſunt acriter reprehendendi, maximè in Ordine Prædicatorum, cum talis omiſſio ſit de directo contra diſpoſitionem textus 4. de electione Prioris Conuentualis, in quo expreſsè præcipitur, quod *electores petentes electi confirmationẽ per ſcrutinium, debent in ſcriptis redigere totum electionis proceſſum*: vbi ſit ſpecialis mentio, vt ſcribant numerum eligentium, & quot vota tam electus, quam non electi habuerunt. Adde, quod in Formulario Ordinis Prædicatorum, inſerto poſt Conſtitutiones eiuſdem Ordinis, inter alia præcipitur, vt *nomina eligentium ſcribant, cum numero votorum quem habuit vnuſquiſque nominatus in tali electione Canonica, in qua aliquis ritè euaſerit electus*.

63 Electus canonicè in Prælatum, ex diſpoſitione Iuris communis, † poteſt electionem proſequi vſque ad confirmationem, abſque nota ambitionis. Io. And. *in cap. publicato de elect. col. fin.* gloſ. *in verbo poſt obtentam, in cap. cupientes; in princ. de elect. in 6.* & Domin. *ibidem col.* 4. Card. Mandagotus idem tradit *2. p. ſui tractatus de elect. cap. 59. tit. forma ſeptima*. addens ex reſcripto Nicolai IV. de quo *in cap. In nomine Domini*; quod poteſt electus perſonaliter, & impeditus per Procuratorem, ſiue Nuncium ſpecialem, inſtare apud Superiores, etiã apud ſanctam Sedem Apoſtolicam, pro obtinenda confirmatione.

64 Confirmator prouidendo ſimul † eligit, & confirmat perſonam ab eo prouiſam in ordine ad dignitatem, ſiue Prælaturam cui prouidet. Innoc. *in cap. cum olim. de cauſ. poſſeſ. & propriet.* Felin. *in cap. cum te, col. 2. & 3. de reſcript.* & Panorm. *ibidem.* & *in cap. tranſmiſſam, de elect. col. 2.* & Petrus de Baiſio *in ſuo Direct. elect. cap. 44. 3. partis, num. 6.*

65 Quæ dicta fuere ſub nu. 33. huius capitis, † neceſſariò ex diſpoſitione eiuſdẽ

Iuris

Iuris communis, & ſecundum interpretationem celeberrimorum Doctorum veniunt intelligenda, dummodo in electione canonica ſeruata fuerint omnia, & ſingula ſubſtantialia, de quibus ſuperius in 3. cap. ad initium; & dummodo electio celebrata non ſit ipſo iure nulla, & irrita, vel de iure annullanda, & irritanda ſecundum regulas, & documenta latè tradita in cap. 4. ferè per totum. quo caſu non licet Electori nec per ſe, nec per alium proſequi electionem ad effectum confirmationis, cum non poſſit confirmari electio de iure nulla, vel de iure caſſanda; & actus nulliter factus pro non facto habetur: quemadmodum copioſè traditum eſt ſuperius in eodem præcitato cap. 4. Et ſi contrarium fiat, per Superiorem coërcendus eſt pœnis, tamquam agens directè contra diſpoſitionē iuris communis, & indebitè requirens quod iniuſtum eſt. Idem quoque dici debet de electoribus proteruè contendentibus vt electio nulla, vel de iure annullanda confirmetur.

Hac tamen animaduerſione, quod etiam canonicè electus ad aliquam Prælaturam, ſi inſtet præſertim modo affectato, & quaſi importunè pro confirmatione, non effugiet ſaltem apud homines notam ambitioſi, iuxta tradita ſuperius, cap. 9. nu. 17. & 18. cùm nimis de ſe ipſo præſumat, & regimen animarum ſit humeris Angelicis etiam formidabile.

Difficultas valde vtilis, & ſatis frequens, maxime inter Regulares.

An Regularis rite electus ad aliquam Prælaturam ſui Ordinis, & confirmatus à Superiore immediato pariter Regulari, qui tamen noluit Prælaturam, neque confirmationem acceptare, ſed vtrumque conſtanter renuit; in rigore, ac proprietate dici poſſit confirmatus; anuè per confirmationem non receptam, ſed conſtanter ſemper reiectam, ante & poſt notitiam, ceſſauerit vacantia Eccleſiæ, ſiue Conuentus, vel Monaſterij, aut Collegij, ad cuius præfecturam electus, & eo reluctante, confirmatus fuit? Hic enim caſus extendi poteſt ad omnes confirmatos pro quacunque Prælatura, ſiue officio, vel beneficio, præſertim curam ſiue regimen animarum habente.

66 Huic difficultati † videtur reſpondendum negatiuè. Quæ reſponſio negatiua cenſetur proculdubio verior, ferè communiter ab omnibus, ex his præſertim quæ tradit clarius inter alios Azorius *par. 2. inſtit. moral. lib. 6. de quarto decalogi præcepto cap. 16. ad exordium*, vbi inter nonnulla ex Abbate, & alijs *in cap. 2. de tranſlat. Epiſcopi*, inquit. *Per confir-*
67 *mationem † inter Præfectum* (hoc eſt confirmatum) *& Eccleſiam contrahitur vinculum, quod ſine legitima Superioris auctoritate non ſoluitur*. Sed confirmatus, qui non acceptauit in continenti, ſed renuit, in proprietate ſermonis non eſt, neque dicitur Præfectus Eccleſiæ, nec cum illa contraxit vinculum, vt omnes libenter concedunt. Igitur ſecundum nomen, & vocem tantum, dici poteſt confirmatus, in re tamen, & in facto non eſt confirmatus; quia confirmatio in tali caſu non ſortitur finem, ſiue effectum ſuum, de quo immediate, niſi acceptetur.

Docet etiam Azorius, vbi ſupra, *con-*
68 *firmationem † eſſe titulum Canonicum, quo quis ius acquirit in beneficio*; & proportionaliter in Eccleſia vel Monaſterio, ad cuius Prælaturam eſt electus ille qui eo inuito confirmatur. Verum regularis, de quo in caſu propoſito, ex renuncia-

Tractatus de Electione. Dd 2 tione

tione electionis, & confirmationis, nullum ius acquiſiuit ad Prælaturam, ad quam erat electus, & confirmatus; igitur nominaliter tantum, non autem in re, & in proprietate, ac formalitate ſermonis, talis dicendus eſt verè confirmatus.

Addit trio Azorius, vbi ſupra, §. *tertiò quæritur*, declarans ex auctoritate Canonum, & iuris peritorum, præſertim *ex cap. noſti, & cap. tranſmiſſa, de electione, & cap. inter corporalia, de tranſlat. Prælat.* quod ſuperius dixerat, confirmatum contrahere vinculum, dum inquit. *Per*
69 *confirmationem ſpirituale † coniugium inter Eccleſiam, & Paſtorem, quod erat electione inchoatum, perficitur, & conſummatur*. Sed regularis, de quo ſupra, per reiectam confirmationem nullum ſpirituale coniugium, nec perfecit, nec conſummauit; imò quod inceptum erat per electionem, penitus (quantum in ſe eſt) diſſoluit, & à ſe omnino abdicauit. Igitur in rigore, & proprietate ſermonis, non poteſt dici confirmatus; ſed tantùm abuſiuè. Et quia nomina ſim-
70 pliciter † prolata exponi debent in ſenſu proprio, & formali, ideo de illo non eſt verum dicere ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, quod ſit confirmatus. Quibus fauet doctrina ſuperius adducta in hoc cap. §. *electus de iure communi*, & clarius, §. *in cap. Neapolitano*. In quo §. refertur ad verbum declaratio textus tertij Capituli de electione Prioris Conuentualis in Ordine Prædicatorum, in qua expreſsè dicitur, quod *ele-*
71 *ctus Canonicè, & † confirmatus, cuique factum ſit præceptum formale de acceptatione, ſi tamen renuat, nunquam eſt Prior, nec aliquod ius acquiſiuit*. Et in declaratione eiuſdem textus, §. *item declaramus*, traditur, quod ille qui confirmationi factæ non conſenſit, non eſt abſoluendus, ſed ſufficit electionem caſſari, *vt Electores libere alium eligere poſſint, ſicut fuit declaratum apud Victoriam 1321. & apud Toloſam 1304.* Igitur euidentiſſimum eſt, in Ordine Prædicatorum, quod cõfirmatio, niſi acceptetur, non aufert vacantiam talis Prioratus; ſed adhuc eadem vacantia perſeuerat, quæ antea erat, & eſt, ac ſi nullus, in re, fuiſſet confirmatus; quia confirmatio non eſt ſortita ſuum effectum, qui eſt acceptatio Prælaturæ.

Hoc totum etiam contentum in reſponſione negatiua, paulò ſuperius adducta, videtur certum, & vndequaque manifeſtum in eodem Ordine Prædicatorum, nedum cap. de elect. Prioris Cõuentualis, & electione Prioris Prouincialis; verum id colligitur etiam in Capitulis Generalibus, præſertim Veneto 1502. tit. *Declarationes*, nu. 2. vbi loquendo de aſſignatis infra menſem in aliquo Conuentu, in quo in proximo facienda eſt electio Prioris, ideo ibi non habent vocem: & verba faciendo de electione confirmata, ſiue de confirmatione electionis, dilucidis verbis explicat veram confirmationem dici, quæ ſuum ſortitur effectum; & declarans, quis qualiſuè ſi effectus confirmationis,
72 ſubdit, *quando † confirmatus acceptauerit*.

Ecce quomodo in Ordine Prædicatorum nequit in rigore, & formalitate ſermonis, quis dici confirmatus, niſi acceptauerit confirmationem.

Hinc eſt, quod in locis præcitatis Conſtitutionum eiuſdem Ordinis, ſemper durat vacantia Prioratus, & inſtat electio, quouſque electus, & confirmatus acceptauerit: quo tempore, nequeunt fieri aſſignationes vocalium de nouo, neque additio vel diminutio votorum, ad tollendam omnem, & quamcunque ſuſpicionem doli, & fraudis, niſi in caſibus in eadem Conſtitutione expreſſis; ſuper quo, vt habetur in Conſtitutioni-

bus

Digitized by Google

bus eiuſdem Ordinis nouiſſime Barchi-
nonæ impreſſis 1620. *diſt.2. cap. 16.*
in declaratione textus quarti §. item decla-
ramus, verſ. & de hoc Prouinciales, in
Capitulo Romano 1601. & Valliſolet.
1605. ex Clementis VIII. Conſtitu-
tione, admoniti fuerunt.

Ad obiectionem verò eorum, qui
dicunt partem ſiue reſponſionem affir-
matiuam eſſe probabilem, præſertim,
ex verbis Statutorum Ordinis Prædica-
torum. Reſpondetur, ſatis ſufficienter-
que conſtare ex adductis, totum oppo-
73 ſitum; ideo &c. Ad eorum † autem re-
plicam, qua contendunt id probare ex
verbis additis in Capitulo Generali Val-
liſolet. 1605. ad decretum Clementis
Octaui de non faciendis aſſignationi-
bus vocalium infra duos menſes, ante
vacantiam Prioris, ſiue Prioratus, ſta-
tuendo quod aſſignati contra diſpoſitio-
nem decreti, de quo ſupra, non habeant
vocem donec aliquis fuerit confirma-
tus; ponendo vim in verbo illo, *confir-*
matus, ſine alia additione acceptationis,
vel non acceptationis: quæ additio Ca-
pituli Valliſoletani habetur in actis ip-
ſius, *tit. acceptationes, num. 2.* Breuiter
Reſpondetur primo, quod lex noua ſe-
cundum regulam communem debet
74 interpretari † per antiquam, niſi contra-
rium in illa habeatur: verum antiquior
eſt illa Capituli Veneti, igitur ex illa &
per illam explicari debet additio Capi-
tuli Valliſolet. Eo magis, quia illa Capi-
tuli Veneti eſt per modum declaratio-
nis, quæ proculdubio habet maiorem
vim, & efficaciam, quam illa ſimplex
additio Capituli Valliſolet. Secundò ad
idem reſpondetur, quod decretum Cle-
mentis VIII. vna cum additione Ca-
pituli Valliſolet. non inducit nouum
ius, neque mutat ius antiquum, de quo
in Capitulo Veneto; ſed ſolum, ac tan-
tum extendit tempus de non faciendis
aſſignationibus, quod erat vnius menſis
ante vacantiam Prioris, ad duos menſes,
firmis manentibus alijs in dicta declara-
tione Capituli Veneti, vt expreſsè, &
palam indicant verba declarationis tex-
tus 4. cap. 16. diſt. 2. Conſtitut. Ordinis
Prædicatorum ſub litt. C, quæ ſunt.
75 *Declaramus † quod, vt ſupra dictum eſt,*
cap. 2. de electione Prioris Conuentualis, ex
Conſtitutione Clementis VIII. duobus
menſibus ante tempus electionis, noua aſſi-
gnationes, ac mutationes fieri non poſſunt.
Cùm autem tempus electionis ſit menſis, qui
incipit à die, quo nota fuit carentia Prioris,
ſequitur vt per duos alios menſes, antequam
iſte menſis electionis incipiat, tales muta-
tiones, & aſſignationes fieri non poſsint.
Apud Viennam etiam 1282. & apud Bur-
degalam 1287. & Bononiæ 1315. ordi-
natum fuit, ne à die quo fuit nota carentia
Prioris Prouincialis, vſque ad completum
menſem, quod eſt tempus conſtitutum ad
eandem electionem, aſsignationes, & mu-
tationes Fratrum non poſsint fieri. Et
poſt pauca ſubditur. *Cùm certo ſciri poſ-*
ſit tempus vacationis, ſeu abſolutionis Prio-
ru, fieri non poſſunt noua Fratrum aſsigna-
tiones infra duos menſes, eandem abſolutio-
nem, ſeu vacationem antecedentes, vt ſu-
pra dictum eſt.

Ad importunam verò interrogatio-
nem eorum, qui ſubtilius exquirunt
quid de aſſignationibus factis ac præſen-
tatis, atque publicatis, vno tantum, vel
altero die antecedente tempus duorum
menſium ante vacantiam Prioris in Or-
dine Prædicatorum: Reſpondendum
eſt, quod quoties id fiat, præexiſtente
aliqua cauſa reali, præſertim in ſubroga-
tione aliorum Regularium, qui antea
inſeruiebant in illo Conuentu, Deo &
Religioni; cum tunc, & eo caſu Prouin-
cialis, ſiue alius Superiorum vtatur iure
ſuo, nulla prorſus, ſimpliciter loquen-
do, poteſt, aut debet præſumi fraus, &

malitia: ita communiter omnes. Si verò id fiat abſque cauſa, & ſupra numerum conſuetum Conuentus, ac ſine vrgenti neceſſitate, nulla cauſa reali exiſtente nouæ aſſignationis, & mutationis, concurrentibus inſuper actibus inſolitis, & valde affectatis, legitime poteſt dubitari, & opponi de fraude & malitia, in ordine ad futuram electionem, vt conſiderauit Rota Romana, *in deciſionibus Illuſtriſſimi Cardinalis Seraphini, deciſ.771. num.5.* & in alia deciſ. pariter impreſſ. 326. *nu.36. coram Gregorio Decimoquinto*. Quæ fraus, ſtantibus coniecturis bene fundatis, paſſim dicitur concludenter probata, ex deciſionibus eiuſdem Cardinalis Seraphini 660. *n.3.* Rot. *deciſ.57. nu.1.* & *deciſ.*140. *num.1.* impreſſ. poſt primum lib. Conſil. Farinac. Mantica *de tacitis, & ambiguis, lib.4. tit.23. nu.3.* & *lib.8. tit.17. num.8.* Quo caſu excludi poſſunt hoc modo aſſignati ab electione (ſi id probatum ſit;) vel ſi virtute horum quis euaſit electus, electio poteſt, & fortè debet omnino caſſari.

Præcedens difficultas præſupponit
76 reſolutionem alterius, an videlicet † ſit in poteſtate electi non conſentire electioni de ſe factæ, ac renuere confirmationem iam ſecutam. Quę communiter ab omnibus traditur affirmatiuè, quæ reſolutio affirmatiua fundatur in text. ſacrorum Canonum, *tit. de electione, & electi poteſtate*, & *tit. de renunciat.* præſertim *cap.10. niſi cum pridem*, & Doctores communiter *ibidem*.

Eamdem reſolutionem euidenter confirmant tradita à S. Thom. *quodlib. 5.q.11. art.22. per totum*, vbi *in argum. ſed contra*, adducit ſententiam ſancti Gregorij 28. Moral. dicentis, *quòd Prælatio per meliorem intentionem fugienda eſt*. Et in reſponſione ad primum argumentũ, animaduertit S. Thomas, quòd illud S.Gregorij 12. moral. ita legendum eſt: *Poteſtas cum percipitur, non eſt amanda ex libidine, ſed ex longanimitate toleranda*, vbi etiam *in corp. & in reſp. ad argum.* adducit ad idem auctoritates ſacræ Scripturæ, & Doctorum.

Tota itaque difficultas adductæ reſolutionis in hoc conſiſtit, an Regularis ritè electus ad aliquam Prælaturam vel officium ſui Ordinis, & à ſuo Superiore immediato legitimè confirmatus, poſſit non acceptare, imò renuere iam factam confirmationem de ſua perſona. Cui etiam difficultati pariter occurrendum eſt reſponſione ſeu reſolutione affirmatiua. Pro veritate cuius reſolutionis faciunt vltima verba D. Thomæ *in corp. præcit. art.* quæ palàm, & manifeſtè competunt indifferenter electis ad aliquam Prælaturam etiam regularem: & ſunt. *Quia ergo valdè difficile eſt, purgatum ſe quemlibet poſſe agnoſcere, Prælationis officium tutius declinatur; non tamen pertinaciter, cum ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcitur.*

77 Ille autem † dicitur pertinaciter renuere confirmationem, qui nullam legitimam veram, & realem cauſam aſſignat Superiori, licet occultam. Qua moderatione atque explicatione ab omnibus communiter admiſſa, præſertim à D. Thom. *vbi ſupra*, & à Richar. *in 3. quodlib. quæſt.21.* nedum confirmatur reſolutio propoſita, verum etiam fieri poteſt ſatis ad argumēta contrariorum.

78 Eamdem ſententiam † affirmatiuam clarè indicant tradita in conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, *cap. de elect. Prioris Prouincialis, & Prioris Conuentualis*, quæ pro maiori parte adducta fuere ſuperius in reſolutione prioris difficultatis de Regulari confirmato renuente acceptare cõfirmationem. Idem docet Richard. *in 3. quodlib. quæſt. 21.* per ſequentia verba relata à Miranda in

ſuo Ma-

Digitized by Google

ſuo Manuali, to.2. q.23. art.31. ad primam concluſionem, quæ ſunt. *Solummodo in tribus caſibus electus tenetur conſentire ſub pœna peccati mortalis. Primò quãdo cogeretur ad id per obedientiam à Superiore, per cap. niſi cum pridem. Secundo quando ſecundum iudicium ſuæ conſcientiæ videtur ſibi veriſimiliter quod non eſt qui velit, & poſsit melius ſalutem animarum procurare, quàm ipſe; & ex hoc videt probabiliter Eccleſiæ notabile imminere diſpendium.* Et poſt pauca referens alia verba Richardi vbi ſupra, inquit. *Dicit tamen quòd ſi quis per obedientiam non cogitur, nec imminet probabile periculum Eccleſiæ, ſi refugit per viam licitam propter pigritiam, peccat mortaliter; ſi autem id faciat propter humilitatem, reputans ſe indignum, non peccat, quin verò meretur. & cum omnibus ſupradictis concordat D. Tho. quolib. 5. art. 22.* Hæc ille.

An tandem quis electus in Prælatum melius agat, dum aſſentit, ſiuè acceptando, vel potius renuendo confirmationem? hanc difficultatem breuioribus verbis, ſed clarioribus reſoluit S. Tho. vbi ſupra, *ad initium, corp. praecitati art. 22. quodlib. 5.* dum inquit. *Si enim intendit aliquid temporale, puta honorem, diuitias; excutere ſe à iugo religionis, manifeſtum eſt quòd eſt praua intentio; vndè melius faceret, ſi non aſſentiret. Si autem intendit profectum Eccleſiæ, ſic planum eſt quòd bona eſt intentio.* Statim atque immediatè ſubdens, *Vnde Auguſtinus dicit 19. de Ciuit. Dei: In actione non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia, ſed opus ipſum, ſi rectè, atque vtiliter fit, ideſt vt valeat ad ſalutem ſubditorum.*

Summa Cap. XV.

1 *Electio Diffinitorum, ac ſociorum Priorum pro Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, celebrari debet per vota ſecreta, exceptis tamen ſocijs aſſignandis à Diffinitorio Capituli Prouincialis, Diffinitori iam electo pro futuro Capitulo Generali.*

2 *Munus Diffinitoris nequit conferri Fratribus extraneis, ab illa Prouincia, pro qua diffinire debent in Capitulo Generali.*

3 *Tranſlatio Fratrum de vna Prouincia in aliam, per affiliationem, non poteſt fieri in Ordine Prædicatorum, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel per Capitulum Generale.*

4 *Electio Diffinitorum, & Sociorum fieri debet à maiori parte eligentium vltra medietatem, & per ſcrutinium, & nu. 7. 9. 18.*

5 *Suppriores actuales Conuentuum, nequeunt eligi in ſocium Prioris, pro Capitulo Prouinciali.*

6 *Idem non poteſt eligi in Diffinitorem duorum Capitulorum Generalium, neque Prouincialium immediatè ſequentium.*

8 *Prouinciales non poſſunt eligi in Diffinitores Capituli Generalis, neque deputari in ſocios Diffinitorum. Secus autem, de Prioribus actualibus.*

10 *Aſſignatur modus quo eligi debent Diffinitores Capituli Prouincialis.*

11 *Authoritas Diffinitorum quanto tempore duret.*

12 *Statuitur quid agendum, caſu quo inſtet electio Magiſtri Ordinis, neque ſuppetat tempus celebrandi in aliqua Prouincia Capitulum Prouinciale, ante dictam electionem Generalis.*

13 *Declarantur illa verba Clement. VIII. Ne poſſint ſcilicet duo Prouinciales filij eiuſdem Prouinciæ habere vocem in electione Magiſtri Ordinis Prædicatorum: & recenſentur ſuper hoc aliqui caſus in particulari, nu. 14.*

15 *Quomodo ſit eligendus ſocius Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale.*

16 *Nullus vocalis poteſt eodem anno eligere in diuerſis Conuentibus Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale: qui Socius debet habere triginta annos, & debet eſſe ex aſſignatis, & commorantibus in eodem Conuentu tempore electionis; & idem nequit eligi in Socium Cap. Prouincialis ad duo immediatè Capitula.*

17 *Quænam ſit differentia, quoad modum eligendi, inter Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, & Diffinitorem Capituli Generalis.*

19 *Fratres habentes officium, ratione cuius poſſunt ſe ſubtrahere ab obedientia Priorum, etiam quod ob eorũ commoditatem commorentur in Conuentu, nequaquam admitti debent ad electionem Priorum, ſiue Sociorum, de quibus ſupra. Amplia etiam in Pœnitentiarijs S. Mariæ Maioris de Vrbe. num. 20.*

21 *Electio facta de vno præſente, qui habuit vota à maiori parte vltra medietatem tantum, ſi inter Electores aliquis elegerit inhabilem, & conſequenter amiſerit vocem pro illa vice; talis electio præſentis, eſt valida.*

22 *In Ordine Prædicatorum non permittuntur particulares conſuetudines præter Conſtitutiones, &c. & Prælati, qui eas tolerant, abſoluendi ſunt ab eorum officijs.*

23 *Reſoluitur quædam apparens contradictio, in verbis Conſtitutionis Ordinis Prædicatorum, cap. 3. diſt. 2. circa Priorem Conuentualem, an præſtare, vel non præſtare poſſit votum in electione ſui ſocij, pro futuro Capitulo Prouinciali.*

24 *Aſſignatur differentia inter Capitulum Prouinciale, & electionem Prouincialis.*

25 *In illis Conuentibus, in quibus non permanſerunt toto anno aſſignati duodecim Fratres, & ex illis ſex Vocales vltra Priorem, nequit eligi Socius Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale. & num. 26. 28. 29. & 30.*

27 *Explicantur duo textus in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, qui videntur inter ſe contrarij ſuper adductis num. 25. de electione Socij Prioris, &c.*

31 *Adducitur Decretum ſacræ Congregationis Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, ſuper neceſſitate numeri duodenarij in Conuentibus, &c.*

CAP. XV.

De electione Diffinitorum, & Sociorum Priorum euntium ad Capitulum Generale, vel Prouinciale Ordinis Prædicatorum.

PRæter illa, quæ traduntur in Statutis Ordinis Prædicatorũ, circa electionem Diffinitorum Capituli Generalis, & Prouincialis, ac Socij Priorum euntium ad Capitulum Prouinciale, diſt. 2. cap. de electione Prioris Conuentualis, Prioris Prouincialis, & Diffinitorum, tam Capituli Generalis, quàm Prouincialis, duo ſunt præſertim digna non modica ponderatione.

1 Primum eſt, quod † electio ſupranominatorum, iuxtà tradita in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 6. debet fieri per vota ſecreta, & per ſchedulas, modo ſupra explicato in cap. 3. 7. ac 13. exceptis tamen ſocijs aſſignandis à Diffinitorio Capituli Prouincialis, Diffinitori Capituli Generalis in anno Diffinitorum; & Prouinciali in anno Prouincialium; qui poſſunt deſignari per fabas, vel in voce, à Diffinitorio Prouinciali, iuxta laudabilem Prouinciarum conſuetudinem. Qui inſuper debēt habere litteras teſtimoniales, alioquin non admittantur, vt dicitur ibid. & in Capitulo Generali Romano 1571.

&Bo-

& Bononien. 1564. & alio Rom. 1601.

Secundum vero eſt illud, quod legitur in declaratione text. 6. *cap. de electione Diffinitoris Generalis, & Prouincialis*,

2 videlicet, † *Frater qui eſt de aliena Prouincia, etiam quod manſerit per annum in aliquo Conuentu, vel Conuentibus alterius Prouinciæ, etſi ſit ſacerdos, & habeat ſex annos à profeſſione, quamuis admitti debeat ad electionem Prioris Conuentualis, & illius Socij euntis ad Capitulum Prouinciale; nequaquam tamen poteſt, aut debet eligi in Diffinitorem, ſiue in Socium Diffinitoris, neque in electorem Capituli Generalis, niſi ſit illi Prouinciæ pro qua eligendus eſt, incorporatus, hoc eſt affiliatus*; vel ex vi ſuæ profeſſionis emiſſæ tempore debito, & ſeruatis ſeruandis pro aliquo Conuẽtu eiuſdem Prouinciæ. Quam † affiliationem

3 vocant Conſtitutiones eiuſdem Ordinis Prædicatorum, incorporationem, ſiue totalem, & ſimpliciter tranſlationem de vna ad aliam Prouinciam; quæ non pòteſt fieri niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale, addita nunc auctoritate Apoſtolica, propter Decretum Clementis VIII. de quo fit mentio in Capit. Valliſoleti 1605. *tit. Acceptationes, nu. 2. ad exordium*; ideò in Capitulo Generali Valentino 1596. *tit. Admonitiones, nu. 7.* ſequentia habentur. *Admonemus Reuerendos admodum Patres Prouinciales, vt omnino abſtineant à translatione Fratrum per affiliationem, potiſſimè ab alijs Prouincijs ad ſuas reſpectiuè; cum translatio iſta ad Generale Capitulum, vel ad ipſum Reuerendiſſ. Patrem Generalem tantummodò pertineat, ſecundùm noſtras leges, & Conſtitutiones; ſine quorum auctoritate factas translationes, ſiue affiliationes, nullas eſſe decernimus, & Fratres ſic translatos, & affiliatos ad ſuas remittimus Prouincias.*

4 Diffinitorum, † & Sociorum electio fieri debet à maiori parte Vocalium vltra medietatem eligentium.

5 Suppriores † non poſſunt eligi in Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale; & Electores illum eligentes debent grauiter puniri, & voce actiua priuari. Ex declaratione text. 6. *de electione Prioris Conuentualis*.

Ex cap. 5. diſt. 2. *de electione Diffinitoris Capituli Generalis*, in Ordine Prædicatorum, infraſcripta habentur: *Si ſuperſedeatur illo anno à Capitulo Generali, & in ſequenti Capitulo Prouinciali alter eligatur, hic erit Diffinitor Capituli; ſi verò nullus electus fuerit, prior electus, pro Diffinitore legitimo habeatur.*

6 *Nolumus autem † quod qui in praecedenti Capitulo electus fuerit Diffinitor, ad idem officium eligi valeat, in anno Diffinitorum proximè ſequenti. Si vero medio tempore deceſſerit, vel in Prouincialem electus fuerit, & confirmatus, vel aliquo modo impeditus, itaut non poſſit ad Capitulum Generale accedere, ipſo iure, eius Socius, loco eius Diffinitor habeatur; niſi fortè ſuperuenerit Diffinitor, cuius Socius cedet, etiam poſt inceptam per eum diffinitionem. Quod ſi ſimul euntibus ad Capitulum Generale, alter eorum ſupradicto modo impediri contigerit, primus Conuentus ad quem declinauerit, tenetur ei de competenti Socio itineris prouidere.*

Diffinitores Capituli Generalis in

7 Ord. Præd. per ſcrutiniũ eligi † debent: & ideo prohibitum reperitur, ne Vocales in Capitulo Prouinciali congregati, committant Prouinciali, aut Diffinitoribus Capituli Prouincialis, electionem Diffinitoris prædicti, ſed eligantur à maiori parte vltra medietatem, iuxta ſeriem Conſtitutionum, prout clarius in Capitulo Generali Bononiæ 1564. imponitur, vt hæc electio fiat iuxta formam electionis canonicæ, traditam à Conc. Trident. Neapoli 1600. ſtatuitur

8 vt † Prouinciales non poſſint eligi in Diffinitores Capituli Generalis Diffinitorum,

Digitized by Google

torum, tam primi, quàm ſecundi, neque etiam deputari in ſocios eorum: poſſunt tamen eligi Priores actuales. Si quis autem Prior electus fuerit in Diffinitorem vel ſocium, propter eius abſentiam à ſuo Conuentu, non debet abſolui: & ſi abſoluatur, nulla eſt abſolutio, niſi alia ſubſit cauſa realis ab illa diſtincta, per quam mereatur abſolui.

Ex eodem capitulo de electione Diffinitorum Capituli Prouincialis, in Ordine Prædicatorum, vt aliquis † Diffinitor ſit ritè electus, non ſolum oportet vt habeat plures voces, in comparatione aliorum nominatorum: ſed debet habere plura vota vltra medietatem; ex Capitulo Generali Bonon. 1564. & ex declarat. tex. 1. cap. 6. 2. diſt. *ſub litt. a.*

10 Poſſunt † eligi ſimul omnes quatuor, vel ſigillatim, vbi eliguntur per nationes; ex Capitulo Generali Rom. 1553. & ſtatim electi locum tenent ſuper omnes Fratres etiam Priores: inter ſe autem, ſecundum ordinem graduum, ſiue Conuentuum antiquitatem. Eorum

11 auctoritas † durat per decem dies, & nõ amplius, vt in cap. 9. diſt. 2. tex. 7. *de ſolemni celebratione Capituli*, dicitur quod etiam aſſignatur tempus Diffinitoribus

12 Capituli Generalis. *Si verò inſtet † electio Magiſtri Ordinis, nec ſuppetat tempus alicui Prouinciæ vt poſſit celebrare Capitulum Prouinciale in quo facienda eſt electio Diffinitoris; Electoris Magiſtri Ordinis, tunc, & eo caſu duo Diffinitores præcedentis Capituli Prouincialis à profeſſione antiquiores, debent aſſumi, vnus pro Diffinitore, alter verò pro Electore; quemadmodum decernitur in capitulo de electione Magiſtri Ordinis, & clarius in Capitulo Romano 1583. tit. Declarationes, declarat. 3. & ſi illi duo non ſuperſint, vel legitimo detineantur impedimento, ſubſtitui debent loco illorum, alij duo, eiuſdem immediati Capituli Prouincialis. Quod ſi omnes defecerint, vel fuerint impediti, vt non poſſint ad Capitulum accedere; recurrendum eſt ad Diffinitores Capituli Prouincialis præcedentis, ſicque retrocedendo; quouſque Prouincia ſuis poſſit gaudere ſuffragijs, in electione Magiſtri Ordinis*; ex tex. 3. cap. 4. de elect. Magiſtri Ordinis Prædicatorum diſt. 2. Hoc totum fuit obſeruatum in Prouincia Lombardiæ, & Romana, ac in alijs, tempore electionis Reuerendiſſimi Patris Fr. Seraphini Sicci Magiſtri Ordinis, in Capitulo Romano 1612. ſubſequuta.

In quo Capitulo Romano fuit per Illuſtriſſimos ac Reuerendiſſimos DD. Cardinales Burgheſium, Protectorem Ordinis Prædicatorum, & Cardinalem de Aracœli, olim Magiſtrum Ordinis, aſſiſtentes in electione ſupradicti Generalis Sicci, non ſolum pro illa vice

13 diſpenſatum, ſed pro † ſemper declaratum auctoritate Apoſtolica, id quod tit. Acceptationes, in Capitulo Generali Valliſolet. 1605. acceptatione prima habetur ordinatum à Clemente VIII. ne poſſet ſcilicet duo Prouinciales filij eiuſdem Prouinciæ, extranei tamen à Prouincijs quibus præſunt, habere vocem in electione Magiſtri Ordinis; itaut eiuſdem Prouinciæ vltra tria vota non poſſint ſuperaddi; hoc eſſe intelligendum de duobus Prouincialibus deſtinatis in Prouincijs deſolatis, quibus ordinariè prouidetur per Magiſtrum Ordinis de Prouinciali, ſine præuia electione. Si vero vnus creatus fuerit Prouincialis in vna ex prædictis Prouincijs, & alius filius eiuſdemmet Prouinciæ fuerit electus in Prouincialem alterius Prouinciæ; ſed ex vi electionis confirmatus; etiam ſi ſint ambo filij eiuſdem Prouinciæ, poſſunt, & debent admitti tanquam legitimi vocales, in electione Magiſtri

14 Ordinis. Imò ſi † ſuccedat caſus, vt duo Patres filij eiuſdem Prouinciæ mittantur

tantur auctoritate Apoſtolica ad aliquas Prouincias non deſolatas, ſed ſolitas eligere Prouincialem; ob defectum tamen perſonarum electarum, vel ipſarum electionum, vel alia rationabili atque vrgente cauſa: in tali caſu, pariter debent admitti vt legitimi vocales ad electionem Magiſtri Ordinis, etiam quod ſint extranei ab illis Prouincijs quibus præſunt, & quod ſint filij ambo, vnius, & eiuſdem alterius Prouinciæ. Quæ omnia fuerant antea redacta in praxim de facto, in Capitulo electionis Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis Fr. Auguſtini Galamini, nunc Cardinalis de Aracæli, ſequuta maxima vnione, & mirabili cõcordia, Romæ die 25. Maij 1608. & in Capitulo electionis præſentis Reuerendiſſimi Magiſtri Ordinis 1612. In prima enim electione fuere admiſſi tanquam legitimi vocales, vltra Prouincialem ac Diffinitorem, & Electorem Prouinciæ Romanæ, Pater Magiſter Fr. Thomas Margotinus, eo tempore Prouincialis Regni, datus à Patre Magiſtro Fratre Ludouico Yſtella, tunc temporis Vicario Reuerendiſſimi Generalis Xauierre, poſtea Cardinalis abſentis ab Vrbe, ac exiſtentis extra Italiam, quia vocales Prouinciæ Regni die ſtatuta à Conſtitutionibus, non elegerant aliquem canonicè in Prouincialem; & Pater Magiſter Frater Dominicus de Barbarano, qui tunc Prouincialis Prouinciæ Bohemiæ erat, auctoritate Apoſtolica ſine præuia electione, inſtitutus.

In Capitulo verò electionis Reuerendiſſimi Sicci 1612. fuerunt pariter admiſſi vigore ſupradictæ declarationis, vltra Prouincialem ac Diffinitorem, & Electorem Lombardiæ, Pater Magiſter Frater Angelus Brixius, actualis Prouincialis Terræ ſanctæ, & Pater Magiſter Frater Baptiſta Baccarinus, Prouincialis Prouinciæ S. Thomæ de Apulia, electus à vocalibus eiuſdem Prouinciæ, & ex vi electionis confirmatus; & Pater Magiſter Frater Paulus de Callio Prouincialis Calabriæ, electus pariter & confirmatus, eodem modo quo ille Prouinciæ Apuliæ: & omnes iſti tres prænominati erant filij eiuſdem Prouinciæ Lombardiæ; ſupradictaq. declaratio bis iam nouiſſimè exequutioni demandata, prout ſupra, eſt valdè cõformis Statuto Clementis VIII. expreſſo in Capitulo Valliſoleti vbi ſupra, vt poteſt colligi ex verbis ipſis illius citatæ acceptationis primæ, ſi diligenter expendantur.

Quibus addi poteſt caſus expreſſus in eiſdem Cõſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, cap. 5. de electione Magiſtri Ordinis in declaratione tex. 3. *ſub litt. d*, ſequentis tenoris. *Declaramus quod ſi quis Diffinitorum in Priorem Prouincialem electus, & confirmatus fuerit, talis quantum ad actum Diffinitorij debitum, cum ratione officij Prouincialatus in tali caſu electionis Magiſtri diffinire habeat, reputatur non ſuperſtes; & ideò ad diffinitionem alius electus admittetur; ſicuit fuit declaratum Lugduni* 1348. *& Barchinonæ* 1349.

15 Socius Prioris, † euntis ad Capitulum Prouinciale, debet eligi per vota ſecreta, à maiori parte vocalium vltra medietatem; & Electores debent eſſe ad minus ſex vltra Priorem. Vbi enim non ſunt ſex vocales, non poteſt eligi ſocius, Pariſijs 1611. ordinat. 10. Vbi verò ad minus non ſunt ſex vocales, vltra Priorem, pro illo anno non poterit eligi ſocius pro Capitulo Prouinciali: & licet à minori numero poſſit eligi Prior, tanquam neceſſarius pro regimine Conuentus; non tamen de corpore Capituli, Pariſijs 1611. ordinat. 10.

Priores etenim electioni ſocij intereſſe non debent, cap. de electione Prouincia-

uincialis, text. 5. & in declaratione eiuſdem text. *ſub littera c.*

Imò in declaratione eiuſdem text. *ſub littera f*, liquido apparet, quod Priores non debent ſe in electione Socij intromittere, vt fuit declaratum apud Lugdunum 1274. apud montem Peſſulanum 1271. & apud Barchinonã 1323. id prohibetur ſub pœna abſolutionis ab officio, & in Prouincia Romana, & Lõbardiæ, per Ordinationem 12. Illuſtriſſimi Cardinalis Alexandrini confirmatam auctoritate Apoſtolica.

16 Qui eligit Socium in vno † Conuentu, eodem anno non poteſt eligere in alio Conuentu Socium, aliter electio eſt nulla, Pariſijs vbi ſupra Ordinatione 10. ſuper quod extat Ordinatio 12. Cardinalis Alexãdrini pro Prouincia Romana, & Lombardiæ tantum; in qua primò prohibetur auctoritate Apoſtolica, ne idem eligi poſſit in Socium Prioris, ad duo immediata Capitula Prouincialia. Hoc eſt enim conforme Ordinationibus antiquorum Capitulorum Generalium. Nec modo ſuffragatur pro Prouincia Lõbardiæ declaratio Bononiæ facta à Reuerendiſs. Xauierre, in qua aſſeritur virtute viuæ vocis oraculi ſibi facti, fuiſſe declaratum vt in Conuẽtu Bononieñ non obſtante Ordinatione confirmata auctoritate Apoſtolica, de non eligendo illo qui eſt actualis Prior in aliquo Conuentu eiuſdem Prouinciæ Lombardiæ, poſſit tamen in eodem Conuentu Bononieñ eligi in Priorem, etiam ille qui eſt actualiter Prior; cum prędicta oracula fuerint reuocata per S. D. N. Gregorium XV. Idem quoque dicendum eſt de eligendo in Socium Capituli Prouincialis; nam ſupradicta declaratio continebat etiam vt idem poſſet eligi in Socium ad duo immediatè Capitula Prouincialia. De quorum oraculorum reuocatione requiſitus idem S. D. N. Gregor. XV. die 30. Decembris, Reſpondit eſſe reuocata: etſi poſtea facta Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium declarauit non comprehendi conſimilia oracula iam vſu recepta; cui credo ſtandum ſit, de qua latius cap. 5.

Inſuper in eadem Ordinatione prohibetur, ne eligi poſſit in Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, minor triginta annorum: quod ſi ſecus factum fuerit, declarat totum irritum, & inane. Licet Generalis Xauierre auctoritate Apoſtolica diſpenſauerit ſuper illa quoad primam partem tantum, vt latius habetur in litteris patentibus, ſuper hoc ab eo editis, Bononiæ die 18. Decembris 1603. quod ſcilicet idem poſſit eligi in Socium Prioris ad duo immediata Capitula.

Pariter ſi ante mortem, vel amotionem Prouincialis, aliquis Conuentus elegerit ſocium, non erit verus Socius in futuro Capitulo; ſed poſt mortem, vel amotionem tempore congruo, alius Socius erit eligendus, *ibidem*.

Socius Prioris, euntis ad Capitulum Prouinciale eligi debet ex aſſignatis, & præſentibus in Capitulo illius Conuentus, cuius Prioris debet eſſe Socius, diſtinct. 2. cap. 7. text. 1. in tit. *de Capitulo Prouinciali*, in principio dicti cap. vbi textus inquit: *Capitulum autem Prouinciale appellamus Priores Conuentuales, cum ſingulis ſocijs à pluribus de Capitulo ſuo, vltra medietatem eligentium electis*. Capitulum autem nominat præſentes, & vota præſtantes. Itaque eſſe debebit præſens in Conuentu, & Capitulo eligendus in Socium.

17 Nam ſupradictus textus hanc aſſignat differentiam † inter Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, & Diffinitorẽ Capituli Generalis; quod Diffinitor poteſt eligi etiam non de Capitulo, & abſens. Non ſic eſt autem de

Socio

Socio Prioris Conuentualis: nam conſequenter ſaltem diſponit ne in Socium Prioris eligatur abſens.

Diſſinitor Capituli Prouincialis, ſiue
18 Generalis, vel Socius † Prioris, ad Capitulum Prouinciale euntis, vt ritè, & ſufficienter ſit electus, debet habere duo vota ad minus vltra medietatem eligentium. Vide declarat. text. 3. cap. de electione Prioris Conuentualis, quæ diffusè adducitur ſupra, cap. *de forma electionis:* his enim declarãtur multa adducta in hoc cap. quòd ſcilicet Diſſinitor debet eligi à maiori parte, itaut neceſſe ſit quod habeat duo vota, vltra medietatem, quia eligitur vnus de his, qui ſunt de corpore Capituli.

Idem videtur dicendũ de Socio Prioris Conuentualis euntis ad Capitulum Prouinciale, vt patet ex Decreto Pauli Quarti contento in Actis Capituli Generalis 1558. adducto ſuperius cap. 8. Cui Decreto videtur conforme, quod traditur in declaratione text. 1. cap. 2. de electione Prioris Conuentualis, ſub littera A: ibi, *Et idem modus eligendi ſeruetur in electione Prioris Prouincialis, Magiſtri Ordinis, Diffinitorum Capituli Generalis, & Prouincialis, & Socij Prioris Conuentualis euntis ad Capitulum Prouinciale.*

Per quæ ſufficienter declarantur verba textus primi, cap. 7. *de Capitulo Prouinciali, diſt. 2.* in hoc eodem Capitulo, ſuperius relata, quòd videlicet, *ſufficiat vt Socius Prioris eligatur à maiori parte vltra medietatem*. Quod etiam dicitur de Priore, *text. 1. cap. 2. eiuſdem diſt. 2.* nam ad tollendas fraudes, & in ſpecie, ad euitandum ne quis ambitiosè ſeipſum eligat, fuit ordinatum, vt præſens in electione, quæ fit per ſcrutinium, debeat habere duo vota vltra medietatem.

19 Habentes † dignitatem, ſiue officium extra Ordinem Prædicatorum, virtute cuius actu ſint, vel poſſint ad minus ad eorum libitum extra clauſtra commorari, ſiue ab obedientia Prælati Ordinarij Conuentus ſe ſubtrahere, prætextu exercitij illius officij, ſupra quod officium non habet facultatem Præſidens Conuentus, etiam quod ex permiſſione tacita, vel expreſſa, actualiter degat in Conuentu ſuæ aſſignationis; tamen ad præſcriptum Conſtitutionum, & Declarationum Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, debent carere voce actiua, & paſſiua, niſi tali conceſſioni abſolutè renunciauerint legitimè, hoc eſt per inſtrumentum publicum. Hoc inſinuant verba tex. 5. & 6. cap. 13. *de itinerantibus, diſt. 2.*

In Declaratione quorum textuum adducuntur duo Breuia Sixti Quarti, quorum tenores habentur in Actis Capitulorum Generalium Peruſini 1478. quibus ſupradicta confirmantur. In quo Capitulo Peruſino, ac etiam Veneto 1357. fuit etiam editum Statutum quod *Fratres habentes licentiam officiandi extra Ordinem, quandiu officiauerint, nec cellam, nec vocem habeant*. Et antea ex Decreto Sixti Quarti, & in Capitulo Romano 1530. declaratione 5. quod *exempti quouis modo ab Ordine, non habeant vocem, nec actiuam, nec paſſiuam*. Quod totum redditur indubitatum ex diſpoſitione admonitionum Capituli Generalis Romæ 1553. & Ordinationis Capituli Romani 1585. & 1589. relatis in Conſtitutionibus nouiſſimè impreſſis Barchinonæ 1620. in declarat. text. 7. ſupradicti cap. de itinerantibus, *ſub litt. L.*

Supradicta omnia robur, & vim recipiunt etiam ex vſu antiquiſſimo, & conſuetudine immemorabili communi Prouinciarum eiuſdem Ordinis: qui vſus & conſuetudo, ritè effecit, vt ſemper fuerint excluſi ab omni electione Priorum, Diſſinitorum, atque Sociorum

euntium tàm ad Capitulum Generale, quàm Prouinciale, non ſolum Fratres habentes officium extra Ordinem Prædicatorum, verum & illi qui intra eundem Ordinem exercent officia Ordinis; quibus durantibus ſunt exempti ab obedientia Prælatorum immediatorũ Prouinciarum, & Conuentuum, in quibus etiam vt aſſignati degunt, vel ſemper, aut pro maiori parte, vt ſunt Prouinciales, Vicarius, Magiſter Ordinis, Procurator Ordinis, ac eorum Socij; cùm certum ſit de Magiſtro ſacri Palatij, Secretario Indicis, & ſimilibus, qui à Sanctiſſimo, vel à ſacra Congregatione omnino dependent, cum in eorum facultate ſit commorari extrà Ordinem. & ſe ſubtrahere ad libitum ab obedientia Prælati Conuentus, in quo aliquando, vel ſemper degunt. Hoc idem locum habet in eorum Socijs, propter aſſignatas rationes, ac etiam propter vſum, & conſuetudinem, ſaltem quoad vocem actiuam, in ordine ſcilicet ad Socios.

Ad quorum maiorem claritatem ad-
20 ducam, quod † Pœnitentiarij de Vrbe S. Mariæ Maioris, licet ſint ſubiecti correctioni, viſitationi, ac obedientiæ, non ſolum P. Prouincialis Romani, ſed etiã P. Prioris Conuentus Mineruæ pro tempore; quia tamen degunt extra clauſtra; nec ſubiacent pro omni differentia temporis ſupradictis, ob diſtantiam, ſed Vicario eiuſdem à Prouinciali, vel Priore deputando, nunquam admittuntur ad vocem actiuam in electionibus cuiuſcũque generis prędicti Conuentus Mineruæ, etiam quod in dicto Conuentu ſint aſſignati, & ab illo aſſumpti.

Et die 23. Aprilis 1621. in Conſilio grauiorum Patrum, coram Reuerendiſſimo Patre Generali, idem fuit vniformiter reſolutum, ac executioni demandatum, ſemel atque iterum in eodem Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam; præſertim nouiſſimè in electione Prioris eiuſdem Conuentus facta 1624.

Ad obiectionem vero illorum qui aſſerunt eſſe aliqualem vſum, vt ex ſupranominatis admittantur ad electionem, dummodo degant in Conuentu, ſub obedientia Prælati Ordinarij Conuentus, tempore electionis, vel parũ antea.

Reſpondetur, quod contra diſpoſitionem Conſtitutionum, & Declarationum Capitulorũ Generalium, non poteſt allegari vſus, ſed ſolum abuſus, iuxta tradita in prologo Conſtit. Ord. Prædic. qui ſunt penitus extirpandi.

Quæ faciunt ad maiorem claritatem huius, require inferius.

In Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam de Vrbe, anno 1621. circa finem
21 menſis Aprilis, fuit electus † in Socium eiuſdẽ Conuentus N. à maiori parte vltra medietatem tantum: quare cum eſſet præſens, debebat habere duo vota vltra medietatem. Sed cum inter Electores vnus fuerit, qui de facto in eadem electione elegerit inhabilem; fuit dubitatum ſi N. eſſet legitimè electus in Socium Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale.

Cui dubitationi meritò fuit per Superiores reſolutum affirmatiuè, eo quod Elector qui nominauit inhabilem, ſuam caſſauit vocem, cùm elegerit contra formam præſcriptam in Ordinationibus Cardinalis Alexandrini auctoritate Apoſtolica confirmatis, & cecidit à iure eligendi pro illa vice, & ideo non eſt computandus amplius inter Electores. Vnde ad diminutionem numeri Electorum fuit additio vnius alterius, ſiue dimidij voti ad fauorẽ electi N. Exempli gratia ex viginti Vocalibus, habuerat vndecim; in caſu propoſito remanent Electores numero decemnouem: quare vndecim vota faciunt, vt ſit rite electus etiam præſens, ita ut habeat duo vota, ſi- 22

ta, ſiue vnum cum dimidio vltra medietatem. Et ita fuit etiam reſolutum per Patres grauiores congregatos in Capitulo Prouinciali, in Conuentu S. Mariæ ad Quercum Ciuitatis Viterbij; & de facto emiſit vocem in electione Prouincialis tanquam legitimus, ſocius Cõuentus Romani, virtute prædictæ electionis.

Imò Patres ad maiorem claritatem facti, adduxerunt caſum electionis Conuentus Peruſini, in quo olim omnes præter vnum elegerunt inhabilem de iure, in Priorem, & ille vnus elegit habilem. Re delata ad ſacram Congregationem Epiſcoporum, & regularium, ferunt reſpondiſſe, ſolum illum vnum ritè elegiſſe, alios vero malè: ideò de rigore iuris, eſſe ſuſtinendam electionem illius vnius, in quem propter defectum intolerabilem aliorum, deuolutum erat ius eligendi, vt latius patet cap.4. num. 65.

Sed hic caſus inuenitur deciſus à gloſſ. *in cap. ſi alicuius, tit. de elect. §. illa vice*, per ſequentia verba. *Ii qui delinquunt eligendo indignum, vel peccant in forma electionis, priuantur iure eligendi ea vice.* Quod eſt conforme diſpoſitioni *cap. quia propter, tit. de electione*, & *cap. cum in cunctis*. Vbi *tunc*, id eſt, *ipſo iure*, vt inquit gloſſa, pro ea vice remanent priuati poteſtate eligendi, abſque alia declaratione.

Pro maiori firmitate illorum quæ paulò ſuperius traduntur in hoc cap. ponderanda veniunt diligentius verba declarationis textus primi prologi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum nouiſſimè impreſſarum, *ſub littera C*, quibus expreſsè ordinatur, *vt particulares*
22 *conſuetudines † præter Regulam, Conſtitutiones, & Ordinationes Capitulorum Generalium, omnino fugiantur, & amputentur.* Imò paulò inferius ex diſpoſitione Capituli Generalis Bononienſ. 1564. præcipitur Prouincialibus, ac Prælatis, *vt ſi quos Priores, aut Præſidentes Conuentuum inuenerint, qui abuſus inducant, aut conſuetudines noſtris legibus contrarias in communi tolerent, in pœnam ab officijs abſoluant. Non obſtante, quod in iure, conſuetudo diuturna, licet in ſe minus iuſta, præſtet probabilem cauſam dubitandi*; cap. cum cauſam, Panormitan. ibidem num. 3.

Occaſione verborum declarationis text. 5. *ſub littera D, cap. 3. de electione Prioris Prouincialis, diſt. 2.* Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, quibus expreſsè ſtatuitur, quod † prima vox in
23 electione electorum Prouincialis debeat concedi Priori Conuentus: Non defuerunt qui crediderũt Priorem poſſe hodie votum emittere in electione ſocij ſui Conuentus, qui eligitur pro Capitulo Prouinciali, proximè futuro, cùm talis ſocius ſit quoque Elector Prouincialis; non obſtante diſpoſitione præcitati text. ac verborum declarationis illius, *ſub littera E*, vbi prohibetur expreſsè Priori Conuentus, ſub pœna abſolutionis ab officio, ne ſe intromittat de electione ſocij ſui Conuentus.

Quæ videntur pugnare inter ſe, licet re vera nulla inter loca citata inueniatur realis diſſonantia.

Animaduertendum primo occurrit, prout latius apparet ex verbis præcitati text. 3. ad initium, qualiter Conſtitutiones prædicti Ordinis ponunt diſcri-
24 men † ſatis clarum inter Capitulum Prouinciale & ſolam electionem Prouincialis ſolitã celebrari aliquando ſeorſim ſine Capitulo Prouinciali, quando ſcilicet abſoluto iam Capitulo Prouinciali accidit caſus, ſiue per mortem, ſiue aliter vacantiæ Prouincialatus, vt latè dictum eſt ſuperius, cap. 11.

Tunc, & eo caſu antiquitus, quam-

primum cógregabantur Electores Prouincialis, ad effectum tantum eligendi Prouincialem; qua abſoluta electione ſtatim recedebant, neque fiebant Diffinitores, nec de alijs negotijs agebatur.

Secundo: ad effectum enim electionis celebrandæ noui Prouincialis, antiquitus in Ordine Prædicatorum vigebat conſuetudo, vt quilibet Conuentus mitteret duos Electores; vnus quorum fungebatur munere Electoris tantum, alius vero erat Elector, & negotia Conuentus etiam pertractabat, opponendo ſi opus erat, regimini Prioris, inſtando pro illius correctione, ſiue amotione: & hoc totum extat manifeſtum ex verbis ſupra citatis, tex. 3. qui in Conſtitutionibus nouiſſimè impreſſis Barchinonæ 1620. eſt quintus tex. vbi in alia impreſſione erat tertius, præcipuè in illa habita ſub Generali Bandello 1507. In quo textu leguntur ſequentia verba, *Electores Prouincialis, ſunt Prior Conuentus, & duo Fratres pro quolibet Conuentu.*

Quæ Conſtitutio, ſiue Statutum, fuit moderatum 1558. iuſtis de cauſis in particulari expreſſis in declarat. eiuſdē textus, vti cauetur in Conſtitutionibus impreſſis ſub Generalatu Cardinalis Iuſtiniani. Tuncque ordinatum fuit, vt vnus tātum Elector vltra Priorem mitteretur ad Capitulum Prouinciale, pro quolibet Conuentu, qui ſimul dicatur Elector, atque ſocius Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, per hæc verba appoſita in textu. *Ad Priores Conuentuales ſpectat electio Prouincialis, & ad Prædicatores Generales, & ad vnum Fratrem de quolibet Conuentu.*

Ex quibus poſſumus, veritati ſemper innixi, reſpondere ad apparentem contradictionem, quòd ante quidem moderationem Statuti de mittendis duobus Electoribus ad Capitulum Prouinciale pro quolibet Conuentu, Prior Cóuentus poterat cum alijs eligere illum, qui vt Elector tantum accedebat ad Capitum Prouinciale: ſed modo, quia vnus tantum deſtinatur, & illemet explet munus duorum, ſcilicet Electoris, & ſocij; ideo merito prohibetur Priori ne ſe ingerat in electione ſocij illius, pro futuro Capitulo Prouinciali, quando celebratur electio, & Capitulum Prouinciale ſimul.

Siue dicamus, non recedendo à diſpoſitione verborum eiuſdem textus, quòd Prior poterat admitti in numero eligentium Electorū Prouincialis, quando facienda erat ſolum, & tantum electio Prouincialis, in caſu ſuperius declarato, abſque delebratione Capituli Prouincialis. In quo caſu omittebatur etiam tractatus confirmationis, ſiue abſolutionis Prioris, ſed ſolum eligebatur Elector, ſiue Electores.

Hinc eſt quod in quamplurimis ordinationibus Capitulorum Generalium & aliorum Superiorum, recenter ſancitum fuit, vt Priores nullatenus ſe immiſceant in electione ſociorum, pro futuro proximo Capitulo Prouinciali: quod eſt in viridi obſeruantia apud omnes Prouincias, totius præfati Ordinis Prædicatorum.

Quod totum videtur comprobatum, ex verb. declarat. ſiue gloſſæ, text. 4. *cap. de electione Prioris Prouincialis ſub litt. B*, vbi dicitur, *quod ſingulis annis in exordio Ordinis Prædicatorum celebrabantur Capitula Prouincialia ſtatim poſt Capitulum Generale*, quod etiam ſingulis annis fiebat. Si verò poſt Capitulum Prouinciale accidebat mors, ſiue vacantia Prouincialis, ante celebrationem Capituli Generalis, conuocabantur Electores, qui ſimul congregati die ſtatuta, procedebant ad electionem noui Prouincialis; nec tunc celebrabatur Capitulum

Prouin-

Prouinciale, cum iam in proximo fuerit celebratum.

Sed hodie, vti inſinuant verba ipſiuſmet text.4. immediatè ſuperius citati, ad tollendas omnes difficultates, vt plurimū quādo occurrit electio Prouincialis quomodocumque, celebratur etiam ſimul eodē tempore Capitulū Prouinciale. Quare in tali caſu non licet Priori eligere ſocium, ſiue Electorem Prouincialis; prout verba declarationis eiuſdem text. clarè indicant, *ſub littera, B*. Sed poſtmodum vbi inter cætera dicitur, *quod ſi Prouincialis mori, vel amoueri contigerit tempore intermedio Capituli Prouincialis, vel in ipſomet Capitulo Prouinciali, quocumque caſu accidat vacantia, tunc electio* (inquit declaratio) *pertinere debet ad Capitulum Prouinciale, & non ad Electores*.

Et ſtatim ſubiungit ad maiorem facti claritatem, hoc eſt, *ad Priores cum ſingulis ſocijs, ad Magiſtros in Theologia, & ad Prædicatores Generales*. Hæc in declarationibus ſupradictis.

In Conſilio Romæ habito, coram me in abſentia Reuerendiſs. Patris Generalis die 29. Octobris 1622. in quo aderant Patres grauiſſimi diuerſarum Prouinciarum intus, & extra Italiam, conformiter ad diſpoſitionem text. ſecudi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, diſt.2.cap.1. fuit vniformiter concluſum, & reſolutum: In illis Con-
25 uentibus † in quibus pro maiori parte anni, non permanſerunt aſſignati duodecim Fratres, & ſex ad minus vocales vltra Priorem, non poſſe fieri electionem ſocij, ſiue ſociorum, euntium ad Capitulum Prouinciale; & ſi fiat, totum ſit irritum, & inane.

Quam declarationem confirmauit ſuis litteris Reuerendiſſimus Pater Generalis Frater Seraphinus Siccus, reuerſus ad Vrbē, ſub die 23. Nouemb. 1622. intimatis Neapoli, propter imminens Capitulum Prouinciale. Quarum litterarum tenor eſt ſequens, intus.

Reuerendo Patre Priore S. Hauendomi il Padre Procuratore dato parte dell'ordine intimato per mezzo di voſtra Riuerenza alli Conuenti della noſtra Prouincia del Regno d'Abruzzo, e della Sanità, circa il non poterſi far compagni in quelli Conuenti, nelli quali per la maggior parte dell'anno non ſono ſtati dodici Frati, conforme alla diſpoſitione delle noſtre ſacre Conſtitutioni, diſt.2.cap.1.text.2. ſub littera, E. *Hauendomi anco fatto vedere vn Conſeglio tenuto auanti di lui, prima del mio ritorno à Roma, nel quale fu vnanimamente riſoluto da molti Patri graui di diuerſe Prouincie, che in detti Conuenti non ſi poſſano far Compagni per il futuro Capitulo Prouinciale; e caſo che gli faceſſero, ſia dichiarato il tutto nullo, & irrito: Per tanto in virtù della preſente, ordino à voſtra Riuerenza, che per leuare ogni occaſione di ſtrepito, faccia ſapere nelli ſudetti Conuenti, come la mente mia è, che ſia oſſeruato dett'ordine dato come di ſopra in mia aſſenza dal Padre Procuratore, per eſſer conforme alli Statuti Apoſtolici, & alle noſtri Leggi; e del ſeguito me ne darà auuiſo. Con che fine alle ſue orationi con li compagni mi raccommando. Di Roma li 23. Nouembre 1622.*

P.V.A.R. Conſeruus in Domino.
Frater Seraphinus Siccus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum.

A tergo,

Al R.P. Priore del noſtro Monaſterio di S.Sebaſtiano dell'Ordine de' Predicatori, Napoli S.Sebaſtiano,
Magiſter Ordinis.

Hoc idem fuit concluſum in alio Cōſilio habito coram eodem Reuerendiſs. Patre Magiſtro Ordinis ad inſtantiam

Patrum Prouinciæ Regni 1625. ac de nouo intimatum eidem Prouinciæ, ac executioni demandatū in Capitulo Prouinciali, celebrato in Conuentu S. Dominici Ciuitatis Neapolitanæ.

26 Idem † quoque, quantum ad non emittendum votum in electione Prouincialis, ſtatuitur de Priore illius Conuentus, qui non habet numerum duodenarium, nedum tempore celebrationis Capituli, ſed per totum tempus anni. Et in eodem textu, licet clarius in declaratione illius, ſtatuitur ne Prior Conuentus, qui non habuit numerum duodenarium, ac etiam Lectorem, Doctorem Conuētus appellatum, qui actu Fratribus legat, poſſit emittere vocem in electione Prioris Prouincialis.

Diſpoſitio, ſiue potius declaratio contenta in ſupradictis litteris, nedum habet fundamentum in verbis tex. 2. cap. 1. *diſt.* 2. verum quaſi ad verbum colligitur ex eodem textu, vbi excipiuntur tantum Prouincia Hieroſolimitana, & Græcia. Ideo nequit dici, nec contra, nec præter illud quod ſtatuitur in Capitulo Generali Neapolitano, declarat. 9. quod vbi non ſunt quinque vocales excepto Priore, non poſſit eligi Socius Capituli Prouincialis; & ſi ſecus factum fuerit, electio remanet nulla.

Quod poſtea ampliatur in Capitulo Generali Pariſino 1611. Ordinat. 10. vt ſint ad minus ſex vocales, pro eligendo Socio Capituli Prouincialis, excepto ſē per, ſiue vltra Priorem; cui Priori ex diſpoſitione Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, & Ordinationum Capitulorum Generalium, electioni Socij intereſſe prohibetur, vt habetur expreſſè in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum nouiſſime editis Barchinonæ 1620. in declaratione præcipiuè text. 5. cap. 3. diſt. 2. *ſub litt. e*, vbi citantur declarationes ſuper hoc factæ, apud Montem Peſſulanum 1271. Lugduni 1274. & Barchinonæ 1323. per ſequentia verba: *Nec Priores electioni Socij intereſſe debent*.

Quamobrem ordinata in præcitatis Capitulis Neapolitano, & Pariſino, declarant id quod ſub dubio relinquit textus Conſtitutionis, cap. 1. *de domib. concedendis, diſt.* 2. vbi ſtatuitur numerus duodenarius computandus ex Fratribus tam Clericis, quàm Conuerſis, tam vocalibus, quàm non vocalibus; vbi nulla fit mentio determinata de numero vocalium. Ideò in Capitulo Generali Romano 1559. confirmatur declaratio facta in præcedenti Capitulo Romano 1553. videlicet, *quòd Conuentus qui Fratrum vocalium numerū ſaltem ſenarium nunquam habuerint, tanquam non Conuentus æſtimentur, ab eiſque titulus Prioratus ſubtrahatur. Qui autem aliquando integrum numerum habuerunt, & modo ad hoc redacti ſunt, vt quatuor Fratres vocales cum Priore non habeant, titulo Prioratus gaudere interim permittantur; Socium vero ad electionem Prouincialis, vel ad Prouinciale Capitulum, nequaquam eligant*. vbi ſubditur immediatè: *Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane*.

27 Nec in minimo † facit difficultatem declaratio Capituli Generalis Romani 1559. ad eundem ſecundum text. ſuperius adductum, cap. 1. *diſt.* 2. *de domibus concedendis*, in quo expreſsè ſtatuitur, ne Prior illius Conuentus, qui non habet numerum duodenarium Fratrum, poſſit vocem emittere in electione Prouincialis: nam prædicta declaratio ritè intellecta, directè neque indirectè aliquid ſtatuit contra diſpoſitionē prædicti textus, cuius verba ſunt: *Qui autem* (idest Conuentus) *aliquando integrum numerum habuerunt, & modo ad hoc redacti ſunt, vt quatuor Fratres vocales cum Priore non habeant,*

habeant, titulo Prioratus gaudere interim permittantur. Quibus verbis nihil prorſus conceditur Prioribus Conuentuum non habentibus integrum numerum, etiam quod habeant quatuor vocales.circa emiſſionem voti in electione Prouincialis; ſed ſolum,ac tantum reſtrictè conceditur vt poſſint habere, & gaudere titulo Prioratus. Nec valet illatio fundata ſuper argumento negatiuo quorũdam dicentium: Non poteſt in præfatis Conuentibus eligi Socius pro futuro Capitulo Prouinciali, ergo poterit emittere vocem Prior. Quia argumentum negatiuum, vt ſciunt omnes, nihil concludit; & negatio ſocij, nec directè, neque indirectè poteſt inferre affirmationem Prioris, quoad vocem emittẽdam.

Si quis verò curiosè quærat, quare fiat hæc expreſſio negatiua de Socio; dicam hoc fuiſſe etſi non neceſſarium,ſaltim vtile: nam in text. 2. præcitato duo exprimuntur de Conuentibus,qui non habent integrum numerum duodecim Fratrum; primum eſt de Priore, ſecundum de Socio non eligendo, cum Decreto irritante, *quod ſi oppoſitum factum fuerit, totum ſit irrititum, & inane*. Vt igitur cunctis appareret nihil fuiſſe determinatum de Socio in illa declaratione, præter id quod ſtatutum fuerat in tex. ideo vtile fuit, & forte neceſſarium, exprimere negatiuam de Socio non eligendo.

Reſpondetur ſecundo, quod fuit neceſſarium, vt fieret ſpecialis mentio, & excluſio de Socio non eligendo,vbi non eſt numerus duodenarius Fratrum, in declaratione Capituli Generalis Romani 1559. quia antequam in Capitulo Neapolitano 1600. declaratione 9. fieret renouatio ſtatuti, quod non poſſet eligi Socius pro Capitulo Prouinciali, vbi non ſunt ad minus ſex vocales; quod fuit confirmatum Pariſijs 1611. in Conuentibus, in quibus erant tres, vel quatuor vocales, eligebatur Socius; licet etiam hoc non poſſet fieri propter diſpoſitionem contrariam textus cap. 1. de domibus concedendis,de quo ſupra. Nam tunc reſpiciebant ſolum ad id, quod habetur in dicto textu, in quo non præfigitur numerus determinatus vocalium pro electione Socij, omittentes conſiderare, quod non poterat eligi Socius, niſi in eodem Conuentu eſſet numerus duodenarius: cui abuſui cum occurrere vellent Capitula Generalia, de quibus ſupra,determinarunt numerum Vocalium pro electione Socij, vt ſint ſcilicet ſex, & non in minori numero. Et hæc eſt ratio, quare declaratio Capituli Generalis Romani 1559. facit ſpecialem excluſionem electionis Socij pro Capitulo Prouinciali.

Vel dicamus tertio, quod Priores titulares tantum poſſunt quidem adire locum Capituli Prouincialis, nõ tamen emittere vocem: Quemadmodum & Vicarij locorũ, de quibus certiſſimum eſt, quod non habent vocem. Intentio itaque Capitulorum Generalium ea fuit, ad euitandas expenſas ſimul cum Priore titulari,ne adiret Capitulum Prouinciale etiam ſocius ipſius Conuentus minoris, ſed ad pertractanda negotia Conuentus ſufficiebat Prior. Ideo verba declarationis cap. 1559. ſunt. *Socium vero ad electionem Prouincialis, vel ad Prouinciale Cap. nequaquam eligant*. quod eſt dicere; minores Conuentus carentes numero duodenario, licet habeant quatuor vocales, nequeunt ſocium eligere pro electione futuris Prouincialis, vel ad pertractanda negotia Conuentus in Capitulo Prouinciali.

Et ſi quis iterum inſtet, quare etiam de Priore non ponatur negatiua quo ad emiſſionem voti: Reſpondetur primò, virtualiter contineri in verbis relatæ decla-

clarationis. Secundò, quod ſatis erat vt faceret mentionem de titulo Prioratus: nam vt patet, ſupradicta declaratio edita fuit in confirmationem, & declarationem ſimul alterius declarationis conditæ in præcedenti Capitulo Romano 1553. in qua ſtatutum fuerat, vt *Conuentus qui Fratrum vocalium numerum ſaltem ſenarium nunquam habuerint, tanquam non Conuentus æſtimentur; & quòd ab eis ſubtrahatur titulus Prioratus.* Quæ declaratio modificata fuit in ſequenti Capitulo Generali 1559. quoad reſtitutionem tituli Prioratus tantùm, modo paulò ſuperius explicato. Itaque nec minimum quid contradictionis, neque difficultatis inuenitur inter verba textus ſecundi de quo ſupra, & declarationem, ſiue declarationes ipſius.

Cuncta hæc ſeruantur in multis Prouincijs præſertim Italiæ, & præcipuè in Prouincia ſanctæ Catharinæ de Senis, quæ Aprutina nuncupatur; in qua ſunt aliqui Priores Conuentuum, de quibus inferius dicā, qui ſolo titulo Prioratus gaudent, non tamen emittunt vocem in electione Prioris Prouincialis.

Diſpoſitio verò ordinationis Capituli
28 Pariſini *num.* 10. qua ſtatuitur † vt poſſit eligi ſocius in eo Conuentu in quo ſunt ſex vocales, neceſſariò venit exponenda conformiter ad textum & declarationes, de quibus ſupra, vbi ſunt duodecim Fratres, & inter illos ſex vocales, ad minus; dummodo in eodem Conuentu fuerint aſſignati pro maiori parte anni; tunc & eo caſu poteſt eligi ſocius, qui habebit vocem in electione futuri Prouincialis, iuxta Regulam generalem, quòd Lex particularis interpretanda ſemper venit ſecundum ſenſum, & explicationem legis communis, niſi in illa caueatur contrarium, & legiſlator euidenter declaret mentem ſuam fuiſſe per legem particularem noluiſſe derogare diſpoſitioni legis communis, ob cauſas ſibi benè viſas.

Cuncta hæc ſimul declarantur, atque confirmantur ex traditis per modum declarationis in Capitulo Generali Pariſijs celebrato die 22. Maij 1611. vti eſt videre in actis illius, tit. *Prouincia Aprutina*, ad calcem illius tit. per ſequē-
29 tia verba. *Declaramus Domos † noſtras S. Ioannis Baptiſtæ de Atrio, Beatæ Mariæ Annunciatæ de Caſtro Sangri, & ſancti Ioannis Baptiſtæ de Teramo, priuatas eſſe, quemadmodum etiam per præſentes priuamus, priuilegijs Prioratus, & præſertim voce in Capitulis Prouincialibus eiuſdem Prouinciæ; & reducimus illas ad priſtinum ſtatum, in quo erant antequam à Reuerendiſſimo Patre noſtro Magiſtro Generali Ordinis, huiuſmodi priuilegijs donarentur, cùm appoſitam in erectione earum ad titulum vocem & priuilegia Prioratus, conditionem nempe quod duodecim Fratres de facto alerent, ex tunc vſque adhuc minimè ſeruauerint, neque ſeruent.*

Quod autem explicatio ſuperius à me adducta ad Ordinationē decimam Capituli Generalis Pariſini eiuſdem Ordinis Prædicatorum anni 1611. ſit certa, & indubitata, & ſecundum litteram, & ſenſum verborum ipſius, euidenter demonſtratur, ex verbis Confirmationis cuiuſdam declarationis factæ in eodem Capitulo Generali Pariſino, eodem anno, pro omnibus Prouincijs Indiarum, & proportionaliter, pro toto Ordine, vti videre eſt in actis eiuſdem Capituli, tit. *Sancti Laurentij de Chile*; per ſequentia verba. *Confirmamus declarationem factam in Capitulo præcedenti Romæ celebrata anno Domini 1608. Quod*
30 *Conuentus, qui † exiſtunt apud Indos, qui non habent duodenarium numerum Fratrum, non poſſint eligere ſocios Priorum, qui habeant vocem in Capitulo Prouinciali: Volumuſque vt etiam ad Conuentus eiuſdem*

dem Prouincia, qui ſunt inter Hiſpanos, extendatur. Ad eligendum itaque Socium pro Capitulo Prouinciali collectiue requiruntur duo neceſſaria. Primum eſt, vt adſint in eodem Conuentu iam aſſignati ſex Vocales, vltra Priorem. Secundum, conformiter ad textum præcitatum Conſtitutionum, vt per annum Conuentus ille habuerit numerũ duodenarium Fratrum; nec aliter eligi poteſt, vt habeat vocem in electione futuri Prouincialis.

Veritatem contentorum tex. 1. cap. 1. diſt. 2. Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, *de domibus concedendis.* & pariter in declarationibus eiuſdem tex. de numero duodenario Fratrum in quolibet Conuentu neceſſario alendo, per annum, adhoc vt Prior illius Conuentus vocem habeat in electione futuri Prouincialis; aperte nimis demonſtrant verba confirmationis Capituli Generalis Valliſoleti 1605. tit. Confir. num. 6. quæ ſunt: *Confirmamus illam, vt poſſibilis adhibeatur diligentia, ne in Conuentus, & Prioratus erigantur loca, quæ poſtea taxatum numerum Fratrum, iuxta noſtras Conſtitutiones ſuſtentare nequeant. Quare in poſterum nulla Domus in Prioratum erigatur, aut erecta intelligatur, quantumcunque conceſſio facta fuerit, niſi per annum integrum ante duodecim Fratres religioſe aluerit, & pro religioſis neceſſitatibus plenè prouiderit.*

Eadem de neceſſitate numeri duodenarij Fratrum confirmatur ex diſpoſitione Decreti Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, cuius exemplar hic apponitur.

DECRETVM

Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſsimorum Dominorũ Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum.

Cvm aliàs fel. rec. Clemens Papa viij. decreuerit Ordinarios locorum licentiam ad nouos Conuentus, cuiuſcumque, præſertim Mendicantium Ordinis, in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis erigendas, impartiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus; & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita, in eiſdem Ciuitatibus, & locis, nouos huiuſmodi erigendos Conuentus, ſine aliorum detrimento commodè ſubſtentari poſſe conſtiterit. Si verò ab eorum ſententijs ad Sedem Apoſtolicam prouocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum ſuſpendere debere, quandiu à dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit; ac aliàs, prout in Decreto huiuſmodi plenius continetur. Verum per pia mem. Paulum Papa V. accepto pleroſque ex Ordinarijs prædictis fauore, vel nimia expoſcentium importunitate ad nouos Conuentus, ſeu domos, præter & contra tenorem prædicti Decreti erigendos plerumque adduci; quo fit vt non habita debita eleemoſynarum, ſeu redditnum cuiuſcumque Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut Religioſi, ibi degentes manuteneri nequeant; & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus diuinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique Regularis diſciplina, vt conuenit conſeruari non valeat: Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Dominorum Cardinalium negocijs Regularium præpoſito-

poſitorum, ad quos idem Papa Paulus V. negotium huiuſmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti huiuſmodi veriores, ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pro planè, & ſufficienter expreſſis habens, viuæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum, quatenus opus ſit, innouat, & in vſum reducit. Volens quòd de cætero Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel ſocietas Religioſorum, ſeu Regularium cuiuſcumque, etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & Inſtituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacunque Ciuitate; vel Oppido, ſeu quocunque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi habitare, ac ex redditibus, ſeu eleemoſynis conſuetis ſubſtentari valeant; ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum, ſeu Domorum, aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum huiuſmodi, non ſolum in prædictis, ſed etiam in alijs per quatuor millia paſſuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs, vt in alijs locorum conſtiterit, Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus Regularis ſic erigendi, ſeu erigendæ, abſque detrimento religioſorum in Monaſterijs, ſeu Domibus antea in Ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe. Si verò noui Conuentus, Congregatio, vel Societas huiuſmodi inſtituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur; Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant, huiuſmodi duodecim religioſos in Conuentibus, vt præmittitur inſtituendis, commodè alere, & manutenere valeant. Si vero à Decreto, ſeu Decretis per Ordinarios prædictos in cauſis huiuſmodi ferendis legitime appellari contigerit eis, nunc, prout ex ea die quo appellatio interponetur, ea ad eandem ſacram Congregationem, vna cum toto negocio principali deuoluta cenſeatur; appellationeque huiuſmodi pendente nihil innouandum eſſe: irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernens; quibuſcunque in contrarium facien. non obſtantibus. Romæ 17. Auguſti 1621.

Antonius Card. Saulius.

Locus † ſigilli.

N. Zambeccarius Secret.

Summa Cap. XVI.

1 *Appellatio ne fiat electio, non tenet, niſi aſſignetur cauſa probabilis.*

2 *Appellantes contra electionem, vel poſtulationem, debent exprimere in ſcriptis ea quæ obijciunt, & iurare de eorum veritate; quod iuramentum debet apponi in appellatione, &c. & num. 14. & 15.*

3 *Appellatio iudicialis ſuſpendit effectum iuriſdictionis iudicis à quo; ſecus verò extraiudicialis.*

4 *Appellatio interpoſita ab eo, cuius non intereſt, non eſt valida.*

5 *Electores ſi appellent poſt elapſum tempus à iure ſtatutum, non audiuntur.*

6 *Poſſunt Electores, noua ſuperueniente cauſa, impugnare electionem à ſemetipſis factam.*

7 *Appellans contra determinatam perſonam, ne eligatur, debet obſeruare Conſtitutionem Gregorij X.* Vt circa. *& nu. 13.*

8 *Appellans opponendo perſonæ electæ, vel ipſimet*

ipſimet electioni aliquem defectum, &c. ſi non probat, condemnandus eſt iuxta formam cap. Statuimus, *& nu. 12.*

9 *An & quomodo poſſit opponi à minori parte contra electum à maiori parte in duplo.*

10 *Appellans opponendo; & non probans, quomodo puniatur.*

11 *Monachus poteſt agere in iudicio pro iure ſibi ex electione quaeſito.*

16 *Appellatio an debeat ſemper fieri per inſtrumentum publicum; an poſſit aliquando fieri per litteras priuatas.*

17 *Appellatio in materia electionis malè formata, excludit ius partis.*

18 *Adducitur formula appellationis ritè factæ.*

19 *Legitimè electus, quem confirmator non vult confirmare; ſi appellet ad Superiores maiores; & appellatione interpoſita, Confirmator eum confirmet, tenet confirmatio. Limitatur, vt nu. 20.*

CAP. XVI.

De Appellatione, quæ ſolet ab Electoribus interponi circa iam celebratam, vel celebrandam electionem.

Appellatio ne fiat electio, ſimpliciter, & abſolutè
1 non valet, † nec eſt admittenda. Si vero appellatio contineat ne fiat electio niſi canonica, & aſſignetur probabilis cauſa appellationis, talis appellatio valet & eſt admittenda, *cap. conſiderauimus, in princip. de elect.* Gloſſ. & Panormi & *cap. cum nobis in princip. eod. tit.* vti quando adeſt cauſa vera, & realis an aliqui ſint legitimi Electores, præſertim innodati excommunicatione; ſuper quibus difficultatibus pro habenda reſolutione ſcriptum eſt ad Superiores Prouinciæ, vel Religionis; in tali caſu horum reſolutio expectanda eſt; præſertim quando non imminet terminus vltimus temporis, in quo de iure celebranda eſt electio.

2 Appellantes † contra electionem, vel poſtulationem, omniaque obijcere intendentes contra perſonam, vel contra formam, tenentur exprimere in ſcriptis, & iurare quod credunt illa eſſe vera, & quod ab illis poſſint probari. Contra non probantes extat Statutum Innocentij in ſuo robore, *cap. vt circa* de electione *in 6.* & gloſſ. *ibid.* & Doctores. Quod iuramentum apponi debet in litteris oppoſitionis ſeu appellationis, ad præcludendam viam hominum malitijs; & ab appellantibus debet ſubſcribi; ex eodem *cap. vt circa*, quoties appellatur contra perſonam ſiue perſonas certas.

3 Appellatio † iudicialis ritè facta ſuſpendit iuriſdictionem iudicis ordinarij: Appellatio verò extraiudicialis non parit hunc effectum, *cap. quia propter*, Panorm. *ſupracit. §. nu. 4.*

Electio facta poſt appellationem legitimam, de qua ſupra, caſſanda eſt, & ipſo iure eſt nulla, *cap. conſiderauimus*, in princip. de elect.

4 Appellatio † interpoſita ab illo cuius non intereſt, id eſt, non eſt de numero eligentium, non valet, *cap. cum inter*, de electione; Butr. *ibid. num. 14.* inquit, *non audiuntur appellantes, quorum non intereſt:* quemadmodum nec audiendi ſunt Ele-
5 ctores, ſi appellauerint † poſt elapſum tempus à iure conceſſum ad appellandum; ita communiter omnes, vbi ſupra, *cap. cum inter*, præſertim Mandagotus *de elect. 3. par. cap. 60.* & Boerius *ad idem capus.*

6 Electores † poſſunt impugnare eorum electionem ex noua cauſa ſuperueniente, *cap. innotuit, de electione*, Panorm. *ibid. nu. 12. & 13.*

7 Ex cap. *qui contra in 6.* hæc † habentur: *Qui contra certam, & nominatam perſo-*

Digitized by Google

perſonam, ne ab alijs eligatur, ad Sedem Apoſtolicam, antequam fiat electio, duxerit appellandum; debet per omnia in appellando ſeruare formam Conſtitutionis fel. record. Gregorij Papæ X. prædeceſſoris noſtri, Vt circa, edita in Concilio Lugdunen. ac ſi electione iam facta eum contingeret appellare: Alioquin non obſeruans, pœnæ Conſtitutionis eiuſdem ſe nouerit ſubiacere. Quæ, vt animaduertit Gloſſ. *ibidem*, intelliguntur, nedum de electione ſecuta, verum etiam de electione facienda, quoties appellatur contra certam, & determinatam perſonam, alias non valet appellatio, nec auditur.

Qui appellat ab electione iam facta,
8 opponendo † perſonæ electæ, quod non habeat ſufficientem ſcientiam ad illam dignitatem, vel quod ſit homicida, & excommunicatus, vel alium defectum euidentem opponat in forma electionis, vel ſcrutinij; ſi effectus oppoſitus perſonæ probatur, declarabitur ineligibilis, & inhabilis; ſi autem non poſſit probari defectus contra perſonam electi, ipſe appellans condemnabitur, & punietur iuxta tenorem cap. ſtatuimus, ac ſi in omnibus prætenſionibus defeciſſet; nec vltra admittetur ad improbandam electionem, *cap. ſi forte, in 6. de electione, & cap. quamuis, in 6.*

Vbi pro maiori firmitate, & clariori intelligentia prædictorum, vtile duxi, ne dicam ſimpliciter neceſſarium, hic referre ſingula verba cap. *ſi forte*, de electione in 6. & ſunt. *Si forte inter cetera quæ obijciuntur electo, aut poſtulato, ſeu alias promouendo ad aliquam dignitatem, euidentem ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponi contingat: in diſcuſſione obiectorum, illum ſtatuimus ordinem incommutabiliter obſeruandum: vt promouendus ſuper defectu ipſo ante omnia ſubijciatur examini: cuius euentus examinandis alijs, aut dabit initium, aut negabit. Cæterum ſi præmiſſi examinis exitus huiuſmodi oppoſitiones docuerit veritate deſtitui: opponentes omnino à proſecutione cauſæ, in qua talia obiecerunt, excludimus; & perinde puniri decernimus, ac ſi penitus in probatione omnium, quæ obiecerant, defeciſſent.* Quamobrem caute procedendum eſt, & non præcipitanter ad interponendam appellationem: nam temerariam appellantium audaciam, & frequentiam refrænare debent Superiores, ac repellere friuolas appellationes, puniendo acriter opponentes, & male appellantes, vt dicitur in præcitato capitulo, & in alio antecedenti immediate, *quamuis 10. eodem tit. in 6.*

9 Contra electum † à duabus partibus ex tribus Electorum non poteſt à minori parte rationabiliter opponi: & ſi illa minor pars opponat dicendo quod dimiſerunt digniorem, & ſimilia, non ſunt audiendi. Si vero opponeret, & probaret quòd aliqui ex Electoribus erant excommunicati, excommunicatione maiori, talis oppoſitio iuſta cenſetur. Vnde regula generalis eſt, quod in electione facta à maiori parte in duplo, ſi alia minor opponat aliquem defectum, per quem attenuentur vota eligentium, non eſt audienda. Si vero opponat defectum per quem annullentur vota, & illum probet, eſt audienda, *cap. ſi quando 9. in 6. de electione.*

Appellatio in electionibus, prouiſionibus, poſtulationibus, & huiuſmodi, habet nonnulla ſpecialia, de quibus *in cap. 1. de electione, in 6.* nempe vt ſi ap-
10 pellans † ad Papam, ſiue opponat in formam, ſiue in perſonam, atque etiam defendens; à die obiectionis infra menſem, arripere debent iter eundi ad Papam. & ſi pars altera expectata per viginti dies, poſt aduentum alterius non venerit, in negotio proceditur; & appellans non probans quod opponit in

formam,

formam, condemnatur partim in expenſis. Non probans autem quod obijcit in perſonam, per triennium eſt ſuſpenſus à beneficijs: & ſi interim ſe in illa miſcuerit, eſt perpetuo ipſis beneficijs priuatus. Hæ tamen pœnæ non haberent locum, ſi legitimè pateret eum non fuiſſe calumnioſum. Hæc ibi, *in cap. ſtatuimus, primo de elect. in 6.*

11 Monachus † etſi proprium non poſſideat, poteſt nihilominus in iudicio pro iure ſibi ex electione ad dignitatem quæſito agere, Butr. *in cap. cum inter de electione, num. 2.* ſeruatis tamen ſeruandis.

12 Obijciens de crimine † contra electum, ſiue electionem, puniri debet, ſi deficiat in probatione. Petrus de Baiſio id colligit ex diſpoſitione *cap. vt circa, de elect. in 6.* vna cum Phil. & Panor. *in cap. ſuper his, de accuſat.* quemadmodum videre eſt in ſuo Direct. elect. *cap. 46. 3. par. nu. 8.*

13 Cum itaque negocium † admiſſionis, vel reiectionis, appellationis factæ contra celebratam, vel celebrandam electionem, ſit maximi momenti, & cauſa cognitionis ipſarum appellationũ connumeretur inter cauſas maiores, vti videre eſt *in cap. quamuis, de elect. in 6.* vtque via præcludatur malitijs hominũ, neuè diutius periculosè vacent Eccleſiæ, ſiue Conuentus, vel Monaſteria: in rigore obſeruanda veniunt, quæ in Capitulis ſacrorum Canonum, paulò ſuperius in hoc capite relatis, continentur, præſertim in cap. *vt circa electiones, tit. de elect. in 6.* vbi inter alia expreſſè præcipitur, vt in litteris appellationis, quæ ſemper in ſcriptis neceſſario fieri debet, exprimantur omnia, & ſingula, quæ appellans, ſiue opponens, intendit obijcere, contra formam, vel perſonas: & hoc fieri debet coram perſonis authenticis. Gloſſ. ad præcitatum capitulum, *vt circa,* inquit, *Intellige illam perſonam authenticam hic appellari, quæ præeſt iuriſdictioni:* & immediate ſuperius dixerat, *Coram aliquo autem fieri dicitur, quod fit eo ſciente, & intelligente, licet non conſentiente.*

Quibus additur aliud neceſſarium,

14 quòd ſcilicet † appellans debet præſtare iuramentum corporale, quod credit ea eſſe vera, & eadem ſe poſſe probare, quæ appoſuit in litteris appellationis. Super quo, inquit Gloſſ. vbi ſupra, *Per hoc dicas, ſecundum Guil. & Gar. quod*

15 *ſi iurat † præſente textu Euangeliorum, & non tangat, quod huic Conſtitutioni* (Concilij Lugdunenſis, ſub Gregorio X. de qua in capitulo præcitato, *vt circa,*) *ſatisfactum non eſt: & ſic Papam Nicolaum in hoc interlocutum, dicunt. Si autem Euangelia tangeret pede, vel cubito, ſi manus habet; non ſufficit, quia ſingula membra, ſingula habent officia.* Et paucis interiectis, ſubdit. *Facit enim contra generalem conſuetudinem, quæ eſt optima interpres legum.* Quamobrem in textu eiuſdem præcitati capituli *vt circa:* expreſſè habetur ad exprimendam neceſſitatem prædictorum, quæ rigoroſe ſeruari debent, in appellationibus, de quibus ſupra: *Alioquin tam opponentes, quàm (tempore appellationis interpoſitæ, vel poſtmodum) adhærentes, eiſdem obijciendi aliqua, quæ non fuerint in huiuſmodi litteris, vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi nouerint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit; vel ſuper antiquis ſuperuenerit, probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de nouo peruenerint, quæ appellantes appellationis emiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint.*

Præſuppoſito ſemper illo quod expreſſè præcipitur in littera textus eiuſdem capituli, *vt circa, de elect. in 6.* vt

16 appellatio † fiat per inſtrumentum publicum

blicum Notarij, ſiue Tabellionis, vbi Gloſſ. verb. *Litteris*, inquit. *Teſtimonialibus, ſcilicet, ſigillo authentico ſigillatis, de offic. ord. ſi Canonici, & in decret. cum medicinalis, de ſent. excomm. Vel dic, quod ſufficit, ſi per ſuam, vel alterius priuati manum fuerint litteræ conſcriptæ. Probabitur tamen talis ſcriptura per teſtes: tamen ſecundum Guil. prior intellectus præualet. & ideo dictum eſt de litteris, quia in pleriſque locis vſus tabellionum non habetur; ſed inſtrumentorum loco habentur Officialium litteræ.* Itaque hoc quod dicit Gloſſ. de litteris priuatis, locum habere poteſt, ſolum, ac tantum, in defectu Notarij, quando ſcilicet non inuenitur Notarius vel Tabellio.

His pariter addendum eſt illud Mandagoti *de elect. 3. par. cap. 60.* & Boerij ibidem. *Caueat ergo ſibi ab initio quilibet qualiter appellabit.* Quod exponens Boerius, *vbi ſupra ſub littera, F*, inquit. *Nam tutius eſt, non appellare, quam appellare, vel appellationi alterius adhærere, vt dictum eſt ſupra, cap. 59. forma 17. in Gloſſ. vbi non eſt appellatum.* Inſuper tradunt Mandag. & Boerius, ex auctoritate Canonum, & iuriſperitorum, præſertim Bartholomæi de Firmo, in 4. par. 2. lib. 3. quæſt. vltima, quod ille, *qui excipit de crimine contra electum, & maxime confirmatum, debeat ſe obligare ad pœnam extraordinariam.*

17 Docent quoque *quod licet* † *appellatio, male formata non excludat ius partis, ſecundum deciſ. Rotæ 156. in antiquis; fallit in hoc caſu*, ſcilicet appellationis in materia electionis, propter ſuperius adducta; etiam quod defectus ſint circa ſolemnitates, quas præcipiunt textus Canonum, de quibus ſupra. Immo addunt, ſemper innixi argumentis Canonum, legum, & præclariſſimorum Doctorum. *Ex quo ſemel cecidit* (intellige appellans) *per male formatam appellationem, vlterius admitti non debet ad appellandum.*

Hinc eſt, quod celeberrimi Doctores, prædicta omnia diligentius ponderantes, dicunt, de appellante in caſu, de quo ſupra. *Si non credit, poſſe probare omnia & ſingula, taceat & appellationem omittat; adhæreatque tantum illi poſſunt appellationi, quorum intereſt, & non alij*; hoc eſt Electores, & electus, *ex cap. cum inter, de electione*: dummodo tamen hæc fiant, ſeruatis omnibus, ſeruandis & non aliter.

Quia tamen interdum in electionibus, poſtulationibus, inſtitutionibus, vel prouiſionibus Prælatorum, vel aliorum Officialium, appellationes interponuntur, quæ cum non ſint rectè, ac ritè formatæ, ideò iuſtè repelluntur: hinc eſt quod neceſſarium exiſtimaui, hic apponere, formulam quam adducit Mandagotus, *vbi ſupra cap. 60. forma prima*, vt mutatis mutandis, vt puta, loco, tempore, & perſonis, cuncta rectè fiant. Eſt igitur formula, de qua ſupra.

18 *In Nomine* † *Domini, Amen. Nouerint vniuerſi, quod P. Canonicus Nemauſen. in præſentia mei tabellionis, & teſtium infraſcriptorum, ab electione facta de B. Archipresbytero in Eccleſia Nemauſen, ſub infraſcripto tenore ad Sedem Apoſtolicam appellauit: & nihilominus tactis à ſe Sacroſanctis Dei Euangelijs, corporale præſtitit iuramentum, quod credit, omnia, & ſingula in appellatione ipſa expreſſa eſſe vera, & ſe poſſe probare: ipſius autem appellationis tenor dignoſcitur eſſe talis. Cùm in ſubſidium oppreſſorum appellationis remedium ſit inuentum: ideo ego P. Canonicus Nemauſen. conſiderans, quod B. Archipresbyter electus à talibus in Epiſcopum Nemauſen. tantum, & talem patitur in litteratura defectum, propter quem non debet aliquatinus ad Epiſcopalis dignitatis faſtigium promoueri. Item, quod erat electionis ſuæ tempore*

Digitized by Google

tempore, maioris excommunicationis vinculo innodatus, pro eo quod in talem Clericum, ante ipſam electionem manus iniecerat temere violentas. Item quod erat tunc temporis crimine periurij irretitus, pro eo quod talem quantitatem pecuniæ, quam tali certo termino ſub debito præſtiti iuramenti ſoluere tenebatur, in termino non perſoluit; imò ad ſoluendum fuit poſt ipſum terminum per talem iudicem ſententialiter condemnatus. Item quod tales Electores ſui erant ſimiliter electionis præmiſſæ tempore maioris excommunicationis vinculo, ex tali cauſa publicè, per talem iudicem innodati. Item quod in electione ipſa collatio, quæ debuit fieri ſecundum Concilium Generale, extitit prætermiſſa. Item quod me contempto, qui eram in tali loco, vnde debebam, & poteram commode conuocari, eadem electio facta fuit ab ipſa. In qua electione temere, & contra ſtatuta canonica, & in grande meum, & Nemauſin. Eccleſiæ præiudicium attentata; Pro me, mihi adhærentibus, ſeu adhærere volentibus in futurum, in his ſcriptis ad Sedem Apoſtolicam appello, & iuro ſuper hæc ſancta Dei Euangelia corporaliter a me tacta, quod omnia, & ſingula, quæ per me ſuperius ſunt expreſſa, credo eſſe vera, & me poſſe probare. Interpoſita fuit appellatio hæc per Dominum P. & iuramentum corporaliter ab eodem præſtitum, vt eſt dictum. anno tali, &c.

Portel, in ſuis dubijs Regular. *tit. appellare, num* 8. adducit caſum ſpecialem
19 de illo qui legitime † electus, quem noluit Præſes electionis, ſiue confirmator Ordinarius confirmare, appellauit ad Superiores maiores, etiam vſque ad ſanctã Sedem: qua durante appellatione, ſi cõfirmatur ab ordinario confirmatore, valet confirmatio. pro qua ſententia citat Rodriquez, & alios. Et ratio, vt mihi videtur, ea eſt: quia hoc non eſt contra finem, neque intentionem appellantis, imò valde conforme ei quod deſiderat, & per appellationem inquirit. Vel dicam cum Abbate Panorm. *ad hoc, tit. de appellat.* quod appellatio ſuſpendit iudicis, vel confirmatoris à quo appellatur, iuriſdictionem, non tamen quoad tendentiam in faciliorem exitum cauſæ appellationis, prout in caſu.

Quæ doctrina ne videatur contraria ei, quod ſcripſi ſuperius cap. 14. *nu.* 42.
20 neceſſario venit † explicanda, quando appellatio facta eſt non ad Sedem Apoſtolicam (quo caſu remanet ſuſpenſa auctoritas ordinarij confirmatoris,) ſed quando appellatur ad alium Superiorem, vtputa ad Archiepiſcopum, vel Generalem inter Regulares. Vel ſi quis extendat eandem doctrinam etiam ad appellationem factam ad Sedem Apoſtolicam, addere debet, quod hæc ſententia proponitur vti probabilis, quæve præſupponit ceſſationẽ ſaltem virtualem, ac implicitã ab appellatione iã interpoſita.

Alia vero concernentia negocium appellationis in communi, præſertim quoad friuolas appellationes non interponendas, quæve alio nomine appellantur fruſtratoriæ, quæ etiam ad moram trahendam inducuntur, vel quæ inducuntur ſpe conſequendi fauoris, quod non eſt rectum; ideo omittendæ, ſub pęna peccati mortalis, ex D. Thom. *2. 2. q. 69. art. 3.* ſiue quoad iuſtas, ac rationabiles appellationes ob ſubleuamen grauaminis interponuntur, quibus nedum tutius eſt in omni caſu, ſed tenentur Superiores deferre, proſequendo illarum cognitionem, ſub mortali, ex D. Tho. *vbi ſupra,* & Nauarr. *in ſuo manuali, cap. 25. nu. 3.* Hæc fuſius adducuntur, atque declarantur in propria quæſtione de Regul. Appellatione. in volumine alio quæſtionum ſelectarum Regularium, quamprimum, Deo duce, ac adiutore, typis committendo.

Quia in hoc cap. facta eſt pluries mẽtio de oppoſitionibus, quæ fiunt ab appellantibus cõtra perſonam eligendam, vel electam, ſiue contra electionem, deque onere probationis eorum; ideo operæprecium duxi declarare ex Doctrina Nauarri *tom. 2. conſil. lib. 5. tit. de hæreticis, conſ. 22.* cuius initium eſt, *Ad primam multarum quæſtionum, nu. 6.* qualitatem probationis eorum, quæ opponuntur in conſimilibus caſibus, per ſequentes propoſitiones. Prima quarum erit: Si agatur de eligendo Guardiano, ſiue Priore, vel alio Prælato, præſertim Regulari, cui opponatur inhabilitas aliqua in ſpecie; antequam eligatur, ſufficit ſemiplena probatio, & per conſequens depoſitio vnius teſtis integræ famæ, id clarè deponentis. Hoc, ſaltim quoad materiale, colligit Nauar. *vbi ſupra*, ex tex. *cap. præterea, de ſponſal.*

Secunda: Si vero agatur de oppoſitione inhabilitatis, quæ fit contra iam electum, vel confirmatum, inſtando pro declaratione nullitatis electionis, vel confirmationis, & ex conſequenti pro depoſitione iam electi, vel confirmati in Prælatum; ad probandam oppoſitam inhabilitatem, *& ad reijciendum, & exauctorandum*, vt verbis vtar Nauarri, exigitur plena probatio adminus duorum teſtium, conteſtium bonæ famæ. Quam ſecundam propoſitionem colligit, ſaltem quoad ſubſtantiam, ipſe Nauarrus, *vbi ſupra*, ex tex. *cap ſuper his, de accuſat. & cap. quemadmodum, de iureiur.* Nauarrum quoque in hoc ſequuntur nonnulli moderni, inter quos vnus eſt Roder. *tom. 1. quæſt. Regul. q. 14. art. 3. §. ſecundum argumentum eſt:* hac tamen adhibita limitatione non contraria doctrinæ Nauarri, ſed fortè ab eodem intenta, quæ etiam virtualiter continentur in immediatè relatis: & eſt, quòd aſſertum in propoſitione veritatem habet non ſimpliciter, & abſolutè in omni caſu, ſed quando probatio inhabilitatis non inuoluit læſionem famæ, ac honoris eligendi, vel illius cognationis, & familiæ; vti quod quis deſcendat de parentibus hæreticis, vel aliud quid ſimile habens annexum graue præiudicium, ex quo inſuper oriri poteſt ſcandalum; iuxta doctrinam cõmunem Iuriſtarum, quod *in odioſis à diuerſis non fit illatio* (intellige ſi fiat, non neceſſaria:) Nauarrus verò loquitur, vt plurimum, & frequentius: à communiter enim accidentibus res iudicari debet. ideo aſſerit indefinitè, quòd in primo caſu ſufficit ſemiplena probatio.

Summa Cap. XVII.

1 *Electio Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum, debet fieri per vota ſecreta.*

2 *Deſcribitur ætas Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ, de iure communi. Et quid ſuper ætate ſtatuatur in Ordine Prædicatorum. num. 4.*

3 *Si in Monaſterio, vbi celebranda eſt electio, nõ reperiatur Monialis habens qualitates requiſitas muneri Abbatiſſæ, poterit eligi ex alio Monaſterio eiuſdem Ordinis.*

5 *Nulla mulier corrupta, poteſt eligi in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, neque illegitimè nata: & quis poſſit cum talibus diſpenſare. & num. 27. & 30.*

6 *Non poſſunt transferri Moniales, de Monaſterio ad Monaſterium, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ.*

7 *In Ordine Prædicatorum Prioriſſa, & Supprioriſſa, non poſſunt eligi in Abbatiſſam, immediatè poſt earum officium: Nec illa quæ fuit Prioriſſa in Monaſterio, non poteſt eligi in Prioriſſam eiuſdem Monaſterij, niſi poſt quatuor annos. & nu. 11. Limita vt num. 12.*

In

8 *In eodem Ordine Prædicatorum duæ Moniales ſorores ſecundùm carnem, non poſſunt ſibi inuicem ſuccedere in Prioratu, vel Supprioratu.*

9 *Ex Bulla Gregorij XIII. non poteſt protrahi officium Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ in eodem Monaſterio, vltra triennium; Quo completo, non poteſt iterum reelegi in eodem Monaſterio, niſi tranſacto alio triennio: & adducitur per extenſum eadem Bulla, quæ comprehendit Monaſteria Italiæ tantum, vt num. 13.*

11 *In Ordine Prædicatorum nequit officium Prioriſſæ protrahi vltra biennium.*

14 *Defenditur propoſitio poſita ſupra num. 5. nempe corruptam non poſſe eligi in Prioriſſam, ſiue Abbatiſſam.*

15 *Non habent vocem actiuam in Ordine Prædicatorum, Moniales, quæ non expleuerunt duodecimum annum à ſua profeſsione.*

16 *De iure communi poteſt electio Abbatiſſæ, &c. compromitti in marem.*

17 *Quomodo recipi debeant vota Monialium in electione Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ.*

18 *In Ordine Prædicatorum quid ſtatuatur circa tractatus haberi ſolitos ſuper electione Prælatorum, vel Prioriſſarum.*

19 *In electione Abbatiſſæ, &c. requiritur tantum in ſuffragijs collatio numeri ad numerum.*

20 *Quando appellatio Monialium non impediat confirmationem electionis Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ.*

21 *Quando Prioriſſa ante confirmationem poſſit adminiſtrare, quæ pertinent ad eius officium.*

22 *In electione Prioriſſæ, ſiue Abbatiſſæ, debent ſeruari quæ traduntur in cap. quia propter, & in Concilio Tridentino. & num. 24.*

23 *In Ordine Prædicatorum tenentur Moniales in electione refici eodem die ſacramento Eucharistiæ.*

25 *Qui, & quot, eligi poſſint à Monialibus, Tractatus de Electione pro celebranda electione Prioriſſæ, ſeu Abbatiſſæ.*

26 *Electi à Monialibus pro celebranda electione, ſi eam publicent antequam ſit completa, electio eſt nulla, nec reualidari poteſt ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ.*

27 *Vidua iam facta Monacha, nequit eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam, ſine ſpeciali diſpenſatione obtenta à ſancta Sede Apoſtolica.*

28 *In electionibus Prioriſſarum, ſeu Abbatiſſarum, etiam in caſu diſſenſionis, inter electrices, nequit præſtare votum confeſſor, nec Superior Monaſterij.*

29 *Per Conſtitutionem Gregorij XV.* de exemtorum priuilegijs, *non fuit Epiſcopis attributum ius confirmandi Abbatiſſas.*

31 *Abbatiſſa tenetur ante menſem certiorem facere Epiſcopum de profeſſione nouitiæ.*

32 *Quid ſeruetur in electione Abbatiſſarum Ordinis S. Claræ, & Tertij Ordinis, ex præſcripto Nicolai Quinti.*

33 *Quod conceditur tempore limitato, illo elapſo prohibitum cenſetur.*

34 *Abbatiſſa à quo confirmari debeat.*

35 *Abbatiſſa intra annum computandum à ſua confirmatione, debet benedici.*

36 *Inhabilis occultus, ſi eligatur ad aliquod officium, an teneatur ſe prodere, vel non acceptare.*

37 *Quid intelligatur nomine maioris partis Capituli, vel Collegij.*

CAP. XVII.

De electione Prioriſſæ, ſeu Abbatiſſæ, cuiuſque inſtituti.

1 DEbet fieri † electio Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ monialium clauſtralium, in quouis Monaſterio, per vota ſecreta, ad præſcriptum Concilij Tridentini, *ſeſſ. 25. cap. 6.*

2 Debet † quoque eligi non minor annis

nis quadraginta, quæ habeat octo annos poſt expreſſam profeſſionē, quódue ſemper laudabiliter vixerit, maximè vero circa honeſtatem. Quod ſi † non
3 reperiatur in eodem monaſterio habens ſupradictas qualitates, ex alio monaſterio eiuſdem Ordinis, & profeſſionis poterit eligi, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 26. *cap.* 7. vel ſi ita videbitur ſuo Superiori, poterit eligi monialis eiuſdē monaſterij, dummodo excedat trigeſimū annum. Nam cap. *indemnitatibus*. expreſsè id præcipitur, quod non ſit minor triginta annorum. Idem confirmat Gloſſ. eiuſdem cap. *verb. Prioriſſa:* Et habeat quinque
4 annos à profeſſione. In Ordine † autem Prædicatorum debet ſaltem habere duodecim annos à profeſſione. Quod ſtatutum pro Ordine Prædicatorum, fuit auctoritate Apoſtolica editum in Capitulo Valentino 1596. & confirmatum in Capit. Generali Romano 1602. & 1608.

5 Vidua † ſiue corrupta, vt latius dicam inferius in hoc capite, non poteſt eligi ſine Apoſtolica diſpenſatione in Abbatiſſam. Roderiq. *tom.* 1. *quæſt. Regul. q.* 64. *per totum*, vbi allegat Gloſſ. Lapium, Calderinum, Felinum, & quamplurimos textus, & Doctores celeberrimos. Imò auctoritate ſacræ Scripturæ, *Iſaiæ* 17. & *Amos cap.* 5. probat non eſſe diſpenſandum cum illa, niſi ex magna cauſa; addens §. *an autem*. quod Epiſcopus nequit diſpenſare cum corrupta, quidquid dicat Archidiac. ſubdens, *Alius à Papa diſpenſare non poteſt*, ex auctoritate prædictorum Doctorum immediatè adductorum. & paucis interiectis inquit, *Et ſi corruptæ huiuſmodi diſpenſatio concedatur, non niſi ex magna cauſa hoc fieri debet*. quamuis vt referam paulò poſt in hoc eodem cap. ex Portel, ipſe Rodriquez in Summa mutauerit ſententiam. Panorm. *in cap. cum in cunctis, num.* 6. §. *dic etiam quod debet eſſe virgo*; vbi citat Gloſſ. *in Clem. Attendentes, tit. de ſtatu regul. ſiue monachorum*. ſed clarius id expreſsè habetur 2. *par. decret. cauſa* 20. *q.* 1. *cap. iuuenculas*, &c. & gloſſ. *ibid.* Quid ſimile inſinuant verba text. *cap.* 2. *cauſ.* 1. *q.* 7. dum inquit, *Nouimus peccatricem Mariam Magdalenam, poſt conuerſionem, quamuis ſanctam, & caſtam, tamen inter Diaconiſſas non eſſe computatam*. Idem fuit ordinatum per ſacram Congregationem Regul. *die* 29. *Ianuarij* 1585. obſeruari.

Illegitimè nata, non poteſt eligi in Prioriſſam, vel Abbatiſſam: poteſt tamen diſpenſari per Epiſcopum, ſiue alios Superiores, quorum regimini ſubſunt monaſteria. ita communis opinio Doctorum.

Ex Decreto Pauli Quinti publicato à ſacra Congregatione Epiſcoporū, & Regul. *ſub die* 22. *Decemb.* 1617. ac intimatū Procuratoribus Generalibus Or-
6 dinum, non † poſſunt moniales quacunque occaſione transferri de monaſterio ad monaſteriū, ſine ſpeciali licētia Sedis Apoſtolicæ, toties quoties obtinēda, neque ratione Prioratus, vel alterius officij; quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

Supprioriſſæ, ac Sindicæ, in Ordine
7 Prædicatorum †, poſt expletum earum officium, non poſſunt immediatè eligi in Prioriſſam, vel Abbatiſſam: & contrarium eſt irritum, & inane; Romæ 1580. *Ordinatione* 8.

In Prouincia Lombardiæ ex ſpeciali indulto Clement. VII. non obſtante Bulla Iulij II. poterat eligi poſt biennium in eodem Monaſterio. Bulla incipit, *Expoſuit nobis*, &c. data die 8. Februarij 1530. Pontificatus ſui anno ſeptimo. Sed nunc ex Bulla Gregorij XIII. quam referam paulò poſt, debent vacare per triennium.

Non

Non poteſt eligi in Ordine Prædicatorum iterum, vniuerſaliter loquendo, quæ fuerit Prioriſſa, niſi poſt quatuor annos completos, à tempore ſui Prioratus expleti; Valentiæ 1596. *ordinatione* 16. cui Statuto omnino ſtandum eſt: nam Bulla Gregorij XIII. non aufert diſpoſitionẽ ſtrictioris, ſed laxioris Statuti.

In eodem Ordine Prædicatorum,
8 duæ † moniales ſorores, ſecundum carnem, non poſſunt ſibi inuicem ſuccedere in Prioratu, vel Supprioratu immediatè, Romæ 1580. *ordinat.* 30. quamuis de iure communi id non inueniatur prohibitum, vt nouiſſime reſpondit ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, die 3. Aprilis 1619. Epiſcopo Vlyſſipponen.

9 Officium † Prioriſſæ non poteſt protrahi vltra triennium in Italia, ſed illico cenſetur abſoluta ab officio, elapſo triennio; Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Expoſcit debitum*, data die 1. Ianuarij 1583. de qua paulò poſt. Neque ad idem officium poteſt eligi niſi poſt trienniũ. & hoc eſt commune ad omnes, & quaſcumque perſonas, ſeu moniales quorumcunque Ordinum intra Italiam.

BVLLA GREGORII XIII.

De Abbatiſſæ, & alterius Præfectæ Monaſteriorum Monialium in Italia conſiſtentium, ad triennium tantummodo electione.

GREGORIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Expoſcit debitum Paſtoralis officij, quod diſponente Domino gerimus, vt ad ea ſollicite intendamus, per quæ Monaſteria, & alia religioſa loca, præſertim Deo dicatarum ſanctimonialium, ſecundum regularis diſciplinæ normam regantur, & gubernentur. Perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus plerunque afficiuntur Monaſteria Monialium, quæ per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur; è contra vero Abbatiſſas, & alias Præfectas triennales ſcientes ſe lapſo triennio, ſuæ adminiſtrationis rationem eſſe reddituras, ac ſperantes de bene geſtis laudem promereri, pœnam vero ſi male geſſerint, metuentes, maiori ſtudio ac diligentia regimen, & adminiſtrationem Monaſteriorum ſibi commiſſorum gerere. His, & alijs rationabilibus cauſis adducti, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in omnibus, & ſingulis Monaſterijs Monialium ſancti Benedicti Ciſtercien. Carthuſien. & aliorum quorumcumque Ordinum in vniuerſa Italia, & præſertim in vtriuſque Siciliæ Regnis conſiſtentibus, quæ nunc per Abbatiſſas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primum Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ huiuſmodi regimini, & adminiſtrationi ipſorum Monaſteriorum ceſſerint, etiam apud Sedem Apoſtolicam, vel deceſſerint, eorum Abbatiſſatus, ſeu Præfecturas vacare contigerit; Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ non amplius perpetuæ, ſeu ad vitam (quarum nomen, ac titulum ex nunc pro vt ex tunc Apoſtolica auctoritate, ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuo extinguimus, & abolemus) ſed triennalis tantum à Conuentu vniuſcuiuſque Monaſterij, & aliàs iuxta decreta ſacri Concilij Tridentini, & regularia ſuorum Ordinum inſtituta eligantur, & præficiantur; quæ poſtmodum elapſo triennio, ſuis officijs perfunctæ, praeeſſe deſinant, omnique prorſus careant auctoritate, ac à regimine, & adminiſtratione Monaſterij

ſterij per triennium à die finita adminiſtrationis inchoandum abſtineant: quo elapſo, ſeruata eadem forma Concilij Tridentini, iterum, & pluries eligi poſſint. Diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis dictorum Monaſteriorum Conuentibus, Superioribus, & Perſonis, ne aliquam Abbatiſſam, aut aliam Præfectam perpetuam, ſeu ad vitam, ſed triennalem tantum eligere, & præficere, vllo modo audeant, vel præſumant. Quod ſi ſecus à quoquam quauis auctoritate fuerit attentatum; electionem, & præfectionem huiuſmodi, ac omnia, & ſingula, quæ inde ſequentur, irrita, nulla, & inania, nulliuſque roboris vel momenti fore; ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & diffiniri debere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſteriorum, & Ordinum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Monaſterijs, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores, ac ſi ad verbum infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris; hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus; ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret præſentes noſtras ad ſingula quæque loca, vbi neceſſarium fuerit deferre: Volumus quod illarum tranſumptis manu alicuius Notarij Publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 1. Ianuarij 1583. Pontificatus noſtri Anno vndecimo.

In Ordine tamen Prædicatorum ex
diſpoſitione Bullæ Iullij II. relatæ ad
verbum ſuperius cap. 5. *num.* 78. ne-
10 queunt † Prioriſſæ perſeuerare in ſuo of-
ficio vltra triennium; ſed illo expleto
declarantur nunc pro tunc abſolutæ à
ſuis officijs.

11 Debent quoque vacare † ad minus
per quatuor annos, antequam reeligi
12 poſſint in eodem Monaſterio, niſi † eſ-
ſet Monaſterium nouum, vel nouiter
reformatum; quo caſu poſſunt iterum
eligi.

13 Supradicta Bulla † comprehendit,
vt ſonant verba eius, Monaſteria Italiæ
tantum: & Stephanus Quaranta in ſua
ſumma Bullarij, *verb. Abbatiſſa*, animaduertit quòd hæc Bulla Gregorij XIII. ex declaratione Nauarri, *de regularibus, lib. 3. conſil. 82. in antiquis*, non includit eas moniales, quæ verè nō ſunt profeſſæ regulam à ſancta Sede Apoſtolica approbatam.

De Abbatiſſarum, & Prioriſſarum auctoritate, & poteſtate, qualiſue illa ſit, copioſe tractatur in alio volumine Quæſtionum Regularium ſelectarum quæſt. vlt. per totam.

Idem ſtatuit Xiſtus V. 1587. de triennio Abbatiſſarum, & Prioriſſarum ſanctæ Claræ, cuius Bullæ mentionem facit Portel in ſuis dubijs Regularibus, *tit. Abbatiſſa, & Prioriſſa, nu.* 4. addens quòd in Portugallia Abbatiſſæ Ordinis S. Claræ, præſertim in Prouincia Algarbiorum, debent vacare per ſex annos in

eodem

eodem Monaſterio, ex ſpeciali Bulla Pauli V. quam aſſerit ſe vidiſſe ac legiſſe; non tamen dicit annum quo conceſſa fuit, neque refert exordium.

Alia multa refert ipſemet Portel vbi ſupra, quæ collegit (vt aſſerit ille) ex Roderiquez, *to.* 1. *qq. Regular. q.* 10. *art.* 21. *&* 22. & *q.* 14. *art.* 13. & *q.* 47. *art.* 1. & ex Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 2. *de Monial. præſertim, art.* 10. Hoc vno tamen annotato, quod prædictus Portel *vbi ſupra num.* 9. ex quo non vidit, nec habuit notitiam declarationis Illuſtriſſimorũ ac Reuerendiſſ. DD. Cardin. Concil. Trident. interpretum, quam referam ad calcem iſtius Capitis, docet Prælatos, Præſidentes in electionibus Abbatiſſarum poſſe emittere votum; quod eſt directè contra declarationem ſacræ Cõgregationis, de qua infra, §. *die* 5. *Martij*.

Pariter quoque ipſe Portel vbi ſupra, §. *poſſe tamen viduam*, &c. ex Roderiq. in ſua ſumma, *tom.* 3. *cap.* 3. *verb. Abbatiſſa, num.* 9. & ex Comitolo, *in reſponſ. moral. lib.* 4. *quæſt.* 19. conatur probare (licet inutiliter contra expreſſam diſpoſitionem ſacrorum Canonum,)
14 Viduam † ſiue corruptam poſſe eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam. Pro qua ſententia affirmatiua valdè laborat, & multa copioſè cumulat, præſertim votum quoddam Patris Suarez affirmatiuum in ſcriptis collatum, & ab eodem ſubſcriptum. Contrarium tamen debet teneri & omnino practicari, nedum propter ea quæ ſuperius in hoc cap. adducta ſunt, §. *Vidua*, verum etiam propter declarationem, & reſolutionem factam ſuper hoc ſpecialiter à ſacra Cõgregatione Epiſcoporum, ac Regulariũ die 15. Iulij 1616. pro ſententia negatiua, de qua fuſius dicam inferius in hoc cap. §. *die* 15. *Iulij*. Nec opus eſt vt prolixius reſpondeam rationibus ab eodem Portel adductis, in quibus etiam contendit (ſed pace ſua fruſtra id agit) ſoluere rationes pro parte negatiua: quia cum ſtandũ ſit declarationi ſacræ Congregationis, cuncta in contrarium adducta ex ſe ruunt; præſertim cùm rationes ab eo adductæ pro ſua ſententia, parum aut nihil concludant, & Mirand. in ſuo Manual. *ad finem*, 1. *tom. tractat. de ſacris monialibus, q.* 7. *art.* 6. det materiam reſpondendi obiectionibus Portel, addens non poſſe concedi diſpenſationem niſi à Papa, *ex magna vrgentique neceſſitate*.

Ad id verò quod refert ipſemet Portel vbi ſupra, ex Surio, Cardinali Baronio, Trithemio ac alijs ſcriptoribus vitæ Sanctorum, vel Chronicorum Religionum, fuiſſe quamplures Abbatiſſas Viduas: Reſpondetur primo quod hoc non ſucceſſit, quia fuerint electæ, ſed quia extiterunt fundatrices monialium, vel nouorum Monaſteriorum, vt ipſemet Portel inſinuat ex Carrillo, *lib. fundationis Capuccinarum Madrid. fol.* 68. Reſpondetur ſecundo quod non negatur ſimpliciter & abſolutè, quin poſſint eſſe Abbatiſſæ; ſed id aſſeritur cum ſequenti additione, *niſi antea fuerint diſpenſata per ſummum Pontificem Romanum*: & illæ quas recenſet modo eſſe Abbatiſſas in Regno Portugalliæ, & in alijs Regnis Hiſpaniæ, erunt Abbatiſſæ præuia Apoſtolica diſpenſatione obtenta ab eodem ſummo Pontifice, vel à ſuo Legato ſiue Nuncio. Tertio reſpondetur quod ab eo quod fit multoties potentia facti, non licet argumentari ad id quod faciendum eſt ſecundum veram iuris diſpoſitionem: ideò axioma commune eſt, apud Theologos, & iuriſperitos ſæpius repetitum, quòd mala nunquam ſunt adducenda in exemplum. Quamobrẽ Sanctitas, & Prudentia, necnõ magna aptitudo ad regimẽ in Vidua

ſiue

Digitized by Google

ſiue corrupta, non efficit vt ritè ac rectè poſſit eligi in Abbatiſſam, ſed ſternit viam vt facilius, & celerius diſpenſetur cum ea, vt poſſit ſeruatis ſeruandis eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam Monialium Virginum. Dico Virginum, ad differentiam illarum quæ dicuntur cõmuniter Pœnitentes ſiue Conuerſæ, & vulgariter appellantur *le Conuertite*,quarum Abbatiſſa eſſe poteſt corrupta,quia omnes ſunt ordinariè eiuſdẽ cõditionis.

Propter ſuperius dicta, præſertim propter declarationem ſacræ Congregationis, merito reijciuntur ab aliquibus adducta à Patre Suarez *lib. 2. tom. 4. operis de Relig. cap. 6. num. 16.* quorum primum eſt. *Decentiſſimum eſſet* (tradit ille)*vt in Abbatiſſam eligatur virgo:* Addo ego hoc abſque diſpenſatione omnino eſſe neceſſarium. Secundum, quod diſpenſatio vt corrupta eligatur in Prioriſſam, pertineat ad Præſidentem electionis, qui eſt ſuperior immediatus. Contra quod extant textus Canonum, & auctoritates celeberrimorum Doctorum,præſertim Panorm.& Felin. *in cap. iuuenculas 20. q. 1.* Mandoſij, & aliorum,quæ late nimis referuntur à Ludouico Miranda, *tractatu de ſacris monialibus q. 7. art. 6. & 7.* Quamobrem neque tutum eſt illud aliud quod ibidem ſcripſit Suarez *ad calcem citati num. 16.* in hac re videlicet ſtandum eſſe conſuetudini: cùm ius commune contrarium palam diſponat, & idem fuerit confirmatum declarationibus ſacræ Congregationis, ſemel atque iterum, Epiſcoporum, & Regularium.

Quamuis Thomas Sanchez *tom. 2. in præcepta decalogi, lib. 5. cap. 5. nu. 21.* adducat magnam multitudinẽ textuum, & auctoritatum Patrum, atque Doctorum Theologorum, & Iuriſtarum antiquorum, & modernorum, præſertim *deciſ. 295. capel. Toloſ.* decerptam ex Selua *de benef. 4. par. q. 7. num. 7.* his omnibus non obſtantibus, in ſequenti numero ducitur (vt verbis ipſius vtar) ad amplectendam contrariam ſententiam, præſuppoſita illa diſtinctione de Abbatiſſa,qua benedicitur ſpeciali Virginum benedictione propria, quæ Conſecratio appellatur; & de illa alia Abbatiſſa, quæ tantum benedicitur communi benedictione; dicendo quod Abbatiſſa ſecundi ordinis, ſiue generis, poteſt eſſe corrupta, licet non primi. Et vt ſuam opinionem corroboret, trahere conatur quæ docet ſanctus Thomas *4. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 5. in corp.* ad ſui fauorem,ac illa in reſponſ. ad argumenta præſertim *ad quartum, & quintum*, vbi D. Thomas, loquitur ſolum de velo collato in profeſſione Virginum, cum maiori ſolemnitate eo quod fieri ſolet, quando dictum velum non confertur Virginibus, ſed Viduis: qui actus, eſt longe diſtinctus ac diuerſus ab illo electionis Prioriſſæ, & Abbatiſſæ, per quem acquiritur poteſtas Regiminis, & quaſi prælationis ſuper alias moniales, vt fuſius dicam quæſtione propria, An Abbatiſſis, & Prioriſſis competat, vel non competat poteſtas iuriſdictionis.

Et vt verum fatear, ne dum adducta à D. Tho. *vbi ſupra*, ac etiam à Paludano, *q. 5. art. 3.* & à D. Antonino *3. par. tit. 2. cap. 2. §. 2.* & à Syluestro *verb. Conſecratio Virginum*, quos omnes citat *ibidem* Sanchez, fauent opinioni contrariæ, quam amplectitur Sanchez: Sed ſi diligentius expendantur, contrarium omnino indicant; & ex illis per viam ſaltim conſequentiæ, potius colligitur ſententia negatiua communior atque certior, & tutior. Præſertim id colligitur ex verbis S. Leonis Papæ *epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos*, relata à D. Tho. *vbi ſupra in reſp. ad quartum argumentum*, in qua loquens de virginibus violenter

lenter corruptis, inquit: *Illæ famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, & verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant copulare Virginibus.* Quibus verbis videtur prohiberi nedũ Superioritas corruptæ, ſuper Virgines, verum etiam & familiaris conuerſatio inter illas. Pro qua ſententia negatiua, præter rationes, & auctoritates ſuperius adductas, adeſt conſenſus quaſi communis innumerorum Doctorum *in cap. iuuenculas*, quos ſecuta eſt Rota Romana per Mohed. *deciſ.* 214. quæ ſub tit. *de reſt. ſpoliat.* eſt *deciſ.* 19.

His omnibus accedit ſtylus antiquus ſacræ Pœnitentiariæ ſanctiſſimi Domini noſtri, qui eſt, vt ſæpius mihi ratificatum eſt à principalioribus miniſtris illius, vt in conceſſione abſolutionis ob corruptionem alicuius monialis, ſemper caueatur etiam quod ſit per viam ſecretam, ne poſſit eligi, vel electa conſentire electioni de ſe faciendæ in Abbatiſſam, vel Prioriſſam indifferenter. Quo demonſtrat ſacra Pœnitentiaria ſe ſequi ſententiam negatiuam. Idem ſentit ſacra Rota *deciſ. Creſcen.* 9. *alias* 131. vbi etiã in fortioribus inquit, quod Abbatiſſa permittens ſe corrumpi, ipſo iure priuatur officio, quodque mulier corrupta nequeat abſque diſpẽſatione eligi in Abbatiſſã, docet Card. Tuſcus *concl.* 39. *verb. Abbatiſſa*. Quibus Abbas Panor. *in cap. cum in cunctis, de elect.* addit quod etſi ſit ſancta, dummodo non Virgo, non poteſt eligi in Abbatiſſam.

15 Non habent vocem † actiuam moniales in electione Prioriſſæ in Ordine Prædicatorum, niſi poſt annos duodecim à profeſſione, Romæ 1601. & Pariſijs 1611.

16 De iure cõmuni † poſſunt moniales compromittere electionem Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſæ in maſculum. *cap. cauſam, tit. de elect.* Panorm. *ibidem, num.* 3. quæ poteſtas poteſt compromitti, etiam in confirmatorem, Abb. *vbi ſupra*.

17 In electione † Prioriſſarum recipi debent vota ad cratem, ſiue ad feneſtrellam, & nullo modo ingredi poſſunt ſepta monaſterij Scrutatores. Sacra Congregatio Regul. id præcipit, & Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7.

In Capitulo Valentino 1596. *ordinatione* 12. ita diſponitur in Ordine Prædicatorum: *Ordinamus, & ſub pœna gra-*
18 *uioris † culpæ mandamus, tam Fratribus, quàm Sororibus in aliqua electione vocem habentibus, ne de illa ante diem vnam naturalem loqui, ſiue tractare poſſint. Reliquis vero in ipſa vocem non habentibus, ſiue Conuerſi, aut Conuerſæ, ſiue Clerici, aut velatæ ſint, reſpectiuè, ne verbo, aut ſcripto, per ſe, vel per alios, quoquo modo ſe intromittere audeant. Prælatis autem in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs iniungimus, vt prætaxatam pœnam contrafacientibus infligere debeant.*

19 In electione † Prioriſſæ, ſeu Abbatiſſæ, de iure communi non requiritur, etiam quando proceditur per viam ſcrutinij, collatio zeli ad zelum, neque meriti ad meritum; ſed illa ſola numeri ad numerum, *de elect. in* 6. *cap. indemnitatibus monaſteriorum*.

20 In electione † Monialium, propter ſexum fragilem, & ad querimonias garrulum, & ad variandum propenſum. *cap. forus extra, de verb. ſign.* ob id inſtat maius periculum, ne monaſteria diù vacent, & ne imputationes monialium cum paruo decore, per iudicia, & Tribunalia circumferantur: ad occurrendum periculis, & indemnitatibus, ſpecialiter ſtatuerunt ſacri Canones, vt in caſu contradictionis tertiæ partis monialium, quæ de iure elegerunt Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, vel eiuſdem tertiæ par-

tiæ par-

tiæ partis appellatio confirmationem ritè electæ à duobus partibus non impediat: *cap. indemnitatibus, in 6. § ſanè.*

Poſſunt etiam publicato ſcrutinio, Moniales minoris partis accedere ad electionem maioris partis, quarum vota per talem acceſſum ad maiorem partem ita connumeratur, ac ſi omnes ab initio in eandem conſenſiſſent. vbi ſupra immediatè.

Licet regulariter non poſſit electus ante confirmationem Superioris actu
21 administrare, attamen ad † euitanda inconuenientia ſupradicta, conceditur moniali ritè electæ in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam à duabus partibus ex tribus, vt poſſit ante confirmationem in temporalibus, & ſpiritualibus, liberè adminiſtrare: non tamen poteſt ante confirmationem cum ſolemnitatibus debitis alienare bona Monaſterij, *cap. idemnitatibus*, vbi ſupra, § *ſanè.* & in eodem, §. clarè habetur quod cõtra ſic electam, & actu adminiſtrantem, quæ ſunt ſui muneris, poſſunt moniales per viam denunciationis, vel accuſationis opponere defectus, ſi qui ſunt in veritate, reſpicientes tamen perſonam electam, nõ autem defectus formæ, ſiue proceſſus electionis. Nam quemadmodum docent Innoc. & Compoſtella, *in cap. quod ſicut*, Ex quo Papa mandat electionem, modo iam dicto, confirmari, non obſtante aliqua exceptione; pro hoc intelligitur remouiſſe omnes defectus attinentes ad formam electionis. Ratio huius eſt, quia vitium formæ non lædit Eccleſiam, ſeu Monaſterium; ſed vitia perſonæ lædunt, & lædere poſſunt grauiter moniales, & Eccleſiam. Geminian. *in eodem cap. idemnitatibus*, §. *verum*.

Si vero maior pars monialium electricum opponat electioni, vel perſonæ electæ, & oppoſitiones probentur, earum oppoſitio impedit cõfirmationem, quod non poteſt efficere oppoſitio minoris partis. Vbi ſupra in illis verbis. *Nec confirmabitur.*

22 Electiones † monialium debent fieri ſecundum formam Capituli, quia propter, de electione, & cap. indemnitatibus, *eod. tit. in 6.* Neque Concilium Tridentinum contra has electiones, neque aliorum Prælatorum, aliter ſtatuit, ſed ſolũ vt ſecreto fiant. Ita Emmanuel Rodriquez in ſua ſumma caſuum, *tit. de electione, cap. 102. nu. 2.* & Miranda, in ſuo Manuali Prælatorum, *to. 1. tract. de ſacris monialibus, q. 7. art. 3. annot. 1.*

23 In Ordine Prædicatorum, † in omni electione Prioriſſæ, tenentur vocales, præmiſſa ſacramentali confeſſione, diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ante huiuſmodi electionis celebrationem in Ordine Prædicatorum ſumere, ſub pœna priuationis vocis. Ex Capitulo Generali Romano 1580. confirmat. 14. Rodericus, Mandagotus, & alij ſupracitati exiſtimant hoc neceſſarium in omni electione.

24 Electio Prioriſſæ, vt † ritè ſit facta, & poſſit confirmari, debet fieri à maiori parte electricum, ſeruata forma canonica, & Concilij Tridentini, *in 6. tit. de electione, & electi poteſtate, cap. Eccleſia,* & *cap. auditis, de electione*, Doctor. *ibid.* & *in cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte*, & in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, in declarat. text. 2. *cap. de elect. Prioris Conuentualis, ſub littera, E.*

Ex varijs declarationibus ſacræ Congregationis Concilij Tridentini verbatim adductis à Nicolao Garzia, *par. 5. de benefic. cap. 4. num. 189. 190.* quas etiam refert Andreas Molfeſius, *1. par. ſuæ Summæ moralis, tract. 6. cap. 16. à num. 151. vſque ad nu. 158.* ſequentia inferuntur.

25 Primo, ſi in electione † Abbatiſſarum, eligantur vltra Epiſcopum, vel eius ordina-

dinarium Prælatum, duo, vel tres alij, qui vota monialium recipiant, oretenus, ſecretò tamen expreſſa, dummodo hoc ſit iuxta formam ſtatutorum ſuæ Religionis, electio cenſetur ſecreta, & conformis diſpoſitioni ſacri Concilij Tridentini.

26 Secundo. Si vero aſſumantur † aliqui qui publicent electionem antequam ſit completa, tunc electio cenſetur nullà, & facta contra formam Concilij Tridentini.

Tertio. Electio publicata modo ſupra immediatè dicto, cenſetur irrita, nec reualidari poteſt, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Verba etenim declarationis, deciſionis ſacræ Congregationis ſunt. *Electio Abbatiſſæ facta per verba non ſecreta, per ignorantiam huius Decreti non valet, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt valeat: S. D. N. tamen diſpenſat, conſideratis circumſtantijs.*

Die 15. Iulij 1616. ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium reſcripſit Epiſcopo Sarzanæ, per ſequentia

27 verba: *Si vidua † monaſticum habitum aſſumat, ad Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ munus obeundum, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione eligi non poteſt*, conformiter ad ea, quæ traduntur ſuperius in hoc cap. num. 5. Copiam authenticam harum litterarum vidi; & regeſtum erat fol. 105.

28 In electionibus † Prioriſſarum, ſiue Abbatiſſarum, monialium, præſuppoſito etiam caſu, veræ, & realis diſſenſionis inter electrices, prohibitum eſt per ſubſequens Decretum ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, Superioribus, Confeſſoribus, atque Scrutatoribus quarumcunque monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ne votum emittant in earundem Prioriſſarum, & Abbatiſſarum electionibus.

Die 5. Martij 1619. ab eiſdem Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus ſacræ Congregationis ſuper negocijs Epiſcoporum, & Regularium deputatis, fuit reſolutum idem, quoad ſubſtantiam, in caſu particulari electionis cuiuſdam Prioriſſæ ſequutæ ex vi voti vnius Scrutatorum in Monaſterio S. Mariæ de Viſitatione, vulgariter dicto *delle Creti*, Ciuitatis Licienſis in Apulia. Idem pariter fuit reſolutum per eandem ſacram Congregationem, die, & occaſione quibus infra immediatè.

Die 23. Maij 1621.

A gl'Illuſtriſsimi, e Reuerendiſsimi Signori Cardinali della ſagra Congregatione del Concilio, Per l'elettione delle Priore, ò Badeſſe de' Monaſterij.

Illuſtriſsimi, e Reuerendiſsimi Signori.

SI deſidera ſapere dalle Signorie Voſtre Illuſtriſſime, e Reuerendiſſ. ſe nell'elettione delle Priore, ò Badeſſe de' Monaſterij di Monache, maſſime in caſo di diuiſione, tra le Monache, alle quali compete l'eleggere la Priora, ò Badeſſa, poſſano i Superiori di quelle, e gli Scrutatori dare il voto loro in ſimile elettione, pro bono pacis del Monaſterio: Et in caſo paſſi in elettione alcuna di quelle Madri, in virtù delli voti dati dal Superiore, ò Scrutatori; ſe l'elettione ſia buona, e legitima, sì, ò nò. Che il tutto ſi riceuerà per gratia particolare dalle Signorie Voſtre Illuſtriſſime. Quas Deus.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cenſuit: Nequaquam licere Monialium Superio-

perioribus, aut Scrutatoribus, dare votum in electione Abbatiſſæ; atque electionem in vim huiuſmodi voti celebratam vires aliquas non obtinere.

R. Cardinalis Vbaldinus.

Supradicta ſacra Cōgregatio Illuſtriſſimorū Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, declarauit † Conſti-
29 tutionem Sanctiſſimi D. N. Gregorij Papæ XV. de exemptorum priuilegijs nuper editam, per illa verba, *Poſſit Epiſcopus vnà cū Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarū, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, ius confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per ſupradictam Conſtitutionem attributum*. In reliquis vero ſeruanda eſt ipſa Conſtitutio, prout extat; additis tamen declarationibus ab eadem ſacra Congregatione, inde emanatis de ordine Sanctiſſimi D. N. Papæ Greg. XV. & Vrbani VIII. quas hic per extenſum apponendas cenſuimus.

Declarationes aliquot ſacræ Congregat. Concilij ſuper Conſtitutione S.D.N. Gregorij PP. XV. de Exemptorum Priuilegijs, &c.

POſita Conſtitutione Sanctiſsimi Domini Noſtri de Exemptorum Priuilegijs, &c. Dubitatur,

Primò, An liceat Epiſcopis viſitare Altaria Regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, vbi in ijſdem Eccleſijs aſſeruatur Sāctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, vel vbi audiuntur Confeſſiones perſonarum ſecularium?

Secundò, An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant; vel aliàs illorum priuilegia reſtringere, ac moderari in Sacramentis adminiſtrandis?

Tertiò, An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam ſeculares, quàm regulares, intelligatur etiam tributa in perſona nullius Diœceſis?

Quartò, An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus?

Vltimò, An per eandem Conſtitutionem in illis verbis, *Poſſit Epiſcopus vna cùm Superioribus quarumcunque Abbatiſſarum, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere*; ius Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri de exemptorum priuilegijs, nequaquam ſubijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cùm in Sacramentis perſonis ſecularibus adminiſtrandis ijdem regulares delinquunt: Ac propterea

Ad primum dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim eiuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſecularium, nec loca, vbi in ijſdem Eccleſijs aſſeruatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum,

mentum, vel vbi Confeſſiones perſonarum ſecularium audiuntur.

Ad ſecundum, hac in parte Conſtitutionem Sanctiſſimi, nihil noui iuris induxiſſe, nec vllam nouam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe: Ideoq. in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant; vel aliàs illorum priuilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari.

Ad tertium cenſuit, eiuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad quartum non competere.

Ad vltimum, ius confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Quæ cum Sanctiſſimo Domino Noſtro relata fuiſſent, eius Sanctitas ſacræ Congregationis ſententiam in omnibus approbauit.

R. Card. Vbaldinus.

Proſper Fagnanus S. Congr. Sec.

Romæ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ. MDCXXIII.

Alia multa ſingularia, ſiue ſpecialia obſeruanda in electione Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, traduntur à Ioanne Andrea, Dom. & Phil. Franc. *in cap. indemnitatibus*, à Roderiquez, & Miranda *vbi ſupra*.

Cum Deciſio Toloſana, de qua ſupra in hoc cap. contineat negatiuam reſolutionem de corrupta, quæ non poteſt eligi in Abbatiſſam, hic eandem Deciſionem volui per extenſum appoſuiſſe, quam eſtraxi ex eiſdem Deciſion. Capellæ Toloſanæ Lugduni impreſſis 1616. *fol. mihi 247. ſub tit. Quæſt. 296. Tractatus de Election.*

Deciſio.

30 *ITem fuit quæſitum, An aliqua promouenda in Abbatiſſam debeat † eſſe virgo? Concluſum fuit quòd ſic, vt expreſſe tenet Io. Andr.* in clem. attendentes, de ſtatu Regular. ſuper ver. rationabilis, *& Archid.* in cap. indemnitatibus, de elect. lib. 6.

Quod intellige verum de iure communi; diſpenſatiue tamen poterit in Abbatiſſam corrupta promoueri. Sed quis habeat hoc caſu facultatem diſpenſandi? Io. in allegato cap. indemnitatibus. *tenet quòd ſolus Papa. Contrarium tenet Arch.* ibid. *dicens, quòd etiam Epiſcopus poterit diſpenſare; ſed tamen tunc non conſecrabitur, neque benedicetur: & hoc tenet Paul.* in alleg. lect. clem. attendentes. *item Zenze. & in eadem ſententia videtur reſidere Lapus. Verumtamen Franc. de Zaba. & Ioannes de Imola dicunt tutius eſſe tenendum, quòd alius à Papa non poſſit diſpenſare, quia contra ius eſt quod corrupta ſit Abbatiſſa.* 20. q. 1. iuuenculas, *contra quod ſolus Papa diſpenſat, niſi inueniatur alteri conceſſum,* in cap. dilectus, de temp. ord.

Stephanus Quaranta in Summa Bullarij *verb. Abbatiſſa,* animaduertit quòd
31 Abbatiſſa † tenetur ante menſem certiorem facere Epiſcopum de tempore profeſſionis Nouitiæ, alioquin quamdiu Epiſcopo videbitur, ab eodem ſit ſuſpenſa, ex Decret. Concil. Trident. *ſeſſ. 25. ca. 17.*

Nicolaus V. vt refert Sorbus in ſuo compend. Priuileg. *verb. Abbatiſſa,*
32 *nu. 6.* ſtatuit, vt electiones † Abbatiſſarum Ordinis ſanctæ Claræ, & tertij Ordinis, quæ à maiori parte Monialium fiunt, Canonicæ cenſeantur. Inſuper, quod moniales eiuſdem Ordinis poſſint eligere Abbatiſſam, dummodo fuerint Profeſſæ, & fuerint commoratæ in eo-

dem Monaſterio per triennium, vel circiter; quæ Abbatiſſa in partibus Ciſmontanis ſuum explebit Officium poſt annum; quam Bullam Nicolai V. refert ad integrum Ioannes Baptiſta Confettius in collectione Priuilegiorum, Mendicantium, & non mendicantium, *tit. Nicolaus V. ſub num. 3. fol. mihi 36. & 37.* in qua etiam continetur, dato quod Abbatiſſæ dicti Ordinis ſanctæ Claræ, euoluto anno non renuncient officio Abbatiſſæ, vacent, & vacare cen-
33 ſeantur. Equidem quod † conceditur, præſertim à ſancta Sede Apoſtolica, limitato determinatoque tempore, illo elapſo prohibitum denegatumque communiter cenſetur, ex deciſ. *coram R. P. D. Ludouiſio poſtea Gregorio X V. deciſ. 75. nu. 1. deciſ. 159. num. 3. & deciſ. 569. nu. 1.* Ratio vniformiter aſſignatur, quia conceſſio non excedit voluntatem concedentis, præſertim quando poteſt legem ſtatuere prout vult. *l. non quicquid, ff. de iud.* itaque elapſo anno vt perſeuerent, noua indigent confirmatione Apoſtolica, ex Oldrado, *conſ. 250.* ex Gratian. *diſcept. foren. c. 264. n. 35. to. 2.*

Syluester *verb. Abbatiſſa, nu. 4.* verba faciens de confirmatione Abbatiſſæ, vel
34 Prioriſſæ tradit. *Si eſt † exempta, debet confirmari ab eo à quo Abbas exemptus confirmatur: ſi vero non ſit exempta, ab eo pariter confirmari debet, à quo Abbas non exemptus.* Et reddens rationem huius, inquit. *Quia quantum ad hoc non eſt ratio diſpar aliquo iure cauta.* Et hæc eſt doctrina communis omnium Doctorum. Et *ad calcem eiuſdem num.* inſinuat Syluester, eadem dici poſſe, ac debere, proportionaliter, de confirmatione Prioriſſæ, vel Præpoſitæ: Hoc vno adnota-
35 to, quod Abbatiſſa *debet † benedici: quod ſi fieri non procuret, intra annum, à ſua confirmatione computandum, ceſſante cauſa rationabili, cecidit à ſuo iure, vbi eſt conſuetudo quod benedicatur, vt in Clem. attendentes de ſtatu Monach.* Eadem docet Tabiena, *verb. Abbatiſſa, nu. 3. 4. & 5.* & *nu. 9.* inquit, *quod illegitima, vel corrupta, non poſſit eligi, nec Epiſcopus in hoc poteſt diſpenſare.* & *verb. Virginis Conſecratio,* eadē inſinuare videtur: vbi *nu. 5.* poſt adductas auctoritates, & rationes, hinc, & inde, duo dicit. Primum eſt, quod Prælati Ordinis Prædicatorum, ex priuilegio Apoſtolico, poſſunt diſpenſare, cum illegitime nata. Secundum, quod ſine diſpenſatione Papæ non poteſt eligi, & confirmari in Abbatiſſam, vel Prioriſſam illegitime nata. Eadem prorſus quo ad confirmationem Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, tradit S. Anton. *3. par. tit. 19. cap. 4.* vbi poſtquam dixit: *Epiſcopus confirmat ſibi ſubiectos, extra de elect. cum Monaſterium,* immediatè ſubdit, *niſi aliquis ſit exemptus, extra de conſuet. cum venerabilis.*

Difficultas. An excommunicatus, vel aliàs inhabilis occultus, ſi eligatur ad aliquod officium, ipſo inſcio, teneatur ſe prodere, vel non acceptare.

HÆc difficultas, quam multi vocant rationabilem, & etiam rigidam, debebat poni cap. 14. *de Confirmatore;* ſed incuria ſcriptoris exemplātis omiſſa, hic ponitur, cùm contineat pro maiori parte ea, quæ proportionaliter ſaltem veritatem habent, ſiue habere poſſunt in caſu Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, quæ eligitur habens impedimentum occultum.

Breuiter autem reſoluitur per ſequentes propoſitiones.

36 Prima: Certum eſt, & indubitatum, vt cuncti † affirmant, quòd is teneatur quantum poteſt, omnibus vijs, & modis li-

dis licitis renunciare officium ſeu Prælaturam, excuſando ſe non poſſe hoc ſubire onus, propter aliquas rationabiles cauſas, inſinuando in communi ſe non habilem ad id, ad quod eſt electus, vel promotus, omnibus medijs ſibi poſſibilibus vtendo, vt finem aſſequatur renunciationis, abſtinendo tamen ſemper à falſitatibus: *Falſitatem* (enim) *proponere in nullo caſu licet alicui*, vt optimè docet D. Tho. *2.2. quæſt. 69. art. 2. in corp.* Sed omnibus vijs, ac medijs licitis tantum, & fini intento accommodatis; quod pertinet ad prudentiam, vt inquit S. Tho. *vbi ſupra*.

Secunda: Si tamen hoc non ſufficiat, & impedimentum quo detinetur, detectum non inducat ſuper illum infamiã, vel ſi inducit leuis eſt; tunc & eo caſu debet ſuum impedimentum, ſaltem Prælato, vel confirmatori, ne confirmetur patefacere.

Tertia: Quod ſi omiſerit modo explicato, non erit huiuſmodi omiſſio abſque lethali culpa. Veritas ſecundæ, & tertiæ propoſitionis per viam illationis, & conſequentiæ, colligitur ex Diuo Tho. *vbi ſupra*, maximè *in reſp. ad tertium argumentum*, & *ibidem*, ex doctrina ſuorum interpretum, præſertim Caietani, & Bañes, & clarius ex Dominico Soto *in relect. de ſecreto tegendo q. 7. §. & argumenta verſ. ex quo ſequitur*. Directè eandem veritatem proponit, & probat Suar. *de cenſur. diſp. 13. ſect. 1. num. 31.* citatus à multis, præſertim à Portel in ſuis dubijs regularibus, *verb. officia ordinis, nu. 7.* vbi Suarez caſum proponit ac reſoluit, de quo ſupra.

Quarta: Poſtquam electus de quo ſupra, clam ſuum patefecerit impedimentum confirmatori, ſi confirmator ob non ponderationem debitam cauſæ, vel alio permotus humano reſpectu adhuc voluerit illum confirmare, adiuncto inſuper præcepto de non acceptando, niſi talis confirmator habeat auctoritatem ſuper illo impedimento diſpenſandi; quod ex rationabili tantum cauſa faciendum erit; (vt latius dicam inferius cap. 19. in Appendice) talis confirmator non euadet culpam mortalem, & incidet in pœnas taxatas contra confirmantes indignum, de quibus ſuperius in cap. 14. ac tenetur tali confirmato procurare diſpenſationem: alias de directo agit contra iura, non ſine magna læſione iuſtitiæ, ac boni publici præiudicio; quod bonum vniuerſitatis tenetur maximè Prælatus ſemper præponere bono priuato ipſius electi. Ita communiter omnes.

Quinta: A quo caſu, dato quod diligentiæ ſuperius inſinuatæ cum alijs ſimilibus non proficiant ad effectum acceptationis renunciationis, & impedimenti confirmationis, ſi detectum impedimentum ſit valdè infamatorium, non tenetur ſe prodere, ſed poterit acceptare, maiori tamen qua poterit diligentia neceſſaria procurando diſpenſationem, ſiue nouam confirmationem, per viam ſecretam, ſeu nouam collationem eiuſdem officij, ab habente auctoritatem ita communiter omnes. Summiſtæ verbo Electio, vel Excommunicatio, & inter alios Caietanus *2.2. q. 69. in comment. ſuper art. 1. & 2. poſt tertiam dubitationem, §. ad hoc dicitur*, vbi inquit, *Conſonum Scripturæ ſacræ, & iuri Canonico, & rationi eſt, quod occultus actor non teneatur ſe prodere*; inſinuans ibidem, quod naturalis ratio dictat, ne quis reus, & proportionaliter impeditus, ſe prodat cum ſui infamia. Et Sotus *vbi ſupra, relect. de ſecreto tegendo*, poſt quos Henriquez, *de excommun. lib. 3. cap. 14. nu. 2. & 3.* & Suarez *loco citato, num. 34.* quos adducit Portel. *vbi ſupra*, & *verb. Diffinitores, num. 2.* vbi etiam refert doctri-

nam Palud. 4. *ſent. d.* 19. *quæſt. vltima*, reddentis rationem, ne indignus admittatur ad officium: cumque præponderet bonum publicum bono particulari indigni electi ob impedimentum reale, ideo tenetur ad euitandum culpam & pœnas, vti diligentijs ſuperius enumeratis.

Cum ſæpius in hoc, & ſuperioribus capitulis facta fuerit mentio de maiori parte Capituli, ſiue eligẽtium Prælatum vel Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam; vtile iudicaui breuiter ad calcem huius capitis, quod eſt vltimum in quo fiat mentio de maiori parte neceſſaria in electionibus Prælatorum, vel Officialium, bre-
37 uiter declarare quid nomine † maioris partis Capituli, vel eligentium intelligatur, etſi id fuerit non plenè explicatum, ſed tantum inſinuatum ſuperius *cap.* 4. *nu.* 34. Dico itaque quod maior pars Capituli ſiue Collegij, non cenſetur illa tantum quæ maior dicitur comparatione minoris partis, ſed reſpectu, & in ordine ad totum Collegium ſiue Capitulum. ita docet inter alios Felin. *in cap. cum omnes tit. de conſtit. colum.* 14. & gloſſa, *ibidem verb. Conſtitutum*, nam Canonici, & proportionaliter Electores Eccleſiaſtici tam ſeculares, quam regulares, quaſi vnum corpus, & idem Collegium efficiunt. & Abbas *cap. Eccleſia veſtra, de elect.* & Gloſſa, *ibidem.* & ſermo eſt de eligentibus ibi præſentibus in loco electionis, vel per ſe ipſos ſiue per Procuratorem, modo ſuperius declarato, cap. 5. & 8. Abbas enim *cap. quoniam*, & *cap. fin. de iure patron. colum. penult.* dat exemplum: Si in vniuerſitate inueniantur triginta, & quindecim eligant vnum octo, eligant alium, & cæteri eligant tertium: in hoc, & ſimili caſu nulla erit electio canonica, & legitima, eo quia inter eſſentialia, & ſubſtantialia electionis canonicæ legitimæ hoc principale eſt vt fiat à maiori parte eligentium ſiue vocalium, vt fuſius dictũ eſt ſuperius, cap. 3. & 7. Sed in caſu propoſito nullus euaſit electus à maiori parte reſpectu totius Collegij vel Capituli, ſiue vniuerſitatis: ideo nulla fuit omnis electio de qua ſupra, cum non ſit præferendus tanquam legitimè electus quis ex eo tantum quia habuit plura vota, ſed ſolum quando habet numerum maiorem votorum Capituli præſentis. ita docent Baldus, *in cap. Eccleſia veſtra*, & Decius *in cap. cum omnes*, ſupracitatis; & eſt quaſi communis ſententia omnium Iuriſtarum.

Summa Cap. XVIII.

1 *De conſilio diſcretorum Patrum, concurrente maiori parte eorum, poteſt inſtitui Supprior in Ordine Prædicatorum, ex aſſignatis tamen in eodem Conuentu. Quod etiam conceditur Prouinciali abſque conſilio, & de quocumque Conuentu. & intra quod tempus debeat inſtitui, & num. 3.*

2 *Quomodo in Ordine Prædicatorum eligi debeat Vicarius Conuentus mortuo, vel amoto Priore.*

4 *Cui ſit committenda cura Monialium, abſente, vel mortuo Priore.*

5 *In Prouincia Romana, & Lombardiæ Suppriores debent eſſe ætatis ad minus triginta annorum. Nec poſſunt eligi in Priores in illis Conuentibus, in quibus actu exercent officium Supprioris.*

6 *Prior ſine conſilio diſcretorum Patrum, non poteſt abſoluere Suppriorem, nec Vicarium inſtituere ſupra ipſum Suppriorem.*

7 *Prouincialis non poteſt inſtituere Vicarium ſupra Priorem inconſulto Reuerendiſſimo Patre Generali.*

8 *Prior non poteſt inſtituere Suppriorem, niſi de conſilio, & aſſenſu maioris, & ſanioris*

nioris partis Patrum ſui Conuentus, ad hunc effectum congregatorum. Amplia etiam in Vicario.

9 *Supprior non habens duodecim annos à profeſſione, poteſt electiones dirigere, non tamen in eis votum habere.*

10 *Quam facultatem habeant Suppriores in caſibus mortis, vel amotionis Priorum.*

11 *Suppriores in officio non poſſunt excedere biennium. Et extra ſuos Conuentus non habent locum ſupra Baccalaureos, etiam ſibi ſubditos. Et ſi ſunt Prædicatores generales, poſſunt habere vocem in Capitulo Prouinciali.*

12 *Quis Frater dicatur propriè eſſe de aliquo Conuentu.*

CAP. XVIII.

De inſtitutione, ac deſtitutione Supprioris Conuentus, in Ordine Prædicatorum.

EX textu 6. in antiquis (in nouiſſimis eſt textus 8.) cap. de electione Prioris Conuentualis hæc habẽtur, *Prior* † *autem Conuentualis, de conſilio diſcretorum Patrum ſui Conuentus inſtituat Suppriorem, cuius officium erit habere diligentiam circa Conuentum, & corripere delinquentes, & in alijs quantum Prior illi aſſignauerit.*

1 Ex declaratione eiuſdem textus Prioris Conuentualis, de conſilio diſcretorum: *Declaramus quod Prior Conuentualis non poſſit inſtituere Suppriorem, niſi de conſilio, & aſſenſu ſpecialiter ad hoc congregato maioris partis, vel ſanioris Patrum illius Conuentus, qui iuxta morem ſolent ad conſilia vocari: Et oportet quod ille Frater qui debet Supprior inſtitui, ſit in eodem Conuentu antea aſſignatus, ſicut fuit declaratum in Capitulo Venetijs 1325. Ad conſilia autem vocandi ſunt, qui fuerunt Priores, Lectores, Principales, vel Vicarij nationum, vel in aliquo ſtudio Generali Sententias legerint, vel qui actualiter ſunt Suppriores, vel qui per Magiſtrum Ordinis, vel Priorem Prouincialem fuerint inſtituti, ſicut fuit declaratum apud Papiam 1423. dummodo non excedant numerum duodenarium.*

In declaratione pariter eiuſdem textus ſexti, vel octaui, ſequentia, quæ tangunt inſtitutionẽ Supprioris perficiendam à P. Prouinciali, habentur. *Item declaramus quod Priores Prouinciales in ſua Prouincia duntaxat, poſſunt inſtituere Suppriores: quia in Rectoribus eſſentialiter ordinatis, quod inferiori conceditur, Superiori nullatenus denegatur, niſi ſuper hoc ſpecialis fiat exceptio; ſicut fuit declaratum apud Biſuntium 1353.* Quod habet fundamentum in iure communi, iuxta regulam, *Quod inferiori conceditur, multo magis conceditur Superiori.* l. *non debet, ff. de iure iur.* & in cap. *cui licet*, & cap. *cum in cunctis*, extra de elect. Hoſt. & alij *in cap. per venerabilem.*

Item declaramus quod in quolibet Conuentu Supprióre carente, Priores ſecundum modum in Conſtitutionibus poſitum, tenentur infra ſpatium vnius menſis Suppriorem inſtituere, vel inſtituendum petere: & qui in hoc inuenti fuerint negligentes, à ſuis officijs abſoluantur; ſicut fuit ordinatum Neap. 1311. & Valent. 1337. Quibus immediatè adduntur alia, quæ ſequuntur, videlicet.

Declarantes, quod imminente tractatu eorum, quæ ad Capitulum Prouinciale mittenda ſunt, non debent Priores vllo modo Suppriores abſoluere. Quod ſi contrarium fecerint, à Prioratus officio, in pœnam abſoluantur, ſicut fuit ordinatum Auenioni 1341.

Ex declaratione eiuſdem text' ſub littera V, ad illa verba. *Niſi Prior Prouincialis aliter ordinauerit*, habetur. *Declaramus*

mus quod mortuo, vel amoto Priore, Prior Prouincialis poteſt Suppriorem à ſuo officio abſoluere, vel auctoritatem eius limitare, etiam antequam Prior electus fuerit, vel confirmatus, vel præſens in domo extiterit; & poterit in eodem Conuentu Vicarium inſtituere Fratrem alterius Conuentus, qui habebit vocem in electione, & in alijs negotijs, & tractatibus illius Conuentus, ſicut fuit declaratum apud Caturcium 1319. Non poteſt tamen in electione habere vocem paſſiuam in eo, ſicut ordinatum fuit in Capitulo Romano 1553. & 1558. & Auenione 1561. & Bononiæ 1564. vbi correctum fuit illud de voce actiua iſtius Vicarij, qui hoc modo inſtitutus nunc carere debet etiam voce actiua; vt latius ſupra cap. 5. nu. 89.

Ex textu ſeptimo, in antiquis, nono autem in nouiſſimis Conſtitutionibus, Capit. de electione Prioris Conuentualis, & in declaratione eiuſdem textus

2 dicitur. *Declaramus* † *quod mortuo, vel amoto Priore, ſi domus non habuerit Suppriorem, vel Vicariũ eius, vel alicuius alterius Superioris, tres Patres antiqui, qui diutius habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem portauerunt, & aſſignati ſunt in præfato Conuentu, tenentur eligere vnum Vicarium, qui in tali caſu poterit in electione cum alijs duobus vota recipere, & omnia facere quæ poteſt Supprior, mortuo, vel amoto Priore facere, ſicut declaratum eſt apud Caturcium 1319. & apud Tholoſam 1328. Vel Vicarium Prioris,* (verba ſunt textus; pro quorum declaratione, ſiue explicatione, dicitur in declaratione eiuſdem textus ſub litt. Y. *Declaramus quod mortuo, vel amoto Priore, Vicarius ab eo inſtitutus extra remoueatur, & non remaneat amplius Vicarius; ſicut fuit declaratum apud Burges 1369. Illud verbum,* (vel Vicarium Prioris,) *non debet referri ad illud,* Mortuo vel amoto Priore; *ſed ad illud verbum,* Vel abſente Priore. *Et in tali caſu, videlicet in abſentia Prioris, ſi domus Suppriorem vel Vicarium eius, vel Vicarium Prioris non habuerit; tunc tres Fratres illius Conuentus, qui diutius habitum noſtræ Religionis poſt profeſſionem portauerunt, tenebuntur aliquem Fratrem de illo Conuentu in Vicarium eligere, qui vices Prioris in omnibus plenariè obtinebit, quouſque domus ipſa Priorem præſentem habeat, vel Suppriorem aut Vicarium Prioris, vel Prior Prouincialis, vel Conuentualis aliter ordinauerit. Ex quo patet, quod verbum illud (vel Vicarium Prioris, refertur ad abſentiã, & non ad remotionem Prioris, quia Prior remotus ab aliquo Cõuentu, non poteſt de illo aliquid diſponere, vel ordinare, quod tamen poteſt in ſua abſentia facere. Et propter hoc in Capitulo Bononiæ celebrato 1262. cum in prædicta clauſula (Si vero mortuo) nulla fieret mentio de abſentia Prioris, nec de eius Vicario, fuit ſtatutum, & confirmatum vt ſic diceretur, Si vero mortuo Priore, vel amoto, addatur, Vel abſente. Et infra, Et domus Suppriorem præſentem non habuerit, addatur, Vel Vicarium Prioris. Et infra, vbi dicitur, Vel Prior Prouincialis, addatur, Vel Conuentualis, aliter ordinauerit. Et ita bene apparet quod prædicta clauſula, quæ ſolum ſe extendebat ad eligendum Vicarium in caſu mortis, vel remotionis Prioris, nunc per illas tres dictiones additas etiam ſe extendit in caſu abſentiæ ipſius Prioris.*

Ex ſupradictis circa inſtitutionem Supprioris, vt tollatur omnis confuſio, & inconueniens, ſatis clarè apparet mẽtem Conſtitutionis, & Capitulorum Generalium fuiſſe cõcedere facultatem

3 Priori, † inſtituẽdi Suppriorem de conſilio Patrum, niſi tempore opportuno, & congruo fuerit prouiſum per Prouincialem certioratum de vacãtia per eundem Priorem: quod tempus videtur eſſe intra vnum menſem. Vnde ad euitandas confuſiones, ſi ſtatim prouide-rit

rit Prior de Suppriore, tenebitur certiorem reddere Prouincialem, ne alium inſtituat: Si vero in Conuentu aſſignatus, nullus ſit aptus, petat à Prouinciali intra menſem; quemadmodum idem tempus aſſignatur pro eligendo vno Priore poſt vacantiam. Quæ animaduerſio fundatur in continua practica Prouinciarum Ordinis. Aliter accideret frequenter in eodem Conuentu eſſe duos Suppriores; vnum inſtitutum à Priore, & Patribus, alterum à Prouinciali.

Ad tollenda itaque iurgia, & contentiones, expectandum eſt modo ſupra immediatè dicto, an Prouincialis prouideat: circa quod eſt obſeruanda declaratio text. 6. vel 8. ſub littera, F. *Declaramus quod in quolibet Conuentu Suppriore carente, Priores ſecundum modum in Conſtitutionibus poſitum, tenentur infra ſpatium vnius menſis Suppriores inſtituere, vel inſtituendos petere: & qui in hoc inuenti fuerint negligentes, à ſuis officijs abſoluantur, ſicut fuit ordinatum Neapoli 1311. & apud Valentiam 1337.* Quæ verba procludubio indicāt quod primo petendus eſt infra menſem Supprior à Prouinciali, vel ſaltim vt placeat illi quod inſtituatur à Priore, & Patribus: caſu vero quod non prouideat Prouincialis, tunc Prior, & Patres, ſecundum formam prædictam, poterunt inſtituere Suppriorem vnum de aſſignatis in eodem Conuentu, habentem alias qualitates ad hoc officium neceſſarias.

Abſente Priore, vel completo officio
4 Prioratus, curam † monialium non habet Supprior, ſed confeſſor actualis, & ordinarius ſanctimonialium. Ex decreto ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, & ex ordinat. 35. Cardinalis Alexandrini.

5 In Prouincia † Romana, & Lombardiæ, Suppriores non poſſunt eligi in Priores illius Conuentus, in quo ſunt Suppriores: & ſi ſecus fiat, electio eſt nulla, & irrita, ex ordinat. 5. Cardinalis Alexandrini. Eſſe debet ætatis annorum triginta in eiſdem Prouincijs Romana, & Lombardiæ, ex Ordinatione Cardinalis Alexandrini.

6 Quærenti, an Prior † Conuentualis in Ordine Prædicatorum poſſit Suppriorem ſuum remouere, vel abſoluere à ſuo officio, ſine rationabili cauſa, & abſque grauiorum Patrum Conſilio?

Reſpondendum venit negatiuè. Quā negatiuam probant verba declarat. 7. Capituli Generalis Valentiæ 1596. & ſunt quæ ſequuntur immediatè, videlicet. *Declaramus declarationem duodecimam factam in Capitulo Barchinonen. 1574. in qua dicitur Priorem poſſe abſoluere Suppriorem ſuum, non modo à ſe inſtitutum, verum etiam à Prouinciali, intelligendam eſſe de Patrum conſilio, per vota ſecreta.*

Qua declaratione explicatur etiam illud quod legitur in Gloſſ. text. 6. ſub littera, T, cap. de electione Prioris, ſcilicet Conuentualis, quòd Prior poſtquam ſemel fuerit in Conuentu ſui Prioratus, etiam exiſtens extra illum, poteſt Suppriorem abſoluere, ideſt præuio Patrum conſilio: intellige ſui Conuentus: quia alibi non habet iuriſdictionem, neque facultatem congregandi conſilium. Præmitti itaque debet conſilium Patrum eiuſdem Conuentus, inter quos paterna charitate examinandum eſt, an Supprior remouendus ſit: quod examen faciendum eſt per vota ſecreta, vt liberius vnuſquiſque poſſit ſuum præſtare votum.

Ad quorum claritatem in gloſſ. eiuſdem text. ſub litt. V, dicitur quod Prouincialis poteſt Suppriorem à ſuo officio abſoluere. Intellige ſemper præſuppoſita cauſa rationabili.

Ex qui-

Ex quibus licet inferre per modum quaſi neceſſariæ conſequentiæ: Prior igitur non poteſt ſolus, abſque Patrum conſilio Vicarium inſtituere in capite, ſupra Suppriorem, nec abſens, neque præſens in Conuentu: eo quia hoc eſſet non ſolum limitare Supprioris auctoritatem, verum etiam in re ipſa amouere illum ab officio: nam in tali caſu, remaneret illi tantum nomen abſque re, & auctoritate conſequente ad officium Supprioris ex vi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum.

Quæ limitatio, & remotio, competere videtur ſoli Prouinciali, ex verbis præcitatæ gloſſæ, immediatè adductæ, & ſunt. *Poteſt Prouincialis Suppriorem à ſuo officio abſoluere, vel auctoritatem illius limitare.* Cumque verſemur in materia pœnali, & ſtricti iuris, ſtrictè ſunt interpretanda; de ſolo enim Prouinciali, & non de alio inferiori: ergo non de Priore Conuentuali.

A ſimili etiam idem ſuaderi poteſt, ex verbis Ordinationis decimæ Capituli Generalis Romani 1580. vbi ſtatui-
7 tur ne Prouincialis, † ſine vrgentiſſima cauſa, prius Reuerendiſſimo Patri Generali notificanda, inſtituat Vicarium in capite ſupra Priorem. Cum itaque Prouincialis hoc non poſſit ſupra Priorem, multo minus id erit conceſſum Priori ſupra ſuum Suppriorem, niſi prius monito Prouinciali, vel de conſilio Patrum.

Vt omnia rectè diſponantur, inſuper ex Gloſſ. text. 6. ſub littera, T, Prior ne-
8 quit conſtituere † Suppriorem, niſi de conſilio, & aſſenſu ſpecialiter ad hoc congregato maioris, vel ſanioris partis Patrum illius Conuentus, qui iuxta morem ſolent ad conſilia vocari.

Cumque Vicarius in capite ſupra Suppriorem in auctoritate, & officio ſit æqualis, & forſan maior Suppriore, videtur certum non poſſe conſtitui, niſi eodem modo quo Supprior ordinarius; eadem enim ratio militat in vno, ac in alio. Igitur, &c.

Conformiter ad diſpoſitionem declarationis 3. Capituli generalis Valliſo-
9 leti 1605. Fratres † inſtituti Suppriores, quamuis non habeant duodecim annos à profeſſione, ſic inſtituti poſſunt electiones dirigere, non tamen in electionibus votum habere.

10 Supprior mortuo † vel amoto Priore, vices eius in omnibus plenariè obtinet, ex text. 8. cap. de elect. Prioris Conuentualis. Et in declaratione eiuſdem text. *ſub littera, r,* declaratur in ſpecie facultas, quam habent Suppriores in Ordine Prædicatorum in caſibus immediatè expreſſis, mortis ſcilicet, vel amotionis Priorum, per ſequentia verba. *Item declaramus quod Suppriores, & Vicarij Priorum in abſentia Priorum non poſſunt recipere Fratres ad Ordinem, vel profeſſionem; neque etiam ad ſacros Ordines promouere: ſicut fuit ordinatum apud Montempeſſulanum 1394. & apud Brixiam 1396. Poſſunt tamen, abſentibus Prioribus, per priuilegium quod dicitur, Mare magnum, omnes Fratres ſuorum Conuentuum, vel ad eos declinantes, ab omnibus exceſſibus & cenſuris, à iure vel à iudice generaliter promulgatis abſoluere, Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis eis adminiſtrare. Toloſæ 1314. & Valentiæ 1337.*

Et pariter in declaratione eiuſdem text. ſub littera, S, hæc habentur. *Declaramus quod per Conſtitutiones noſtras, mortuo vel amoto Priore, cum Supprior vices eius plenariè in omnibus obtineat, poterit in tali caſu agere quicquid Prior iure ordinario poteſt: & ideo poterit Vicarium inſtituere, Fratres ad probationem vel ad profeſſionem recipere, Confeſſorem eligere, & aliorum Fratrum Confeſſiones audire,*

& alios

& alios pro audientia Fratrum exponere; quia cùm ſit in tali caſu quaſi ordinarius, & poteſtatem, ac iuriſdictionem ordinariam habeat; poterit prædicta, & quæcumque alia facere, quæ Prior iure ordinario poteſt. Non poterit autem Fratres præſentare Epiſcopis pro confeſſionibus ſecularium audiendis, vel pro Ordinibus ſuſcipiendis, vel alia huiuſmodi facere, quæ Priori competunt non de iure, ſed ex commiſſione; & hæc eadem poteſt Vicarius electus à Patribus, mortuo, vel amoto Priore, in abſentia Supprioris; quia in tali caſu Vicarius non eſt delegatus, ſed habet iuriſdictionem ordinariam per legem ſibi datam.

Neque obſtat contentis in hac præcedenti immediatè declaratione diſpoſitio ordinationis 9. Cap. Valliſol. 1605. cum in ea prohibeatur Prioribus, vt durante eorum officio tantum non poſſint dare licentiam, vel facultatem ſuis Superioribus, recipiendi ad habitum, vel ad profeſſionem Fratres. Declaratio vero antecedens textus octaui, de quo ſupra, *ſub lit. ſ.* loquitur de Suppriore, mortuo, vel amoto Priore. Tenor autem prædictæ Ordinationis Cap. Valliſol. is eſt: *Interdictum ſit omnibus Prioribus in poſterum, ſuis Superioribus, vel Vicarijs licentiam committere, recipiendi quemquam ad habitum, vel profeſſionem, ſine licentia Reuerendi Admodum Patris Prouincialis: & qui contra fecerint, à ſuis officijs abſoluantur.* Qui caſus eſt omnino diuerſus ab illo præmemorato in antecedenti declaratione; nec comprehenditur in ordinatione Capit. Valliſoletani, de qua immediate.

Cautus ſit itaque Lector in perlegendo declarationem textus octaui, *ſub lit. r.* de qua ſupra. Verba enim eius, nec realiter, neque apparenter minimum quid contradictionis inuoluunt, cum illis ſequentis declarationis ad eundem textum *ſub lit. ſ.* quia in illis nõ ſit ſermo de eodem caſu. Nam in prima agitur de facultate, quam Prior committere, ſiue concedere valet Supprriori in eius abſentia à Conuentu, cuius eſt Prior. In ſecunda vero declaratione habetur ſermo, quando Conuentus nõ habet Priorem, nec præſentem, nec abſentem, tempore ſcilicet, quo durat vacantia Prioratus per mortem, vel amotionem præcedentis Prioris. In primo igitur caſu, abſente Priore, non poteſt Supprior recipere ad probationem, vel ad profeſſionem Fratres: id tamen facere poteſt in ſecundo caſu, videlicet amotionis, vel mortis Prioris. Et ratio eſt aſſignata ſuperius, quia tunc, & eo caſu Supprior *vices Prioris plenarie in omnibus obtinet*.

11 Supprior † non excedat biennium in ſuo officio: quo biennio expleto non poteſt iterum aſſumi in Suppriorem in eodem Conuentu ante duos annos cõpletos. Valliſol. 1605.

Suppriores extra ſuos Conuentus nõ habent locum ſupra Baccalaureos etiam ſubditos ſuos, ſi ibidem inueniantur. Barchinon. 1574.

Suppriores, qui ſunt Prædicatores generales, poſſunt pergere ad Capitulum Prouinciale, & habent vocem in illo. Romæ 1608.

12 Cum in hoc † cap. facta ſit mentio de Suppriore inſtituendo à Priore & Patribus, vt ſit Frater eiuſdem Conuentus: quam conditionem habere debet Frater qui debet inſtitui Vicarius Conuentus à tribus Patribus, mortuo, vel amoto Priore, quando Conuentus caret Suppriore, *vt ſit* (videlicet) *de illo Conuentu:* hoc explicatur in verbis declarationis eiuſdem text. 8. cap. de elect. Prioris Conuent. ſub litt. z. per ſequentia verba: *Declaramus quod aliquis Frater proprie dicitur eſſe de aliquo Conuentu, qui eſt in illo aſſignatus per Priorem Prouincialem, vel per Magiſtrum*

giſtrum Ordinis, vel per eorum Vicarios, vel per Capitulum Generale, vel Prouinciale, & talis propriè dicitur eſſe Conuentualis illius Conuentus etiam ſi non fuerit in illo profeſſus, non poſſunt ergo illi tres Patres aliquem Fratrem eligere in Vicarium, niſi fuerit in illo Conuentu aſſignatus: Sic enim poterit dici eſſe de illo Conuentu, vel Frater Conuentualis illius Conuentus ſicut fuit aliàs declaratum Toloſæ 1328.

Summa Cap. XIX.

Recenſentur in hoc Capite multæ formæ, quibus vtuntur Regulares Ordinum infraſcriptorum in electionibus ſuorum Prælatorum, videlicet

1. *Caſſinenſium S. Benedicti.*
2. *Camaldulenſium S. Romualdi.*
   Heremitarum Montiſcoronæ.
3. *Ciſtercienſium S. Bernardi.*
   Congregationis Fulienſium.
4. *Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris.*
5. *Minorum de Obſeruantia, ſancti Franciſci.*
   Capuccinorum.
6. *Heremitarum S. Auguſtini.*
   Diſcalceatorum S. Auguſtini in Regnis Hiſpaniæ.
7. *Carmelitarum Calceatorum.*
   Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ.
8. *Seruorum S. Mariæ.*
9. *Diſcalceatorum ſanctiſſimæ Trinitatis Regnorum Hiſpaniarum.*
10. *Minimorum S. Franciſci de Paula.*
11. *Clericorum Regularium Theatinorum.*

CAP. XIX.

De modo, & forma qua vtuntur Regulares infraſcriptorũ Ordinum, in electionibus ſuorum Prælatorum, & Officialium.

IN hoc capite continentur iura, ſiue ſtatuta particularia, quæ habent Regulares diuerſorum Ordinum Monachorũ, & Mendicantium, circa modum, & formam eligendi eorum Prælatos, vel Superiores, ſiue Officiales ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionũ vniſcuiuſque Religionis vel Congregationis. In quibus electionibus dato quod in aliquo deuient à diſpoſitione iuris communis, vel Concilij Tridentini (quod nolo hic perſcrutari) exiſtimo id euenire in vi, & virtute alicuius Priuilegij Apoſtolici, in forma ſpeciali circa modum electionis conceſſi: quod eſt omnino neceſſarium, vt copioſius dictum, & probatum eſt ſuperius in hoc tractatu, frequentius, maxime vero cap. 1. & 7. Nam omiſſio formæ ſtatutæ in iure circa electionem Superiorum, & aliorum Officialium, de qua agitur *cap. quia propter, de elect.* & in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 25. cap. 6.* efficit electionem nullam, & irritam, vt habetur *in cap. in Geneſi, de elect.* & *in Clem. exiui, §. demum.* Idem docent Baldus, & alij Canoniſtæ, quos adducit inter alios Cardinalis Tuſcus, *verb. Electio concl. 60.* & Andreas Molfeſius, *in ſua Summa morali Theologia tract. 6. tit. de beneficijs, cap. 16. à num. 33. vſque ad 46.* Hoc vno adnotato, quod infra poſitis ſpectantibus ad varios Ordines, quidquam, nec addidi, nec diminui; ſed eo modo & forma quæ tradita mihi fuere, hic apponere curaui.

Ex

Digitized by Google

I.

Ex Conſtitutionibus Congregationis Caſsinenſis Ordinis ſancti Benedicti, par. 1. cap. 8.

3 Sabbato igitur, ante quartam Dominicam poſt Paſcha, fiat in Miſſa commemoratio de Spiritu ſancto; ac deinde poſt Nonam, conuocatis omnibus de Capitulo in loco ad id deputato, præmiſſa prius mentali Oratione, Præſidens regiminis dicat verſus: *Saluos fac ſeruos tuos,* ℟. *Deus meus ſperantes in te,* ℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis,* ℟. *A facie inimici,* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis,* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis,* ℣. *Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis,* ℟. *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis,* ℣. *Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos,* ℣. *Domine exaudi orationem meam,* ℟. *Et clamor meus ad te veniat,* ℣. *Dominus vobiſcum,* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Famulorum tuorum quæſumus Domine delictis ignoſce: vt qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filij tui interceſſione ſaluemur.

Interceſſio nos quæſumus Domine Beati Patris noſtri Benedicti Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

4 Fratres vero Conuentuales ex tunc, & deinceps in loco tantum Capituli teneant locum profeſſionum ſuarum, niſi electus in Conuentualem fuerit ex ſenioribus ipſius Monaſterij, vbi Capitulum celebratur, quia locum ſolitum tenebit præterquam in actibus Capitularibus.

5 Facta verò per Præſidentem monitione, Fratres Conuentuales, per litteras, aut per ſufficientia teſtimonia, ſuarum electionum fidem faciant. Approbata tamen, vel reprobata eorum electione, Pater Præſidens, & Viſitatores vocent, coram omnibus ſingulos in catalogo deſcriptos à Quæſtore, & ipſe Quæſtor fidem ſcripti faciat de omnibus, qui integrè ſatisfecerint, aut non, quique non portauerint portionem annatæ quindenniorum, veniant de præſenti, & exponant cauſam, quare non portauerint; nec prius per iudicium cōdemnentur, quam audiantur, tam ipſi, quam quicumque alij, quorum fortè fama, aut exiſtimatio per diffamatorias litteras, aut voces, violata eſſet, aut apud Patres, aut apud alios. Aliquando enim euenire ſolet, quod Monaſteria quædam, ob infortunium, aut calamitatem aliquam, aut etiam ob culpam eorum, qui præcedentibus annis redditus curarunt, vix ſuis redditibus alere poſſunt Monachos ibi degentes, ne dum taxas, aut alia grauamina impoſita exſoluere; & horum omnium culpa, falsò multoties aſcribitur ijs, qui tunc temporis, cum hæc cognoſcuntur, præſunt. Ad rei igitur veritatem innoteſcendam debent, & qui ſic ſuſpecti, aut diffamati ſunt, à Præſide, & Viſitatoribus diligenter examinari, vt ijs omnibus prouideri tempore ſuo poſſit; & ſimiliter qui non portauerint portionem annatæ Quindenniorum, de cauſa talis defectus requiri: qua per Præſidentem, coram omnibus declarata, iudicet ipſe cum Viſitatoribus, an ſit legitima, vel ne. quod ſi legitimam non iudicauerint; Prælati ſi quidem ad Capitulum, tamdiu ieiunent ſemel in hebdomada in pane ſolum, & aqua, quamdiu omiſſam ratam pecu-

1 *Tractatu de Electione.*

Digitized by Google

niæ, vbi ſupra depoſuerint cum effectu. Cellerarij vero, ſi ipſorum culpa hoc euenerit, pœniteant, vt ſupradictum eſt. Quod ſi Conuētuales tranſgreſſores ipſi fuerint, in terra ſemel in Refectorio comedant, die quo ſtatuerint Diffinitores, vt ſupra dictum eſt; & careant voce, nec cum eis diſpenſari poſſit, niſi ex nouem octo acceſſerint Diffinitorum conſenſus.

6 Et præſcripta omnia ipſe Pater Præſidens, & Viſitatores obſeruent omnino, & obſeruari faciant; cariturí ipſi voce actiua, ſi ſecus fecerint, vt Diffinitoribus ſubſequentibus ſtatus Religionis fiat manifeſtus, & prouidere poſſint.

7 Conſequenter Pater Præſidens, publice audientibus omnibus legat Capitulum quartum: De ijs qui faciunt practicas, legat etiam breue Apoſtolicum Gregorij XIII. contra appellantes,

8 Deinde moneat omnes, vt interſint Miſſæ, quæ die ſequenti ſolemniter cantabitur de Dominica, cum commemoratione Spiritus ſancti; vt Dominus illuminare dignetur, & dirigere in ſuo beneplacito corda Fratrum Capitulum celebrare debentium: & Conuentualibus recedentibus, Præſidens legat infraſcriptum Capitulum. quo lecto, ad electionem Scrutatorum, per Prælatos procedatur.

De electione Scrutatorum. Cap. IX.

1 Ordinamus primo, ne quis alicui ex Prælatis, ad quos electio ſpectat Diffinitorum, conſanguinitate, vſque ad ſecundum gradum incluſiue coniunctus, in ſcrutatorem eligatur. Singuli igitur Viſitatores, quatuor, qui non ſint de Capitulo, nominent ſecretè in aurem Patris Præſidentis; ipſe etiam Pater Præſidens quatuor nominare poſſit, quos quidem ille in ſchedula cōſcribat, & eos poſtmodum nominet: qui nominati balottentur ab omnibus Prælatis; & illi quatuor qui plures balottas albas habuerint, ſint ſcrutatores electi, in omnibus actibus Capitularibus, durante ipſo Capitulo: & ſi fuerint aliqui pares in vocibus, præferantur, qui locum ſuperiorem in Monaſterio tenuerint. Laudamus tamen pro pace, & vnitate ſeruanda, vt vnus tantum, & non plures in eodem Monaſterio Profeſſi, ſcrutatores eligantur.

2 Qui ſcrutatores teneant ſecretiſſima, quæ tenenda venerint. Contrafacientes vero, ſi tranſgreſſio fuerit manifeſta, graduati teneant locum Profeſſionis ſuę in Monaſterio, ſaltem per duos menſes. Si vero non fuerint graduati; fient degradati in Monaſterio poſt omnes profeſſos, ſimiliter per duos menſes; & inſuper eo ipſo ſint priuati dicto ſcrutatorum officio, ad quod deinceps in perpetuum ſint inhabiles.

3 Si vero culpa fuerit latens, ter in pane, & aqua ieiunent, nec aliter diſpenſari poſſint.

4 Hoc autem Capitulum legat Præſidens ipſis ſcrutatoribus die ſequenti, coram omnibus de Capitulo, antequam ad electionem Diffinitorum procedatur.

De electione Præſidentis Capituli; Diffinitorum; & Conſeruatorum. Cap. XI.

1 Quoniam plura in Capitulo Generali tractanda occurrunt, quæ ſi per omnes de Capitulo fierent, tædium plerunque expeditionis difficultas pareret. Idcircò, vt diffiniendorum facilior eliciatur concluſio: Ordinamus iuxta tenorem priuilegiorum noſtrorum, nouem Diffinitores eligi debere ex Prælatis, qui ſunt de Capitulo, quorum

rum vnus eligatur Præſidens Capituli, iuxta formam Breuis Apoſtolici Gregorij XIII.

2 Admonemus autem, vt vnuſquiſque Deum in hac electione, ante oculos ſuæ mentis habeat, & quos iudicio ſuæ conſcientiæ, pro vniuerſali Congregationis bono iudicauerint vtiliores, hos eligant.

3 Ordinamus etiam quemlibet abſentem à Capitulo, neque per ſubſtitutum, neque per epiſtolas, neque per nũtium, vocem in Capituli actibus habere poſſe.

4 Primo igitur ſecundum tenorem Breuis Apoſtolici Gregorij XIII. excipiantur omnes illi Prælati, qui in duobus immediate præcedentibus Capitulis Diffinitores fuerint.

Secundò excipiantur illi, qui proximo illo ſuperiori anno Viſitatores fuerint. Aduertatur præterea, vnum tantum, & non plures in eodem Monaſterio Profeſſos, ſimul in eodem Capitulo Diffinitores eligi poſſe. Ita quod nouem Diffinitores, ſinguli Profeſſi, de ſingulis Monaſterijs eligantur.

5 Modus autem prædictæ electionis faciendæ erit, qui in alio Breui eiuſdem Gregorij XIII. dato die 10. Aprilis 1575. expreſſus eſt.

6 Nomina videlicet omnium, qui in Diffinitores eligi poterunt, in ſacculum, aut vrnam inijciantur, & deinde ſuper eorum ſingulis, prout ex ſacculo, aut vrna educentur, fiat ſcrutinium ſuffragijs ſingulorum, quæ quidem per fabas, aut balottas colore diſſimiles, ſecretè in pyxidem iniectas, ſunt ferenda. Facto autem ſcrutinio, illi intelligantur electi, qui maiore ſuffragiorum numero, ſupra dimidiam iuuabuntur. Quod ſi in primo ſcrutinio, non reperientur nouem ſortiti ſuffragia, ſupra dimidiam partem; fiat ſecundum ſcrutinium, in quo ſi idem euenerit, fiat & tertium. Si vero nec in eo fuerit nouenarius numerus completus: tunc conſideratis à ſcrutatoribus omnibus ſcrutinijs, illi intelligantur electi, qui in aliquo eorum plura habuerint ſuffragia, etiam infra dimidiam. Rurſus de ipſis nouem, ſic electis, fiat ſcrutinium pro eligẽdo Præſidente Capituli; & ille præſideat, in quem plura ſuffragia, etiam infra dimidiam conuenerint. Quod ſi in electione tam Diffinitorum, quàm Præſidẽtis, duo, vel plures fuerint in numero ſuffragiorum pares, antiquiores profeſſione præferantur: iuxta præſcriptam igitur formam fiant prædictæ electiones, & non aliter, nec alio modo. Electis vero, & renuntiatis Diffinitoribus, & Præſidente Capituli, rurſus nomina omnium Prælatorum, non Diffinitorũ, (ijs exemptis, qui ſuperiore Capitulo, Diffinitores, & Conſeruatores, & illo anno Viſitatores fuerint,) in ſacculum, ſeu vrnam inijciantur, pro eligendis Conſeruatoribus, iuxta præſcriptum Apoſtolicum eiuſdem Gregorij XIII. & fiat ſcrutinium, prout ſupra dictum eſt in electione Diffinitorum. & illi tres, in quos plura ſuffragia conuenerint, etiam infra dimidiam, intelligantur electi Conſeruatores, & locum habebunt immediate, poſt Diffinitores.

De Electione Scribæ, & Cancellarij Capituli Generalis, & de pertinentibus ad officium eorum. Cap. XV.

1 POſt electionem Diffinitorum, & Conſeruatorum, eligatur vnus ex ipſis Diffinitoribus, qui ſit ſcriba Capituli, hoc modo videlicet: Vnuſquiſque Diffinitorum nominet, quem velit Præſidenti Capituli, qui Præſidens omnes nominatos redigat in ſcriptis: poſtea balottentur, & remaneat, qui habuerit plures

plures voces, & ſi plures inuenirentur pares in vocibus, iterum balottentur, donec vnus remaneat. Quo electo, Præſidens Capituli propria manu in regiſtro Actorum ipſius Capituli ſcribat, in hac forma de ijs fidem faciens.

2 *Anno Domini M. D. Indictione* N. *die* N. *Menſis* N. *Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Pontificatus anno* N. *celebratum fuit Capitulum Generale Monachorum Congregationis Caſſinenſis, alias S. Iuſtinæ, in Monaſterio S.* N. *D.* N. *Diæceſis* N. *in quo fuit electus in Scribam Capituli.* D. N. *De*, &c. *ab infraſcriptis Diffinitoribus eiuſdem Capituli. Ad cuius rei fidem ego* D. N. *Diffinitor, & Præſidens præfati Capituli, hac manu propria ſcripſi.*

Conſequenter duo ex antiquioribus Diffinitoribus ſe ſubſcribant. Poſtea ipſe ſcriba, qui eo ipſo authoritate Apoſtolica, vt patet per indultum Pij Secundi Summi Pontificis conceſſum de anno 1471. quoad acta Capituli Notarius publicus cenſetur, in regiſtro ſcribat nomina Præſidentis, & aliorum Diffinitorũ anni illius, & ſubſequenter omnes alios Officialas, & quælibet acta Capituli ſcriptura digna.

3 Ad officium etiam ſcribæ pertinet literas omnes Capitulo præſentatas, coram alijs Diffinitoribus legere, & ea, quæ alicuius ponderis, aut digna examine conſpexerit, in vno folio per ipſum ſcribam, in modum memorialis notentur, per Diffinitores poſtea examinanda. Ad eius officium etiam pertinet publicare Vicarium Monaſterij, Auditores cauſarum, Cancellarium, Depoſitarium, Lectores Patrum, Hoſtiarios, & alios Officiales, à Patribus Diffinitoribus conſtitutos; cædulamque dictorũ Officialium Vicario relinquere.

4 Sit etiã ſollicitus ſcriba, terminata per Diffinitores anno præterito, quæ reuocata non fuerint, in regiſtro deſcribere, & quæ de nouo ſtatuentur diligenter adnotare. Scribi etiam faciat literas gratioſas, pro benefactoribus Congregationis, cum appoſitione ſigilli pendentis, quas ipſe ſubſcribat. Licentias quoque vendendi, ſeu quouis titulo alienandi, per Diffinitores conceſſas, niſi prius extendantur in membrana in forma debita, non ſubſcribat.

5 Conceſſæ vero licentiæ alienandi, vt de præmiſſis apud omnes debitã fidem ſortiantur: ſtatuimus quod in futurum, vt cuicumque huiuſmodi patentes literas concedi contigerit, in pergameno ſcribantur, & rotundo ſigillo in capſa lignea impreſſo impendenti muniantur. Quod ſigillum remaneat in loco Capituli; & vt ſupradicta valeat commodius expedire, volumus, vt finito Capitulo tribus diebus, & vltra, ſi opus fuerit, remaneat in Monaſterio, vbi Capitulum fuerit celebratum.

6 Verum quoniam propter amplitudinem Congregationis, multæ occupationes, & cauſæ in dies emergunt, ita quod cum difficultate ſcriba omnibus ſatisfacere poteſt; idcirco per Patres Diffinitores, de cetero Frater idoneus, fidus, integerrimus, & peritus, qui non ſit de Capitulo, eligatur, qui Cancellarius Patrum vocetur, & regiſtrandi literas, inſtrumẽta, & alias ſcripturas ad regimen attinentes, necnon literas ſcribendi, & reſpondendi, quibus opus fuerit, pro diſpoſitione Patris, & Diffinitorũ curam habeat. Qui etiam cum ceteris Officialibus publicetur.

7 Præfatus autẽ Cancellarius apud Præſidentem Regiminis ſemper maneat, vt in rebus ad Congregationem pertinentibus illum opera ſua iuuet; cum abſurdum valde ſit, quòd negocia tanti ponderis fidei cuiuſcumque ſine aliquo delectu committantur; in eo autem officio multos annos, arbitrio Regiminis perſe-

perſeueret, vt non ſolum Præſidi, ſed etiam Diffinitoribus, rerum Congregationis, actorum Capituli, Viſitationum, & Conſtitutionum, & aliarum ſcripturarum ad regimen pertinentium, requiſitus, notitiam ſubminiſtrare valeat; ea enim omnia ita callere debebit, & præ manibus habere, vt quotieſcunque opus fuerit, e veſtigio proferre poſſit. Ei autem coadiutor à Diffinitoribus ipſis, tempore Capituli deputetur, ne multitudine negociorum obruatur.

8 Præſidens autem, in omnibus negocijs ad officium ſuum, & Congregationis Regimen pertinentibus, Cancellario tantum vtatur, ne res tanti ponderis fidei cuiuſcunque committat.

9 In negocijs vero Capitularibus expediendis, vt breuitati ſimul, atque ordini, & perſpicuitati conſulatur, curabit Cancellarius, vt omnia petitionum Abbatum, & Conuentualium folia, eiuſdem pariſque magnitudinis ſint, & latis, ampliſque marginibus, in quibus Diffinitores annotare poſſint, quid ſuper ſingulis deliberauerint, vt deinde valeant decreta concipi iuxta Diffinitorum ſententiam, ab eiſdem Diffinitoribus conſideranda, & approbanda. Eiuſdem autem folia manu propria Abbatum, & Conuentualium ſubſcripta, in acta Capituli referantur conſeruanda, vt expreſſe appareat, de quibus fuerint Diffinitores admoniti, ne tum Diffinitores ipſi, tum Abbates, aut Conuentuales, ſe excuſare valeant, iſti ſi non retulerint, illi ſi oportuna remedia non curauerint adhibere.

De Præſidentis Regiminis electione. Cap. XXII.

1 Die primo poſt omnium prædictorum expeditionem, etiam ſi ſuperius ordinata, ex integro expedita nō fuerint, vt electio Præſidentis Regiminis celebrari poſſit, cantetur ſolemniter per Præſidentem Miſſa de ſanctiſſimo Patre noſtro Benedicto: qua finita congregatis Diffinitoribus, Præſidens Capituli exhortetur eos pro nouo Præſidente Regiminis eligendo; eum admonens eligēdum, quem pro Congregatione magis idoneum, vtilioremque probauerint.

2 Propter frequentes autem neceſſitates, & continua negocia in Romana Curia, atque vt tota Congregatio vnum corpus eſſe cenſeatur, præcedentium Patrum veſtigijs inhærentes: Statuimus vt ſaltem quolibet quarto anno Præſidens Regiminis, vltra Alpes deputetur.

3 Modus autem electionis erit iſte. Quilibet Diffinitor ſcribat de per ſe in cædula, primò nomen ſuum, deinde nomen illius, quem eligere in Præſidentem intendit hoc modo. Ego D.N. eligo in Præſidentem D.N. & ſcriptum ponat in vaſe ad hoc præparato. Hoc facto Diffinitores vocent Scrutatores, qui ſcrutētur ſimul ſecretè voces datas: in quem verò quinque voces conueniſſe viderint, eum Præſidentem pronuncient; quod ſi non conuenerint, omnes nominati in Præſidentem, à Diffinitoribus balottentur. Balottas verò dicti Scrutatores videant, & eas notent: in quem verò plures balottæ conuenerint; dummodo non ſint infra quinque, ille ſit Præſidens: ſi verò aliqui fuerint pares in quinque vocibus, vel ſupra, iſti iterum balottentur, vſque tertiò inter Diffinitores; & qui plures habuerit balottas, ipſe erit Præſidens; & ſi iterum fuerint pares, pronuncietur qui eſt antiquior in Congregatione.

4 At ſi ex nominatis in Præſidentem, nemo quinque voces habuerit, balottentur ſemel, ſecundò, & tertiò, & non amplius; qui ſi nec tunc conuenerint,

c. *Tractatus de Electione.*

adnocentur quatuor Auditores Cauſarum, & eis adiunctis, nominati per Diffinitores in Præſidentem, inter eos omnes balottentur; & in quem ſex ad minus voces conuenerint, Præſidentem pronuncient. Si verò aliqui fuerint pares in ſex vocibus, vel ſupra, iſti iterum balottentur vſque tertiò; & qui plures habuerit voces, ipſe erit Præſidens; & ſi iterum fuerint pares, pronuncietur qui eſt prior in Congregatione. Electum verò in Præſidentem, huiuſmodi onus omninò volumus acceptare. Conſequenter vocentur omnes Fratres de Capitulo, & qui in eodem reſident Monaſterio, & coram eis electus Præſidens pronuncietur, per antiquiorem ex Diffinitoribus, vt infrà; qui continuò poſtulet, attento onere ſibi impoſito, pro ſe orari ab omnibus, & omnes ſucceſſiuè Fratres habentes vocem in Capitulo, ad pacis oſculum recipiat.

5 Deinde is, qui fuerit Præſidens Capituli, vel antiquior Diffinitor, ſi is factus eſſet Præſidens Regiminis, incipiat; *Te Deum laudamus*, & cantando omnes proceſſionaliter ad Eccleſiam accedāt. Præſidente Regiminis ibi exiſtente.

6 Cum verò peruentum fuerit ad Chorum, Præſidens Congregationis, cum illo qui fuerit Præſidens Capituli, vel cum antiquiori Diffinitorum, ſi, vt ſupra, factus eſſet Præſidens Regiminis, & alio ex antiquioribus Diffinitoribus, ante altare ſe proſternāt: & finito *Te Deum laudamus*, is qui fuit Præſidens Capituli, vel antiquior dicat. ℣. *Saluum fac ſeruum tuum.* ℟. *Deus meus ſperantem in te.* ℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper hunc famulum tuum Præſidentem noſtrum, & ſuper Congregationem illi commiſſam, Spiritum gratiæ ſalutaris: & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Porrige Domine huic famulo tuo Præſidenti noſtro dexteram tuam, per interceſſionem beatæ, & glorioſæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ: & auxilium ei ſupernæ virtutis impende.

Interceſſio nos quæſumus Domine Beatiſſimi Patris noſtri Benedicti Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Si verò contingeret electum abeſſe, eius locum, & vicem teneat antiquior Diffinitorum. & omiſſo oſculo pacis cantetur; *Te Deum laudamus*, cum verſibus, & orationibus, vt ſupra.

De Prælatorum electione. Cap. XXIII.

1 Quia experientia magiſtra didicimus, Prælatorum crebram mutationem, Monaſterijs in ſpiritualibus, & temporalibus eſſe damnoſam; idcircò monemus, vt in electione Prælatorum huiuſmodi crebra mutatio vitetur, & quantum fieri poteſt, non mutentur Prælati niſi elapſo quinquennio, præterquam ob aliquam rationabilem, & legitimam cauſam, ſcripto in mutatione exprimendam. Ipſius autem electionis modus erit iſte.

2 Primò Diffinitores ineant inter ſe tractatum de Patribus, qui ſunt mutandi, vel ſi qui ſunt deponendi, aut de nouo inſtituendi.

Et nullus poſſit, vel deponi, vel de nouo inſtitui in Prælatum, niſi præmiſſo inter Diffinitores tractatu, & ſcrutinio de huiuſmodi depoſitione, vel inſtitutione: & qui anno præterito fuit Prælatus, niſi ex nouem Diffinitoribus

ſeptem

ſeptem conſentiant, non poterit excludi. Similiter qui in Prælatum de nouo erit inſtituendus, niſi ex nouem ſeptem conſenſerint, inter Prælatos computari non poterit, nec poſſint aliter, aut alij poni in cædula, aut amoueri de cædula Prælatorum, nec ad electionem Prælatorum procedi poſſit niſi præmiſſis prædictis.

3 Demum quilibet Diffinitorum ſcribat in præparata cædula nomina Prælatorum, quos nominare voluerit, vnicuique Monaſterio Prælatum vnum, prout conſcientiæ ſuæ videbitur, aſſignando. (Ita tamen quod nullus Prælatus amoueatur, de quo prius Diffinitores inter ſe tractauerint, de huiuſmodi non amouendo, & hoc inuolabiliter obſeruetur) præfatamque cædulam in vaſe ad hoc præparato reponat.

4 At poſtmodum vocentur ſcrutatores, qui præfatas cædulas diligenter, & fideliter ſcrutentur, nominatos in dictis cædulis Prælatos fideliter in vna ampla cædula redigant, vnicuique Monaſterio attribuendo nominatos in eodem Monaſterio; etiamſi plures in vno Monaſterio fuerint nominati; & ipſam cædulam præfatis Diffinitoribus repręſentent, in qua ſi reperiatur aliter, quàm ſupra dictum eſt, de aliquo Prælato diſpoſitum fuiſſe, Pater Præſidens omninò prohibeat talem Prælatum ſuffragijs ſubdi; imò abſque alia diſcuſſione, eundem in Monaſterio in quo prius erat, deſcribi, & nominari faciat. Cædulas verò, quas præfati ſcrutatores ſcrutati fuerint, comburant, & omnia ſecreta teneant, ne ſcandalum aliquod poſſit oriri. Qui ſi contrafecerint, puniantur, prout ſupra de ipſis reuelātibus dictum eſt: quo facto ſinguli balottentur, & in quem plures balottæ conueniunt, ille præferatur Monaſterio illi, de quo agitur.

5 Hoc ſanè volentes, quod ſi qui eorum pro quo balottæ dantur, fuerit de Diffinitoribus, vt liberius de eo diſponatur, exeat foras Capitulum, donec fuerit balottatus.

6 Quod ſi contingeret eundem Patrem in duobus, vel pluribus Monaſterijs nominatum, alijs Patribus in balottis anteferri, balottetur iterum, & pro quo Monaſterio plures repertæ fuerint voces, illi præficiatur.

7 Hoc ſanè attendentes, quod ſi quis Prælatorum in aliquo Monaſterio per quinquennium ſteterit, in illo iterum non inſtituatur, niſi ex euidenti cauſa & vtilitate illius Monaſterij fuerit per Diffinitores, ex quibus ad minùs octo conſentiant, etiam per annum ſecum diſpenſatum; ita tamen quod ſi intra annum in aliquo Monaſterio Prælatum deputari contigerit, ſi quidem ante Aduentum Domini id fuerit, pro integro anno illi computetur; ſi autem poſt prædictum tempus, non habeat illi præiudicare; quin ibi poſſit integro ſequenti quinquennio confirmari.

8 Idem etiam intelligimus de fratribus Congregationis deputatis ad Regimen membrorum Monaſterijs ſubditorum, apud quos volumus continuare regimen huiuſmodi membrorum, etiam ſi ad talia membra acceſſerint Decani, aut alij maiores profeſſione; quod omnino inuiolabiliter obſeruari volumus.

9 Aduertant autem ipſi Patres Diffinitores, aut etiam qui pro Diætis celebrandis infra annum congregabuntur, ne in promotionibus ad dignitates, Prælaturas, officia ve, cuiuſuis generis in Congregatione faciendis, vllum omnino promoueant ad fauorem cuiuſcumque Principis, aut Prælati extra Congregationem; hoc enim prohibetur per duo Diplomata Pij V. quorum alterum eſt ſeptimo Aprilis: alterū vigeſimo octauo

eiuſdem menſis, & anni M. D. LXXI. datum fuit. Diſtinctius autē per Diploma Gregorij XIII. die ſeptimo Aprilis M. D. LXXIV. quod legendum eſt quotannis, coram omnibus de Capitulo, Sabbato in primo actu Capituli.

De Viſitatorum, & Procuratoris in Curia electione. Cap. XXV.

1 Demum ipſi Diffinitores eligant ſex Prælatos in Viſitatores vltra Præſidentem, iuxta Diploma Gregorij XIII.

2 Modus autem eligendi erit iſte. Quilibet Diffinitor ſecretè de per ſe ſcribat in vna cædula ſex Viſitatores, qui ſint Prælati, duos citra, & duos vltra alpes, & reliquos duos pro Regno Siciliæ. Poſtea ipſam cædulam Patri Præſidenti præſentet, deinde nominati balottentur, & qui habuerint plures voces, Viſitatores exiſtant; quando verò plures concurrunt in vocibus, antiquior præponatur.

3 Statuimus tamen iuxta formam litterarum Apoſtolicarum Gregorij XIII. vt qui in vno Capitulo fuerit Diffinitor, illo anno Viſitator eſſe non poſſit; ſimiliter quod is qui fuerit Viſitator anno præterito, niſi elapſo biennio, in Viſitatorem minimè eligi poſſit. Quibus quidem Viſitatoribus non poſſit iniungi Viſitatio Monialium, neque actu, neque officio. Viſitator ſolum actu, ſequenti anno illa Monaſteria viſitare nō poterit, quæ præterito anno, etiam actu viſitauerit, quam prohibitionem tam ad Viſitatores Monialium, quam Monachorum extendi volumus.

4 Tradant autem Diffinitores binis quibuſque Viſitatoribus, iuxta prædictas litteras Apoſtolicas cædulam, in qua deſcripta ſint, non ſolùm ea quæ de Viſitatoribus Congregationis noſtræ, Conſtitutiones mādant obſeruari; ſed etiam alia quæ ipſi Diffinitores iudicauerint Viſitatoribus mandanda, tam in genere quàm in ſpecie, pro ſingulorum Monaſteriorum exigentia, & binis quibuſque Viſitatoribus conſtituant ſingulos ſcribas, prout infra ſtatutum eſt in ſecunda parte Conſtitutionum, capitulo ſecundo.

5 Idem quoque modus, & ordo ſeruetur eligendi quatuor Viſitatores Monialium, prout ſupra de alijs Viſitatoribus dictum eſt, qui & ipſi biennio à dicto officio vacare debent.

6 Poſtea ineant tractatum de eligendo Procuratore Generali, cuius officium cum maximi ſit ponderis, eligatur ſpectatæ vir probitatis, induſtriæ, ac fidei, quique non ſolùm ingenio, & grauitate morum commendetur, & in Congregatione ſaltē per annos vigintiquinque vixerit, & cui vita in officijs, & Magiſtratibus laudabiliter acta, firmum, & graue dederit teſtimonium poſſe tanti oneris, & honoris nomen ſuſtinere, acceſſeritque grauior quædam, & continuata Viſitatorum confirmatio. Ad eius enim officium ſpectat Congregationis negotia in Curia tractare, ex Diffinitorum Capituli Generalis, aut Patrum Regiminis præſcripto, omniaque ad Præſidem referre. Congregationis iura tueri, annatas quindenniorum, quartam partem fructuum, & contingentem partem ſubſidij quadringentorum millium ſcutorum, & annuum cenſum vnciæ vnius auri Cameræ Apoſtolicæ, in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in ſignum perpetuæ libertatis quotannis ſoluere ex pecunijs ſibi per Monaſteria, aut Quæſtorem tranſmiſſis; de quibus ſingulis annis Capitulo Generali ſati, & accepti exactiſſimam ratio-

rationem reddat, ſingulíſque Monaſterijs tantam pecuniarum ſummam acceptam referat, quantam cum effectu receperit, ſub pœna priuationis, & inhabilitatis ad alia quæcumque officia per quinquennium obtinenda.

7 Singulorum item Monaſteriorum negotia curabit, & cauſas defendet, & prout opus fuerit tam de rebus publicũ Congregationis bonum concernentibus, Præſidẽtem certiorem faciat; quàm de priuatis Monaſteriorum negotijs, eorum Superiores.

8 Vt autem tanti Officij onus facilius ſuſtinere valeat, deputetur ei à Diffinitoribus, aut à Patribus Regiminis Coadiutor, cuius opera ſcribendo, & alijs negotijs vtatur; grauis & ipſe Monachus, induſtrius, bonitateque, & ingenio conſpicuus, qui etiam eius vices, ſi quando eum abeſſe contigerit, ſine Congregationis incommodo gerere poſſit. In eo autem officio ſi ipſe Procurator rectè adminiſtrauerit, per quinquennium ad minus perſeueret, quo elapſo in Prælatum promoueri poſſit.

Ex Parte ſecunda.

De amotione, & electione Præſidentis, Viſitatorum, & aliorum Prælatorum, extra tempus Capituli Generalis; & de Diætis, ſiue Congregationibus intra annum conuocandis. Cap. III.

7 PRælato verò quauis cauſa abſoluto, vel ſi deceſſerit, de Præſidentis, aut maioris partis Viſitatorum conſenſu, alius cum Domini timore, euitata quàm fieri poteſt aliorum Prælatorum mutatione, eligatur. Et vt citius Monaſterio Paſtore deſtituto prouideri poſſit; volumus huiuſmodi vacantium Monaſteriorum tempore, ac mandamus Conuentibus eorum, quatenus omnem adhibeant ſollicitudinem, grauius ſi negligentius fuerint, puniendi, vt huiuſmodi cauſam vacationis celerius notam faciant Præſidenti; aut ſi is, vnde Monaſterium vacare contigerit, Præſidens fuerit, Viſitatori; qui omni mora poſtpoſita, ceteros omnes Viſitatores, vbi decreuerit conuocet; quos ſi intra quindecim dies, vel plus, vel minus, ſicut Pater Præſidens iudicauerit expedire, poſtquam id cognouerit, & adeſſe non poſſe perpenderit; ne ex longa vacatione periculum occurrat: Ordinamus quod tot Prælatos viciniores, habentes titulum, & adminiſtrationem ſimul; nec aliter, quot deſunt Viſitatores, ſuo, & congregatorum Viſitatorum iudicio eligendos aduocet, & Monaſterio prouideat; Præfatorum autem Præſidentis, Viſitatorum, aut Prælatorum, nullatenus admittatur renunciatio, niſi ex legitima cauſa, & totius Regiminis accedente conſenſu, ſupplendo vocem alicuius Prælati, vbi vox Regiminis vlla deeſſet.

8 Aduertant autem, quod ſi quando pro huiuſmodi, & ſimilibus Congregationem aliquã fieri contigerit, non ſint niſi ſeptem, computatis omnibus, vt totum Regimen repræſentent. In quibus quidem Congregationibus in omnibus expediendis, & quæ tractare contigerit, nihil cenſeatur concluſum, niſi ex tribus duæ conſentiant: in qua quidem Congregatione tantùm ſeptem interſint, & ſint diuerſorum Monaſteriorum Profeſſi; ita quod duo eiuſdem Monaſterij Profeſſi, dictis Congregationibus intereſſe non poſſint. Quæ quidem ordinatio in omnibus prouiſionibus, quas intra annum fieri contigerit, inuiolabiliter obſeruetur, excepto ſi, (quod Deus auer-

auertat) Præſidentem, aut Viſitatorem intra annum amoueri neceſſe fuerit; in quo caſu antiqua, quæ ſupra in eodem Capitulo poſita eſt, ſeruabitur ordinatio. Et quoties contigerit per Patrem Præſidentem, pro alicuius Monaſterij, vel Prælati prouiſione, intra annum, Congregationem aliquam, ſeu Regimen conuocari, vt electio ſit libera, legitima, & iuridica; & quia in ſpecie huic, vel illi Monaſterio melius, quàm in genere prouidetur, poſſint Patres cõuocati, quos ſibi placuerit nominare, dummodò trinam habeant Viſitatorum approbationem: quibus in cædulam redactis balottentur omnes, ſecundum profeſſionis ordinem. & qui plures voces habuerit, dummodò duæ partes Cõgregatorum Patrum in eam conuenerint, ceteris præferatur. In vocum autem paritate profeſſione ſuperior præponatur. Et non ſolùm in prædictis, ſed etiam in quibuſcunque alijs, de quibus per Patrem Præſidentem, in Congregatione aliqua tractari contigerit, teneatur ipſe Præſidens, & debeat quæcunque proponere, ſuper quibus ab aliquo Congregatorum Patrum fuerit requiſitus. Pro pace autem, & vnitate ſeruanda, & vt magis opportunè Monaſterijs omnibus prouideri poſſit, expletis viſitationibus Regni, & Lombardiæ, conueniat Præſidens cum Viſitatoribus vtriuſque Prouinciæ, ſi fieri poteſt, in aliquo commodo Monaſterio, vt Bononiæ, Cæſenæ, aut Florentiæ, & ibi Diætam celebrent, pro occurrentibus negocijs expediendis.

9 Nullus autem Fratrum noſtrorum tempore huius Congregationis præſumat aliqua prætenſa occaſione venire illuc, vel ad loca circumuicina non vocatus, ſub eadem pœna, qua ſupra, in capitulo ſecundo primæ partis, puniantur huiuſmodi venientes ad Capitulum non vocati. Si verò Prælatus fuerit, voce actiua, & paſſiua in electione Diffinitorum proximè futura careat.

10 Ne verò ex huiuſmodi vacationibus Monaſterijs noſtris diſpendium aliquod, præſertim in ſpiritualibus, euenire queat: Statuimus vt de cetero in locis ſic vacantibus, qui vices Prælati gerunt, in ipſis Monaſterijs auctoritatem habeant in ſpiritualibus, quam dum viueret, aut præſens aderat, Prælatus habebat. Idem quoque cenſemus, cum Prælati ad Capitulum acceſſerint Generale. quam authoritatem in prædictis tantùm duobus caſibus, vices Prælatorum gerentes habere volumus, vſque ad acceſſum inſtituendi Prælati ad Monaſterium, vel ſic inſtituti nouam diſpoſitionem, etiamſi talis viceſgerens interea mutatus fuerit. Sed & ipſi Prælati, nequando propter eorum abſentiam Monaſteria detrimenta incurrant, maximè in ſpiritualibus, conſtitutis in Monaſterijs ſuis officialibus, Prioribus Clauſtralibus, qua fungi velint, ſi eos abeſſe contingat ſuper caſibus reſeruatis erga Fratres, & reliqua, ſicut opportunam fuerit, declarent.

De electione Abbatiſſæ: in Directorio monialium. Cap. VI.

1 IN electione Abbatiſſæ in vnoquoque Monaſterio ſeruentur quæ & ſacroſanctum Concilium Tridentinum, & Diplomata Pontificia præſcripſere. Præcipit enim Tridentina Synodus, quod Abbatiſſa eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit; quod ſi ijs qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex ijs quæ in eo-

in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt Profeſſionem rectè vixerint, Præſide conſentiente eligatur. Si verò qui electioni præſunt, clauſtra Monaſterij non ingrediantur, ſed ante cancellorum feneſtrellam, vota ſingularum audiant, vel accipiant.

2 In hac autem electione facienda, præſcribit Diploma Gregorij XIII. die ſeptimo Aprilis M.D.LXXIV. Datum. Primò quod ſi in duobus ſcrutinijs non conuenerint ſufficientia ſuffragia, nempe duæ ex tribus partibus, poſſint Viſitatores, duas, aut tres Moniales ad Regimen aptiores ſeligere, pro quibus eatur in ſuffragia; & quæ plura tulerit Monialium vota, ſit canonicè electa, & hoc impoſterum perpetuo obſeruetur. Secundò, quod teneantur Moniales eligere vnam ex duabus, aut tribus prædictis per Viſitatores ſelectis, ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque cenſuris, & pœnis, remota omni appellatione, recurſu, reclamatione, &c.

3 Quod poſſint etiam præſcripti Viſitatores, & Prælati, quæ iudicauerint circa prædicta neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, liberè exequi, & facere, pareantque eis Moniales in virtute ſanctæ obedientiæ.

4 Cum autem prædictæ electiones faciendæ erunt, quas tempore viſitationis dictarum Monialium celebrari decernimus, tres amoto ſcrutatores interueniant. Erit autem in arbitrio, & facultate Viſitatorum Monialium, eligere ſibi ſocium, quem maluerint de Monaſterio, loco illius, vbi erit Abbatiſſa conſtituenda, excepto tamen ipſarum Monialium Confeſſore, attento quod electiones huiuſmodi omnino per vota ſecreta fieri debent, iuxta Concilium Tridentinum.

5 Cæterùm, quia multa inconuenientia ex Abbatiſſarum electione exoriri comperimus, dum ſunt nonnullæ Abbatiſſæ, quæ per ſe & complices ſuas, innocentium corda ſeducunt, earum vota ad ſe diuerſimodè trahentes, in ſuarum diſpendium animarum: quare earum ſaluti, pacique omnium conſulere volentes: Ordinamus & ſtatuimus ne aliqua monialis quouis tempore pro electione Abbatiſſæ practicam facere audeat, dicendo: Talis eſſet bona pro Abbatiſſa; ſeu, Talis non eſſet apta: aut, Bonum eſſet facere tale, vel non facere: ſeu, Da vocem tali, & huiuſmodi. Si aliqua verò contrafecerit, volumus per triennium priuari voce actiua & paſſiua in electione Abbatiſſæ, à Superioribus ſuis. Cupientes itaque prædicta debitum effectum habere, prædictis Viſitatoribus mandamus, vt ante initiũ Viſitationis, ſi vlla fuerit practica facta, diligenter inquirant: & ſi quam feciſſe practicam repererint, ipſam per triennium omnino priuent in futura Abbatiſſæ electione.

6 Nulla quoque Abbatiſſa plus quàm per biennium ad ſummum, in tali officio perſeuerare poſſit; ſicut præcipit Apoſtolicũ Breue Gregorij XIII. die xv. Ianuarij 1575. datum: cuius Summarium tale eſt:

Primò, Abbatiſſa & Prioriſſa Monialium ſtent in tali officio per annum tantùm, aut ad ſummum, per biennium.

Secundò, Si quæ vltra biennium electa ſunt, quamuis interuenerit renunciatio ab ipſiſmet facta, ſint à dicto tẽpore tranſacti biennij, ab officio Abbatiſſatus, aut Priorißatus abſoluta, intelliganturque talia officia vacaſſe à dicto tempore expleti biennij.

Tertiò, Non poſſint Moniales in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, & excommu-

communicationis maioris, aliquam in Abbatiſſam, aut Prioriſſam eligere, aut poſtulare contra præſcriptam formam.

Quartò, ſi aliquæ fuerint contra hanc formam electæ, non confirmentur, aut admittantur à Viſitatoribus, aut Prælatis noſtris; imò ab eiſdem compeſcantur contradictores per cenſuras, omni appellatione remota.

Quintò, irritum, & inane ſit quicquid ſuper his aliter fuerit attentatum: nec obſtent quæcunque contraria ſtatuta hactenus facta, &c.

Hæc Apoſtolicum Diploma, quod inuiolabiliter obſeruari volumus.

7 Volumus etiam, quod nulla Abbatiſſa de cetero ad eandem dignitatem, & officium aſſumi poſſit, niſi per quadriennium integrum vacauerit. Nulla quoque Monialis immediatè ſuccedere poſſit alteri ſorori carnali in huiuſmodi electione.

8 Statuimus inſuper ad tollendam perpetuitatem, Abbatiſſam quando vacare contigerit, immediatè in Prioriſſam eligi non poſſe, ſed à dicto Prioratu, & ab alijs officijs etiam, biennio vacet.

9 Deputatarum verò, & aliarum officialium electio non niſi de Viſitatorum conſenſu fiat, & quæ Officiales, ſiue Superiores ſint, nonniſi per biennium perſeuerare poſſint.

10 Viſitatores autem ipſos hortamur, vt cum Prælatis conferant, & cum eius conſilio maturè ſuper huiuſcemodi diſponant.

11 Non poſſit Abbatiſſa ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ſuo, Capellanum, reiectum, & licentiatum vltra recipere; niſi de licentia Patris Præſidentis, cui ſoli ſpectat ipſius ſuſpenſionis diſpenſatio.

12 In Monaſterijs Monialium ponantur duæ claues portis earum, ita vt porta, ſeu hoſtium aperiri non poſſit, niſi ſocia aſſiſtente.

II.

Ex libro ſecundo Conſtitutionum Camaldulenſium.

De electione Scrutatorum. Cap. V.

POſt hæc Pater Reuerendiſſimus, Viſitatores, & quatuor ex ſenioribus, proponant ſinguli, & nominent, ſecrete in aurem Patris Generalis, quos ille conſcribat in cedula, vnum vel duos Monachos, hoſpites, vel eiuſdem Monaſterij, non Prælatos, neque Conuentuales, qui per diſquiſitionem eligantur ad recipiendum ſcrutinium Diffinitorum: & horum tres, qui pluribus (vltra medietatem) ſuffragijs nominati fuerint, pro veris, & legitimis ſcrutatoribus habeantur. Quod ſi nullus ex ijs, qui propoſiti fuerant, à pluribus (vltra medietatem) approbatus fuerit, & electus, ijs omnibus excluſis, alij denuo proponantur, & per diſquiſitionem eligantur, & ſic deinceps, donec dictus numerus ternarius ſcrutatorum legitime habeatur. Et ſi fuerint aliqui pares in vocibus, præferatur, qui maior eſt profeſſione. His itaque hunc in modum electis, & vocatis coràm patribus, exponat eis Reuerendiſſimus præteritus, quod ſit eorum officium, & quid agere debeant. Præcipiatque eis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt impoſitum ſibi officium fideliter exequantur: nec vnquam reuelent vllo pacto, nec directe, nec indirecte, quot quis voces, aut fabas habuerit, nec aliud quid eorum, quæ à patribus ſecrete tractantur, ſub pœna priuationis vocis vtriuſque, per triennium. Quam pœnam eos etiam incurrere volunt, ſiue Prælati ſint, ſiue Scribæ, qui quidpiam eorum, quæ in Diffinitorio geruntur, reuelare præſumpſerint. Neque vero hoc loco tacendum

dum putamus, quod qui voce paſſiua priuati ſunt, ad nullam dignitatem, aut prælaturam in noſtro ordine, quamdiu ſic fuerint ſuſpenſi, eligi poſſunt.

Facta deinceps ſcrutatorum electione, & vaſibus ad hoc præparatis, tot ſacculi, ex ordine ponantur in vno, quot ſunt illi, qui paulò ante prælaturis renunciarunt: Sintque huiuſmodi ſacculi nominibus eorum inſcripti. In alia vero vrna, ſeu vaſe ſimiliter totidem ſacculi ex ordine ponantur, quot ſunt Conuentuales, & in ſingulis nomen vnius illorum ſcriptum ſit.

De electione, & poteſtate Patrum Definitorum. Cap. VI.

POſt hæc reſidentibus, vt ſupra præſcriptis Patribus, vnicuique tot fabæ albæ, & nigræ dentur, quot ſufficere poſſint ad huiuſmodi electionem faciendam. Et demum Pater Generalis adhortetur omnes in Chriſti viſceribus, vt velint in tanti Magiſtratus electione (ſepoſitis paſſionibus, & affectibus proprijs) bonum ſibi commune proponere, & Dei duntaxat gloriam, & animarum commodum veſtigare. Quibus omnibus peractis, primus ſcrutator, accipiens ſacculum Patris Generalis præteriti, ab vnoquoque ſuffragium recipiat, ſæpe repetens alta voce, *Reuerendus Pater Dominus N. vobis proponitur pro Definitore, ſi placeat.*

Deinde ſecundus ſcrutator, accipiens ſacculum ſecundum, circumferat illum ſimiliter, accipiendo fabas, & ſuffragia, pro illo Prælato, quem pariter nominet ſæpius. Tertius ſimiliter ſcrutator tertium ſacculum deferat, & accipiat vota; & primus deinceps ſcrutator quartum ſacculum, & ſic de ſingulis. Delatis ergo omnibus, & ſingulis ſacculis Prælatorum, bene clauſi reponantur in propria vrna, ſeu vaſe: & poſtmodum ſimiliter ſacculi Conuentualium circumferantur eodemmet modo. Et his quoque abſolutis, & in proprio vaſe repoſitis: ſcrutatores (omnibus alijs licentiatis) ſoli remaneant, & apertis primum ſacculis Prælatorum, & facta collatione numeri ad numerum, ſignent quot fabas nigras vnuſquiſque Prælatus habuerit, incipiendo à ſacculo Patris Generalis. Et illi ſex qui vltra medietatem, plures fabas nigras habuerint, ſeorſum ſcribantur ſecũdum profeſſionem, cum hac ſuperſcriptione. DEFINITORES PRAELATI. Deinde, per ordinem aperiant ſacculos Conuentualium, & facta ſimiliter collatione fabarum, illi tres, qui vltra medietatem plures fabas nigras habuerint, ſeorſum ponantur cum inſcriptione. DEFINITORES CONVENTVALES.

Quod ſi duo pariter, totidem votis eligerentur, ſi ambo fuerint Prælati, anteponatur qui maior eſt, ſecundum profeſſionem. Similiter ſi ambo fuerint Conuentuales, maior ſecundum profeſſionem ſit Definitor, altero excluſo. At ſi vnus Prælatus, & duo Conuentuales, iiſdem votis peterentur: Prælatus primo admittatur, deinde Conuentualis, qui maior eſt profeſſione, altero Conuentuali cedente. Quod ſi, vice verſa, duo Prælati, & vnus Conuentualis, paribus votis concurrerint, Conuentualis primo admittatur, deinde Prælatus maior ſecundum profeſſionem, minore Prælato excluſo. Verum ſciendum, quod fabæ nigræ approbant, ſeu affirmant, ac petunt; albæ vero reprobant, negant & explodunt.

Sciendum item, quod ſi quis ſacculus repertus fuerit plures fabas habere, quã ſit numerus electorum, inanis erit talis

electio, per fraudem factam. Quod ſi fabæ albæ, additæ, vel ſubtractæ, nec damnum, nec vtile aſſerunt, non propterea electio erit inualida. Vtpúta, ſi quis vigintiquinque fabis nigris electus eſſet Definitor, & haberet per fraudem vigintiſeptem, illæ duæ, per fraudem additæ, non propterea inualidam reddunt electionem. Et ſic de ſimilibus.

Item ſciendum, quod non poſſunt eligi in Definitores, ij, qui ob aliquid flagitium carceri mancipati fuerint, niſi à Patribus denuo habilitati fuerint ad huiuſmodi munera obeunda. Imò vero, nec Prælaturas alias, tales ſine diſpenſatione obire poſſunt.

Item ſciendum omnibus eſt, quod ex Conſtitutione à duobus iam Definitorijs approbata, & auctoritate etiamnum Apoſtolica confirmata, non poſſunt eligi in Definitores pluſquam duo profeſſi eiuſdem Monaſterij, ſiue ſint Prælati, ſiue Conuentuales. Non tamen id intelligi debet de Patre Reuerendiſſimo Generali, qui ratione officij, vniuerſalis perſona cenſetur. Quare, ſi plures quam duo eiuſdem Monaſterij in Definitores electi eſſent, duo Priores, qui ſcilicet plures voces habuerint, præualeant, alijs cedentibus.

Item notandum, quod ſi quis ambitioſe, ac fraudolenter ſeducendo aliquos, hunc ſibi Gradum ſubripuerit, omni dignitate perpetuo carere debet. Definitoribus itaque hunc in modum creatis: denuo ad ſonum campanæ vocentur Patres in Capitulum, & omnibus ſedentibus, primus Scrutator accepta benedictione à Patre Generali, alta voce legat, & pronunciet, primum Definitores Prælatos: Deinde Conuentuales.

Sed antequam ad alia progrediamur, ſciendum eſt, quod ad officium Definitorum pertinet cuncta in Capitulo occurrentia, atque de Congregatione diſponere: quod tempore Capituli, ipſi Definitores omnem repreſentant Congregationem: quodque, ipſis electis, intelligitur omnis à Capitulo, & Patribus vniuerſis, tributa poteſtas. Idcirco omnia quę fuerint per ipſos in Capitulo definita, iuxta priuilegiorum noſtrorum tenorem, inuiolabiliter obſeruentur ab omnibus Prælatis, & Fratribus noſtræ Congregationis, cuiuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtant.

De his quæ agere debent Patres Definitores, immediate poſt eorum creationem: & de electione Præſidentis Definitorij, Scribæ, & aliorum. Cap. VII.

MOx abeuntibus Monachis ad propria, Definitores in loco ſolitæ reſidentiæ adunati, & ſedentes ſecundum ordinem profeſſionis: primum ſemper locum tenente Reuerendiſſimo Patre Generali, qui ſemper eſſe debet, niſi aliquod notabile eſſet impedimentum, vnus ex Patribus Definitoribus: eligant per fabas, vnum è gremio illorum, qui ſit caput, & Præſidens Definitorij; & ipſe (niſi adſit vt ſupra legitimum aliquod impedimentum) iuxta conſuetudinem hactenus ſeruatam, eſſe debet Reuerendiſsimus P. Generalis præteritus. His peractis, vt omnia cum ordine fiant, creent Patres Definitores Oeconomum ſpiritualem, qui primum locum poſt Definitores teneat, cum ea auctoritate, quam quilibet Prælatus in ſuo Monaſterio habere ſolet. Huius erit in primis curare, quod officia Diuina congrue celebrentur; ordina-

ordinare qui debeant ſingulis diebus, Miſſas canere, qui debeant illis miniſtrare; ſollicitare Fratres ad frequentationem chori; ſtatuere quibus horis refectio ſumi debeat, licentiare Fratres, vt extra Monaſterium vadant, pro neceſſatijs Domus, & alia huiuſmodi facere, quæ ſolet Prælatus in ſuo Monaſterio.

Creent præterea Oeconomum temporalem, cuius officium ſit prouidere neceſſaria, pro victu Capituli. Deinde eligatur Scriba, qui omnes Capituli actiones conſcribat, quique plenus rimarum non ſit, ſed fidelis, prudens, & ſecretus. Sciatque per eum ſcripta, non minus roboris habere, quam ſcripta per ſcribam publicum, ſeu Notarium. Cuius quidem ſcribæ (qui debet eligi de numero Prælatorum, vel Conuentualium) ſit officium, literas omnes Capitulo præſentatas, coram Definitoribus legere, & ea, quæ alicuius ponderis, aut digna examine conſpexerit, in vno folio in modum memorialis notare; vt poſtea, per Definitores examinentur. Sit etiam eius officium ſtatuta, & terminata, per Definitores, in Regiſtro deſcribere diligenter, & annotare. Scribi etiam faciat literas Gratioſas, pro Benefactoribus Congregationis, cum appoſitione ſigilli, quas ipſe ſubſcribat. Licentias quoque vendendi, ſeu quouis titulo alienandi, per Definitores conceſſas, ſcribat, vel ſi ſcribi faciat, ipſe ſubſcribat, & ſignet. Eius quoque partes erunt reſpondere literis ad Definitorium directis, & dare copiam Conſtitutionum, eodem Capitulo factarum. Et ſi opus fuerit, detur ei coadiutor. Et demum in abſolutione Capituli publice, & coram omnibus, vt infra dicetur, perlegat omnia acta, ſtatuta, & determinata ac ſtatuta per ipſos Patres Definitores.

Deinde, eadem ſeſſione, inſtituantur tres: Hoſtiarij, qui ſemper adſtent ianuæ Definitorij. Quatuor ſubinde Seruitores menſæ, & Lector. Qui omnes intra Definitorium vocati, à Præſidente inſtruantur, circa eorum officia. Similiter à Patribus tres Computiſtę eligi debent, ad quos attineat in ſupradictis extractibus rationes Monaſteriorū, reddituum videlicet, & expenſarum, diligenter inſpicere, & examinare, & poſtea relationem facere coram Patribus Definitoribus, citra perſonarum acceptionem.

Quo nam pacto facillime fieri poteſt, immo & debet, vt Generalis ab vniuerſa Congregatione: & quilibet Prælatus à Monachis ſui Monaſterij eligantur. Cap. XI.

QVoad electionem vero Prælatorum, quæ regulariter fieri ſolet feria quinta in prima, vel ſecunda ſeſſione, quando ſcilicet cetera omnia ſuperioribus diebus abſoluta fuerint, Patres in primis ſtatuerunt, vt in tertio, ac poſtremo anno Generalatus, teneatur Reuerendiſſimus Pater, ac Viſitatores in viſitationibus ſuis diſquirere à Monachis ſingillatim, tam Prælatis, quam ſubditis, quem nam è Patribus, in futuro Capitulo, pro bono Congregationis, cuperent fieri Generalem: & vota ſingulorum in libro Viſitationum conſcribere. Abſolutis deinceps Viſitationibus, antequam ad determinationem Definitorij veniatur, ipſemet Reuerendiſſimus, ac Viſitatores colligant diligenter in vnum vota ſingulorum, nullum omnino prætereuntes: & perſonas nominatas, cum numero vocum, ſeorſum ſcribant. Po-

ſtremo dum viſitationes Patribus Definitoribus legendæ erunt, legantur, & huiuſmodi petitiones:vt videant Patres, qui nam pluribus ſuffragijs petantur, & notent: vt ſubinde habita matura conſideratione, ſtudeant vniuerſitati, quoad fieri poteſt, ſatisfacere. Et hunc eundem ordinem ſeruari volunt in electione aliorum Prælatorum: nempe vt Prælatus, cum fuerit in fine ſui officij, interrogetur, ac pariter omnes Monachi eiuſdem Monaſterij, quem nam vellent in Prælatum illius loci, & quem idoneum ad id oneris ſubeundum pro illo tempore iudicarent: & habitis hoc pacto votis vniuſcuiuſque Monaſterij, ac etiam filiorum earũdem domorum, etiam abſentium, quem nam videlicet, & ipſi cuperent domibus, quarum ſunt profeſſi, præfici; ſcribant omnia, & ad Capitulum, vt dictum eſt, deferantur. Et Patres Definitores curabunt (poſtpoſito quocumque intereſſe particulari) eos præficere Monaſterijs, qui à maiori, & ſaniori parte fuerint expoſtulati. Ita enim omnia cum pace, & ſatisfactione Monaſteriorum diſponentur, & Reuerendiſſimus Pater, ferè ab omnibus, & ſingulis Congregationis Monachis, quodammodo eligetur: Et Prælati reliqui à ſuis Monaſterijs, iuxta Regulæ diſpoſitionem. Vt autem hæc omnia feliciter ſuccedant, neceſſe eſt, vt omnes, & ſinguli, ſolius Dei timorem, ac rationem in ſuis petitionibus præ oculis habeant, & bonum Congregationis vniuerſale; nec ſinant ſe paſſionibus, vel aliquo peculiari commodo à bono, & vero abduci.

Præcipiunt etiam inuiolabiliter obſeruari conſtitutio facta in Capitulo Marthæ, per quam diſponitur, vt poſt duos Generales Cœnobitas, ſequatur de neceſſitate in eodem gradu, & fiat Generalis, vnus ex Eremitis: & ſimiliter poſt duos Eremitas Generales, quando ſic eſſe contingerit, ſuccedat neceſſario in eius loco, & ſubrogetur vnus ex Cœnobitis. Non tamen propter hoc tollitur facultas, quin poſſint viciſſim, modo vnus è Cœnobitis, modo ex Eremitis, & alternatim, ad eundem Generalatus Gradum aſſumi. Sed hoc dumtaxat intelligunt, ac volunt, vt non poſſint immediate ſibi inuicem ſubrogari in officio Generalatus, aut eligi niſi duo Cœnobitæ, vel Eremitæ: ita vt nunquam tertius ſuper addi poſſit.

Nolunt præterea, iuxta tenorem dictæ conſtitutionis, quoad Cœnobitas, vt poſſint duo Generales eiuſdem Monaſterij profeſſi, immediate ſibi inuicem ſuccedere. Similiter vetant, ne vllus aſſumatur in Viſitatorem, qui eiuſdem ſit profeſſionis cum Reuerendiſſimo Patre Generali. Pari etiam modo aſſumi non poſſint ex eodem Monaſterio, ſeu profeſſione, pluſquam ſeptem Prælati; iuxta conſtitutionẽ, & conſuetudinem iam per multos annos, & toties approbatam, ac tandem à ſancta Sede Apoſtolica. Declarant nihilominus, quod in numero hoc ſeptennario Prælatorum eiuſdem domus, & profeſſionis, computari nullo modo debeat Pater Generalis.

De Generalis, ac aliorum Prælatorum electione. Cap. XII.

His igitur omnibus, & ſingulis diligenter inſpectis, cum iam dicta dies, qua electiones Prælatorum fieri debent, aduenerit, omnibus alijs Capituli negocijs abſolutis, & cantata ſolemniter Miſſa Spiritus ſancti ab eo, cui contigerit: ad electiones Prælatorum hoc pacto procedatur. Eligantur primum, modo ſupradicto, tres

alij Scrutatores, vel iam electi, pro ſcrutinio Patrum Definitorum, confirmabuntur: Deinde Reuerendiſſimus Pater, breui admodum oratione, adhortabitur & Scrutatores, vt fideles eſſe velint, ac diligentes in negocio tanti momenti, & reliquos Patres, vt ſemotis omnibus priuatis commodis, permittant ſe à Spiritu ſancto (cuius nutu omnia recte geruntur) duci, ac gubernari. Poſtremo quilibet Definitor proponat aliquem eligendum in Generalem, prout ei conſcientia dictauerit, ſcribendo nomen eius in ſchedula. Verum animaduertant ſedulo Patres noſtræ Congregationis, morem, hactenus, & quidem laudabilem extitiſſe ſemper, confirmandi vſque ad triennium completum in Generalem, eum qui gradū illum tunc obtinet: niſi forte legitimum aliquod impedimentum obſtaret. Cum itaque omnes, & ſinguli Definitores ſcripſerint, & aliquem vnum in ſchedula nominauerint, ponant ſchedulas illas in vaſe, ita vt legi non poſſint, & accitis Scrutatoribus, eas in eodem vaſe, illis tradant. Qui inde recedentes, in proximam eorum reſidentiam veniant, & electis ſchedulis, & collatione facta numeri ad numerum, fideliter ſcribant, ſecundum ordinē profeſſionis, omnes propoſitos, & nominatos. Deinde reuertentes ad Definitorium, pronunciabunt eos coram Patribus, dicentes hoc pacto, *Reuerentiæ veſtræ propoſuerunt in Generalem R. Patrem D. N. R. Patrem D. N. & R. P. Dominum N.* & relicta ibi cedula nominatorum ad Generalatum (ſeruando ſibi eius copiam in folio cum numero fabarum, quibus vnuſquiſque fuerit nominatus) accipient ſcrutinium primi Viſitatoris, quod interim Patres fecerint, ne tempus abſumatur; & ſic deinceps de alijs Viſitatoribus, & Prælatis.

Tractatus de Electione.

Habito Scrutinio, Patres, poſt colloquium aliquod, ſi opus fuerit, circa idoneitatem propoſitorum in ſchedulis, vnumquemque proponent inter ſeipſos Nouem: & qui inuentus fuerit plura ſuffragia (vltra medietatem) habuiſſe, ſeu plures fabas nigras, ſcribatur ab vno ex Diffinitoribus in papiro ad id deputato, ſic: *Talis ad Generalatum tot vocibus, ſeu fabis eſt petitus, & electus.* Et ſic de alijs Viſitatoribus, & Prælatis.

Sed notandum quod ſcriba, niſi fuerit de numero Definitorum, non debet intereſſe huiuſmodi electionibus, ſed vices eius aliquis de corpore Definitorij ſupplebit. Item notandum quod Præſidens, ſi eſt de numero Præpoſitorum in ſchedulis, ante omnes ſemper proponi debet ſcrutandus per fabas. Item notandum, quod dum aliquis de corpore Definitorij proponendus eſt, egredi debet extra Definitorium vt magis libera ſit electio, & ipſe ſibi ſuffragium minime tribuere valeat. Sciendum eſt etiam, quod fruſtra nominatur, ſiue proponitur, qui iam electus eſt Prælatus alicuius Monaſterij. Vt autem occurratur ſcandalis, quæ euenire poſſent, præcipiunt Patres, ne aliquis Conuentualis, exiſtens Definitor, poſſit ab illo Definitorio eligi vllo pacto in Prælatum. Sed hanc eis dumtaxat facultatem faciant, vt tales Conuentuales valeant, pro illo anno, eligere ſibi ad habitandum quodcumque Monaſteriū noſtræ Congregationis illis magis placuerit. Electis proinde Prælatis, eligantur Confeſſarij, ac Capellani Monialium, ſi opus fuerit: quod ſi non eligantur, intelligantur confirmati ijdem, qui tunc reſident in officio. Eligantur etiam Procuratores, ſi qui ſunt ad aliquod regimen ſine titulo eligendi.

Eodem die, ſi tempus ſuppeditauerit, aut die ſequenti, incipiendo à Patre

Generali, deinde ab eis, qui ſunt in Definitorio, denuncietur vnicuique onus Prælaturæ, quæ ſibi contigerit, ex Patrum electione: vocando eos ſingillatim intra Definitorium, ſecundum ordinem dignitatum: & ſingulis admonitiones fiant, ac ſolitæ cærimoniæ. Quod ſi quis abſens fuerit, committatur Scribæ, vt quamprimum eum, per litteras, certiorem de onere ſibi impoſito, faciat. Poſt Prælatos ſimiliter vocentur Confeſſarij, & Capellani Monialium, & ſi qui alij ſint vocandi.

Cæterum, antiquas Cōſtitutiones innouando, volunt Patres, quod vllo pacto quiſpiam aſſumatur ad aliquā Prælaturam, etiam titularem, niſi poſt decennium a ſua profeſſione in noſtro Ordine & Congregatione. Hoc etiam attendant Patres, quod Prælati, & Monachi, qui in aliquo Monaſterio, vel regimine, immediatè à Definitorio dependente, per triennium ſteterint, non poſſunt in illo iterum ſub aliquo prætextu inſtitui: niſi ex euidenti cauſa vtilitatis illius Monaſterij, fuerit, per Definitores, ex quibus ad minus octo conſentiant; etiam per annum ſecum diſpenſatum: Ita tamen, quod ſi intra annum in aliquo Monaſterio Prælatum deputari contigerit, ſiquidem ante feſtum Omnium Sanctorum id fuerit, pro integro anno illi computetur.

Ex ſecunda parte Conſtitutionum Eremitarum Camaldulenſium Montiſcoronæ.

De abſolutione Prælatorum, & creatione Patrum Diffinitorum. Cap. IV.

IPſa die Dominica poſt Nonam, finita ordinaria oratione modo ſupradicto, detur Capituli ſignum, & omnes Prælati ad ſonum campanulæ, præcedenti Maiore, in Diffinitorium conueniant. Vbi cum fuerint omnes congregati, primum fiat ſimilis præteriti diei vocalis oratio cum ſuis verſibus, & orationibus. Deinde Pater Maior paucis verbis ad Prælatos directis eos moneat, ſolito more vnuſquiſque prælaturam diſponat. Qui omnes (præter Viſitatores) culpam ſuorum defectuum in adminiſtratione admiſſorum genuflexi humiliter dicant; & prælaturæ in manu Maioris renunciantes, in terram ſe proſternant. Tunc verò ipſe Maior acceptatis ſingulorum renunciationibus nomine ac vice Capituli, impoſita pro negligentijs cuique ſalutari pœnitentia, pronunciet omnes, tam præſentes, quàm abſentes, qui fortè venire non potuerunt, abſolutos à Prælaturis, officijſque ſuis, ac ſic dimittat. Quo facto & ipſe Maior genuflexus culpam dicat, & Maioratui renunciet, quam renunciationem Patres Viſitatores nomine, ac vice Capituli accipientes, iniuncta prius pœnitentia, ipſum pronuncient abſolutum. Ipſi autem Viſitatores deinde ſuo loco, & tempore, ſui officij ratione reddita, renunciabunt. His ergo omnibus ita peractis, eat quiſque in locum ſuum, ſeruato profeſſionis ordine; ſed Patres Viſitatores Superiorem locum tenebūt, donec Diffinitores creentur. Iam ex omnibus ibi congregatis, per ſuffragia nigra, & alba, vt moris eſt, eligantur ſex Diffinitores. Cæterum ad firmandam in his omnibus fraternam charitatem, & Religioſam vnitatem, nec non ad euitandum euitanda, atque ad æqualitatem quoad fieri poteſt, ſemper obſeruandam, hæc inuiolabiliter obſeruetur conditio, videlicet nec plures in poſterum eligi poſſint Diffinitores quàm duo ad ſummum de Legatione Peruſina, & ſimiliter

liter

liter duo ad plures de Regno Neapolitano. Itemque duo ex Regnis Hiſpaniarum; hoc itidem de reliquo ſtatu Eccleſiæ. Duo ſimiliter ex Sicilia, ac pariter de quolibet alio Regno, Statu, & Dominio ſeparatim intelligendum erit. Adde quod ex peculiari Conſtitutione Clementis VIII. etſi poſſint eligi duo (quod tamen non eſt de neceſſitate) eligantur, ſed non de vna, eademque Ciuitate, vel territorio, ſed de alia Ciuitate, vel territorio, pro quolibet ſtatu, regno, vel dominio. Qui Diffinitores ſemel electi, cæteris inde egreſſis, ſoli in Capitulo remanebunt. Hic adnorandum eſt, quod ille, de quo ſcrutinium habetur, foras exire debet, donec iterum vocetur. Rurſus ipſi Diffinitores eodem modo per ſuffragia vnum ex ſe ipſis in Patrem Præſidentem creabunt, ſiue eligent, qui caput ſit ipſius Diffinitorij: atqui omnes ſimul, Præſidens, & Diffinitores (qui ipſum Capitulum, ſiue Diffinitorium verè conſtituunt) totius Congregationis ſupremã auctoritatem, poteſtatemque habebunt. Præterea hic declarauerunt Patres, quoties per ſuffragia aliquid exquiritur, maiorem partem calculorum fauorabiliũ (quæ nigræ ſunt) ad id obtinendum neceſſariam fore. Verumtamen cum duo, vel plures in aliqua electione concurrunt, qui plura ſuffragia in fauorem habebit, electus cenſeatur: ſi verò calculorum numerus exiſtat æqualis, iterum per ſuffragia ſcrutinium fieri oportebit: in quo ſi ſimiliter paria reperiantur, tunc antiquior profeſſione electus intelligatur. Hoc iterum in calculationibus obſeruandum erit, vt ſemper ille, qui dignitate maior, vel profeſſione exiſtit anterior, primus calculetur, poſtea inferior ſiue poſterior. Ad Patrem Præſidentem, ſeu in eius abſentia ad eum qui ſuperiorem locum in Capitulo tenet, adnumeratio ſuffragiorum pertinebit, atque eorum numeri relatio; ſed infimus omnium vaſculum, ſeu pixidem, in quo calcula inferuntur, circumferre tenebitur.

De electione Præſidentis, Scribæ, & Vicarij Capituli, & Officialium. Cap. V.

Rebus modo prædicto diſpoſitis procedant Patres ad electionem Miniſtrorum, quo debito ordine omnia durante Capitulo diſponantur, atque agantur. & in primis eligatur Scriba Capituli: qui ſtatim electus, iuxta tenorem priuilegiorum noſtrorum, ad ea, quæ ad expeditionem eiuſdem Capituli ſpectant, publici Notarij auctoritatem habebit, quem tamen vnum ex Diffinitoribus eſſe oportet. Cuius munus erit totam ſeriem Capituli, & quæcunque in Diffinitorio tractabuntur, diffinitaque fuerint, ſi eſſentialiter notanda ſint, in libro actorum Capitularium diligenter, & ordinate deſcribere, & ea poſt concluſionem Capituli in Conuentu Fratrum cunctis audientibus publice legere, exceptis ijs quæ Patribus viſa fuerint reticenda: literas quoque Capitulo directas leget, quibus ex ſententia Patrum reſpondebit. Sed ob cauſas odij, ſeu ſuſpicionis tollendas, hoc omnibus notum fiat oportet, vt quicunque Frater ex aliquo loco Congregationis ad Capitulum ſcribere velit, literas non ad Capitulum dirigat, ſed ad Maiorem qui tunc eſt, etiam ſi non ſit in Diffinitorio, cum nomine ipſius loci in altero angulo, ſeu à tergo Epiſtolæ adnotato, puta Ruhæ, Montis Anconæ, Saluatoris noſtri. Ipſe autem Maior literas non aperiet, ſed eas clauſas Capitulo præſentabit, notificans locum, ſeu loca, vnde allatæ fuerint: & dum leguntur, Prior illius loci vnde

Epiſtola illa aduenerit (ſi adſit) foras egrediatur. Adnotabit ſimiliter ſcriba ea quæ tractanda ſunt, & notata P. Præſidenti dabit, qui ea ſuo loco, & tempore proponet; quæ cum definita fuerint, ipſe in prædicto libro deſcribet. Secundò, ex his qui extra Capitulum domi ſunt Patres, eligatur Vicarius Generalis in ſpiritualibus, & temporalibus, qui in ipſo loco vicem Prioris gerat, diſponens omnia, quæ ad ipſius domus, ac familiæ directionem pertinebunt (ijs exceptis, quæ Patres Diffinitores ſibi reſeruare voluerint.) Sequitur Depoſitarij electio, cui traduntur omnes pecuniæ, quas Priores ſecum detulerant, necnon quæ penes Viſitatores ex cõmuni Congregationis patrimonio inueniuntur; quas omnes ſub claue cuſtodire, & in fine Capitulo de illis rationem reddere tenebitur. Deinde duo fient Computiſtæ, qui libros, ac rationes eorum omnium, qui locorum, ſeu aliàs bonorum Religionis adminiſtrationem geſſerũt, diligenter per modum computi examinent, data, & accepta ponderent, defectus notent; & tandem ex his in ſcriptis redactum ratiocinium cum plena relatione facti Patribus Diffinitoribus tradant. Referant quoque ea, quæ ipſis viſum fuerit correctione, præmonitione, vel alio remedio egere, quo ipſi Patres opportunè prouidere valeant. Fiet poſtea Oſtiarius Capituli, qui prudens, & idoneus eſſe omnium iudicio cẽſeatur; oportet namque eum audire, & fideliter audita referre, maxime eorum, qui vel ingredi ad Patres deſiderant, vel Patrum reſponſa foras expectant ſibi per eundem reportari, illos qui vocandi ſunt, ſtatim aduocare, horis competentibus Capituli ſignum dare, ac quæcunque alia Patrum commiſſa omni ſolertia executioni mandare. Poſtremo conſtituendi veniunt tam primæ, quam ſecundæ menſarum Lectores, & Miniſtri ipſarum, ſcilicet Refectorarius, & ſeruitores duo, vel tres Fratres. Poſt hæc adnotabit idem ſcriba nomina omnium electorum tam Diffinitorum, quam officialium prædictorum, incipiẽdo à dignioribus vſque ad infimum, atque eorum deſcriptionem ſtatim dabit Patri Præſidenti; qui eam in Refectorio ante benedictionem Cœnæ eiuſdem Dominicæ diei coram omnibus Fratribus clara voce leget, atque exhortatiunculam in fine adijciet, vt ipſi Fratres omnes durante Capitulo, pro felici rerum euentu maiori cura quàm antea Regulari, & Eremiticæ obſeruantiæ intendant, & orationibus toto animo iugiter inuigilent.

De electione P. Maioris, & aliorum Prælatorum. Cap. VII.

His igitur, quæ ſupra adnotantur, feliciter expeditis, ipſa die, in qua electio Prælatorum fieri debet, mane dum prima in Choro cantatur, Miſſa de Spiritu ſancto cum commemoratione ſanctiſſimorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Romualdi, ab eo Diffinitore, cui eadem die incumbit, celebretur. Quam audient reliqui Patres nõ celebrantes, & Clerici Scrutatores electi cum Oſtiario Capituli. Deinde Patres, præmiſſa oratione vocali, quæ in Sabbato præcedenti, & Dominica inchoando Capitulo recitata fuit, vocatis Clericis ſcrutatoribus prædictis, P. Præſidens illis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiat, vt officium ſuum fideliter agant, ne aliquando reuelare, ſeu alicui manifeſtare præſumant, quæ in ſcrutinio dicta, vel geſta fuerint. Iam præparatis antea in ſufficienti numero papiraceis ſchedulis, in eis Diffinitores, quiſque ſeorſum, ſecretò nomina elegendorum ſingula

ſingula ſingulis deſcribant in hanc formam. *Ego frater N. eligo in Maiorem totius Congregationis R. P. F. N.* In quibus electionibus ſequendus eſt gradus præcedentium dignitatum, & locorum, incipiendo ab ipſo P. Maiore, deinde ad Viſitatores, & Priores ſucceſſiuè tranſeundo. Aduertant autem omnes, vt ſchedulas ipſas nomina continentes benè plicatas, ita vt legi à nemine queăt, ſcrutatoribus tradant, eas in pyxidem, quam ipſi manu tenent propria, manu mittentes. Scrutatores verò, illis receptis, è Diffinitorio exeuntes in Cellulam ad hoc ſibi aſſignatam ſe conferăt, vbi ſub ſilentio nomina eorum, qui electi ſint, & Prælaturæ currentis, in modum breuiſſimi memorialis ſcribant, atque in Diffinitorium reuertentes ſic Patribus referant: *R. P. F. N. & N. habent vocem in electione N. Prælaturæ.* nominantes quidem electos, & Titulum dignitatis, omnino tamen, & nomina, & numerum eligentium reticentes. Et iterum ipſis foras egreſſis fiat de vnoquoque electo ſpeciale per ſuffragia ſcrutinium. Attamen præter ea, quę de dignioribus in his diſcuſſionibus præponendis ſuperius diximus, ſciendum eſt Diffinitores nominatos prius eſſe ſcrutandos, quàm eos, qui foris ſunt, etſi antiquiores ſint profeſſione. Qui ergo plura fauorabilia ſuffragia obtinuerit in ſcrutinio, illam, quæ de agitur, Prælaturam obtinebit. & ne quis in errorem incidat, decretum eſt nemini licere ſe ipſum in electione nominare, ſub grauiſſima pœna à Diffinitoribus reliquis infligenda: nec non ſcrutatores cognoſcentes in ſchedula hoc crimen, illico Patribus manifeſtent, ſub pœna vnius diſciplinæ circularis. Quod ſi aliquis tractatum malignum in electione aliqua fecerit, intra terminum dierum quindecim, vltra conſuetam abſtinentiam, ter in pane, & aqua ieiunet, terque in Cella ſua ſe flagris cedat, ac ter pſalmos pœnitentiales cum litanijs genuflexus dicat. Poſtremo ſemper ille, de quo ſcrutinium habetur, vel de quo loquendum eſt, foras egrediatur, longeque fiat, ne quæ aguntur audire valeat. Maior ſocietatis eligi non poteſt is, qui per quinquennium profeſſus in hac Congregatione non fuerit, ac niſi antea Prior, ſeu Viſitator extiterit, excepto magnæ neceſſitatis caſu. Eodem modo nō poteſt Prior Viſitatorvè creari, qui per quadriennium profeſſus non fuerit, excepta magnæ neceſſitatis cauſa, quo caſu Capitulum diſpenſare poterit. Cuius etiam erit cauſæ qualitatem iudicare. Cæterum ad totius Congregationis publicam vtilitatem, Religioſamque concordiam obfirmandam, hoc inuiolabiliter in poſterum obſeruandum erit, vt videlicet non plures eligi poſſint, vocales Priores, vel Prælati, quam ſex ad ſummum ex legatione Peruſina; quodque ſeruandum erit ſimiliter ex Regno Neapolitano, hoc idem pariter ex Regnis Hiſpaniarum. Itemque ſimiliter ex reliquo ſtatu Eccleſiæ, totidemque ex Sicilia, ac pariter de quolibet alio Regno, Statu, & Dominio ſeparatim obſeruetur. Adde iterum ex eadem Conſtitutione, quod ipſi Priores ſeu Prælati, nō poſſunt eligi, niſi duo ad ſummum de vna eademque ciuitate, vel territorio, pro quolibet Statu, Regno, vel Dominio. Iam qui ſemel electus Prælaturam recipere renuit, excuſationis rationes in medium adducens, audiendus eſt pro prima vice. Et ſi Patres in prouiſis ſteterint, eorum diſpoſitioni acquieſcat. Ille, qui aliquando Apoſtata, fugitiuus, vel expulſus, vel ob grauem exceſſum incarceratus extiterit, neutiquam Prælaturæ dignitate ornandus eſt. Præterea multum Religioni inter-

intereſt Priores Conuentuales ad triennium vſque in eadem Eremo confirmari: quod & fieri debet, niſi ipſe Prior occaſionem reuocandi, ſeu aliter agendi dederit. Verumtamen vltra triennium in eodem loco Priorem perſeuerare non eſt admittendum. At ſi aliqua iuſta cauſa adſit, cum omnibus ſuffragijs ad annum poterit confirmari. Pater autẽ Maior nullo modo vltra triennium ea dignitate fungi debet, ſicut nec Viſitator poſt annum in officio durare, ſed cum ſuffragijs cunctis Viſitator ad biennium, & non vltra extendi valet. Præſidens quis, vel ſcriba in duobus conſequutiuè Capitulis eodem munere fungi non poterit; ſed interpolatim poterunt.

III.

Ex ordinationibus, & Statutis Ordinis Ciſtercienſis, iuxta Bullam reformationis Gregorij XIII.

Forma in Diſcreti electione ſeruanda. Cap. V.

QVilibet Prælatus Congregationis, vel eo abſente, vel eo legitimè impedito, Vicarius in proprio Monaſterio, in vna ex tribus proximis ferijs Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, coactus in vnum, ac congregatis vniuerſis illius loci regularibus perſonis, eligat ſuum quiſque Diſcretum, in hunc qui ſequitur modum, videlicet. Habeantur tria vaſcula, in quorum primo reponantur nomina in ſchedulis deſcripta omnium Monachorum non Sacerdotum: qui ſi tres ſaltem non fuerint, huiuſcemodi numerus ſufficiatur, ſeu compleatur ex Conuerſis, vel etiam ſi opus fuerit ex perſonis ſecularibus, prout Prælato, vel Vicario viſum fuerit. In ſecundo vaſculo recludãtur nomina in ſchedulis, itidem deſcripto, omnium Sacerdotum vocalium illius loci reſidẽtium, vel etiam aliunde ſuffectorum, tam abſentium quàm præſentium. In tertio verò recludantur tot balottæ, quot erunt Sacerdotes eligibiles: quæ quidem balottæ eiuſdem magnitudinis, formæ, & coloris exiſtant, præter vnam quæ ab alijs colore tantum diſſimilis exiſtat. Quæ omnia adeo fideliter, & ſine dolo efficiantur, vt nullus fraudem omninò, nec ſuſpicari queat. His iam peractis, diuino Spiritus ſancti nomine humiliter inuocato, Prælatus, vel eius Vicarius extrahat è primo vaſculo ſchedulam, eamque altiori voce legat; & qui forte productus, ac pronunciatus fuerit, accedat ad ſecundum vaſculum, in quo videlicet fuerint ſchedulæ vocalium: mox educta alia ſchedula, ac lecta vt ſupra, is qui pronunciatus fuerit ad tertium vaſculum accedat; ſicque alter ſchedulas, alter balottas extrahat, deponentes vterque cùm ſchedulas, tum balottas ſic eductas ſuper menſam, quouſque educatur balotta ceteris colore diſſimilis: tunc enim Prælatus acceptam ſchedulam ſimul eductam altiori voce publice legat, illumque cuius nomen ſchedula illa habuerit, pronunciabit Diſcretum illius loci legitimè electum. Schedulæ verò ſic eductæ, vel etiam in vaſculo relictæ, præbeantur omnibus numerandæ, ac legendæ, ne quis aliquam fraudem factã fuiſſe prætendere queat. Idem ſeruetur etiam antequam in vaſculo mittantur. Diſcreti verò ſic electi ſi fuerint exempti ab onere hebdomadarum, vel qui etiam nequiuerint, vel recuſauerint ad Capitulum accedere, ſortes modo, tempore, & forma prædictis iterentur.

Quæ

Quæ forma in Capituli celebratione ſeruanda. Cap. IX.

CONgregati in Domino vniuerſi Patres Capitulares, Prælati videlicet, Viſitatores maiores Prouinciarum, & Diſcreti in Monaſterio, ſeu loco ad id electo, ac deputato, omnem Congregationem repreſentantes, tertia Dominica à Reſurrectione Domini poſt decantatam horæ Nonæ laudem, conueniant omnes in vnum locum, vbi huiuſmodi negotia tractari conſueuerunt: Ibique habita oratione de more ad Patres, redditiſque à ſingulis diſcretis teſtimonialibus litteris, & lectis, inuentaria etiam diligenter confecta ſupellectilis, rerumque mobilium quorumcumque Monaſteriorum à ſingulis Prælatis exhibeantur, ac producantur. Die verò ſequenti mane omnes ſupradicti in templum conuenientes, rem diuinam ſolemniter pro diuino Spiritu inuocando, qui huic ſe Concilio Ducem, auctoremue præbeat, agant. Mox ingreſſi Capitulum, rurſus diuinum numen inuocantes dicant Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, cum collecta *Deus qui corda fidelium*. Tum Præſidens abſoluat omnes in hunc qui ſequitur modum videlicet. *Ego frater* N. *humilis Præſidens Congregationis Ciſtercienſis Italiæ, auctoritate Apoſtolica abſoluo, ac abſolutos eſſe pronuncio omnes Prælatos, Viſitatores, ac Regimen habentes Congregationis noſtræ, tam abſentes quàm præſentes, ab adminiſtratione Monaſteriorum, vel officiorum ſibi commiſſorum*. Qui omnes aſſurgant, apertiſque capitibus ſe ſe humiliter inclinent abſolutionem huiuſcemodi approbantes. Mox eorum vnuſquiſque inter ſe ſe, & non infra Diſcretos ſuæ profeſſionis locum petat. Deinde Præſidens ſubſequatur, & dicat. *Ego idem Præſidens auctoritate Apoſtolica abſoluo, ac abſolutum eſſe denuntio me ipſum ab adminiſtratione Monaſterij mihi commiſſi, & ab officio Præſidentatus*. Quo facto ipſe ſimiliter ad ſuæ profeſſionis locum accedat. Qui omnes ſic ab adminiſtrationibus abdicati, ac amoti, vna cum diſcretis in electionibus Scrutatorum, ac Diffinitorum vocem actiuam, & paſſiuam habeant.

De Scrutatoribus. Cap. X.

ELigantur per Patres Capitulares Prouinciarũ reſpectiuè bini Scrutatores per ſuffragia fabarum, quorum munus erit ſchedulas ſingulorum vocalium in capſulam iam à quocumque ex prædictis immiſſas aperire, & ſuper ijs ſcrutinium facere, ac Diffinitores per dictas ſchedulas electos coram omnibus pronunciare, præſtito prius coram omnibus iuramento de referenda veritate, ſeruanda fidelitate. Qui ſi fortè feſellerint, ipſo facto excommunicationis ſententiam inrurrant, à qua non poſſint abſolui, niſi à Reuerendo Præſidente, vel ab eo cui ipſe auctoritatem ſuam ſubdelegauerit in foro conſcientiæ, præter quam in mortis articulo. Et ſi fraus manifeſta erit, & probata, ſint etiam priuati in perpetuum voce actiua, & paſſiua, & inhabiles ad quæcumque officia exercenda, niſi ex diſpenſatione Apoſtolica, & de conſenſu Diffinitorum aliter fuerit decretum; ipſique Scrutatores vtriuſque Prouinciæ in ſimul ſchedulas ipſas vt legitimè adnotentur Diffinitores, videre debeant.

Quomodo Diffinitores eligantur. Cap. XI.

ELigat ſibi vna quæque Prouincia ſeptem Diffinitores, inter quos ſint

ſint ad minus quinque ex illis, qui ad Capitulum acceſſerunt Prælati, reliqui duo numerum ſeptennarium conficiẽtes aſſumantur ex arbitrio, & ſecundum conſcientiam eligentium. Eligantur autem hoc ordine, videlicet. Dentur ſingulis vocalibus ſingulæ ſchedulæ ſigillo Præſidentis obſignatæ, nec non à duobus ſenioribus maioribus, qui extiterint, ſubſcriptæ, vt recognoſcantur. In quibus ſchedulis nomina omnium vocalium Prouinciarum reſpectiuè habeantur præter nomen eius, cui dabitur ſchedula, ex quibus nomina eorum qui in illo Capitulo acceſſerunt Prælati, ſignata ſint in margine paginæ ſigno crucis. In quibus ſchedulis à quolibet vocali relinquantur tantum ſeptem nomina eorum quos quiſque malit pro Diffinitoribus, & ex ijs ſaltem quinque ex cruce ſignatis exiſtant. Quòd ſi aliqua ex dictis ſchedulis à Scrutatoribus reperta fuerit non habens ſeptem nomina relicta pro Diffinitoribus, & non fuerint in ea quinque ad minus ſignata ſigno crucis, ſchedula illa pro nulla habeatur, & vt inualida reijciatur; cuius ſchedulæ auctor ſi venerit in lucem, ſciat ſe in illo Capitulo nec alteri præſtare, nec pro ſe ſuffragium obtinere poſſe. His ita geſtis reponant quique vocales ſchedulas in modum prædictũ ordinatas in capſam in medio Capitulo poſitam, ad quam accedentes ſubinde Scrutatores aperiant, ſcrutinium faciãt, referant, ac pronuncient coram omnibus Diffinitores electos: quod ſi numerus non fuerit completus, ita vt pauciores ſeptem pro qualibet Prouincia reperiantur, numerus huiuſcemodi per ſuffragia fabarum ſuppleatur, ita tamen vt ad hoc ſupplementum vocales omnes (præter iam electos) balottentur, & in hoc ſcrutinio fabarum electi intelligantur, qui plura ſuffragia obtinuerint. Qui, ſi qui pares ſuffragijs fuerint, ex ijs qui maior profeſſione fuerit electus habeatur, & tunc ab ipſis Scrutatoribus etiãm taliter electi facto ſcrutinio ſuper huiuſmodi electione per ſuffragia fabarum pronuncientur. Electi verò Diffinitores, ac publicati accedant ad Superiores gradus, ſeruantes eorum vnuſquiſque inter ſe ſe ſuæ profeſſionis locum.

Quomodo Capituli Præſes eligatur. Cap. XII.

Sicut in naturali corpore caput neceſſarium eſt, ſic etiam in myſtico, nempe in Concilijs, Congregationibus, Rebuſpublicis, Capitulis, neceſſe aliquem primum locum tamquam caput tenere, quem cæteri vti Ducem ſequãtur. Propterea PP. Diffinitores Prouinciarum, quo omnia maturè, ac conſideratè fiant, eligant vnum ex ſe ipſis, illius nimirum Prouinciæ, in qua non habentur tunc comitia, Præſidentem Capituli per vota ſecreta; in quem eligendum ſaltem decem ex ipſis concurrant. Qui quidem Præſes non ſit minor ætate annorum triginta quinque; & per decennium Sacerdotis officio functus fuerit, & non minus ſexennio in Prælaturis honorificè ſe geſſerit; vt ſi contingat illum poſtea in Præſidentem triennalem eligi, nulla alia in electione occurrat inquiſitio. Hunc taliter electum ijdemmet Scrutatores pronunciabunt. Qui ſic electus, ac pronunciatus ad ſupremum locum accedat, moxque perbreuem orationem habeat, qua Diffinitores ad munera ritè obeunda hortetur; & ſit ſeſſioni finis.

De electionibus Prælatorum, & Officiariorum. Cap. XV.

CVm dignitates in ſancta Dei Eccleſia ad conſeruandam, augendamq. Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, vt qui eas obtinerent pietate præcellerent, alijſque exemplo eſſent; meritò qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui muneri ſuo reſpondere poſſint; Nam totius familiæ Domini ſtatus, & ordo mutabitur, ſi quod requiritur in corpore non inueniatur in capite. Electuri itaque Præſidens, & Diffinitores Congregationis, Prælatos, & alios Officiarios, illud primum animaduertere debent, nempe ne ad dignitates quaſcumque, & officia promoueantur, niſi qui de legitimo matrimonio nati, & procreati ætate, moribus, vita, & doctrina, alijſque, quæ à ſacris Canonibus requirunt, præditi exiſtant, memores ſe ſe grauiter ad modum peccare, ſi precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus indignos præfecerint. Quod non de Prælatis, tantum, ſed de ijs etiam, qui decedentibus per obitum, aut ratione perpetrati alicuius delicti amotis, erunt ſufficiendi, intelligatur. In quorum numerum nullus poſſit coaptari, qui officia minora, nempe Cellerariatus, & Prioratus dignè gradatim, ſaltem per biennium in quolibet officio fideliter non exercuerit, vtque etiam tempus, quo quilibet Sacerdos officium Viſitatoris minoris exercuerit computetur, perinde ac ſi idem Sacerdos per totidem tempus Cellerariatus, vel Prioratus officium exercuiſſet. Antequam igitur ad huiuſmodi electiones deueniant, quæ quidem per vota ſecreta, omni fraude, & dolo remotis, fieri debent, eligant primum per fabarum ſuffragia binos Scrutatores pro qualibet Prouincia ex Sacerdotibus Capitularibus, &c.

Tractatus de Electione.

Ex Conſtitutionibus Congregationis Fulienſis.

De electione Superioris Congregationis B. Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis.

CEteris quæ pertinent ad Capitulum confectis, reliquum eſt, vt nouorum Superiorum electio fiat: ac quidem primò Superioris totius Congregationis.

Sunt autem hic duo præmonenda. Vnum, vt ad hanc tam grauem, tantique momenti rem ſalubriter peragendam, omni humana cogitatione, & cupiditate ſecluſa, vnuſquiſque in vnam Dei gloriam, vtilitatemque Congregationis intuens, non ſolùm omni ambitione, & cupiditate honoris (qua duci Monachum flagitium ſit) prorſus vacet, ſed etiam ab omni alia propenſione, aut alienatione, quæ rectum iudicium impediat, purus, & integer ſit.

Alterum eſt, neminem in Superiorem Congregationis eligi poſſe, qui non fuerit, aut ſenior Aſſiſtens, aut Viſitator, aut Procurator Generalis, aut Prouincialis, aut denique Superior alicuius Monaſterij per triennium. Similiter nec in Aſſiſtentem, Viſitatorem, aut Procuratorem Generalem, aut Prouincialem eligi quemquam poſſe, qui non fuerit, vel Superior alicuius Monaſterij, vel Supprior, vel Magiſter Nouitiorum, vel certè Secretarius Superioris Congregationis.

Vt autem ad ipſam electionem veniamus, cùm ſingulis Capitularibus ſingula no-

la nomina eorum, qui in Superiorem Congregationis eligi poſſunt, in ſchedolis ſcripta, data fuerint (quod eodem modo fiat, quem in electione Diſcreti tradidimus) conueniatur in locum Capituli. Et poſt conſuetas preces pronunciet Secretarius, *In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad nominationem, & ſuffragia veniatur.* Tunc Præſes Capituli è ſchedulis ſibi datis eam ſeligat, in qua ſcriptum eſt nomen illius, cui ſuffragari in animo habet. Et duobus digitis prehenſam attollens, vt videatur, in vrnam quæ ſuper menſam imagini Crucifixi ſuppoſitam eſt, conijciat. Poſtea locum ſuum repetat. Idemque alij omnes faciant: primò quidem Diffinitores, deinde ceteri ſeruato ordine Profeſſionis. Quo facto Præſes Capituli, & vltimus Capitularium (ſicut fieri debere ſupra demonſtrauimus) Scrutatores futuri, primò genibus flexis ante imaginem Crucifixi iurent in hæc verba ſinguli.

Teſtor Deum fidei, & veritatis auctorem, me ſuffragiorum, quæ tributa cuique fuerint, numerum verè renunciaturum; & quamuis alicuius manum agnoſcam, nemini vnquam patefacturum; & in hoc toto ſcrutandi officio ſine fraude, & dolo bona fide verſaturum.

Deinde cum ad menſam acceſſerint, vltimus Capitularium quem diximus, inſpectante Præſide, deſcribat è ſchedulis, tum nomina eorum, quibus ſuffragia contigerunt, tum numerum ipſum ſuffragiorum, quæ quiſque habeat: ab ijs præcipuè ducens initium, in quos plures conſenſerint. Ex quibus quo quiſque Profeſſione antiquior eſt, hoc priore loco ponatur. Idque in omni nominatione, & ſcrutinio perpetuò ſeruetur. Tum verò pronunciet ea nomina clara voce, ſic vt omnes audiant. Si quis de tribus partibus ſchedularum duas habere fuerit inuentus, is ſine alio experimento calculorum legitimus Superior Congregationis ſit. Sin minus, res ad calculos redeat. Et idem ille Scrutator quem diximus, ſtatim expeditis calculis, binos ſingulis diſtribuat; alterum album, quo refragatio ſignificatur; alterum nigrum, quo ſuffragatio declaratur. Qui quidem calculi non plures illic ſint, quam vt ei diſtributioni ſufficiant. Ac continuo nominet eum, quem primum ſcripſit, vt de eo in ſuffragium eatur. Et ſinguli ordine ſuo ad menſam accedentes, ſingulos calculos albos, aut nigros in vrnam conijciant. Is tamen de quo agitur non accedat, nec ſuffragium ferat. Quod in omnibus ſcrutinijs generatim ſeruetur. Cum omnes id fecerint, Scrutatores inſpiciant quot ſuffragijs ille ſit expeditus. Et ſiquidem duas partes ſuffragiorum è tribus tulerit, res confecta eſt: ille ſit Superior Congregationis: Si non habuerit, ſcribatur numerus ſuffragiorum, quæ habuit. Et alij quo ordine ſcripti ſunt, proponantur: ac de ſingulis in ſuffragium eatur: ita vt cui primo de tribus partibus ſuffragiorum duæ contigerint, is Superior Congregationis ſit, ceteri miſſi fiant. Quod ſi nulli tantum ſuffragiorum contigerit, pronuncietur quantum cuique contigerit. Et redditis cuique calculis, iterum eodem prorſus modo ſuffragia ferantur: ita nimirum, vt quo quiſque maiorem numerum Suffragiorum habuerit, hoc prius de eo ſuffragia ferantur. Quod ſi nec tunc quidem cuiquam euenerit quantum diximus Suffragiorum, tertiò idem repetatur: eâ tamen lege, vt qui in ſuperioribus experimentis plus tribus ſuffragijs non habuerint, excludantur. Si neque tunc res efficitur, quarto ferantur ſuffragia, ijs quibus

bus non plus quatuor ſuffragijs contigerit, excluſis: Niſi forte omnibus eadem ſit conditio. Quod ſi ſit, nullus excludatur. Ac ſi neque tunc duo trientes ſuffragiorum vlli acceſſerint, is Superior Congregationis electus cenſeatur, in quem plura ſuffragia concurrerint, ſi modò dimidium totius numeri ſuperent. Si verò (quod vix fieri poteſt) ne tunc quidem res explicatur, repetito ſcrutinio tandem exitum inueniet.

Electione peracta ſcribatur à Secretario Decretum his verbis conceptum.

Anno N. die N. menſis N. in legitimo Capitulo Generali ſecundum legitimam, & præſcriptam rationem N. electus fuit Superior Congregationis B. Mariæ Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis. Idque Decretum Præſes Capituli recitet: Aut, ſi is electus ſit, Definitor antiquiſſimus. Subſcribant Scrutatores, & Definitores omnes, & ſigillo Congregationis obſignent. Nec fas ſit cuiquam, exceptis Scrutatoribus, ſchedulas electionis inſpicere: quæ ſtatim in ignem conijciantur. Idem fiat ſemper in ſimili re.

Ei qui ſic electus fuerit, vt & reliquis officialibus eligendis, non liceat officium demandatum detrectare, aut vlla ratione defugere, fiducia videlicet diuinæ benignitatis, quæ cum onus impoſuerit, non poteſt vires ei ſuſtinendo neceſſarias denegare.

Cùm primum electus Superior Congregationis declaratus eſt, omnes Capituli Patres eum ſumma humilitate, & reuerentia ſalutatum eant, Præſes, Definitores (quorum omnium officium defuit,) & alij deinceps ordine ſuo quiſque. Poſtea cùm pulſu minoris alicuius tintinnabuli ſignum peractæ electionis datum fuerit, conueniant cuncti Fratres Monaſterij ad fores Capituli. Quibus adiuncti Patres Capituli, conferant ſe cum illis in Eccleſiam, Canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, decantantes. Ibique Deo gratias agentes ſummo animorum, & vocum conſenſu concinant Canticum, *Te Deum laudamus*. Addat qui antecedit ordine, verſum, *Confirma hoc Deus, &c.* Quem cum iterum, & tertiò repetierit, ſubiungat tres Orationes, nempe, *Deus qui corda fidelium*, *Prætende Domine famulo tuo*, & *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus*. Reliqui Fratres poſtea ſalutatione defungantur, vt ſupra.

De electione ſeniorum Aſsiſtentium, Viſitatorum, & Procuratoris generalis.

Superiore Congregationis electo, ſicut dictum eſt, non generalium officialium, videlicet ſeniorum Aſſiſtentium, Viſitatorum, & Procuratoris generalis electionem accedatur. Quam cum rectè fieri tantum interſit ad conſeruationem Congregationis, quantum difficile dictu eſt (ſunt enim ea officia præcipua vincula, & firmamenta Congregationis) videat vnuſquiſque, & in hac electione, vt ab ijs affectibus, qui plerumque tenebras animo offundunt, rectumque iudicium eripiunt, liber, & vacuus, vnum Deum in hoc opere ſibi ante oculos proponat, & diuinum lumen quo mens, & ſua, & aliorum dirigatur, pijs precibus imploret: Sic autem fiat.

Primò, ſcribant ſinguli manu ſua in ſingulis ſchedulis, quem primum Aſſiſtentem fieri velint, iactentque ſchedulas in vrnam, vt ſupra. Tum de nominatis, ac primò de ijs in quos plures conſenſerint, feratur ſuffragia per calculos,

vt ſupra. Qui primus maiorem partem ſuffragiorum habuerit, ille primus Aſſiſtens eſt. Quod ſi res non proceſſerit, iterum ferantur ſuffragia: primo ſcilicet de ijs, qui plura ſuffragia habuerint, vt ſupra. Quod ſi nemo habuerit ſupra dimidium totius numeri, qui ad eum numerum proprius acceſſerit, electus ſit. Similiter fiat in electione alterius Aſſiſtentis, Viſitatorum, & Procuratoris generalis, mutatis quæ mutanda ſunt.

De electione Prouincialium, & aliorum Superiorum cuiuſque Monaſterij.

Electio Superiorum cuiuſque Monaſterij, &, ſi Prouinciæ ſint, Prouincialium, per Superiorem Congregationis, ſeniores Aſſiſtentes, Viſitatores, & Procuratorem generalẽ tantùm fiat. Qui ſi propter alicuius abſentiam pauciores quàm ſex, fuerint, alius, & maximè ſi fieri poteſt, qui eodem officio aliquando functus ſit, in eius locum ad huius electionis effectum dumtaxat, per Capitulum ſufficiatur.

De neceſſitatibus Monaſteriorum, aut Prouinciarum, deque perſonis, quas parum norunt, diligenter inquiratur ab eis inter ipſos, adhibitis, & auditis ijs, qui proximè illis Prouincijs, aut Monaſterijs præfuerunt. Hoc autem ea cautione, & prudentia fiat, vt & qui interrogat, neceſſaria tantùm interroget, & qui reſpondet, ad interrogata tantùm reſpondeat, verbum præterea non addat. Qui præter interrogata reſpondens aliquid in alterius infamiam dixerit, graui animaduerſione puniatur.

Eligantur dicti Supetiores ex pluralitate vocum. Quarum ſi quando par numerus fuerit, vincat pars in qua eſt Superior Congregationis. Quod ſi per vota ſecreta fiat electio, is calculos nigros, & albos binos habeat.

Fiat hæc electio hoc ordine, vt Superiores, quorum officia maioris momenti eſſe Superior Congregationis iudicauerit, prius creentur. In primis autem Prouinciales, & proximè poſt eos Superiores Nouitiatuum.

Electis Superioribus, ſi qui Fratres in alia Monaſteria transferendi erunt, Superior Congregationis cum eos, qui nouiſſimè Superiores fuerint, & diſcretos ſingulos audierit, ſi quid habeant quod ad eam rem de neceſſitate, aut opportunitate locorum cognoſci expediat, cumque Monaſteriorum negocia, perſonas, facultates, & alia huiuſmodi diligenter expenderit, eam tranſlationem ſicut opportunum iudicauerit, decernat.

Sed & alio omni tempore poſſit Superior Congregationis, propter cauſam eiuſmodi Fratrum migrationes ex vno loco Congregationis in alium conſtituere.

Qui Capitulo Generali interfuerint, diſputationes, quæ forte in Capitulo interuenerint, non efferant, aut patefaciant. Quamuis enim Decreta Capituli palam fieri debeant, quæ tamen in illis conſtituendis diſputata ſunt, proferri fas non eſt. Ea etiam quæ diuulgata poſſent Congregationi, vel alicui perſonæ detrimentum afferre, perpetuo ſilentio obruantur.

De vltimo conſenſu, & clauſula Capituli.

Poſtremo Superiores conſtituti palam pronuncientur à Secretario, eodemque tempore in ſuo Ordine collocentur Acta, & Decreta Capituli promulgentur, & locus ſequenti Capitulo Generali deſtinatus.

Omni-

Omnibus abſolutis cum ad gratias Deo rite agendas tum capitulares Patres, tum cunctus Monaſterij Conuentus in Eccleſia Canticum, *Te Deum laudamus*, & preces ex ritu in exitu Capituli dicendas vna piè decantauerint, Capitulum dimiſſum ſit.

Capitularium quiſque primam, quã dicturus eſt, Miſſam pro gratijs Deo agendis dicat, ſi ritus patiatur. Alioqui cum primum licuerit.

Superior quiſque Monaſterij poſtulet à Secretario, ſi quæ ad ſuum Monaſterium præcipuè ſpectantia Decreta ſint, in authentica forma ſibi deſcribi, poſt in Codicem ſui Monaſterij referenda.

Quæ Decreta Capituli in vſum conferenda, & executioni mandanda ſunt, ea Superior Congregationis ex actis Capituli per Secretarium fideliter tranſcripta in Cœtu cunctorum Fratrum Monaſterij promulganda curet, & eorum exemplaria, ſiue manuſcripta, ſiue typis impreſſa, ad omnia Congregationis Monaſteria dimittat.

Ad extremum nouus Superior Congregationis cùm pia exhortatione monuerit, quæ pro temporum, & locorum ratione monere viſum fuerit, dimittat Capitulum, & vt qui diſceſſuri ſunt, primo quoque tempore diſcedant, operam det.

IV.

Ex Conſtitutionibus Canonicorum Regularium Congregationis ſancti Saluatoris.

Tit. de inſtitut. Abbatum, Præpoſitorum, &c. cap. 29. num. 1. habetur.

ABbates, Præpoſiti, & Priores Conuentuales, eorumque Vicarij in Capitulo noſtro Generali eligantur, diſponantur, & conſtituantur annuatim per ſingula Monaſteria à Priore Generali, & Definitoribus eiuſdem Capituli. *Subdens immediatè*. Si verò intra annum eoſdem Prælatos, aut Vicarios mori, ſeu amoueri contigerit, ab eodem Priore Generali cum quatuor, vel ſaltem duobus Viſitatoribus poſſint eligi; dummodo tres eorum conſentiant, & non pauciores; vt in priuilegio Ordini noſtro à ſanctæ memoriæ Domino Papa Paulo Secundo conceſſo, plenius continetur.

Tractatus de Electione.

Ex Conſtitutionibus eorumdem, tit. de Cap Gen. cap. 31. § 15. cuius verba ſunt Bullæ Pij V. directæ eidem Congregationi. Dat. Romæ die 6. Decembris 1571. cuius initium eſt, *Inter ceteras, &c.*

REſidentibus habentibus vocẽ actiuam, & paſſiuam, antiquior Canonicus aduertat, an ſint omnes præſentes. Tum præmiſſa generali confeſſione à Capitulo recitanda, eos abſoluat, dicens: *Miſereatur veſtri, &c.* Et *Si teneminі aliquo vinculo excommunicationis, &c.* Et *Diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, &c.* Poſtea dicatur Hymnus, *Veni Creator Spiritus, &c. Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter, &c.* Oratio, *Deus qui corda, &c.* Quibus peractis in conſpectu omnium cum duobus alijs de Capitulo, qui primitus habitum Religionis ſuſceperunt, ipſum concomitantibus, ſimulque cum eo reſidentibus ad menſam decenter præparatam cum capſula, ſeu vrna vbi ſchedulæ ſuffragiorum poni debent, & papiro, & atramento ad ſcribendum proceſſum electionis accedat; ceteris in ipſo Capitulo cum ſilentio reſidentibus, vnde nullus audeat

abſque neceſſitate, & licentia recedere. Et quoniam vota, ſeu ſuffragia, iuxta Decreta Concilij Tridentini debent eſſe ſecreta, ita quod eligentium nomina nunquam publicentur, ſinguli Electores ſchedulas accipiant omnino ſimiles, & vnuſquiſque in ſua ſchedula nomen eligendi inſcribat, vel dicat: *Eligo N. in Priorem Generalem*; & antiquior Canonicus, & alij duo capitulares prædicti, poſtquam ipſi ſchedulas ſuas ordine antiquitatis inter eos ſeruato in vrnam, ſeu capſulam demiſerint, aliorum ſchedulas accipiant, & in vrnam, ſeu capſulam præfatam inferant, & inſpiciant an ſchedulæ ſint numero pares cum Electoribus ibi præſentibus; & ſi inuenerint eſſe in maiori, vel in minori numero, quàm ſint capitulares ibidem præſentes, illas comburant, rurſuſque ad ſcrutinium modo præmiſſo procedant, donec inuenerint ſcrutinium eſſe canonicè factum, & tunc legant ſchedulas. & ſi electio numero ſuffragiorum ſecuta fuerit, ſchedulæ etiam comburantur: hoc declarato, quod nullus fieri, vel formari in Priorem Generalem poterit, niſi in quem duæ ſaltem ex tribus partibus omnium eligentium concordauerint. Accedente itaque duarum dictarum partium conſenſu, factaque electione, antiquior Canonicus, & alij duo Scrutatores prædicti publicent Electorum nomina, exprimendo numerum ſuffragiorum, quæ quiſque habuerit: quod faciendum eſt, licet aliquis non habuerit vota, vel ſuffragia ad ſufficientiam; vt ad ſecundum ſcrutinium (ſicut præmittitur) deueniri poſſit. Decretum verò electionis ab illo, qui inter Scrutatores primus fuerit, licet electo ſuum ſuffragium non contulerit, per hæc verba formetur: *Ego N. vice præſentium Capitularium, eligo A. in Priorem Generalem*. Quod ſi primus Scrutator fuerit electus, ſecundus Scrutator ad publicandum ſcrutinium, & formandum Decretum ſuccedat: completaque electione, & Decreto (vt præmittitur) formato, Scrutatores proceſſum electionis compleant, atque ſubſcribant ſubiungendo; *Inuenimus quod N. in Priorem Generalem nominatus habuit tot ſuffragia: & ego N. Decreta electionis formaui. In quorum fidem manibus noſtris ſubſcripſimus, & ſigillo Congregationis noſtræ roborauimus, die vt ſupra*. Et hanc formam, & ordinem in ſingulis electionibus inuiolabiliter obſeruari volumus, & mandamus: & aliter factæ electiones nullius ſint roboris, vel momenti. Et ſi quis alias, quàm vt præmittitur, quouis modo, aut quæſito colore ſe intromiſerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurriſſe cenſeatur. Poſt quæ eidem electo tradat ſigillum Generalatus officij Vicarius Generalis, manum illius humiliter oſculando. Denique ſic electus poſtquam aſſenſum præbuerit, & acceptauerit, ex vi priuilegiorum Ordinis noſtri, præſentiſq. Conſtitutionis, tanquam ab Apoſtolica Sede confirmatus, iam tunc ſit verè noſtri Ordinis Generalis Prior, & pro Generali Priore reuerenter ab omnibus habeatur.

V.

Ex Statutis Generalibus Ordinis Seraphici Fratrum Minorum de Obſeruantia.

De electionibus, & inſtitutionibus officiorum. Cap. VII.

De electionibus. § I.

Numero primo.

OMnes electiones in Religione Franciſcanorum de Obſeruantia

tia ſint Canonicæ; ita vt maior pars Capituli libere conſentiat, ita vt ſufficiat quicumque acceſſus, quantumuis minimus, ſupra medietatem Capituli. Et *num.*2. Vt tamen canonica ſit electio, quinque ad minus vota debent congregari.

Et *num.*3. ad præſcriptum Concilij Tridentini præcipitur, vt omnes electiones quorumcumque Superiorum, & aliorum officialium, fiant per vota ſecreta; ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, alias electio irrita ſit; & is qui ſe eligi in Prælatum permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat.

Et *nu.*6. iuxta Conſtitutionem Sixti Quinti decernitur, vt omnes electiones Superiorum per ſchedulas fiant.

Et *num.*7. præcipitur vt in electionibus Superiorum duo teſtes ad minus, & vnus Secretarius, qui ſit à corpore Capituli, in Diſquiſitores nominentur: nam electio ſine Diſquiſitoribus facta eſt nulla. Et *num.* 10. præcipitur vt Electores ſinguli manu propria in ſchedulis ſcribant, reponenda in vaſa ad hoc præparata in menſa corā omnibus exiſtēte.

Et *num.*15. electus quicumque ſit, præter Generalem miniſtrum, nullam habeat auctoritatem, quouſque fuerit confirmatus: nam niſi iuſta ſubſit cauſa, ſtatim debet confirmari.

Et *num.*16. ex diſpoſitione Decreti Clemen. V. ordinatur vt electiones omnes liberæ ſint: itaque ſi Præſidens in electione Electores aliquo modo impedire conuictus fuerit quo minus libere eligant, officio priuatus exiſtat.

Et *num.*19. nulla tamen electio debet coarctari ſine ſpeciali facultate Apoſtolica: ſi autem quomodolibet fuerit coarctata, eo ipſo eſt nulla, ex conſtitutione Pij V.

Et *num.*20. vt ſuffragia eligentium omnino ſecreta ſint, electione celebrata, & peracto ſcrutinio mox ſchedulæ coram ipſis Capitularibus eo ipſo comburantur: quod etiam fieri debet, quoties in ſcrutinio aliquis error interceſſerit: ex Conſtitutione Sixti V.

De qualitate eligendorum. §. II.

NOn ſunt eligendi niſi qui ſint ætatis triginta annorum, grauitate morum, integritate vitæ, & virtutum præſtantia cæteris præcellentes, iuxta ſacros Canones; quiue Regulam ſancti Franciſci obſeruare debeat, & vitam communem ſine diſpenſatione ducere: alias inhabilis cenſetur, ex Decretis Clementis VIII.

Ex libro Statutorum Generalium Fratrum Minorū de Obſeruantia, Antuerpiæ impreſſo 1624.

Cap. VI.

EX Conſtitutionibus Iulij II. & Gregorij XIII. ſub anathematis pœna cauetur, & actuum legitimorum priuatione, ne Fratres dicti Ordinis appellare præſumant de correctionibus mutationibus punitionibus, priuationibus, obedientijs, & ſimilibus, quæ ad correctionem morum imponantur, niſi cùm Prælati exceſſerint limites Regulæ, & Ordinis ſtatuta.

Et *num.*5. præcipitur, vt Religioſi appellantes ob leues pœnitentias per quas parum iniuriæ religioſo irrogatur, tamquam rebelles, & inobedientes vſque ad incarcerationem, ſi non reſipiſcant, puniantur.

Et *num.*6. ex conſtitutione 14. & ex diſpoſitione iuris communis, cùm appellatio dicat ſpeciem defenſionis,

quæ de iure naturæ nemini eſt deneganda, decernitur appellationem in cauſis grauiſſimis in mandatis aut correctionibus exceſſiuis, quibus, vel pœna carceris, vel priuationis officij ſiue actuũ legitimorũ præcipitur, eſſe admittendã.

Et *num.* 13. ad præceptum Concilij Tridentini, ſi reus creditur ſuſpectus de fuga, non permittatur adire; ſed remaneat in loco detentionis, & Iudex à quo mittat proceſſum ad Iudicem ad quem intra ſpatium triginta dierum.

Et *num.* 15. reus, qui appellauit, ſi repertus fuerit indebitè iudicatus, vel grauatus, puniatur Iudex à quo; ſi vero rectè iudicatus reperiatur, & pœna iniuncta duplicetur.

Ex cap 8. Conſtitutionum RR. PP. Capuccinorum.

De electione.

IN ogni elettione ſi vada puramente, ſemplicemente, ſantamente e canonicamente, sforzandoſi, ſecondo il conſiglio di Chriſto Noſtro pietoſo Signore, quando ſono inuitati alle ſue nozze, di ſtare nell'vltimo luogo con eſſo lui, e non con Luciſero nel primo: ſapendo che gli vltimi ſaranno i primi, & i primi gli vltimi; anzi fuggendo le dignità con Chriſto, non l'accettino, ſe non ſaranno da Dio come Aaron chiamati dall'vbidienza ſanta.

Tutti gli ſcrutinij de' noſtri Capitoli Generali, Prouinciali, e Locali ſi facciano a voce viua, e ſecreta, talmente che i nomi degli Elettori non ſiano mai publicati, ſi come vuole, e comanda il ſacro Concilio Tridentino. Nè ſia lecito ſupplire le voci degli aſſenti: E ſe contra la determinatione di tale Decreto, alcuno ſarà eletto a qualſiuoglia Vffitio, tal'elettione ſia al tutto vana, e nulla.

E ſi dichiara à tutt'i Frati, che in ogni elettione, è neceſſario, e baſta, che chi ſarà eletto, habbia più della metà delle voci.

Facciamo intendere, come ſotto pena di peccato mortale, in ogni elettione s'ha da eleggere quello, che ſarà tenuto migliore, e più ſufficiente a quell'Vfficio, al quale ſarà eletto, poſto da banda ogni altro riſpetto.

I Frati, tanto quelli, che ſaranno venuti dal ſecolo, quanto da altra Religione, finito il primo Anno, e fatta la profeſſione, habbiano la voce attiua, ma non la paſſiua, inſin finiti i quattro anni; eccetto ſe per qualche neceſſità, ò giuſta ragione non ne foſſero diſpenſati dal Padre Vicario Prouinciale.

I Chierici quantunque non ſiano Suddiaconi, & anco i laici, poſſono hauere voce nell'elettioni, per dichiaratione, e conceſſione di Pio V. di ſanta mem. non oſtante il Decreto del Concilio Tridentino.

I Capitoli Prouinciali ſi facciano ogn'anno il ſecondo, ò terzo Venerdì dopo Paſqua, ò in altro tempo dell'anno, ſecondo la conſuetudine delle Prouincie. E s'ordina per leuare ogni ſoſpetto, che per due Meſi vicino a detto tempo non ſi faccia mutatione alcuna de' Frati ſenza grande, e manifeſta neceſſità; e biſognando mutarne qualch'vno ſi faccia tornare poi a dar la voce nel tempo dell'elettione del Diſcreto nel luogo doue ſtaua prima. Auertano i Padri Prouinciali, e Diffinitori nella diſpoſitione delle famiglie, e mutationi de' Frati, di non fare coſa, che generi ragioneuole ſoſpetto di qualche diſegno per le future elettioni. Et intimato il Capitolo Prouinciale, in ciaſcun luogo s'elegga vn Frate per Diſcreto, che debba andare al Capitolo col Padre Guardiano; portando i biſogni del luogo, e de' Frati particolari, e ſia Vocale, come il Padre Guardiano.

I Compagni de' Vicarij di Prouincia habbiano voce attiua, o paſſiua alla elettione del Diſcreto nel luogo del Capitolo Prouinciale; & il medeſimo s'intenda, de' Compagni

pagni

pagni del Padre Generale al luogo del Capitolo Generale, quando vi ſi potranno trouare.

I Predicatori quando non anderanno troppo lontano a predicare la Quareſima, tornino a fare l'elettione del Diſcreto al luogo loro; ma quando anderanno tanto lontano, che non poſſano, ò non baſti loro l'animo di tornare a tempo di tale elettione, habbiano voce nella loro Prouincia nel luogo più vicino alla Terra, doue haueranno predicato.

E quelli Frati, che non poſſono andare a piedi, non s'eleggano per Diſcreti d'andare al Capitolo Prouinciale; eccetto ſe non foſſero attualmente Diffinitori del Capitolo immediatamēte paſſato. E s'eleggano nel Capitolo Prouinciale quattro Diffinitori, de' quali due al più ne poſſono eſſere, di quei del precedente Capitolo: & in tale elettione habbiano voce paſſiua tutt'i Vocali, che ſi troueranno nel luogo del Capitolo; & i Vicarij Prouinciali in tale elettione habbiano voce attiua.

E s'ordina, che fatta tal elettione, in ſegno di humiltà, per moſtrare l'animo noſtro ſincero, e da ogni ſpetie di ambitione lontano; i Prouinciali liberamente rinuncino l'Vfficio loro, & ogni autorità nelle mani de' Diffinitori del Capitolo eletti: & in teſtimonio di perfetta raſſegnatione, porranno i ſigilli nelle loro mani, dicendo la colpa in publico Capitolo di tutt'i loro difetti; e riceuuto humilmente la penitenza, ſi venga all'elettione del Prouinciale. E non ſieno in modo alcuno eletti per Prouinciali quelli, che non poſſono caminare a piedi. Et eletto che ſarà il Prouinciale, i Padri Diffinitori a nome del Capitolo, mandino, ò ſcriuano al M. R. P. Generale per la conſormatione ſecondo la Clementina, & in quel mentre che verrà la riſpoſta, poſſa eſercitare l'Vfficio, come Vicario eletto, quando però ſtia in eſſa Prouincia. E finito c'hauerà il triennio, non ſi poſſa rieleggere nella medeſima Prouincia, ma in quella reſti libero da ogni Prelatione per vn'anno, e di Prouincialato per tre anni. Tutta volta ſe ſarà eletto in vn'altra Prouincia, potrà eſſercitare tal Vfficio per altri tre anni, e poi ceſſi come di ſopra.

E per aſſegnare vn modo conueneuole, & iſpediente alla inſtitutione, ò vero prouiſione de' Guardiani: ſi dichiara, che i Padri Vicarij, co' Padri Diffinitori (viſitato c'hauranno tutt'i Diſcreti, e Guardiani) poſſano prima conferire inſieme, e diſcutere quali ſieno da eſclūderſi: e poi ciaſcuno d'eſſi (cioè il Padre Vicario, e Diffinitori) da per ſe farà vna liſta ſecretamente, nella quale noterà tanti Padri, quanti Guardiani ſarà biſogno di fare, eleggendo liberamente quelli, che giudicherà migliori ſecondo la conſcienza ſua: e chiamati in Diffinitione gli Scrutatori del Capitolo, o rimettendo altri nuoui, quando pareſſe iſpediente, darà in mano di quelli, ciaſcuno la ſua liſta; e raccolto c'haueranno gli Scrutatori ſecretamente tra loro le voci di tutti, chiameranno in Diffinitione il Padre Vicario co' Diffinitori, e pronuncieranno i nomi, e le voci de' Frati eletti. E s'accadeſſe, che nel primo ſcrutinio non foſſero eletti tutti, facciaſi il ſecondo, il terzo, e'l quarto, e quanti ſaranno di biſogno, ſinche s'adempia il numero neceſſario de' Guardiani: ma quando eccedeſſero la debita quantità, il Padre Vicario cō' Diffinitori in ſecreto poſſano à loro arbitrio caſſare quelli, che ſoprauanzano, ſecondo che giudicheranno più iſpediente.

Fatta la prouiſione de' Guardiani, ſi farà parimente quella de' Cuſtodi, come anticamente s'vſaua nell'Ordine, e ſi collocheranno ne' luoghi proprij Cuſtodiali, i quali nelle loro Cuſtodie, accadendo alcun caſo vrgente (non potendoſi hauere la preſentia del Vicario Prouinciale) prouedano come a loro parrà giuſto, & iſpediente: E ancora conſigliandoſi inſieme, diſtribuiſcano i Guardiani già eletti in quei luoghi doue a loro

parrà

parrà più conueniente. E perche alcune Prouincie hanno alcuni luoghi in Città ſegnalate, e principali; quando pareſſe bene (per rimouere ogni ſoſpicione, e giudicij) potranno fare la collocatione de' Guardiani in detti luoghi a ſcrutinio ſecreto, & il medeſimo faranno nell'altre coſe, quando tra eſſi accadeſſe alcun diſparere. E fatta la collocatione de' Guardiani ne' proprij luoghi, ſimilmente ſi faccia quella delle famiglie; e mancando, ò morendo alcun Guardiano meno di ſei meſi inanzi al Capitolo, non ſi faccia altro Guardiano, ma mancando ſei meſi inanzi, ſi faccia l'altro nel ſudetto modo.

Et i Guardiani non poſſano eſſer eletti a tal'Vfficio più, che per tre anni nel luogo medeſimo, ma in vn'altro luogo ſi bene per vn'altro triennio; e dopo che ſaranno ſtati Guardiani ſei anni, rimarranno liberi da' Guardianati per vn anno. Non ſi prohibiſce però, ch'i Guardiani ſopradetti dopo detto tempo, non poſſano eſſer eletti in Vicarij Prouinciali, & anco in Generale.

E perche i Prelati deuono eſſer guida, e norma de' loro ſudditi molto più in fatti, che in parole: s'ordina, ch'l Frate, il quale non può ordinariamente conuenire al Choro, e di giorno e di notte, & al Refettorio con gli altri Frati, e ha notabilmente biſogno di cibi ſpeciali, per niun modo ſia fatto Guardiano, ne ſe gli dia cura de' Nouitij.

Quanto al Capitolo Generale s'ordina, che ſi faccia ogni ſei anni nella feſta della Pentecoſte, com'a tanto negotio accomodatiſſima, e diſegnata nella Regola dal noſtro Serafico Padre: e nell'anno di detto Capitolo Generale s'eleggano tutt'i Cuſtodi da' Vocali nel Capitolo Prouinciale, ma negli altri anni ſi eleggano ſolo con voti della Diffinitione, e collocando i Cuſtodi ſi mettano ne' luoghi Cuſtodiali, ò dentro la Cuſtodia. E prima ſi faccia per vno ſcrutinio il primo Cuſtode, c'habbia a portare in Capitolo Generale i difetti del Vicario Prouinciale, ch'all'hora ceſſa, e i biſogni della Prouincia: & in tale primo ſcrutinio queſto ſolo s'elegga, & il detto Vicario non vi habbia voce paſſiua: Ma poi gli altri Cuſtodi tutti in vn'altro ſcrutinio immediatè s'eleggano, nel quale il P. Vicario ſopradetto poſſa hauere voce paſſiua. Et i Cuſtodi predetti ſieno tutti Vocali, come i Prouinciali, e non eccedano il numero di cinque, nè ſieno meno di tre; eccettuando le Prouincie di Sicilia, e di Corſica, le Prouincie Oltramontane, e le diuiſe, nelle quali s'oſſerui la conſuetudine, e l'ordine dato, cioè che facciano ſolamẽte due Cuſtodi.

E non s'eleggano Cuſtodi per andare al Capitolo Generale, quelli che non poſſono caminare a piedi, eccetto ſe non foſſero attualmente Diffinitori Generali, eletti nel precedente Capitolo: & il medeſimo s'intenda de' Diffinitori del Capitolo Prouinciale. E non ſi nomini, nè ſi proponga quel Padre che ha da reſtare Commiſſario di Prouincia auanti l'elettione de' Cuſtodi.

E nel Capitolo Generale s'eleggano ſei Diffinitori, de' quali tre ne poſſano eſſere al più di quelli, che furono nel Capitolo proſſimo paſſato; & in tale elettione, habbiano voce paſſiua tutt'i Vocali, che ſaranno preſenti nel luogo del detto Capitolo, & il Padre Generale v'habbia l'attiua: & i detti Diffinitori col futuro Generale, haueranno da diffinire, determinare, e ſententiare tutte le cauſe, e dichiarare i dubbi, che occorreranno in queſte Conſtitutioni; e prouedere a' biſogni, e diſporre, & ordinare le tauole delle Prouincie.

E fatta l'elettione de' Padri Diffinitori, il M. R. P. Generale raſſegnerà nelle mani loro i ſigilli, e dirà la colpa in publico Capitolo nell'iſteſſo modo, che fanno i Prouinciali ne' Capitoli Prouinciali; e dopo da tutt'i Vocali (inuocato prima lo Spirito ſanto con le ſolite cerimonie) ſi verrà all'elettione del nuouo Generale. E finito che haurà il Quinquennio, rimarrà libero da ogni Prelatione per altri cinque anni.

E nel-

E nell'iſteſſo Capitolo Generale, dal M. R. P. Generale e Padri Diffinitori ſi eleggerà a ſcrutinio ſecreto il R. P. Procuratore dell'Ordine, il quale ſarà poi Vocale nel ſeguente Capitolo Generale, e finito c'haurà il Quinquennio dirà la colpa in publico Refettorio, auanti l'elettione del Capitolo Generale, e reſterà libero dal medeſimo vfficio di Procuratore per altri cinque anni.

E s'accaderà, che'l Vicario Generale muoia prima, che finiſca l'Vfficio, in tal caſo il primo Diffinitore del Capitolo paſſato ſia Commiſſario Generale; e caſo ch'egli foſſe morto, ſia il ſecondo, e così degli altri. Il ſimile ſia ancora de'Vicarij Prouinciali, quando accaderà, che muoia nell'Vfficio, cioè che'l primo Diffinitore reſti Commiſſario della Prouincia, e habbia cura di conuocare il Capitolo al tempo ſuo, ſecondo che gli ſarà ordinato dal M. R. P. Generale, per la elettione del nuouo Vicario: Ma il Capitolo Generale ſia conuocato dal Vicario di quella Prouincia, oue il Generale ſarà morto, col conſiglio di due Vicarij delle più proſſime Prouincie; e tutto queſto ſecondo la Bolla della Religione.

Nel tempo, che ſi celebra il Capitolo Generale, ſi facciano continue e feruenti orationi da tutt'i Frati della noſtra Congregatione, e nel tempo del Prouinciale da tutti della Prouincia, pregando la diuina Clemenza che ſi degni di diſporre tutte le coſe noſtre ſecondo il ſuo beneplacito a laude, honore, e gloria di ſua Maeſtà infinita, & vtilità di ſua Cattolica, e Chriſtiana Chieſa.

V I.

In Conſtitutionibus Fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini recognitis, Romæque impreſsis anno 1625.

Tertia parte, *cap. 2. de electionibus in genere*, poſt diſtinctionem de duplici genere, ſiue ordine electionum, quarum aliquæ ſunt Canonicæ, aliæ vero non, ſubditur. *In electione Superiorum quorumcumque, & aliorum Officialium, quo omnia recte, & ſine fraude fiant, inhærentes decretis ſacroſancti Concilij Tridenti; ſtrictè præcipimus, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta; ita vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Præterea non liceat Prouinciales, Diffinitores, Priores, aut Diſcretos ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Diffinitorem, &c. creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis omnino exiſtat. Nulluſque in electionibus vocem actiuam habeat, niſi ſit præſens; nulluſque item poſſit ſuæ voci renunciare, ſub pœna priuationis vocis actiuæ per biennium; prout Diffinitum fuit in Capitulo Generali Romæ celebrato a fundatiſſimo doctore Beato Aegidio Romano eiuſdem ſacri Ordinis Eremitarum Priore Generali, anno Domini 1292.* Vbi etiam additur, vt nullus excommunicatus, irregularis, ſuſpenſus, aut interdictus, aut alia quauis de cauſa inhabilis, ad officia eiuſdem Ordinis eligatur, vel aſſumatur: nullus præterea, qui non ſit bonæ famæ; nullus præterea, qui fuerit ad perpetuum carcerem iudicatus, poterit eligi in Superiorem Conuentus, ſiue Prouinciæ, &c.

Nullus item poteſt emittere ſuffragium in aliqua electione, in qua fuerit ipſemet propoſitus, & nominatus, ex Capitulo Generali Viterbij 1312.

Item qui cum aliquo Prælato, vel Domino ſeculari commorantur; & ſi erit de familia illius loci quãtum ad domicilium, & menſam, nullam vocem habebit in Capitulo Generali, & electioni-

ctionibus eiuſdem Ordinis, cuiuſcumque gradus, & conditionis illi ſint, ex Capitulo Generali Graſſæ 1335. Additur etiam idem iudicium eſſe faciēdum de beneficiatis, vel ad beneficia habilitatis, niſi ante beneficio, vel habilitatione, mediante inſtrumento publico renunciauerint abſque aliquo regreſſu, vel quacumque reſeruatione fructuum.

In adnotationibus vero, ſiue ſcholijs ad cap. 3. *de forma celebrationis Capituli Generalis totius Ordinis ſub littera A, A, §. non ſolum*, dicitur quod abſentes non poſſunt ſuſtituere loco ſui alium Electorē, ex ſpeciali Decreto Clementis VIII. ſuper hoc ſpecialiter edito, prima Aprilis 1601. Et *ibidem ſub littera, C*, ex Breue Pauli V. dato 13. Iulij 1614. cuius initium eſt. *Nuper a nobis ſtatutum eſt*, quorumcumque Superiorum, & Officialium electiones omnino ſecretas per ſecreta ſuffragia fieri debere, ſublata cuilibet facultate aliter iudicandi, ſeu interpretandi. Et *ſub littera D*, ex diſpoſitione eiuſdem Bullæ Pauli V. & ex alia eiuſdem Pauli, cuius initium eſt, *Paſtoralis noſtra*, 16. Maij 1614. & ex præcitato Decreto Clementis VIII. in electione Prioris Generalis, & aliorum, quorumque Superiorum, & Officialium eiuſdem Ordinis, pænitus ſublatum eſt Scribæ miniſterium, de quo ſcriba, & eius munere fit prolixa mentio in præcitato cap. 3. earundem Conſtitutionū.

Et in notis ſiue ſcholijs ad Cap. *Quomodo Prior Prouincialis officio ſuo debet renunciare*, ex Conſtitutione Clementis Octaui cuius initium eſt: *Admonet nos*, 13. Septembris 1600. ſublati ſunt, vt de cetero vocem actiuam habere non poſſint omnino vocales ex gratia; ſed hi ſolum qui de iure iuxta Ordinis conſtitutiones habere poſſint.

Et in ſcholijs ad Cap. *de officio, & auctoritate Patris Præſidentis*, ex Decreto Clementis VIII. ſpecialiter edito pro Auguſtinianis prima Aprilis 1601. ad viam ambitus præcludendam, & ad alia incouenientia impedienda, prohibetur ne Præſidens Capituli Prouincialis in Prouincialem eligi poſſit.

Pro Eremitis Diſcalceatis Ordinis S. Auguſtini.

Gregorius PP. XV.

Ad futuram rei memoriam.

AD ſacram B. Petri ſedem meritis licet imparibus, Diuina prouidentia vocati, ad ea per quæ Chriſtifideles ſub ſuaui religionis iugo, & ſtrictioris obſeruantiæ Regula Altiſſimo famulantes, in laudabili eorum inſtituto perſeuerare valeant libenter intendimus; atque ea, quæ propterea prouide facta fuiſſe dicuntur, vt firma, & illibata perſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore communimus, aliaſque diſponimus prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Alias ſi quidem à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet.

Breue Clementis VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolici muneris nobis, licet immeritis, Diuina diſpoſitione commiſſi ratio poſtulat, vt Religioſorum quorumcumque, eorum præſertim, qui ſub ſtrictiori Regulæ obſeruantia Altiſſimo famulari ſtudent, quieti, & proſpero regimini libenter conſulamus, eoſque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, Venerabilis Frater Domini-

minicus Archiepiſcopus Sipontinus, noſter, & Apoſtolicæ Sedis in Hiſpaniarum Regnis Nuncius, vigore commiſſionis, & facultatis per nos ſibi ad hoc per noſtras in forma Breuis litteras ſub datum die 24. Martij anno 1601. expeditas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, attributa, aſſentientibus, & petentibus dilectis filijs Priore Prouinciali, & Fratribus Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Calceatis Prouinciæ Caſtellæ, ab eorum Prouincia dilectos etiam filios Diſſinitorem, & Fratres Recollectos, ſeu Diſcalceatos eiuſdem Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, in prædicta Prouincia Caſtellæ exiſtentes, eorumque Conuentus Matriti, Talaueræ, Naua, Portilij, & Touoſi, ac alios fundatos, & fundandos, nec non res, & bona quæcunque perpetuo ſeparauerit, & ſegregauerit, ac à gubernio, & ſuperioritate Prouincialis, & Fratrum Calceatorum prædictorum exemerit, & liberauerit, ac alios circa ſtatum, & Gubernium eorumdem Fratrum recollectorum Diſcalceatorum diſpoſuerit, & ordinauerit, prout in ipſis Dominici Archiepiſcopi, & Nuncij patentibus litteris deſuper expeditis, quarum etiam tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius dicitur contineri. Nos eorumdem Fratrum recollectorum Diſcalceatorum quieti, & proſpero ſtatui amplius conſulere, eoſque vt ſtrictiorem regularem obſeruantiam, quam profitentur ad Dei laudem, & Chriſti fidelium ædificationem, & animarum ſalutem, vt decet retinere, & obſeruare poſſint, ſpiritualibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, nec non Diſſinitorem, & ſingulares Fratres recollectos Diſcalceatos huiuſmodi a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis a iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendũ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus, eorum nomine per dilectum filium Ioannem de ſancto Hieronymo eorum Procuratorem Generalem in Romana Curia reſidentem nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſeparationem, & diuiſionem ipſorum Diſſinitorum, & Fratrum recollectorum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini in quacunque Regnorum Hiſpaniarum parte exiſten. a Prouinciale, & Fratribus Prouinciæ Caſtellæ Ordinis Fratrum Calceatorum Eremitarum ſancti Auguſtini a prædicto Dominico Archiepiſcopo, & Nuncio factas, & prout illas concernunt litteras patentes eiuſdem Dominici Archiepiſcopi, & Nuncij deſuper expeditas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris quam facti defectibus, ſi qui in ijſdem interuenerint, ſupplemus: & nihilominus Diſſinitorem, & Fratres recollectos Diſcalceatos Regnorum Hiſpaniarum prædictos, eorumque Conuentus, res, & bona quæcunque, a Prouincia, Prouinciali, & Fratribus Calceatis dicti Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini tam Prouinciæ Caſtellæ, quam aliarum quarumcumque Prouinciarum, eorumque cura, gubernio, & Superioritate, auctoritate, & tenore præſentis, quatenus opus ſit, de nouo diuidimus, & ſeparamus, & eximimus, & liberamus: ipſoſque Diſſinitorem, & Fratres recollectos Diſcalceatos, eorumque Conuentus, tam hactenus receptos, quàm deinceps recipiendos in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes, in Prouinciam ſancti Auguſtini nuncupandam Fratrũ recollectorum Diſcalceatorum Hiſpaniarum perpetuo erigimus, & inſtituimus; eiuſque Prouinciæ ſic erectæ, & inſtitutæ Prælatum de cætero Priorem Prouincialem, eiuſque Prouinciæ ſancti Auguſtini denominari; & in Capitulo Prouinciali tam hac prima vice, quam deinceps, quã-

docũque opus fuerit, de triennio in trienniũ, iuxta regularia eorundem Fratrum recollectorum inſtituta, canonicè eligi debere volumus, & declaramus. Ipſis verò futuro Prouinciali, & Fratribus, ac cæteris Superioribus, & Conuentibus eiuſdem Prouinciæ ſancti Auguſtini, vt omnibus, & ſingulis Priuilegijs, gratijs, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, fauoribus, conceſſionibus, & indulgentijs, quibus alia Prouincia, aut Prouinciales Conuentus, & Fratres dicti Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, & præſertim quibus dicta Prouincia Caſtellæ, eiuſque Prouincialis, atque Conuentus & Fratres, vti, frui, potiri, & gaudere ſolent, & poſſunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, ſalua regulari eorumdem Fratrum recollectorum Diſcalceatorum obſeruantia, vti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant; concedimus, & indulgemus. Hanc autem Prouinciam ſancti Auguſtini Fratrum recollectorum Diſcalceatorum Hiſpaniarum, eiuſque Priorem Prouincialem, Conuentus, & Fratres nunc, & pro tempore exiſtentes, iuriſdictioni, viſitationi, correctioni, & reformationi dilecti filij Prioris Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini immediatè ſubijcimus, & ſupponimus, ac ab ipſomet Priore Generali perſonaliter viſitari, & reformari poſſe. Qui Prior Generalis in viſitatione huiuſmodi vnum Diffinitorem eorumdem Fratrum recollectorum ex antiquioribus, & alterum Religioſum magis idoneum, ex eiſdem Fratribus recollectis, qui illum de ſtatu totius Prouinciæ ſancti Auguſtini huiuſmodi informare poſſint, & debeant, aſſumere teneantur. Veruntamen ipſum Priorem Generalem neque, ante huiuſmodi viſitationem, neque in ipſo actu viſitationis, ipſis Fratribus Recollectis aliquam exceptionem aut libertatem concedere, neque conſtitutionibus, & regularibus inſtitutis eiuſdem Prouinciæ ſancti Auguſtini derogare; ſed illorum tranſgreſſores caſtigare, ac pœnis in eiſdem conſtitutionibus inflictis afficere poſſe. Inſuper neminem qui profeſſionem per eoſdem Fratres recollectos Diſcalceatos emitti ſolitam non emiſerit, eorum habitum ſub excommunicationis maioris pœna induere poſſe. Et ſi quem non profeſſum huiuſmodi cohabitu indutum reperiri contingat, ipſo habitu exui, & priuari a quocumque licitè poſſe: Neque etiam cuicumque Fratrum recollecto Diſcalceato profeſſo, ad Fratres Calceatos eiuſdem Ordinis, ſeu ad quemcumque alium Ordinem laxiorem, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia tranſire licitum eſſe; & ſecus facientes, pœnas per Apoſtolicas Conſtitutiones, & regularia eiuſdem Ordinis inſtituta inflictas, eo ipſo incurrere; ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, & de latere Legatos iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quocumque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & ordinamus. Ceterum circa alia, quæ præſentibus non ſunt expreſſa, Prouinciam prædictam ſancti Auguſtini, eiuſdemque Conuentus, & Fratres, iuxta regularia inſtituta, & Conſtitutiones in Capitulis Prouincialibus eiuſdem Prouinciæ canonicè faciendas, gubernari debere ſtatuimus. Quocirca prædicto Dominico Archiepiſcopo nunc, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in eiſdem Regnis Hiſpaniarum Nuncio, ac venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletan., nec non dilecto filio curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per præſentes committimus, & mãdamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Prouincialis, & Fratrum recollectorum Prouinciæ ſancti Auguſtini fuerint requiſiti,

ſolem-

ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciãt auctoritate noſtra præmiſſa omnia, & ſingula inuiolatè perpetuo obſeruari, & Prouincialem, & Fratres dictæ Prouinciæ ſancti Auguſtini eorundem præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos deſuper a quocumque quauis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari; Contradictores quoſcunque per cenſuras, & pænas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus diætis, dummodo vltra tres dictas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eiuſdem ordinis Fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, & dictæ Prouinciæ Caſtellæ etiam iuramen. confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, eidem Ordini ac Prouinciæ, nec non Generali Prouinciali, cæteriſque perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac alijs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruari foret; tenores huiuſmodi, ac ſi ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes: illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus; cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 11. Februarij 1602. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

Subinde verò pro parte tunc exiſtentis Prioris Generalis eiuſdem Congregationis, Nobis expoſito, quod numerus Domorum ſeu Conuentuũ, & aliorum Regularium locorum dictæ Prouinciæ ſancti Auguſtini, ita benedicẽte Domino excreuerat, vt prædicta ſancti Auguſtini in plures Prouincias diuidi poſſet, & è re dictæ Congregationis futurum foret, ſi illa de cætero per vnum illius Vicarium Generalem regeretur, & gubernaretur. Nos ſupplicationibus eiuſdem Prioris Generalis nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Dilectis filijs tunc exiſtenti Priori Prouinciali, ac alijs Superioribus, & Fratribus dictæ Congregationis, prædictã ſancti Auguſtini in plures Prouincias, prout Domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum opportunitas ſuaſiſſet, arbitrio tamen venerabilis Fratris noſtri Antonij Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis Sauli renunciati dicti Ordinis apud nos, & Apoſtolicã Sedẽ Protectoris diuidere; nec non vnum Vicarium Generalem eiuſdem Congregationis, qui ipſi Congregationi præeſſet, eamque regeret, & gubernaret, canonicè eligere liberè, & licitè poſſit; ita tamen vt nullatenus præiudicaret ſuperioritati, & auctoritati Prioris Generalis dicti Ordinis; ſed eidem Vicarius Prouincialis, & Fratres Diſcalceati prædicti ſubiecti remanerent in omnibus, & per omnia ſicut prius erant; Apoſtolica auctoritate licentiam, & facultatem conceſſimus, & impartiti ſumus; prout in noſtris in ſimili forma Breuis ſub die 5. Iunij 1621. expeditis litteris, quarum

tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem ſicut accepimus prædictus Antonius Epiſcopus, & Cardinalis, in vim, & executionem litterarum noſtrarum huiuſmodi Capitulũ Generale deſuper celebrari mãdauerit, ac dilectum filium Gabrielem de Conceptione eiuſdẽ Congregationis Procuratorem Generalem in huiuſmodi Capituli Generalis Præſidentem, elegerit, conſtituerit, & deputauerit, dans illi auctoritatem diuidendi Prouincias, prout Capitulo Generali prædicto expedire viſum fuiſſet; prout in ipſius Antonij Epiſcopi, & Cardinalis deſuper confectis patentibus literis plenius dicitur contineri.

In Capitulo autẽ Generali huiuſmodi, Dilectus filius Hieronymus de Reſurrectione ipſius Congregationis profeſſor, in eiuſdem Congregationis Vicarium Generalem electus fuerit, ac præfata ſancti Auguſtini in quatuor Prouincias, videlicet, ſancti Auguſtini in Regnis Caſtellæ nouæ, & veteris; Beatæ Mariæ del Pilar in Regnis Aragoniæ, & Cataloniæ; Beati Thomæ de Villanoua in Regnis Valentiæ, & Bethicæ; ac ſancti Nicolai de Tolentino in Indijs Philippinis diuiſa, necnon quatuor Prouinciales, alijque Officiales neceſſarij electi, & poſtmodum pro felici, ac proſpero ipſius Congregationis regimine, progreſſu, Conſtitutiones, & Decreta edita reſpectiue fuerunt tenoris ſubſequentis, videlicet.

Quod omnes electiones, tam Vicarij Generalis, Diffinitorum, Procuratorum Generalium Romanæ Curiæ, ac Regiæ, & Secretarij Generalis, quam Priorum Prouincialium, ac Conuentuum, Rectorumq. Collegiorum, fiant in Capitulis Generalibus, tam ex præſentibus, quam ex abſentibus Congregationis. Item quod Vicarius Generalis toti Congregationi præſit, eamque regat, & gubernet cum omnimoda poteſtate, ſicut habet Reuerendiſſimus Pater Generalis in toto Ordine tam ex iure, quàm ex priuilegijs, ſine tamen præiudicio eiuſdem Patris Generalis, & facultatum ſibi in dictam Congregationem conceſſarum, & competentium. Quòd officium, & poteſtas Vicarij Generalis per ſex annos duret; quibus finitis, eo ipſo illius poteſtas, & auctoritas abſque alia renunciatione expiret, & nouus Vicarius Generalis eligatur, & niſi intermiſſo altero ſexennio iterum in Vicarium Generalem nõ eligatur. Item quòd Diffinitor primus omnibus Capitulis Generalibus dictæ Congregationis quando eligendus eſt nouus Vicarius Generalis, præſideat vſque ad electionẽ noui Vicarij Generalis. Quod non fiant Diffinitores Prouinciales, ſed tantum quatuor Diffinitores Generales, ſinguli ex ſingulis Prouincijs, quorum conſilio, & interuentu ipſe Vicarius Generalis vti debeat tum in grauioribus controuerſijs, cauſis, & appellationibus vniuerſæ Congregationis, & ſingulorum Fratrum expediendis, tum in Prouinciarum, ſingulorum Monaſteriorum, & domorum reformatione; ac regulari obſeruantia dirigenda. Item quod Vicarius Generalis ſine conſilio, & conſenſu Diffinitoris Generalis nullum Religioſum ad pœnas grauiſſimas, vel priuationem habitus, & alia huiuſmodi condemnare poſſit. Item quod Vicarius Generalis ad minus, ſingulis ſex menſibus conuocare, & congregare debeat quatuor Diffinitores Generales, ad diſcernendum, & iudicandum cauſas Fratrum, & Conuentuum, & ad tractandum de ſtatu, & reformatione totius Congregationis, & ad officia, tunc temporis vacãtia prouidenda, quæ vſque ad proximum Capitulum Generale perdura-

durabunt. Item quod Diffinitores Generales, & Priores Prouinciales triennales ſint, & in eiſdem, vel ſimilibus officijs niſi tranſacto altero triennio eligi non poſſint. Item quod Priores Conuentuum, ac Rectores Collegiorum, Procuratores, & Secretarij Prouinciales etiam durent ad tres annos; & niſi intermiſſo anno cum dimidio, in eiſdem, vel ſimilibus officijs eligi non poſſint; niſi nouem Patribus Diffinitorij Generalis, pro altero triennio eligi conuenire videbitur. Item quod Secretarius, & Procuratores Generales tàm Curiæ Romanæ quàm Regiæ, etiam durent ad tres annos, niſi Pater Vicarius Generalis, & Diffinitores Generales eſſe conueniens iudicauerint, vt pro altero triennio eligantur. Item quod Capitulum generale Congregationis tertio quoque anno celebretur Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis, illudq; in ſingula triennia indicẽdi, & conuocandi Vicarius Generalis curam habeat; atque in eodem Capitulo ſingulis triennijs nouẽ Diffinitores Generales Priores Prouinciales, & Conuentuales, Rectores Collegiorum, Procuratores generales, ac Secretarius Generales, necnon Procuratores, & Secretarij Prouinciales eligantur, & ſic ſexto quoque anno in Capitulo Generali nouus Vicarius Generalis eligi debeat, qui ſtatim confirmetur à Preſidente Capituli abſque præiudicio confirmationis facienda à Patre Generali. Item quod ad Capitulum Generale dictæ Congregationis conuenire teneantur præter Vicarium Generalem præſentem, & abſolutum illius ſexennio tantum quatuor Diffinitores Generales, Procurator Generalis Regiæ Curiæ, & Secretarius Generalis, ex vnaquaque Prouincia Prouincialis cum Diffinitore, & Diſcreto electis Capituli Prouincialis, quæ fieri debent ſuo tempore infra vltimum annum triennij, antequã celebretur Capitulum Generale: quo d omnes ſolũmodo vocem habebunt ad eligendum Vicarium Generalem, quatuor Diffinitores Generales, Secretariũ ac Procuratores Generales, & Priores Prouinciales. Item quod ad eligendos Priores Conuentuum, Rectores Collegiorum, Procuratores, ac Secretarios Prouinciales, ſolum conueniant, & habeant vocem nouem, Procuratores ſex, Vicarius Generalis, præſens, & abſolutus illius ſexennij, quatuor Diffinitores Generales abſoluti, & Prouincialis abſolutus illius triennij ſimul cum Diffinitore, & Diſcreto illius Prouinciæ, cuius officia fuerunt: quæ prouidenda ſunt, quia maiorem notitiam habebunt de ſtatu Prouinciarum. Item quod ſi Vicarius Generalis ante finitum tempus ſui muneris è vita migrauerit, vel ab officio ammotus fuerit, Vicarius abſolutus, & eo deficiẽte Prouincialis in cuius Prouincia mortuus fuerit, toti Congregationi præſideat, locum, & poteſtatem Vicarij Generalis habeat vſque ad Dominicam tertiam poſt Paſcha Reſurrectionis proximè futuram, in qua celebrari faciet Capitulũ Generale pro electione noui Vicarij Generalis: & tunc nouiter electus munus ſuum exerceat, non ſolũm vſque ad Capitulum, in quo faciendæ ſunt omnes electiones; ſed etiã per ſequens triennium. Item, quod ſi Vicarius Generalis irreligiosè vixerit, vel in ſui officij adminiſtratione malè ſe geſſerit, ad Diffinitorẽ Generalem in Capitulis Generalibus culpas eius corrigere, & caſtigare pertineat. Item quod Priores Prouinciales (durante ſuo officio) eam auctoritatem, & poteſtatem habeant in tota Prouincia, quam cæteri Prouinciales habere conſueuerunt, dũmodo inſtitutis dictæ Congregationis non aduerſentur, vel à Capitulo Gene-

tali eius poteſtas non fuerit limitata.

Item quod in Prouincia Indiarum Philippinarum, præter magnam loci diſtantiam in ſuis Capitulis Prouincialibus, quæ fieri debent, ſingulis trienniis eligantur Prouinciales, quatuor Diffinitores Prouinciales, Priores Cōuentuum, & alij Officiales, qui in ſimilibus Capitulis Prouincialibus eligi ſolent, niſi aliter aliquando Capitulo Generali videbitur expedire, ſeruata ſemper Conſtitutione generali totius Congregationis.

Item quod nullus Religioſus Laicus totius Congregationis poſſit aſcendere ad aliquem ordinem, neque ad Clericatum abſque licentia Summi Pontificis, ſed quod ſemper maneant in ſua profeſſione.

Nos ad vberes, & ſuaues fructus quos eiuſdem Congregationis profeſſores in militanti Eccleſia in dies afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, & vt eadē Congregatio maioribus proficiat incrementis, ac omnia, & ſingula permiſſa ab omnibus, ad quos ſpectat firmiter, & inuiolabiliter obſeruentur quantum cum Domino poſſumus prouidere; ac Gabrielo, & Fratres prædictos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectū præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, electionē Vicarij Generalis, ac dimiſſionem Prouinciarum, in Capitulo Generali, vt ſupra factas, necnon Conſtitutiones, & Decreta præinſerta huiuſmodi, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus: Illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus; & inſuper has quatuor prouiſiones, ſic vt profertur diuiſas, in vnam Congregationem Fratrum Diſcalceatorum ſancti Auguſtini nuncupañ, & per vnum illius Vicarium Generalem modo, & forma præmiſſis regendam, & gubernandam, cum omnibus, & ſingulis priuilegijs, facultatibus, & indultis, eiſdem Fratribus tam in genere, quàm in ſpecie, ac alias quomodolibet tam per nos, quàm per alios quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſis, auctoritate, & tenore prædictis de nouo, quatenus opus ſit, erigimus, & inſtituimus. Necnon eiſdem Fratribus Diſcalceatis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, dummodo ſint in vſu, & non ſint reuocata, neque ſub aliquibus reuocationibus cōprehenſa, ne ſacri Concilij Tridentini Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non aduerſentur, & quibus alij Ordinis S. Auguſtini Fratres vtuntur, potiuntur, & gaudent, tali modo vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Congregationi, & Fratribus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque ab omnibus cenſeri; & ita per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his, à quocunque, quauis auctoritate, ſcienter, vel igno-

ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbiq. adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 31. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. Cardinalis ſanctæ Suſannæ.

Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis Decanus, Saulius nuncupatus, Epiſcopus Oſtienſis, ac totius Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Protector.

CVm elapſis menſibus Congregatio Diſcalceatorum Hiſpaniæ Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini ad inſtantiam Venerabilis P. F. Gabrielis de Conceptione Procuratoribus Generalis eiuſdem, confirmationem quarumdam Conſtitutionum pro bono dictæ Congregationis regimine à ſancta Sede Apoſtolica obtinuerit, inter quas duæ infraſcriptæ continentur, videlicet.

Quòd omnes electiones tam Vicarij Generalis, Diffinitorum, Procuratorum Generalium Romanæ Curiæ, & Regiæ, ac Secretarij Generalis, quàm Priorum Prouincialium, & Conuentuum, Rectorumque Collegiorum, fiant in Capitulis Generalibus, tam ex præſentibus, quàm ex abſentibus dictæ Congregationis.

Item, quod non fiant Diffinitores Prouinciales, ſed tantum quatuor Diffinitores Generales, ſinguli ex ſingulis Prouincijs.

Cumque Prouinciæ dictæ Congregationis has duas præfatas Conſtitutiones recipere noluerint, ac proinde multæ fuerint ſubortæ diſſenſiones, ex quibus inconuenientia plurima contingere poterunt, niſi opportuna remedia adhibeantur: Ideo idem V. P. Procurator Generalis prædictæ Congregationis ſupplici libello rogauit S. D. N. Gregorium XV. vt ſupradictis Conſtitutionibus pro ſua benignitate diſpenſare dignaretur. Qui S. D. N. præfatum libellum ad nos remiſit.

Nos autem, qui totam D. Auguſtini religionem intimo cordis aff. ctu ſemper dileximus, pacemque, & quietem inter præaſſertæ Religionis Fratres omni ſtudio, ac ſedulitate procurauimus; auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte ſpiritualiter conceſſa, præfatas duas Conſtitutiones reuocamus, annullamus, & caſſamus. Mandamuſque primo, vt omnes electiones generales Cõgregrationis prædictæ, tam Vicarij Generalis, quàm Diffinitorum, Procuratorum generalium Romanæ Curiæ, & Regiæ, & Secretarij generalis fiant in Capitulis Generalibus totius Congregationis; & omnes electiones Prouincialium fiant in Capitulis Prouincialibus, vt ordinatur in Conſtitutionibus Generalibus totius Religionis S. Auguſtini, 3. *par. cap.* 3. *& cap.* 7. Secundo eadẽ auctoritate Apoſtolica præcipimus, vt vnaquæque Prouincia habeat quatuor Diffinitores Prouinciales, vt ordinatur in Conſtitutionibus Generalibus totius Religionis ſancti Auguſtini 3 *par. cap.* 7. cum ea auctoritate, quàm Diffinitorium Generale Congregationis illis conceſſerit; & ita obſeruari ſemper, & vbique volumus, iubemus, & ordinamus: Non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus Apoſtolicis quauis auctoritate confirmatis, & roboratis. Qui-

bus omnibus, & ſingulis, ad præmiſſorum executionem duntaxat, ſpecialiter præfata auctoritate derogamus. Dat. Romæ die 22. menſis Maij 1623.

Antonius Cardinalis Saulius, Protector Ordinis.

Locus † ſigilli.

Iulius Piccininus Secretarius.

Sumpta copia, concordat cum ſuo vero Originali.

In fidem, ego notarius infraſcriptus illam ſubſcripſi, ſignaui, & publicaui, prout inferius videre eſt, &c.

S. Q. V. † *E. Io. V. C.*

In teſtimonium veritatis. Ioan. Venantius Clarettus, Notarius auctoritate Apoſtolica publicus.

Nos infraſcripti Notarij publici Apoſtolici, in Tribunali Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Nuncij Apoſtolici in Hiſpaniarum Regnis reſidentis, aſſiſtentes, fidem facimus, & atteſtamur, ſupranominatum Ioannem Venantium Clarettum in prædicto Tribunali aſſiſtentem, talem eſſe, qualem ſe fecit Notarium publicum, fidelem, & legalem, ſcriptiſque per eum confectis, & publicatis ſemper in iudicio, & extra adhibitam fuiſſe, & de præſenti adhiberi fidem indubiam. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentes ſubſcripſimus, ſignauimus, & publicauimus. Datum Matriti Toletan. Diœceſis, Anno Domini 1625. die vero 26. menſis Iunij.

Don Theophilus Fantinus Clericus Sabinus, Notarius Apoſtolicus.

Lambertus Titus Notarius.

VII.

Ex Conſtitutionibus Ordinis Carmelitarum.

De electione Prioris Generalis. Cap. VI.

NOn poteſt eligi aliquis in Priorem Generalem, qui non compleuerit in noſtro Ordine annos quindecim: & qui aliquando ab Ordine apoſtatauerit. Caueant omnes, ſub animarum ſuarum graui periculo, quod fideliter eligant vnum Fratrem Ordinis, quem ad tantum officium exiſtimauerint digniorem. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per abſentium, ſed præſentium dumtaxat vota, legitimè habentium locum, & vocem in Capitulo Generali: quæ adhuc per ſecreta ſuffragia fiat, non publicatis nominibus eligentium, iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini, hoc modo votum ſuum in ſchedula ſcribendo. *Eligitur Reuerendus Magiſter N. in Priorem Generalem noſtri Ordinis.* Quo ſcripto eligens ſchedam proprijs manibus complicet, eamque reponat in pyxide: & omnium ſuffragijs abſolutis, vnus de præcipuis gremialibus, ad nutum Præſidētis, ſingulatim dictas ſchedulas extrahat, & euoluat; & alius, audiente toto gremio, vota ſingulorum eligentium legat, & pronunciet. Et tunc ille, in quem pars maior, & ſanior conuenerit omnium eligentium, ita videlicet, vt pars ſua partes alias ſimul iunctas excedat, ille Prior Generalis habeatur ab omnibus. Quod ſi non excedat, reiteretur electio vſque tertio: & ille tunc, in quem maior, & ſanior pars conuenerit, Prior Generalis habeatur. & publicatione votorum facta, ſuppreſſis nominibus eligentium, ſtatim habēs primam vocem, dicat. *Ego N. aucto-*

ritate

ritate mihi commiſſa, & nomine omnium eligentium, denuncio N. eſſe Priorem Generalem Ordinis noſtri; & pronuncio eum, virtute Priuilegij Ordini noſtro indulti, fore Priorem Generale legitime confirmatum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Si tamen electioni conſenſerit ipſe electus, &c.

Ex Conſtitutionibus Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ.

De ratione ferendi ſuffragia. Cap. VII.

1 TAm electiones, quàm alia quæcunque, tam in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, & Conuentualibus, quàm in Definitorijs, per ſecreta ſuffragia fiant: ita tamen, vt ſi omnes Definitores generales per literas cõſentiant, poſſint res aliquæ faciliores ad Definitorium generale pertinentes, à Præpoſito, ac Definitoribus decidi.

2 Cum ex Conc. Trident. Superiorum electiones per ſecreta ſuffragia fieri debeant, adeò vt electorum nomina nunquam publicentur, præcipimus, vt nullus ſuffragium, quod pro alio fert, alicui oſtendat, omneſque in eo actu ſecreti ius ſtrictè cuſtodiant, ſub pœna priuationis vocis, & loci ipſo facto incurrenda.

3 Vt autem ſecretius ſuffragia ferantur, modus hic deſcriptus ſeruetur. Præſes Capituli deſignet duos è Conuentu, fidos ſecreti cuſtodes, qui Patribus iam conſidentibus, intra, vel propè Capituli locum, à Patribus, & à ſeipſis mutuò ita ſeparati ſint, vt quid alter agat, nec à Patribus, neque ab altero poſſit cognoſci.

4 Quibus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto præcipimus, vt nemo illorum dicat, quiſnam electorum talia nomina poſtulauerit, aut etiam talia non petierit.

5 Omnibus igitur electoribus conſidentibus ſurgat Præſes, & dignior poſt ipſum, & ſinguli adeant vnum ex duobus illis Fratribus, & ab eo duo, vel tria nomina illorum, qui vulgò putantur eligendi, depoſcant, ex quibus eligant vnũ, quem maluerint; ſtatimque in Capituli locum ferendis ſuffragijs præparatum, redeant, & coram omnibus in vas ad hoc paratum, ſuffragium inijciant, ſchedulaſque ſuperfluas ſecum retineant, & ſedeant. Statim verò ac illi redierint, loco illis proximi, idem facturi exurgant, & ſic ceteri ordinatè ſuffragentur. Confeſtim Capituli Præſidens, ac duo, qui ei proximi ſedent, ſuffragia publicè ſcrutabuntur; ita vt nomina in ſingulis ſchedulis ſcripta apertè legant, & à ſuffragatoribus audiantur: quod in omni Congregationis Capitulo, & Definitorio, dũ ſuffragia feruntur, obſeruandum eſt.

6 Si quis ergo prima vice ſuffragia plura ſolus, quàm omnes alij ſimul habere inuentus fuerit, erit canonicè electus, ſtatimque publicabitur. Si verò nullus prima vice plura ceteris omnibus habeat, iterum ſuffragia ferentur. Si autem neque ſecunda vice vnus plura, quã reliqui omnes habuerit, ex ijs qui ea vice plura habuerunt, Scrutatores deſignabunt duos, qui plura quam alij ſuffragia habuerint; & inter æqualia habentes, profeſſione antiquiores, & inter profeſſione, & ſuffragijs æquales, ætate maiores; è quibus à toto Capitulo vnus eligetur in hunc modum.

7 Aſſigentur ſchedulæ duæ (in quibus ſint ſcripta illorum duorum nomina) vaſis duobus, alterum inquam nomen vni vaſi, alterum alteri, ita vt à ſuffragatoribus apertè videri, ac legi poſſint; & qui huic, vel illi ſuffragari voluerit, calculum album in vas eius mittet, nigrum

vero

Digitized by Google

verò in vas alterum, vbi eſt ſcriptum nomen eius, cui refragatur.

8 Ex his ergo duobus, qui hac tertia vice habuerit plura ſuffragia, quam alter, erit canonicè electus. Si verò vterque habeat æqualia, electus manebit, qui eſt profeſſione antiquior: ſi tamen ſint profeſſione pares, manebit electus, qui eſt ætate prouectior, & ſtatim publicabitur: quod etiam in quauis alia electione ſeruetur.

9 Dum in quolibet Congregationis Capitulo non per ſchedulas, ſed per ſolos calculos albos, & nigros ſuffragia feruntur, ſi in caſibus per Conſtitutiones non expreſſis, prima, & ſecunda vice æqualia ſint ſuffragia, tota ſuffragatio remittetur ſolis quinque Patribus; & ſi quinque non ſuppetant, tribus primo loco ſedentibus, qui per maiorem partem ſuffragiorum rem decidant.

10 Siqua verò controuerſia circa ſuffragia orta fuerit, Scrutatores, ac Definitores reliqui maiori ſuffragiorum parte illam definient; quorum deciſioni omnes obedient, ſub pœna priuationis ab officijs, vocis etiam, & loci per tres annos ipſo facto incurrenda. Si verò dubia circa alias materias oriantur, eorum deciſio ad totum Capitulum pertinebit per maiorem partem ſuffragiorũ.

De Capituli fine, ac electionum confirmatione. Cap. VIII.

1 PEractis vniuerſis electionibus, Præſes ſcriptum edat præceptum, vt intra vigintiquatuor horarum ſpatium, ad illum Capituli Patres deferant, ſi in recenter electis aliquod impedimẽtum canonicum, vel à noſtris Conſtitutionibus ortum cognouerint, propter quod non confirmari meruerint. Si verò de aliquo culpæ huiuſmodi pœna plectendæ legitimè probentur, minimè confirmetur, ſed alius in eius locum eligatur.

2 Ij tamen, quibus nulla obiecta fuerit exceptio, per ſuffragia ſecreta in Definitorio ad confirmationem approbentur; & confeſtim Præſes confirmationem pronunciet iuxta formam *cap. 3. num. 8.* præſcriptam. Statimque omnes Capituli Patres profeſſionem Fidei à Concilio Tridentino præſcriptam faciant.

3 Poſt hæc Præſes Capituli Fratres ad legum cuſtodiam, & exemplum ſubditorum hortabitur, & plenariam eis Indulgentiam, & ab omni Eccleſiaſtica cenſura, vi priuilegiorum, abſolutionem concedet; priuilegiaque omnia omniũ Religionum acceptabit, in his, quæ Regulæ, aut Conſtitutionibus noſtris non opponuntur, & vltimam Capitulo manum imponet. Tunc Patres ſe mutuo amanter amplectentur in loca, quæ illis obtigerint, Apoſtolico more paulò poſt diſceſſuri.

De officio, & auctoritate Præpoſiti. Cap. X.

1 COngregatio noſtra ab vno duntaxat Superiore gubernetur, qui Cõgregationis Præpoſitus generalis appellabitur. Qui in Capitulo generali eligetur, ac triennio tantum durabit; nec reeligi poterit ad triennium immediatum, officioque fungetur vſque ad electionem noui Præpoſiti, vel eo abſente, vſque ad electionem primi Definitoris generalis.

2 Habebit auctoritatem omnem, quæ ſiue ex iure, ſiue ex priuilegijs, totius Ordinis noſtri Generali conceditur. Poteritque ſocium ſibi eligere, quem maluerit; qui tamen nec in Conuentibus, neque in prouincialibus, neque in generalibus Capitulis poterit ferre ſuffragium.

3 Semel in triennio Congregationem viſita-

viſitabit. At ex vrgenti cauſa, alicui Vicario viſitationem vnius, vel plurium Conuentuum, vel etiam alicuius Prouinciæ committere poterit. Præſcribetque illi auctoritatem, qua functurus eſt; quemadmodum ei videbitur expedire.

4 Poterit Præpoſitus per ſe ſolum negotia omnia Capitulo generali, vel Definitorio generali, vel Capitulo prouinciali, ac Definitorio prouinciali non reſeruata expedire, & culpas omnes vſque ad grauiorem incluſiue punire.

5 In ijs, quæ ad gubernationem in Declarationibus deſcriptam ſpectant, Præpoſitus, etiam cum Definitorum generalium conſenſu, vel ſuffragijs diſpenſare non valeat. In ijs verò, quæ ad mores attinent, neque per Conſtitutiones ei prohibentur, poterit diſpenſare. At hoc ex iuſta cauſa, raroque efficiet. Qua in re ſi deliquerit, in Capitulo generali grauiter puniatur.

6 In euentibus alijs non frequenter occurrentibus, tam à Præpoſito, quàm ab alijs quibuſuis Superioribus, lex ad planiorem verborum ſenſum ſeruetur; niſi conſtet eius obſeruationem aliquando tendere contra id bonum, ad quod ea lex condita fuerit. Tunc enim duntaxat epicheiæ, ſeu æquitati locus eſt. Si autcm dubium oriatur an contra legis mentem obſeruatio tendat, & an æquitati locus ſit; eo ipſo, vel ad Superiorem recurratur, vel ad verbum lex ſeruetur.

VIII.

Electiones Superiorum, & Officialium in Religione Seruorum.

Singulo triennio tempore Capituli Prouincialis adueniente, prima die in mane celebrata Miſſa ſolemni de Spiritu ſancto, in loco Capituli vocales congregati, Generalis, ſeu eius Vicarius, ſermonem habebit ad Patres, &c. Mox litteræ Capituli prælectis, ſalutata Beata Virgine per Ant. *Salue Regina, &c.* factoque diligenti vocalium ſcrutinio, eligantur per ſecreta ſuffragia, hoc eſt per pilulas albas, vel nigras, quatuor Diffinitores, quorum duo ſint Magiſtri, reliqui non Magiſtri; Generali primum, mox cæteris ad aures Generalis accedentibus, quos libuerit ad eiuſmodi officium proponentibus; & qui plura vota ſuper medietatem habuerint, electi intelligũtur, qui per Secretarium Capituli publicati, addito numero votorum, quorum fauore electi fuerint, ante Generalem genuflexi ſigno crucis confirmantur.

His electis Prouincialis, & ſocius in manibus Generalis ſuis officijs, poſtulata venia renunciant, & ad electionem noui Prouincialis, & ſocij eodem modo, quo Diffinitores eliguntur, & à Generali facta fidei profeſſione confirmantur. Eodem modo eligitur Diffinitor Generalis Magiſter in Theologia, qui eundem Magiſtratum in præcedenti Capitulo non obierinit, &c. & à Generali confirmatur. Eodem item modo eliguntur quotquot placuerint Magiſtri præſentandi ad Generalatus officium, & alij pariter præſentandi ad officium Procuratoris Ordinis in Romana Curia.

Quolibet quoque ſexennio, tempore Capituli Generalis adueniente, Congregati vocales, nempè Diffinitores Generales, Magiſtri Generalatus officio perfuncti, Procurator Ordinis, Prouinciales, ſocij, & qui extra Italiam à ſuis Prouincijs de more legitimum mandatum habuerint, in loco per Generalem ſtatuto, cantata Miſſa ſolenni de Spiritu ſancto, congregati vocales in loco Capituli

pituli, lectis litteris indictionis Capituli ac ſanctiſſima Deipara, vt ſupra, ſalutata, factoque diligenti vocalium ſcrutinio, Procurator Ordinis in manibus Generalis; Generalis vero coram Diffinitoribus genuflexus, in manus primi Diffinitoris officio renunciant. Et mox ad noui Generalis electionem proceditur, hoc modo videlicet.

Habito ſermone ad Patres per primum Diffinitorem, lectiſque nominibus Patrum, quæ ſibi per Prouinciales nominibus ſuarum Prouinciarum præſentati fuerint, proponuntur ſecundum ordinem earum præcedentiæ. Et priuſquam ad electionem alicuius procedatur, audiuntur qui voluerint contra perſonam nominatam, vel propoſitam excipere; nec quiſquam nominatus recuſare poteſt ſub pœna excommunicationis eo ipſo, &c. Et ille qui plura vota ſuper medietatem totius Capituli obtinuerit, eſt Generalis, & publicatur à primo Diffinitore, quot votorum fauore electus fuerit. Illeque vocatus facit profeſſionem fidei, &c. publicè in eodem Capitulo in manibus primi Diffinitoris, deinde etiam ſpecialiter (iuxta ordinationé fel. rec. Clement. PP. VIII.) corporale ad ſancta Dei Euangelia præſtat iuramentum, quod fidelis erit S. R. E. S. D. N. Papæ, eiuſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, quodque in permiſſionibus, &c. ſine acceptatione perſonarum ſecundum Deum, & rectam conſcientiam, & Beati Auguſtini Regulam, & Ordinis Conſtitutiones, & laudabiles conſuetudines illis non aduerſas, benè, & ſollicitè ſe habebit; & ſuum officium fideliter exercebit. Et ſic electus intelligitur cõfirmatus, ac pro confirmato à Sede Apoſtolica habentur. Illique mox primus Diffinitor, ſigillum, & Conſtitutioné conſignat, in primum locum ponit, illique per manuum oſculum obedientiam præſtat, quod & cæteri omnes faciunt. Et deinde cantatur *Te Deum*, &c. Eodem modo tertia ab electione Generalis die proceditur ad electionem Procuratoris Ordinis in Romana Curia, qui electus iurat in manibus Generalis ſe fideliter acturum, &c. & à Generali ſigno Crucis confirmatur.

IX.

Modus eligendi in Ordine ſanctiſſimæ Trinitatis Diſcalceatorum Regnorum Hiſpaniarum.

GREGORIVS PAPA XV.

NVper à nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias poſtquam fel. record. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Breuis ſuper creatione vnius Prouinciæ, ſeu Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum confectas literas, voluerat, ſeu decreuerat, vt in Capitulo ex tunc celebrando, tam eiuſdem Congregationis Viſitator, quàm Miniſtri, & eorum Procuratores canonice electi vocem, & locum haberent; & ſicut prædicti Fratres Diſcalceati nobis nuper exponi fecerunt, in eadem Congregatione Miniſtri à Conuentibus eiuſdem Congregationis, iuxta Regularia illius inſtituta eligi debeant, rec. mem. Paulus V. etiam Prædeceſſor noſter, per ſuas ſimiles literas ſub die 14. Decembris M. DC. IX. inter alia ſtatuit, quod ex tunc in futurum perpetuis futuris temporibus

ribus in Congregatione prædicta Miniſtri à Conuentibus eiuſdem Congregationis amplius non eligerentur, ſed de triennio in triennium in Capitulo Prouinciali ab Vniuerſo Capitulo dumtaxat eligerentur; quod ſi diſſoluto iam Capitulo intra triennium rurſus miniſterium aliquod vacare contingeret, Miniſter ab ipſiſmet Prouinciali, & Diffinitoribus, non autem per alios de eorum commiſſione eligeretur; Et ſubinde per eumdem Paulum Prædeceſſorem accepto, quod Congregatio prædicta benedicente Domino, non mediocriter adaucta, & propagata, & quamplurima illius Monaſteria, Domus, & alia Regularia loca in diuerſis Regnorum Hiſpaniarum partibus fundata, & inſtituta erant, illaque omnia per vnum Miniſtrum Prouincialem regi, & gubernari commode nequibant; ipſe Paulus prædeceſſor Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per alias ſuas ſimiles, ſub die 13. Auguſti M.DC.XIII. expeditas literas, ex omnibus Monaſterijs, Domibus, & Regularibus locis dictæ Congregationis in Regnis prædictis, tunc fundatis, & inſtitutis, & quæ in poſterum fundari, & inſtitui contingeret, duas Prouincias, vnam videlicet Caſtellæ, alteram vero Bethicæ nuncupari, & in tunc proxime futuro Capitulo dictæ Congregationis Generali nuncupari diſtinguendas, & ſeparari, quarum quælibet per vnum proprium Miniſtrum Prouincialem ex Fratribus Diſcalceatis prædictis eligere, regi, & gubernari deberet, erexit, & inſtituit. Ac præterea ſtatuit, & ordinauit, quod in eodem Capitulo tunc proximè futuro Miniſter Prouincialis, & Diffinitores eiuſdem Congregationis, ac etiam ſingulorum illius Monaſteriorum, & Domorum Miniſtri tunc exiſtẽtes, ſine Procuratorum Conuentualium interuẽtu, vnum Prælatum Vicarium Generalem nuncupari, cuius officium, & poteſtas per ſex annos duraret, necnon tunc futuros Diffinitores generales, & Miniſtros tam Prouinciales, quam Conuentuales eligere liberè, & licitè poſſent, & valerent, & alias prout in literis prædictis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autẽ ſicut dilectus filius Procurator generalis dictæ Cõgregationis nobis nuper exponi fecit, in proxime præterito Capitulo Generali eiuſdẽ Congregationis, *iuxta literas prædictas, ac ea, quæ in illis ſtatuta, & ordinata ſunt, vt præfertur, infraſcriptæ Conſtitutiones editæ fuerint, videlicet.*

Che l'elettione del Vicario Generale, de' Diffinitori generali, e de' Miniſtri così Prouinciali, come de' Conuenti, ſi facciano ſempre dal Capitolo Generale col triennio, che immediatamente ſeguirà, eccetto il carico di Vicario Generale, che dura ſei anni.

Che in detti Capitoli Generali, ò Congregationi, doue s'eleggono i detti Officiali, nõ interuengano i Procuratori de' Conuenti cõforme al d. Breue del 1613.

Che nel Capitolo Generale habbiano ſolamente voce il Vicario Generale, ò ſpiri allora, ò non ſpiri il ſuo officio, & anco il Vicario nouamente creato, ſe in quel Capitolo ne ſia ſeguita la elettione, e vi ſi troui preſente; e di più i Diffinitori, i Miniſtri Prouinciali, & i Miniſtri de' Conuenti allora ſpirati.

Che la preſidenza nel Capitolo Generale ſia del Vicario Generale inſieme, e de' Diffinitori, ò ſpiri allora, ò non ſpiri il ſuo officio. E nel Diffinitorio habbiano voce ſolamente eſſo Vicario, che vi preſiede, e li quattro Diffinitori.

Che vacãdo in qualſiuoglia modo, l'officio del Vicario generale, preſieda come Superiore à tutta la Congregatione, con la medeſima auttorità, preminenza, voce, e luogo, il primo Diffinitore Generale; e duri il ſuo carico ſino al fi-

ne del primo ſuſſequente Capitolo Generale triennale, nel quale s'habbia à fare l'elettione del Vicario Generale, & al Diffinitorio Generale incõtinente s'elegga vn'altro Diffinitore.

Nos felici dictæ Congregationis ſtatui, & regimini, quantum in Domino poſſumus conſulere volentes, dictumque Procuratorem generalem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes: ſupplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humilibus porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, quibus Conſtitutiones huiuſmodi examinari commiſimus, conſilio, Conſtitutiones præinſertas huiuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui in illis quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Inſuper, quod Vicarij Generalis eiuſdem Congregationis in vim poſteriorum ipſius Pauli prædeceſſoris litterarum, vt præfertur, eligendi poteſtas, & auctoritas poſt finitum integre Capitulum, in quo electus fuerit, & non antea, incipiat; & ita intelligi debeat, auctoritate, & tenore præſentium declaramus. Decernentes eaſdẽ Conſtitutiones, ac præſentes litteras validas firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, quos illæ concernunt, & concernere poterunt quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obſeruari debere; ac irritum, & inane quid quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter cõtingerit attentari. Non obſtantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Octobris M. DC. XXI. Pontificato noſtri anno primo.

Nunc autem nos ſupplicationibus eorundem Fratrum Diſcalceatorum nomine, nobis humiliter porrectis inclinati: quod de cetero perpetuis futuris temporibus occurrente in dicta Congregatione officiorum Diffinitoris Generalis, ſeu Miniſtri Prouincialis, aut Miniſtri Conuentualis inter vnum, & alterum Capitulum Generale triennale vacatione Diffinitorum, & Miniſtri præfati, à Vicario Generali vna cum Diffinitoribus Generalibus in Diffinitorio Generali, non autem ab alijs de eorum commiſſione eligantur: qui ſic electi in ſuis officijs vſque ad Capitulum Generale triennale, quod proxime ſubſequetur, permaneant: Necnon irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attẽtari, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus. Non obſtantibus illis omnibus, quæ in ſingulis literis huiuſmodi conceſſa fuit, non obſtantibus ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiã impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum,

trum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Martij M. DC. XXII. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Locus † ſigilli.

S. Cobellutius.

X.

Modus eligendi Correctores Conuentuum in Ordine Minorum ſancti Franciſci de Paula, deſumptò ex Laurentio de Peirinis eiuſdem Ordinis, In ſuo Religioſo ſubdito, & Prælato, tom. 1. cap. 31. §.7. ad initium.

N*Otandum eſt, quod electio noſtrorum Correctorum ſit ſingulari modo per determinationem noſtræ Regulæ in Corrent. num. 103. Fiunt electiones in ſingulis Conuentibus die 15. Septembris, prout determinatum fuit in Capitulo Romano 6. num. 14. & factæ electiones ſecreto conſeruantur, vt habetur Capitulo Valentino 4. nu. 26. mittendæ pro confirmatione ad Capitulum definitorium cum littera teſtimoniali, illam eſſe electionem illius Conuentus, ſcriba tantummodo notificante Capitulo electionem adeſſe. In Capitulo definitorio deinde aperiuntur dictæ litteræ continentes electiones; quæ quidem electiones etiam aperiuntur, & facta collatione numeri ſchedularum ad numerum Fratrum ſubſcriptorum, examinantur à Definitoribus: quæ ſi inuentæ fuerint Canonicæ, confirmantur; ſin aliter, prouidetur Conuentibus de alijs Correctoribus per Definitorium.*

Et eodem capite de electione Generalis eiuſdem Ordinis verba faciens, inquit. *In cap. Val. 4. num. 25. Conſulentes electionum libertati, & aliquorum puſillanimitati: attendentes etiam ad cap. 6. Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de regul. quod omnino requirit ſecretum ad electionem; ſtatuerunt vt ſinguli Electores accipiant tres, vel ad minus duas ſchedulas de manu ſcribæ, cum inſcriptione nominum trium, vel duorum diuerſorum Patrum, quos eligens voluerit, tantum abſque nomine eligentis. Hoc pacto videlicet.* Frater N. eligatur ad tale officium: *vnamque ex ſchedulis illis inſcriptam nomine illius, quem eligens voluerit eligere, inuolutam, ſeu clauſam reponat cum aliorum eligentium votis in vrnam, aut capſulam, quæ coram omnibus ſtabit, alijs ſchedulis palam fractis; nihil aliud, tam ipſe ſcriba, quam quiuis reſpicientes, niſi quod vna tantum ab vno dimittatur. Quibus omnibus à ſingulis Electoribus ſigillatim dimiſſis, ſcriba cum duobus Scrutatoribus, ad id deſignatis à Capitulo, palam accepta vrna ſeu capſula, ſingulas ſchedulas à ſingulis Electoribus inuolutas, ibidem dimiſſas in commune effundat: & antequam ipſas aperiat, numeret, & ad numerum vocalium conferat; & ſi æquales numero non ſint, ſtatim eas comburat, ſeu palam totaliter laceret; & iterum alias ſchedulas, modo prædicto ſinguli faciant. Verum cum eas cum vocalium numero conuenire inueniet, aperiat, & nomina publicet eorum, qui fuerunt electi, exprimens numerum votorum, quem vnuſquiſque habuit. Vbi ſi quis aliquem, vel aliquos coelectos vnica ſupereminenti voce ſupra medietatem omnium capitulantium ibi exiſtentium ſuperauerit, eius electio, rata, & legitima habeatur. quæ forma in Ordine noſtro eſt omnino ſeruanda, irritantur enim ibi omnes electiones præter ipſam factæ.*

XI.

Ex Decretis, & Actis Capitulorum Generalium Clericorum Regularium Theatinorum excerptis, & Conſtitutionum ſerie digeſtis.

De modo, loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale. Cap. II.

1 Patre Generali poſt muneris abdicationem extra Capitulum egreſſo, Patres omnes, quò libera ſit cuique dicendi facultas, iureiurando ſe obſtringant perpetuo ſilentio ſeruaturos, quæ à quoquam contra P. Generalem dicta fuerint. Idque etiam ſeruetur, ſi quicquam contra Conſultores dicendum contigerit. *Anno* 1607.

2 Qui poſthac per nouennium perpetua annorum ſerie Præpoſitus, Viſitator, vel Conſultor fuerit; nouennio expleto per aliquod tempus vacet. *Anno* 1607.

3 Conſtitutiones, & Decreta, quater ſaltem in anno, in Refectorijs noſtris recitentur; vt dum ſæpius ad memoriam reuocantur, ad ſedulam accuratamque eorum obſeruantiam extimulentur noſtri. *Anno* 1607.

De Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis. Cap. III.

1 Qui lectionibus Philoſophiæ, & ſacræ Theologiæ integro ſeptennio, aut caſuum conſcientiæ triennio ſub conſtituto præceptore non interfuerit, ac de ijs à P. Generali deſignatis, examinatus, & per ſecreta ſuffragia approbatus non fuerit, nullo pacto in Vocalium numerum adſcribatur. *Anno* 1621.

2 Arctiſſimum illud iuſiurandum in Generali Capitulo præſtari ſolitum, de perpetuo ſilentio eorum, quæ de Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis in illorum Scrutinio dicuntur, ſit atque præſtetur, nedum iuxta præſcriptam formam Conſtitutionum noſtrarum, ſed etiam iuxta formam Decretorum in Capitulis Generalibus anno 1595. & 1601. quam, & tactis ſacroſanctis Chriſti Euangelijs, omnes, & ſinguli Generalis Capituli Patres ſeruaturos ſe obſtrinxere: ac etiam Patres poſtmodum in futuris Capitulis ad ipſum obſeruandum decreuere. Forma autem Decreti anni 1595. hæc eſt: Iureiurando ſe obſtringant Patres Capituli Generalis, iuxta communem ſenſum Capituli, & ſub omni clauſula, quæ exprimi, vel declarari poſſet, omni etiam & quacunque amphibologia, aut vafritia ſublata; neminem eorum ijs, qui nedum Capitulo non interfuere, aliquo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, ſeu quouis alio amicitiæ vinculo obſtrictis, ſe quicquam dicturos vnquam, vel quoquo pacto ſignificaturos directè, vel indirectè eorum, quæ de huiuſmodi Vocalium negocio, ſiue bonum, ſiue malum, vel mutuo inter ſe collocutos eſſe, vel à Collegis verbo, vel ſcripto percepiſſe contigerit. *Anno* 1610.

3 Quam iuriſiurandi formam poſtmodum non ſolum confirmarunt Patres Capituli Generalis anno 1601. ſed ſtatuerunt inſuper, nemini vnquam licere, neque verbo, neque ſcripto, ſeu quouis alio pacto directè, vel indirectè ante præſtitutum duorum menſium tempus aperire, ſignificare, vel inſinuare alicui, nec etiam ipſi promoto, eos qui ad ius ferendi ſuffragij fuere in Capitulo electi: ſed peracto ſecundo poſt Generalis

neralis Capituli celebrationem menſe, qui à die concluſionis, ſeu dimiſſionis Capituli numerantur, Præpoſiti Domorum id aperiant, alijſque ſignificent. *Anno* 1601.

De Definitoribus. Cap. IV.

1 QVi duobus ſibi inuicem ſuccedentibus Capitulis Generalibus Definitor fuerit, in tertio proximè ſequenti Capitulo Definitor ne eligatur. *Anno* 1607.

2 Patres à Capitulo Generali in Conſultores electi, ſi de corpore ſint Capituli, ipſo facto intelligantur, & in octo Definitorum numero adſcripti: ſin verò ſecus, & Romæ adſint, poſſint quidem Definitorio intereſſe, ſuffragia tamen haud ferant, eodemque ac Definitores ſint ſecreto iureiurando adſtricti. *Anno* 1615.

De Præpoſito Generali. Cap. V.

1 QVi Præpoſitus Generalis fuerit creatus, illico antequam ei obedientia præſtetur, iureiurando ſe obſtringat non modo non ambiendi Eccleſiaſticas dignitates extra Congregationem nec per ſe, nec per alios, non directè, nec indirectè, non clam, nec palam: verum etiam illas ne vltro quidem oblatas, niſi ex præcepto Sanctiſſimi ſe recepturum, idque nedum toto ſui Generalatus tempore, ſed etiam non niſi anno elapſo à ſui muneris abdicatione. *Anno* 1612.

2 Nullibi deinceps locorũ Domus erigantur alendis viginti ex noſtris minimè idoneæ. *Anno* 1615.

3 Lucubrationes quæcumque noſtrorum non niſi de Patris Generalis auctoritate, cum conſenſu Patrum Conſultorum, in lucem edantur. *Anno* 1615.

Tractatus de Electione.

4 Præpoſitus Generalis eos qui ſua dicendi virtute vberes animarum fructus relaturos cenſet, quamuis ex infirmitate cibis Quadrageſimali ieiunio vetitis veſcantur, poterit facultate præſtita, ad prædicandum mittere. *Anno* 1615.

5 Etſi in nonnullis P. Generalis Conſultorum conſenſum habere ex Conſtitutionum præſcripto non cogitur: in iſtis tamen Patres exoptant, vt conſenſum, non modo conſilium, exigat: nemne in Nouitijs ante profeſſionem emiſſam admittendis ad ſtudia Logicæ, Philoſophiæ, aut Sacræ tum Scholaſticæ, tum Moralis Theologiæ. Ac in exponendis Sacerdotibus ad confeſſiones ſæcularium tum virorum, tum mulierum audiendas. *Anno* 1618.

6 Tres ſaltem Conſultores perpetuo Romæ degant, ſiue adſit P. Generalis, ſiue non; & ex quatuor non niſi vnus ad prædicandum mitti poſſit. *Anno* 1618.

7 Demortuo eo, contra quem libellus accuſationis, ſeu proceſſus extabat, Pater Generalis re cum Conſultoribus facta comburi protinus mandet, modo ad defuncti perſonam dumtaxat ſpectare conſtiterit: quod ſi eſſent, & criminis complices iam ſuperſtites, vel alij, ad quos aliquo modo res pertineret, numquam igni tradatur niſi iſtorum omnium morte ſecuta. *Anno* 1592.

8 Poteſtas ſit penes P. Generalem remittendi, vel omnino relaxandi pœnas, vel à ſe ſolo, vel etiam vnà cum Conſultoribus, non tamen à Generali Capitulo alicui irrogatas. *Anno* 1610.

9 Pater Generalis pro ſuo libito poteſtatẽ faciat Apoſtatis quamcũque aliam ingrediendi Religionem. *Anno* 1610.

De Viſitatoribus. Cap. VI.

1 DVo Viſitatores pro nunc eligantur, qui in Domibus noſtris, tam

erectis, quàm erigendis in Inſula Siciliæ munus viſitationis exerceant; & ambo, ſicut & ceteri aliarũ Prouinciarum, ius ad Capitulum Generale accedendi in poſterum habeant. *Anno* 1610. & 1612.

2 Delatorum, vel teſtium nomina nullo modo referantur, vel reuelentur. De fine eorum, & auctoritate Viſitatores accuratè cognoſcant, quibus, ſi videbitur, pro temporis opportunitate facultas eſto aperiendi reo, quæ ei opponuntur: ea tamen arte, vt crimen non criminis delator, vel teſtis aperiatur, ſiue innoteſcat. *Anno* 1572.

3 Teſtatum ſit accuſatoribus omnibus ſe talionis pœnam daturos, ſi quid falſo alicui obieciſſe fuerit deprehenſum. *Anno* 1584.

4 Nulla fides adhibeatur litteris, quæ viſitationis tempore, vel Capituli Generalis, ſine auctoris ſubſcriptione fuerint allatæ, nec vlla de his ratio habeatur. *Anno* 1578.

5 Viſitatores quamuis viſitationis tempore à Caſibus Præpoſito reſeruatis facultatem abſoluendi habeant: hanc tamen nemini ipſos impertiri poſſe decernimus. *Anno* 1607.

6 Viſitatores antequam è Domibus diſcedant, viſitatione peracta publicè ſignificent, omnibuſque aperiant, quæ pro Regulari obſeruantia iuſſerint facienda. *Anno* 1610.

De Præpoſito, Vicario, & Vocalibus cuiuſque Domus. Cap. VII.

1 IN eadem Ciuitate, vbi plures ſunt noſtrorum Domus, duo ne creentur Præpoſiti primo, vel ſecundo gradu inuicem coniuncti. *Anno* 1583.

2 Præpoſitus alicuius Domus, ſi fuerit creatus Præpoſitus alterius, in priſtina Domo Præpoſiti munus exercere valeat, quouſque alius adueniat. *Anno* 1607.

3 Qui alicuius Domus Præpoſitus electus fuerit, etiam ſi in illa Domo per ſex, vel pauciores menſes vnius anni, Præpoſiti munere functus fuerit, tamen non niſi per duos alios annos in eadem Domo immediatè refici poteſt. *Anno* 1612.

4 Præpoſitus nominatus, vel præſentatus Epiſcopus, octo dierum ſpatio animum aperiat num aſſentiatur nominationi; ſin ſecus, elapſo ſpatio à Præpoſiti munere ipſo facto cadat, cum ita Patres ſe eum in Præpoſitum elegiſſe intendant. *Anno* 1615.

5 Superiores Domorum noſtrarum nequeunt vllo pacto Epiſcopis è noſtra Congregatione aſſumptis facultatem facere aſportandi ſecum libros, cum ea facultas ad Generale Capitulum dumtaxat ſpectet. *Anno* 1615.

6 Præpoſiti Domorum ante præſtitutum tempus ne petant, neuè exigant legata, & eleemoſynas, niſi prius ad P. Generalem, & Conſultores rem ſignificauerint; ab iiſque acceperint quid ſibi facto opus ſit. *Anno* 1598.

7 Vrgente neceſſitate, vel ob publicum (quod abſit) ſcandalum, poſſit Præpoſitus tranſmittere aliquem è ſuis in proximiorem Domum, de conſenſu tamen eius Præpoſiti, à quo loco depoſiti tantum habeatur. *Anno* 1607.

8 Vt ſuus cuique reddatur honor, Generalis, ac Præſidens ab omnibus: Præpoſiti vero à ſuis dumtaxat ſubditis Paternitatis titulo honeſtentur. Ceteri autem Sacerdotes vbique Reuerentiæ tantum titulo. Coram P. Generali nullus Paternitatis nomine appelletur. *Anno* 1598.

9 Ordinationes à P. Generali, ſeu à quolibet alio Præpoſito in ſua Domo factæ, indi-

indictæuè, in ſuo robore permaneant, & vnuſquiſque accuratè ſeruet, etiam ſi ad Generale Capitulum illi ſe contulerint, munuſque ſuum abdicauerint, quouſque à Generali Capitulo, vel à ſucceſſore ſpeciatim abrogentur. *Anno* 1610.

10 Eligant Præpoſiti in qualibet Domo vnum, cui committant negocia omnia, tum propriæ Domus, tum exterarum, ſeu quocumque ex loco delegata. Ceterorum verò nemo ſe eis immiſceat, vel implicet, quamuis ſibi nominatim aliquid mandatum foret. *Anno* 1610.

11 Nullus Viſitator in Vicarium eligatur, nec qui noſtræ Congregationis onera minime ſuſtinet. Singulis annis à Præpoſito Domus deſignetur, & à P. Generali creetur. Vltra triennium in Domo eadem ne prorogetur. Abſente, vel mortuo, aut muneri ſuo in Capitulo Generali, vel quouis alio modo abdicante Præpoſito, Vicarius munus ſuum exerceat, donec alius Præpoſitus ſufficiatur, Domumque ſuam adeat. *Anno* 1607.

12 Vicarij Domorum in ea tantum Domo, cuius Vicarij ſunt poſt Præpoſitum, in ceteris verò domibus ſuo quique profeſſionis loco collocentur. Vicarius tamen ſanctæ Mariæ de Tauro Ciuitatis Æquenſis ſuo priuilegio gaudeat. Vicepræpoſitus vero S. Silueſtri ſemper, & in quauis Domo, ne dum S. Silueſtri, ante quoſcumque Vicarios collocetur. *Anno* 1612.

13 Domui Tuſculanæ præficiatur Vicarius ex ceterorum præſcripto, qui ſubſit domui S. Silueſtri. Subſidia verò temporalia ſuppeditabunt vtraque Domus Romana S. Silueſtri, & S. Andreæ ex P. Generalis libitu. *Anno* 1615.

14 Pater vocalis, cui adminiſtratio domus ſanctæ Mariæ de Tauro in Ciuitate Æquenſi commiſſa eſt, Vicarius appelletur; ibi præcedat omnibus, etiam ſi alterius eſſent domus, eique profeſſionis ordine Superiores, modo ne ſint Præpoſiti, aut Viſitatores viſitationis tempore. Quando Neapoli eum morari contigerit, poſt Præpoſitum, Viſitatores viſitationis tempore, & Vicarium ſedeat: in rebus Capitularibus, & grauibus illi domui ſubiaceat, à qua pro tempore dependet: extra ſuam domum nullam iuriſdictionem exerceat, etiam ſi ibi profeſſionis ordine prior cæteris eſſet. Idem eſto de Patribus aliarum Domorum in S. Maria demorantibus abſente Vicario, etiam ſi Præpoſitus eſſet, nam prælationem ſolum, non iuriſdictionem ibi habet. Tempore electionis vocalis Capituli Generalis ius habet, vna cum alijs vocalibus ſuæ domus ferendi ſuffragium in ea domo, cui eo anno ſubordinatur: & dum ibi commorabitur, à Præpoſito domus benedictionem petat: ſecus autem quando Præpoſitus in domo S. Mariæ demorabitur. Qui in S. Mariæ Domo fuerit aſſignatus, ad aliam Domum ne transferatur abſque P. Generalis facultate. *Anno* 1601. *&* 1610.

15 Abſente Præpoſito, & Vicario, ſenior ex vocalibus (licet alius eſſet Sacerdos profeſſione prior) in ſolemnioribus diebus celebret, & quo ad omnia ſemper Præpoſiti iura in ſpiritualibus exerceat. *Anno* 1598.

16 In vnaquaque Domo tres ſaltem aſſignentur vocales, vtriuſque vocis tum actiuæ, tum paſſiuæ. *Anno* 1615.

17 Tum Clericorum, tum Laicorum noſtrorum mores, vitæque rationem ſingulis annis ſcrutetur Præpoſitus cum vocalibus ſuæ domus, iureiurando Patre Præpoſito, & vocalibus obſtrictis ſecreto ſe obſignaturos quæcumque exceperint. Scrutabitur autem interrogatis quotquot domui ſuæ fuerint, præſtito etiam ijs ſecreti iuramento. Si quod

autem grauius facinus, aut vehemens de eo ſuſpicio reperietur, res quàm primum ad P. Generalem deferatur, qui pro rei, vel qualitate ſuſpicionis quid facto opus fuerit decernet. *Anno 1618.*

18 Ad Capitulum cuiuſque domus omnes prorſus eius domus vocales conueniant; qui pro ſuo libito per tres continuas voces abſuerit, per trimeſtre actiuo, & paſſiuo ſuffragio puniatur. *Anno 1621.*

19 Vt charitatis, paciſque fœdus minime turbetur, caueant Patres ante præſtitutum tempus aliquo modo detegere, vel aperire, quæ ſiue in Generalibus, ſiue in Particularibus Capitulis acta fuerint, quæue in noxam, aut præiudicium alicuius eſſe queunt. Qui ſecus fecerit, tanquam violati ſecreti reus prima vice à vocis ferendæ ſuffragio per quadrimeſtre, ſecunda vice per ſemeſtre ſuſpendatur. De modo autem inquirendi in huiuſmodi criminis reos id ſeruetur, quod in murmuratores ſtatutum eſt: quod ſi Præpoſitus in hoc crimen inciderit, res ad Patrem Generalem deferatur. *Anno 1568.*

20 Sacerdos qui ad ſæcularium tam virorum, quam mulierum confeſſiones audiendas erit exponendus, approbetur per ſecreta ſuffragia à Præpoſito, & duabus partibus vocalium ex tribus eorum, qui Capitulo domus interſunt; deinde ad P. Generalem deferatur, qui ex conſenſu maioris partis Conſultorum per ſecreta ſuffragia facultatē audiendi confeſſiones præſtet, pro certo tamen tempore, & loco tantum, in quo tunc Sacerdos deget. *Anno 1618.*

21 Quæ in poſterum in Capitulis Domorum ſtatuenda ſunt, peracto primum ſcrutinio, auditiſque vocalium ſententijs, per ſecreta demum ſuffragia definiantur. *Anno 1621.*

22 Noſtrarum domorum Patribus libera ſit poteſtas erigendi in noſtris Domibus Oratoria pro ſecularibus, in quibus orationes fundantur, ſpiritualia colloquia, exercitia, & ſermones habeantur. *Anno 1586.*

23 Secularibus negotijs nemo noſtrum ſe immiſceat, & præſertim in matrimonijs contrahendis, abſque peculiari ſui Præpoſiti licentia. *Anno 1592.*

24 Nullæ prorſus in noſtrarum Domorum ianuis eleemoſynæ mulieribus erogētur; nec eiſdem quamuis paupertate confectis, à quoquam, etiam Confeſſario, abſque peculiari poteſtate à Præpoſito ſibi facta, eleemoſynæ erogari poſſint, vel à ſecularibus eorum nomine peti. qui ſecus fecerit, grauiter puniatur. *Anno 1586.*

25 Iuniores Sacerdotes, cæterique tum Clerici, tum Laici, mutuo ſibi officioſas litteras ne ſcribant, neue mittant. ſi qua vero neceſſitas tulerit ſcribendi aliquid, rem P. Præpoſito aperiant, qui certo cuidam è noſtratibus, quem à ſecretis ipſe conſtituerit, committet. At ſi res ipſa non poſtularet, vt alteri committeretur, Præpoſitus ipſe ſcribat, vel eis ipſis poteſtatem ſcribendi faciat.

Summa Cap. XX.

1 *Valde conforme eſt iuri Canonico, vt Generales Ordinum eligantur per vota multorum.*

2 *Eligendus in Generalem, debet habere legitimam ætatem, & eſſe expreſsè profeſſus illius Ordinis, &c.*

3 *Religioſus non poteſt eligi ad Prælaturam alterius Religionis.*

4 *Si eligatur aliquis Religioſus ad Prælaturam ſuæ Religionis, ſtatim, vel parum poſt emiſſam profeſſionem; talis electio, vt nimis præmatura, irritari poteſt.*

5 *Eligendi in Prælatos, præſertim in Abbates, debent eſſe Sacerdotes, & nu. 7.*

Qua-

6 *Quænam debeat eſſe ætas eligendorum in Prælatos curam animarum habentes.*

8 *Generales Ordinum, multo conuenientius eſt quòd ſint perpetui, quàm quòd ſint temporales, & nu.11.12.*

9 *In Ordine Prædicatorum Patres à conſilijs, ſiue Conſiliarij, non poſſunt in eodem Conuentu excedere numerum duodenarium, & debent eſſe ætatis ad minus quadraginta annorum, &c.*

10 *Quorumnam Ordinum Generales ſint, vel fuerint perpetui.*

13 *Diſpenſatio omnis, etiam facti, requirit cauſam iuſtam, vel proportionatam legi, in qua diſpenſatur.*

14 *Prælati inferiores non poſſunt diſpenſare in Statutis editis à Generalibus, vel à Capitulis generalibus, niſi de ſpeciali illorum commiſſione.*

15 *In Ordine Prædicatorum cum quibus poſſint Prælati diſpenſare ab eſu carnium.*

16 *Quænam ſit cauſa iuſta & rationabilis, ad hoc vt diſpenſatio ſit legitima, & num.27.*

17 *Superior diſpenſans ſuper lege abſque iuſta cauſa, peccat mortaliter contra iuſtitiam: ſicuti peccat etiam non diſpenſando quando adeſt cauſa iuſta & rationabilis, & nu.28.*

18 *Subditus, cum quo diſpenſatum eſt abſque rationabili cauſa, peccat, vtendo ea diſpenſatione.*

19 *Prælati Regularium an poſſint habilitare illegitime natos, iam ritè profeſſos, ad quoſcumque gradus ſuæ Religionis, & num.44. Quæ facultas in Ordine Prædicatorum eſt tantum penes Magiſtrum Ordinis, & Prouinciales, nu.20.*

21 *Circa facultatem diſpenſandi cum illegitimo quid ſeruetur in aliquibus ordinibus, & nu.22.& 23.*

24 *Prælati regulares an poſſint abſoluere à quacumque irregularitate proueniente ex delicto occulto.*

25 *Non poſſunt Superiores Religioſi abſoluere ab excommunicatione lata propter ſimoniacam ſuſceptionem Ordinum, neque cum ſimoniacis diſpenſare vt ad alios Ordines aſcendant.*

26 *Committens ſimoniam fictam, non incurrit pœnas ſtatutas contra ſimoniacos.*

29 *Lex poſterior an tollat priorem, nulla illius facta mentione.*

30 *An delegatus poſſit virtute clauſularum quarumcumque generalium diſpenſare ſuper ijs, quorum diſpenſatio eſt propria ſolius delegantis, puta Generalis alicuius Ordinis, &c. Et quid ſeruetur præſertim in Ordine Prædicatorum, & nu.32.34.36.*

31 *Clauſulæ generales an aliquando reſtringi poſſint.*

33 *Delegatus à Papa, vel à Principe ſupremo, an & quando poſſit alium ſubdelegare.*

35 *Prælati Religionum non poſſunt diſpenſare in Regulis à Sede Apoſtolica approbatis, niſi eis à iure, vel ab ipſiſmet Regulis, vel ab aliquo priuilegio concedatur.*

37 *Generalitas clauſularum numquam extenditur ad ea quæ ſunt præter ius commune vel particulare huius vel alterius Religionis.*

38 *Dictio* Omnimoda *quid importet.*

39 *Adducitur Bulla Pij V. de facultate abſoluendi conceſſa Prælatis Ordinis Prædicatorum.*

40 *Superiores Regulares an poſſint diſpenſare ſuper votis ſuorum ſubditorum.*

41 *Alia Bulla Pij V. conceſſa Superioribus eiuſdem Ordinis Prædicatorum, vt poſſint conſtituere ſuos Fratres in notarios publicos, &c.*

42 *Facultas conceſſa in præcedenti Bulla, non poteſt alteri delegari.*

43 *Bulla Gregorij XIV. moderatiua Conſtitutionum Sixti V. contra Regulares illegitimos.*

45 *Bulla Clementis VIII. conceſſa Religioſis S. Franciſci de obſeruantia Prouinciarum Hiſpaniæ ſuper receptione iuue-*

num

Digitized by Google

num ad habitum extra tempus Capituli Generalis vel Prouincialis.

46 *Alia Bulla Clementis VIII. de profeſſionibus emiſſis à Regularibus contra tenorem alterius Bullæ Sixti V. &c.*

47 *Formula litterarum teſtimonialium pro recipiendis ad habitum vel profeſſionem in aliquo Ordine.*

48 *Adducitur Bulla Gregorij XIII. circa Priuilegia olim conceſſa Mendicantibus.*

49 *Explicantur clauſulæ apponi ſolitæ in Confirmationibus Priuilegiorum Regularium*, Dummodo ſint in vſu, &c.

50 *Apponitur Decretum ſacræ Congregationis Concilij, de rebus Regularium non alienandis.*

51 *Apponuntur quædam Decreta, & declaratio emanata à ſacra Congregatione Regularium ſuper abſolutione à Cenſuris, ſeu à Caſibus reſeruatis.*

52 *Quomodo per obitum Epiſcopi ceſſet Caſuum reſeruatio.*

CAP. XX.

De qualitatibus eligendorum in Generales Regularium, deq. eorum facultate, & priuilegijs.

Multorum conſilio ductus deſiderantium explicationem quorundam, cõmunium quidem omnibus Regularibus, ſed valde vtilium, cùm concernant qualitates eligendorum in ſupremos Ordinum Prælatos, eorundem facultatem in vtroque foro, ac eiuſdem facultatis delegationem, necnon moderationem, reſtrictionem, ac ſuſpenſionem, & reuocationem aliquorum Priuilegiorum; ſuper quibus quamuis multi doctè, & ſapienter Tractatus cõdiderint ſatis prolixos; ex illis quamplura ad breuitatem, & claritatem volens reducere: ideo quæ inter illa certiora, atque vtiliora, mihi videbantur, ſuper addendo non inutiles aliquas conſiderationes, ad ſequentia Puncta regedi.

Primum Punctum.

Sit itaque *Prima Propoſitio*. Valde conſentaneum eſt Iuri Canonico,
1 vt Generales † Ordinum aſſumantur ad ſupremam Prælaturam ſuæ Religionis, media Canonica, legitimaque multorum electione, ex *cap. quia propter, de elect.* & communi conſenſu Doctorum *ibidem*. Ita quoque diſponunt Regulæ, & Conſtitutiones quarumcunque Religionum, approbatæ ſemel, atque iterum per ſanctam Sedem Apoſtolicam. Quæ aſſertio vniuerſaliter, vt iacet, referenda eſt, non ad initium fundationis vniuſcuiuſque Religionis, ſed ad regimen earum, poſtquã inſtitutæ, & fundatæ ſunt; namque primi Generales, vt plurimum inſtituti fuere à Summo Pontifice Romano immediatè in confirmatione, vel parum poſt confirmationem, vniuſcuiuſque Ordinis; quemadmodum euenit in Ordine Prædicatorum, & ſancti Franciſci, ac aliorum, præſertim Mendicantium.

Secunda Propoſitio. Ad electionem canonicam legitimã Generalium quorumcunque Ordinũ, requiritur vt per-
2 ſona eligenda habeat † legitimam ætatem, ſitque expreſſe profeſſa illius Ordinis, cum alijs conditionibus neceſſarijs, de quibus *in cap. cum in cunctis, de elect.* de quibus etiam copioſe dictum eſt ſuperius, cap. 3. 9. 11. & 14. & de his quamplura traduntur *in cap. cum ad noſtram. cap. cum cauſam.* & *cap. cum in magiſtrum, de elect.* Ideo Panormitanus *cap. cum cauſam, num.* 6. ait: *Item nota quod electio facta in Eccleſia Regulari, de*

non

non profeſſo, venit irritanda, conſuetudine
contraria non obſtante: (addens) *Hodie*
vero eſt ipſo iure nulla, per cap. nullus, de
elect. in 6. vbi Gloſſa *verb. nullus Religio-*
ſus, inquit, *Monachus in Abbatem eligi*
non poteſt, niſi ſit expreſſe profeſſus. Et quod
dicit de Abbate, referendum eſt propor-
tionaliter, imò ſimpliciter, ad Priores,
Guardianos, Præpoſitos, Rectores, Cor-
rectores, & ad alios Prælatos Regula-
res; quemadmodum indicant verba ip-
ſa eiuſdem Gloſſ. *vbi ſupra, verb. Præ-*
laturam. quæ ſunt, *Puta Prioratum, Guar-*
dianatum, vel Magiſtratum, ſecundum
quod diuerſa ſunt nomina talium Prælato-
rum qui Religioſis præſunt, vt ſupra eodem
tit. cap. quorundam. ad idem, ſupra eodem
fundamenta; ſed etiam hodie in admini-
ſtrationibus, & Prioratibus Monaſterio-
rum habet hoc locum; vt in Clem. de ſtat.
Reg. ne in agro, §. ſane, & ver. alterius
Religionis. ſubdit Gloſſ. *Hodie Religioſus*
non poteſt ad Prælaturam alterius Religio-
nis, vel habitus; per Clem. eod. tit. cum ra-
tioni. Inſuper ex Gloſſa verbis deductis
ex tex. *cap. nullus.* colligitur, nõ eſſe con-
3 ditionem congruitatis tantum, ſed † ne-
ceſſitatis, quod Religioſus non eligatur
ad Prælaturam alterius Religionis, & à
fortiori ad ſupremi Moderatoris gra-
dum alicuius Ordinis, niſi fuerit Sacer-
dos. quidquid dicat Suarez, *tom. 4. de*
Relig. lib. 2. cap. 3. num. 13. & 15.

Tertia Propoſitio. Quamobrem ex iam
adductis, & alijs fuſius explicatis ſupe-
4 rius c. 9. & 11. colligitur, Quoties † fieret
electio alicuius Religioſi ad Prælaturã,
præſertim ad ſupremum Magiſtratum
Religionis, ſtatim, vel parum poſt emiſ-
ſam profeſſionem; talis electio, tanquam
nimis præmatura, ritè, ac rectè irritari
poteſt, & fortè debet. Super quo haben-
da eſt magna conſideratio ad vſum, &
cõſuetudinem, dico, laudabilem, & vſui
approbatam illius Religionis. Nec eſt
committendum tantum onus recenter
profeſſis, vt longa temporum experien-
tia optime demonſtrauit; quidquid di-
cat Suarez, *vbi ſupra, num. 19.* Hæc ve-
ritas tertiæ aſſertionis, euidenter colli-
gitur, & fortè expreſsè habetur in *c. cum*
in Magiſtrum, illis primis verbis: vbi lo-
quens Gregorius Nonus, de non aſſu-
mendis in Abbatem, vel Prælatum Re-
gularem, qui non habent experimen-
tum diſciplinæ Regularis, & regiminis,
inquit: *Cum in Magiſtrum aſſumi non*
debeat, qui formam Diſcipuli non aſſumpſit,
nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non nouit. vbi
Gloſſ. verb. *Diſcipuli.* & *Præficiendus.* in-
quit, *Et merito: quia primo debet quis eſſe*
Diſcipulus, quàm Magiſter; & indeco-
rum eſt, qui enim ſub tutela debet eſſe, ſub
ſe alium habere non debet, C. de elect. tut.
l. vlt. & qui ſub alio eſt, alium ſub ſe ha-
bere non debet. Nam Ariſtoteles 3. ethic.
dicebat quod à *Rege iuuene, recta ad vir-*
tutem conſilia oriri difficile eſt, niſi & ipſe
valde ſit legibus enutritus. & Claudius lib.
quem inſcripſit de offic. iudic. cap. 1. di-
cebat. *Semper omnibus valde periculoſum*
viſum eſt ad Magiſtratus, & Prælatio-
nes iuuenes promouere: nam vehementia
paſſionum ipſos ad gubernandũ quaſi reddit
inhabiles, cùm ira, odio, ſiue ambitione, aut
alijs defectibus ætatis ſuæ teneritudini an-
nexis ducantur; atque à ſubditis eorum mã-
data licet optima, & ſalubria ſint ac op-
portuna, vt tamen à iuuenibus edita, con-
temnuntur. & Seneca frequenter dicebat,
quod plus valet vmbra ſenis, quam en-
ſis, & eloquentia diuitis. Ideo Heracli-
des (relatus à Miranda in ſuo Manuali
tom. 2. q. 5. art. 1.) in ſua Politica refert
legem fuiſſe olim apud Calcedonenſes:
Ne quis annos natus minus quinquaginta,
vel Magiſtratum gereret, aut Legatio-
nem obiret.

Molfeſius in Summa morali, tracta-
tu 6. de beneficijs, cap. 16. num. 89.
inquit:

inquit: *Si eligeretur Generalis in aliqua Religione, debent electores prius conſiderare, & examinare neceſſitates Religionis tunc exiſtentes, & remedia inueſtigare quibus occurri poſſit huiuſmodi neceſſitatibus. deinde tractare debent de perſona habili & idonea, quæ prædicta exequi valeat, & ſufficiens ſit pro tali munere: quæ ſi non fiant, electio caſu potius quam per ſcrutinium fiet, vt ex hucuſque dictis cerni poteſt, & per ſe patet, & ex terminis eſt notum. & ideo ſinguli tenentur modeſte aperire, quæ de illa perſona, quæ tunc proponitur ſentiunt, vt fideliter munus ſuum adimpleant, vt poſt alios notat Paleott. d. q. 1. & ideo bene poſt Sotum, & alios notat Vaſq. cap. 2. de benefic. §. 3. dub. 2. num. 62. Quod religioſi obligantur ſuis conſtitutionibus digniorem eligere in Prælatum. Sed hoc latiſſime explicaui ſuperius cap. 6. num. 60. cum ſeqq. vbi declaratũ eſt qualiter peccent electores dum non eligunt digniorem, & quando poſſint eligere minus dignum. quæ non ſunt iterum repetenda.*

Verba ipſius Molfeſij, *cap. 6. numero 60.* ſunt: *Dico quarto, Electores teneri ſub pœna peccati mortalis eligere digniorem, omiſſo digno; valeret tamen electio, ſiue prouiſio. Hoc dictum eſt contra quoſdam Iuriſtas, qui vt notat Vaſq. d. num. 49. voluerunt eſſe propitij electoribus, nempe eſſe ſufficiens in electione eligere idoneum, poſtpoſito meliore. Ratio ipſorum eſt, quia Elector idoneum, & ſufficientem Miniſtrum tenetur eligere, & dum talem eligit, ſufficienter ſatisfacit obligationi prouidi diſpenſatoris, & ſic non peccabit acceptione perſonarum.*

Eadem confirmantur ex traditis à ſancto Bonauentura, *de ſex alis Seraphim, cap. 3.* & à Salon. *ad 2. 2. ſancti Thomæ q. 63. ar. 2. controu. 9.* & ab Auctore Candelabri aurei correcti, *par. 4. cap. 3. nu. 4.* Cõtra ambientes Regularium Prælaturas extant Cõſtitutiones Gregorij XIII. Clementis VIII. & Pauli V. pro Ordine Prædicatorum, & Franciſcanorum editæ, quas refert ad extenſum Rodericus, *tom. 2. quæſtionum Regul. q. 57. art. 2.* Et ad incurrendas pœnas, de quibus in dictis Conſtitutionibus, ſatis eſt, vt conſtet de libello ſupplici, ſiue memoriali continente inſtantiam factam Prælatis pro tali regulari in particulari iã exhibito; dummodo tamen aliunde non habeatur id factum fuiſſe dolo, & malitia nocendi perſonæ nominatæ in dicto memoriali. Quas Conſtitutiones extendit ad nonnullos Ordines Monachorũ, & Mendicantium Paulus Quintus; & contra hos Ambientes ſcribunt omnes ſancti Patres Scholaſtici, Canoniſtæ, & Summiſtæ verbo *Prælatus*, & verb. *Ambitio*. Alia vero ad idem inueniet lector cap. 9. fere per totum, & cap. 11. præſertim num. 22. & ſequentibus.

Quarta Propoſitio. Spectata qualita-
5 te, & munere † Prælationis, præſertim Abbatum, qui poſſunt Ordines Minores conferre ſuis ſubditis, *cap. quoniam, diſt. 19.* calices, & alia benedicere, quæ requirunt neceſſario ordinem Sacerdotalem aſſumendi ad Prælaturas, præſertim ſupremas Ordinum, curam animarum habentes; ad euitandam quoque intrinſecam indecentiam, neceſſario, intrinſecè, ac de ſe debent eſſe Sacerdotes; quicquid dicat in hoc Suarez, *vbi ſupra, num. 20.* Hinc eſt quod in Conſtitutione Conciliari edita in Concilio Lateranenſi, ſub Alex. III. de qua *in cap. cum*
6 *in cunctis.* ſtatuitur; vt Prælatus † habens curam animarum, & maximè Epiſcopus, ſit triginta annorum; & de alijs quod ad minus attigerint vigeſimum quintum. In quo Statuto conſequenter ſaltem habetur, quod Prælati curam animarum habentes, præter grauitatem morum, & ſcientiæ commendationem, debent attingere annum vigeſimum quintum; quæ ætas requiritur

pro

pro ſuſcipiendo ordine Sacerdotij. & in Concilio Tridentino, *ſeſſ. 22. cap. 8.* præſupponitur, vt curam animarum habentes, ſint Sacerdotes. & clarius *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1.* dicitur. *Cùm præcepto Diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre,* liquido conſtat, quod de iure Diuino Prælaturæ curam animarum † habentes, & à fortiori ſupremæ Ordinum, & Religionum, de ſe, & ſecundùm ſe exigant in aſſumendos ad illas hanc qualitatem, vt ſint Sacerdotes, loquendo de illis Religionibus, quorum Prælati ſub ſe habent innumeram multitudinem Sacerdotum, & per ipſos quidem nonnulla munia propria Sacerdotum tantum exſoluere tenentur.

7

Eandem aſſertionem quartam approbant communiter Doctores, vt tradit inter alios Miranda, vbi ſupra, poſt concluſionem. Hinc eſt quod in cap. 1. de ætate, & qualit. dicitur, *quod inſtante neceſſitatis articulo poſſit in Abbatem aſſumi etiam in Minoribus Ordinibus conſtitutus.* Quod poſtea declaratur alijs verbis eiuſdem cap. ſequentibus: *Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Presbyteri nō ſunt, Presbyteri fiant.* Quibus profectò rite argumentum à contrario, & aliud addendo quod vocant à fortiori, colligi poteſt: quod ſi inſtante neceſſitatis articulo poteſt non Sacerdos aſſumi, igitur ceſſante hoc articulo, neceſſe erit vt eligendus ſit Sacerdos. Inſuper præcipitur, vt niſi ſint Sacerdotes, fiant; extra igitur neceſſitatis articulum, de ſe, & ſecundùm ſe neceſſarium erit, vt eligendus, præſertim ad ſupremas ordinum Prælaturas, ſit Sacerdos. Et ad illud Suarez. de ſancto Franciſco, qui etſi non Sacerdos, extitit tamen Generalis ſui Ordinis: Reſpondetur quod attenta eximia ſanctitate, & ardenti charitate, erga DEVM, & proximos, quà flagrabat Seraphicus Pater, ex priuilegio Apoſtolico rationabiliter id ei fuit conceſſum. Quod nullatenus trahi debet, aut poteſt in conſequentiam, ſiue in exemplum; vt omnes communiter docent. Priuilegium enim perſonam ſequitur, ac extinguitur cum illa, *ad Reg. Priuilegium 7. de regul. iuris.* Dinus, & Doctores *ibidem*, & *in cap. porro, de priuileg. in 6.*

Quinta Propoſitio. Multo vtilius, & & conuenientius eſt, vt ſupremi Prælules Ordinum, & Religionum, qui Generales appellantur, † ſint perpetui, quàm quod ſint temporales. Hanc conclusionem, quam poſui, vt ſatisfacerem religioſæ curioſitati quorumdam Regularium, expreſsè proponit, probat, ratione & auctoritate multiplici Nauar. *in cap. multam 18. q. 2. nu. 3.* vbi aſſerit, Prælatorum frequentem mutationem multum diminuere, atque eneruare ipſorum poteſtatem in ſubditos, innixus præſertim verbis *cap. viſis 16. quæſt. 2.* vbi inter quamplura dicitur. *Humani moris eſt, illum timere, cuius iudicio quis nunc erigitur, nunc deprimitur.* Eandem cōcluſionem proponit, defendit, ac demonſtrat ipſemet Nauar. *in com. 3. de regular. num. 3.* per totum, vbi copiosè nimis cumulat rationes, & auctoritates ad eandem concluſionem; addens, quod ſecundum ius commune debent eſſe perpetui: ideo, quòd fiant triennales, vel temporales, *Mihi* (inquit) *nunquam perſuadere potui animarum ſaluti & tranquillitati* (intellige Ordinis) *expedire* (ſubdens.) *Quod experientia quæ rerum magiſtra eſt, docente, didici, quòd innumera ſpiritualia inde vitia oriūtur*; ex temporalitate videlicet Prælatorum, præſertim Generalium. Vbi etiam enumerat in ſpecie vitia, & inconuenientia, etiam conuentiones ſimoniacas,

eas, eneruationem diſciplinæ regularis, ſubornationes, & alia innumera mala cauſatiua diſcordiæ, ac litium inter regulares: quæ omnia exprimit in particularibus magna emphaſi verborum, cuncta colligens ex text. *cap. quam ſit, de elect. in 6.* ex *cap. vlt. de pact. cap. ſeries, de teſtibus,* & *clem. 2. eod. tit. cap. inter verba 11. q. 3.* ex 2. 2. *D. Tho. q. 108. art. 3. & 4.* & *quæſt. 157. cum 3. ſeqq.* & ibidem § *quinto quod,* appellat *nouellum inuentum, quo tam multiplex ſcandalum, & occaſio ruinæ ſpiritualis importatur.* Quibus verbis exaggerat Nauarrus iterum mala, quæ de facili oriri poſſunt ex temporalitate Prælatorum, præſertim Generalium, &c.

Ad horum confirmationem ſubdit. *Confirmantur hæc exemplo Tiberij Cæſaris, qui apud Suetonium in vita eius, tardiſſimè, aut nunquam Rectores Prouinciarum mutabat; ea ratione, vt tradit D. Anton. 1. par. tit. 6. cap. 21. §. 1. quod parceret Plebi, quam Rectores modico tempore recturi ad ſanguinem vſque emungunt, & recenter ſuperuenientes, etiam ipſum ſanguinem.*

Et in ſequentibus §. proſequitur ſemper nouis argumentis eandem demonſtrare concluſionem, præſertim exemplo Carthuſianorum, qui habent etiam Priores perpetuos, hac tamen lege vt circa temporalia non poſſint niſi in minima quantitate aliquid diſponere (quod ſtrictius præcipitur in Ordine Prædicatorum, vti videre eſt in eorum Conſtitutione, & maximè in actis Cap. Generalis Rom. 1601. & 1608.) abſque conſenſu Capituli Conuentus, ſeu aliquorum conſiliariorum, qui in Ordine Prædicatorum vocantur Patres à conſilijs, & ſunt in eodem Conuentu ſapientiores, ac maturiores; nec poſſunt exce-
9 dere † numerum duodenarium: & inter illos ex ordinatione Capituli Generalis Salmant. 1551. debent eſſe ætatis ad minus quadraginta annorum; niſi fuerint Lectores primi in eodem Conuentu, vel Priores; vt fuſis habetur in Statutis Capituli Generalis Rom. 1558. 1569. & 1589. tit. *Ordinationes, num.* 8. & in Capitulo Generali Veneto 1592. & Neapol. 1600. & Valliſol. 1605. Quos Patres non poſſunt inſtituere, vel amouere Priores; ſed Prouincialis tantum, ſiue Reuerendiſſimus P. Generalis, ex diſpoſitione prædictorum Capitulorum Generalium 1558. & 1589.

Et poſt multa: *Confirmatur* (inquit Nauarrus) *ex eo quod Dominicanorum, & aliquorum aliorum Ordinum Mendicantium Generales ſunt perpetui.* Hoc quod dicit de alijs Religionibus Mendicantium, ab Ordine Prædicatorum, credo eſſe intelligendum: Primò, vt ſe expli-
10 cat inferius,† de Generali Societatis Ieſu: Secundò de Generali Franciſcanorũ, qui vt animaduertit Miranda in ſuo Manuali Prælat. tom. 2. quæſt. 6. art. 5. ad initium, *ex mente, & intentione B. Patris Noſtri Franciſci habebat eſſe perpetuus; nec alius ex vi eiuſdem Regulæ erat eligendus, niſi per obitum, ſiue deceſſum, aut vero per promotionem, amotionem, ſiue priuationem ipſius.* Quod probat ex verbis ab eo adductis eiuſdem Regulæ S. Franciſci: Ex quibus euidenter demonſtrat perpetuitatem Miniſtri Generalis. Et ex Chronicis ſui Ordinis probat, quod ſemper fuerit perpetuus Miniſter generalis in dicto Ordine vſque ad Annum 1517. Quo Anno in Capitulo generali Romæ celebrato ſub Leone X. in Bulla dicta *vnionis,* fuit redactum Officium Generalis ad ſexennium. Tertiò de Generali Carmelitarum, qui & ipſe erat perpetuus, vt aſſerit inter alios Thomas à Ieſu Diſcalceatorum eiuſdem Ordinis, in ſuis commentarijs de ſtatu Monachorum, in expoſitionem Regulæ Carmelitarum, *par. 3. cap. 1.* ad illa verba;

Qui

Qui ex vnanimi, omniumque aſſenſu. Vbi inter quamplura, verba faciendo de Priore Generali, ait. *Qui per totius vitæ ſpatium perdurabat:* & Miranda, *vbi ſupra art. 6. §. ſed præterea*, referens verba Nauarri, inquit. *Ad id probandum*, videlicet concluſionem, de qua

11 ſupra, *alia † neque minus forti, atque efficaci prædictus Doctor vtitur ratione deſumpta à facto, atque ab exemplo Sanctorum atque antiquorum Patrum, Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Bernardi, Dominici & Seraphici Patris noſtri Franciſci; qui, vt videre licebit in ipſorum Regulis, neque quidem ſine ratione, & conſideratione magna, ſtatuerunt, & decreuerunt, vt ſuarum Religionum Prælati, maximè Generales, eſſent perpetui, non verò temporales. Quod & inuiolabiliter per multorum annorum centurias in dictis Religionibus obſeruatum fuit.* Er poſt concluſionem immediatè art. 6. ipſemet Miranda fatetur, ſententiam hanc eſſe nedum Nauarri, ſed & aliorum multorum. Denique non omittam nouiſſima verba referre Nauarri *in comment. 3. Regular. num. 3.* dicentis. *Quamuis ſatis nouerim hæc parum placita ijs, qui per frequentem Præfectorum mutationem, & diligentem ſodalium ſubornationem, & non alias, ſperant ſe frequenter præfecturas conſequuturos.* Quibus verbis claudit prolixum diſcurſum in laudem, & approbationem perpetuitatis Officiorum Generalium.

Eandem ſententiam Nauarri, & aliorum tuetur Antonius Corduba in ſua dilucida expoſitione ſuper Regulam Fratrum Minorum, *quæſt. 3. introductoria, §. ſicut & alia, verſic. item*, aſſerens, quod *frequens mutatio Prælatorum, quæ, etſi pro parte bona ſit, in quantum mali abijciuntur; tamen in hoc nociua eſt, quod boni dum cito ſperant abſolui, non præſumunt aggredi, vel non proficiunt, vt reforment ſtatum Ordinis; & rebelles ſubditi potius laborant vt deponantur, quam vt ſtatus debite reformetur. Adde quod ex hac mutatione creſcit ambitio aliorum diſcolorum, qui conantur, & anhelant, vt ipſi habeant locum in aliqua Prælatura, ex quo vident paſſim alios alijs ſuccedere (expertus loquor); ſicque ex reſecatione ambitionis vnius, indubie creſcit, & oritur multiplex ambitio aliorum, & quidem indignorum; ſicut ex reſecatione vnius capitis Hijdriæ ſerpentis. Et ſic vnde malum minimum tollitur, inde peius exoritur.* Hæc ille.

Eandem ſententiam in quinta aſſertione expreſſam de perpetuitate Prælatorum regularium, pariter tuetur, ac defendit Suar. *tom. 4. & vltimo de Relig. lib. 2. cap. 7. per totum*, vbi refert, & am-

12 pliat doctrinam Nauarri *in 3. comm. de regul.* & oſtendit in ſpecie, quod † viciſſitudo frequens Prælatorum fouet ambitionem, & diſcordias, quæ ambitio Religioſorum oculos excæcat, ne ſui ſtatus obligationem agnoſcant, vt dicitur *cap. quorundam de elect. in 6.* Et alijs Generalibus perpetuis, addit etiam illum Carthuſianorum. Adducit etiam doctrinam Nauarri, ad id probandum de perpetuitate, præſertim Generalium, *conſil. 7. de ſtatu Monach. num 8.* Ipſemet Suarez poſtquam adduxit rationes hinc, & inde, inhærendo ſemper doctrinæ Nauarri, inquit. *Nihilominus aſſero, vbi prælaturæ per electiones conferendæ ſunt, moraliter loquendo, conſultius eſſe, vt ſint perpetuæ, vel admodum diuturnæ. In hoc aſſentior ſententiæ Nauarri, propter damna & pericula electionum, quæ tam intrinſeca eſſe videntur, ſuppoſita hominum fragilitate, & experientia, vt longe difficilius videatur illa vitare, quam illa, quæ ex perpetuitate, vel diuturnitate præ-*

prælationis ſequi ſolent. Atque ita videmus quamplures ex Religionibus, in quibus prælationes temporales ſunt, vel abſtuliſſe electiones, vel reduxiſſe illas ad concilium aliquod paucarum, & grauium perſonarum, in quo facilius ſit vitare electionum incommoda, vel ex parte eligentium, aut eligendorum; ita vel perſonarum numerum, vel tempus, ad modum electionis coarctaſſe, vt negotiationes electionum, quoad fieri poſſit præcaueantur. Quod ſi Religiones aliquæ ſimpliciter retinent Conuentuales, & frequentes, ſeu triennales electiones Prælatorum; id forte eſt, vel quia non poſſunt commode aliter ſibi ipſis prouidere, vt de Monaſterijs monialium probabile eſt, vel quia nondum ſunt experta incommoda, ſed in ſimplicitate, & puritate religioſa omnia efficiant, quod deſiderabile eſt.

Quo verò ad ea, quæ dicit Suarez, palam impugnando modum eligendi per ſuffragia multorum, non eſt ita de facili audiendus, propter copioſe iam adducta ſuperius, cap.7. num.14. quibus demoſtratur multiplex vtilitas prouenienS ex electione multorum; præter alia quaſi innumera ibidem ritè cumulata contra aſſerta hic, & alibi ab ipſo Suarez.

Iterum repetit inter alia Suarez, quæ alibi dixerat, quamplures videlicet Religiones, ob mala quæ naſcebantur ex ſtylo & forma eligendi per ſuffragia multorum, conſimilem modum, & ſi vetuſtum iam reliquiſſe; quamuis contrarium copioſius demoſtrauerim vbi ſupra cap.7. §.14. hic quoque alia via incedendo, eadem confirmabo, opponendo ſcilicet verbis Patris Suarez alia verba P. Azorij eiuſdem Societatis, par.2. inſtit. moral. *lib.6. de 4. decalogi præcepto, cap.14. §. Cyprianus enim, verſ. apud Monachorum.* Quæ ſunt. *Apud Monachorum, & Religioſorum Ordinum Cænobia adhuc mos antiquus retinetur, vt Abbates Cænobiorum, Præpoſiti Ordinum Generales, Prouinciales, & plerique etiam locales, in Conuentibus, vel Generalibus, vel Prouincialibus, multorum ſuffragijs eligantur.* Quibus verbis duo manifeſte aſſerit Azorius. Primum eſt, quod omnes Religioſi Cœnobitæ in prouiſione ſuorum Generalium, & Prouincialium, vtuntur paſſim electione per ſuffragia multorum. Secundum, quod inter hos Regulares plerique etiam eligunt Prælatos locales ſuffragijs multorum; quæ duo directè opponuntur aſſertis Patris Suarez hic & alibi.

Secundum Punctum.

DEſiderantur inſuper aliqua circa materiam diſpenſationis, in lege tamen humana, quæ ſolet fieri circa nonnulla in Religionibus, maximè à Generalibus Ordinum, ſuppoſito ſemper, quod in diſpenſante duo neceſſario inueniantur, poteſtas ſcilicet, & voluntas. Poteſtas enim duplex eſt. vna dicitur ordinaria, alia delegata; quarum altera ſemper exigitur in diſpenſante. Poſt hæc colligo ſequentes propoſitiones, ſubſtantialia huius materiæ explicantes.

13 *Prima Propoſitio.* In omni † diſpenſatione, etiam facta per Principem ſupremum, requiritur cauſa iuſta, vel proportionata legi, in qua diſpenſatur. Hanc concluſionem, quæ eſt contra quoſdam Iuriſtas, probat D. Thomas 1.2. *quaſt.97. art.4. in corp.* ratione, & auctoritate, vbi poſt multa inquit. *Si autem abſque ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat* (per licentiam, ibi intelligit diſpenſationem legis humanæ, vt immediate ſe explicauerat) *non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens.*

Et ſta-

Et ſtatim declarans vtrunque, immediatè ſubdit. *Infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Lucæ 12. Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Et in reſponſione ad primum argumentum, eadem repetens, ac magis declarans ſimul cauſam, & finem legitimæ diſpenſationis, inquit. *Quando cum aliquo diſpenſatur vt legem communem non ſeruet, non debet fieri in præiudicium boni communis, ſed ea intentione, vt ad bonum commune proficiat.* Et ibidem Caietanus ac alij expoſitores D. Thomæ, vbi Caietanus poſt multa concludit. *Vnde pro ſola voluntate non fit diſpenſatio, ſed diſſipatio.* Et ſequens declarationem eorum, quæ docuerat D. Thomas *in reſpon. ad tertium,* inquit. *In lege humana publica, non poteſt diſpenſare niſi ille à quo lex auctoritatem habet, vel is cui ipſe commiſerit.*

Ex quibus colligitur per modum ne-
14 ceſſarij corollarij, quod † in Statutis Religionum editis à Generali vel à Capitulo Generali, nullatenus poſſunt diſpenſare Prælati inferiores, neque Capitulum Prouinciale, vel delegati à Generali, vel à Capitulo Generali, niſi ex ſpeciali commiſſione eorumdem, in his tamen quæ committere vel ſubdelegari valent. Quapropter nulla erit diſpenſatio, quæ fit ab inferiori, non ſeruata conditione de qua ſupra immediatè; & ſi aliter fiat, actus ille punibilis eſt, & puniri debet auctor illius, cùm id ex damnoſa animoſitate, & valde punibili temeritate proueniat, vt latius docet inter alios Silueſter, *verb. Diſpenſatio,* & Azorius 1. *par. inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. §. *ſeptimò quæritur.*

Hoc vno alio pro Regula generali conſiderato, quod eſt D. Thomæ in vltimis verbis reſp. ad tertium argumentum. *Quæ ſunt a Deo, ſiue iuris diuini, nullus poteſt diſpenſare niſi Deus, vel ipſe, cui Deus commiſerit.* Eandem doctrinam adducit, & ampliat Sotus *de iuſt. & iur. lib.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 3. *per totum,* vbi ponderans verba Caietani *art.* 4. *q.* 97. 1. 2. inquit. Quod ideo D. Tho. in art. de quo ſupra proponit diſputandum, *non ſtrictè; An Princeps & legiſlator, ſed latius; An Rectores multitudinis poſſint in legibus humanis diſpenſare? Rectores enim,* inquit Sotus, & optimè, *non ſolum Principes ſunt, verum & qui ad gubernaculum cuiuſque multitudinis ſedent;* vt patenter oſtendat doctrinam D. Tho. præcitati articuli eſſe extendendam ad omnes, & quoſcunque Rectores, & Prælatos multitudinis cuiuſque, etiam regularium, circa diſpenſationem habendam in legibus humanis, quibus communiter regitur multitudo, cui præſunt. Ideo poſt pauca ſubdit Sotus, loquendo de leuibus, in quibus poſſunt diſpenſare inferiores. *Qua ratione Prælati noſtri* (hoc eſt Ordinis Prædicatorum,) *etiam Priores Conuentuales, diſpenſare poſſunt in eſu*
15 *carnium.* Quæ tamen † diſpenſatio eſt intelligenda ad præſcriptum Conſtitutionum eiuſdem Ordinis. Nam in declaratione cap. *de infirmis,* in declarat. text. 1. *ſub littera, B,* hæc habentur: *Declaramus, quod in conſtitutione de carnibus non comedendis, non debet Prælatus diſpenſare, niſi cum infirmis, vel euidenter indigentibus; quamuis etiam extra caſum infirmitatis poſſit cum aliquibus ex rationabili cauſa diſpenſare, vt cum notabiliter antiquis, & cum Lectoribus, & debilibus,* (intellige de Lectoribus actualibus) qui actu legunt, cùm iſti tantũ ex vi noſtrarum Conſtitutionum dicantur, & appellentur Lectores, & non alij. Hac tamen animaduerſione, de qua in eadem declaratione. *Non debet hoc tamen*

men regulariter, & quotidie facere, ſed aliquibus diebus, & cum diſcretione, ſicut fuit ordinatum Florentiæ 1321. *& Narbonæ* 1394. Et in Capitulo Generali Pariſijs celebrato 1269. & Mediol. 1283. & Cæſaraug. 1391. ſtrictius præcipitur, quod in Refectorio, & in Hoſpitio de cibarijs ordinarijs comedere debent Fratres, & Prior; in infirmaria non poſſunt comedi carnes modo dicto. Et in Capitulo Generali Salmant. 1551. declaratur ſimulque ſtatuitur, ne Prouinciales poſſint diſpenſare integrum Conuentum in eſu carnium.

Sententia, de qua in prima concluſione huius materiæ diſpenſationis, eſt communis omnium Theologorum, & omnium ferè iuris canonici interpretum, vt aſſerit inter alios Rebuf. in praxi *tit. de diſpenſat. in pluralit. beneſ. num.* 55. *&* 56. Eandem concluſionem, & ſententiam docent Hoſtienſis, *in ſumm. tit. de filijs presbit. in fine*, Panor. *in cap. qua in eccleſiarum, de conſtit. nu.* 17. Turrecr. *cap. conſequens, diſt.* 11. Nauar. *in cap. ſi quando*, & omnes Summiſtæ, *verb. Diſpenſatio*. Et copioſius Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 18. *de iuſtitia cauſæ, ad iuſtam diſpenſationem*, & ſeqq. capitulis *vſque ad* 24. incluſiue.

16 *Secunda Propoſitio*. Cauſa † iuſta, & rationabilis, vt legitima ſit diſpenſatio, illa eſt quæ reſpicit non priuatam ſed publicam vtilitatem. Veritas huius propoſitionis colligitur ex ſuperius adductis ex D. Thoma 1.2. *q.* 97. *art.* 4. & ita communiter docent expoſitores Diui Thomæ *ibidem*, ſequẽtes in hoc communẽ conſenſum Thelogorum, & Canoniſtarum. Hanc quoque veritatem tradit Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. per ſequentia. *Sicuti publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius euenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat: Sic frequentius legem ſoluere; exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt quam vnicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant vniuerſi ſacratiſſimos canones exactè ab omnibus, & quo ad eius fieri poterit indiſtinctè obſeruandos. quod ſi vrgens, iuſtaque ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe: id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum. Aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

Tertia Propoſitio, continens reſponſionem ad interrogarionem, quàm grauis ſufficiat cauſa vt legitima ſit diſpenſatio, eſt quòd Grauitas cauſæ ſufficientis ad legitimam diſpenſationem concedendam, etſi vt frequentius prudentis arbitrio definienda relinquatur, regulariter tamen ab omnibus Theologis, & Canoniſtis ad tria capita reduci ſolet, ad neceſſitatem videlicet, vtilitatem, & pietatem; ad quæ capita reducuntur circumſtantiæ, quæ adducuntur à iuriſperitis, vti eſt videre apud Gratianum, *in §. niſi rigor* 1. *quæſt.* 7. vbi enumerando conditiones cauſæ ſufficientis ad diſpenſandum inquit. *Pro tempore, pro peſona, intuitu pietatis, neceſſitatis, vel vtilitatis, & pro euentu rei.* Temporis equidem conditio immediatè relata ex Gratiano, efficit vt tunc occurrat neceſſitas, vel vtilitas: quod etiam proportionaliter dici ſolet de conditione perſonæ atque rei euentu, ſub quo comprehenditur quælibet occaſio: & ad ſupradicta redigitur quoque loci opportunitas. Quę omnia ſimul collecta ordinariè efficiũt neceſſitatem, vel vtilitatem, ſeu pietatem, quæ ſimul, ac ſeparatè inducunt, ſiue gignunt cauſam ſufficientem diſpenſationis, vt latius probat Gratianus, *vbi ſupra*, argumento multiplici deſum-

ſum-

Digitized by Google

ſumpto ex varijs textibus ſacrorum Canonum. Ita communiter docent omnes Summiſtæ verbo, *Diſpenſatio*, ſiue *votum*, vel *iuramentum*, & Couar. 2. *par. cap.* 6. §. 9. *num.* 8. vbi citat multitudinem Doctorum ad idē, Theologorum, & Iuriſtarum; & Azor. *par.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 5. *cap.* 15. §. *præterea ſciendum eſt*, & Suarez *de legibus lib.* 6. *cap.* 18. qui auctores eamdem doctrinam deſumpſerunt ex D. Thoma, Caietan. & Soto pro maiori parte, *vbi ſupra*.

Quarta Propoſitio, quæ colligitur neceſſaria, & euidenti conſequentia ex
17 præmiſſis: Rector † vel Superior, qui di-
ſpenſat in ſua, vel alterius lege humana, præſuppoſita ſemper debita facultate, ſi non faciat abſque iuſta cauſa ſuperius explicata, ſine dubio peccat contra iuſtitiam, & ſecundum communiorem ſenſum Theologorum, & Canoniſtarum, illius peccatum cenſetur contra iuſtitiam, & mortale ex genere ſuo. Ita docent D. Thom. *vbi ſupra*, 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Caiet. *ibidem*, Sotus *de iuſtitia, & iure, lib.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 5. Couar. & Suar. *vbi ſupra*, & Azorius, *vbi ſupra, cap.* 15. §. 2. *quæritur*, in ſolutione illius dubij ſecundi, quod erat, An Princeps peccet, ſi ſolo ſuo arbitrio ſine aliqua cauſa iuſta, & legitima aliquos ſoluat vel diſpenſet à lege quam condidit. Vbi poſt relatas duas opiniones, primam negatiuam Doctorum iuris ciuilis, alteram verò affirmatiuam; loquendo de ſecunda affirmatiua, inquit. *Hæc opinio verior videtur, & mihi eo magis probatur: non enim video cur Princeps in eo non peccet, cum id temere, & imprudenter, hoc eſt ſine vlla iuſta ratione, facere videatur.*

Quinta Propoſitio, & ipſa collecta ex ſupradictis per modum neceſſariæ illationis. Subditus petendo diſpenſatio-
18 nem ſine cauſa, † ſiue vtendo ſcienter
diſpenſatione ab alijs ad ſui inſtantiam obtenta abſque rationabili cauſa, procedendo in his mala fide, ſecundum communiorem ſententiam Theologorum, & Canoniſtarum, peccat peccato graui, ac etiam mortali. S. Bernardus *lib.* 3. *de conſid. cap.* 4. *ad finem*, vocat diſpenſationem factam ſine cauſa, non planè diſpenſationem, ſed crudelem diſſipationem. Doctores ſupracitati eiſdem locis, præſertim Azor. *vbi ſupra*, §. *tertio quæritur*, vbi adducit duas opiniones. Prima ex aſſerentium peccare, etiam ſi motu proprio Principis facta fuerit diſpenſatio abſque cauſa, ſi ea vtatur, addens. *Et multo magis peccat, cum petit abſque cauſa iuris relaxationem, quia eſt cauſa peccati, quod facit Princeps ius ipſum, abſque cauſa relaxando.* Et poſt aliquas citationes Doctorum Theologorum, & Iuriſtarum: *At vero cum ſuam legem relaxat Princeps, peccat quidem, ſi abſque vlla cauſa aliquos ſua lege ſoluat; valet tamen in foro conſcientiæ indulgentia, & relaxatio.* Et huius aſſignans rationem inquit: *Quia Princeps ſuæ legis eſt auctor; proinde poteſt quem voluerit ab ea excipere.* Quod eſt intelligendum, quando bona fide, ſiue in dubio ſubditus vtitur diſpenſatione Principis vel Superioris: quod fuſius declarat Suarez *vbi ſupra, cap.* 19. *per totum*, ex doctrina S. Thomæ, & Caiet. Soti, Vaſquez, Nauarri, & aliorum multorum, quos ibidem citat in ſpecie, adiunctis rationibus decerptis ex placitis Iuriſtarum, quos nominat.

Sexta Propoſitio. Non poteſt tradi Regula generalis circa facultatem ſiue facultates, quas habent Generales Ordinum, & Religionum. Primo, quia multa priuilegia Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium conceſſa, correcta, & modificata fuere in dies per ſummos Pontifices Romanos, & per Concilia, præſertim per Tridentinum. Secundo, quia quamplura ex prædictis priui-

priuilegijs fuerunt declarata, & explicata à ſacris Congregationibus Illuſtriſſimor. ac Reuerendiſſimor. DD. Cardinalium negocijs Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, & Concilij Tridentini Interpretum; maxime vero circa facultatem abſoluendi ſeculares à caſibus reſeruatis: in quo ſpeciali obſeruanda eſt ab omnibus diſpoſitio Decretorum eiuſdem ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 9. menſis Ianuarij 1601. & die 26. Nouembris 1602. & iterum die 7. Ianuarij 1617. Tertiò, quia non omnibus eadem priuilegia, ſiue eodem modo conceſſa fuere, etiam in materia diſpenſationis, in his, quæ pertinẽt etiam ad perſonas ipſorummet Regularium ſubditorum; loquendo de diſpenſatione, quæ fieri poteſt in, vel extra confeſſionem ſacramentalem, tam in foro interiori, quàm exteriori. Quartò, quia enarratio ſingulorum, ob illorum maximam multitudinem, eſſet valde prolixa, & lectori nimis oneroſa. Quintò, hæc ſaltem pro maiori parte dilucidè, & optimo methodo adducuntur à Confectio *in Compendio priuilegiorum ſacrorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium*, & à Sorbo *in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium*, præſertim tit. *Diſpenſatio*, vbi addit etiam nonnullas vtiles adnotationes, & à Rodriquez *tom. 1. ſuarum quæſtionum Regularium*, q. 20. *& ſeq.* & à Miranda *in ſuo Manuali Prælatorum Regularium, tom. 2. q. 2. & ſeqq.* & præſertim à Stephano Quaranta *in ſumma Bullarij, verb. priuilegia Regularium*. Eadem quoque referuntur cum ſcholijs, & annotationibus in Compẽdijs priuilegiorum Fulienſium, Carmelitarum, Theatinorum, & Ieſuitarum, & nouiſſime à Laurentio Portel Ordinis Minorum de Obſeruantia, in ſuis dubijs Regularibus, tit. *Diſpenſare*, & *diſpenſatio*, & pariter tit. *Impetrare*, & *illegitimus*; & omnes ferè Summiſtæ antiqui, & moderni, de hac materia pertractant tit. *Diſpenſatio*, ſiue *Votum*, vel *Iuramentum*, aut *Priuilegium*. De his quoque agunt Expoſitores Regularum SS. Baſilij, Benedicti, Auguſtini, Franciſci, Ignatij, & Carmelitarum.

Punctum Tertium.

DIcam tamen compendioſè † aliqua, quorum diſpenſatio ferè quotidiana eſt, ac dependet à Prælatis Regularium, præſertim à Generalibus, virtute priuilegiorum Romanorum Pontificum, qui attendentes ad ſanctitatem, ad glorioſos labores Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, necnon ad vtilitatem, quam profeſſores illorum attulerunt, & afferunt aſſiduis eorum vigilijs, prædicationibus, lectionibus, tractatibus, etiam cum effuſione ſanguinis, & propriæ vitæ diſcriminie, communi matri omnium regeneratorum Eccleſiæ Romanæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, eaſdem Religiones clementi benignitate affluenter ditarũt gratijs, & priuilegijs. Inter quæ vnum
19 eſt, † vt diſpenſare, & habilitare poſſint illegitimè natos iam ritè profeſſos, vt poſſint recipere nedum Ordines, verum etiam vt aſſumantur ad gradus, officia, dignitates, & prælaturas ſuæ Religionis. Nec huic obſtat Bulla Sixti V. contra illegitimos; cùm fuerit redacta ad terminos iuris in multis, præſertim in hoc à Gregorio XIV. in ſua Bulla, cuius initium eſt *Circumſpecta*. Dat. Romæ apud S. Petrum M. D. XC. idus Martij, Pontificatus ſui Anno primo, paulò poſt adducenda cum alijs Clementis VIII. ad idem. Hac tamen animaduerſione

quod

quod diſpenſatio debet ſemper præcedere electionem, ſiue inſtitutionem, ſiue aſſumptionem ad gradus, & Prælaturas illegitimi, præſuppoſita ſẽper cauſa vera, & reali iudicanda à bono Prælato.

Vbi etiam non omittam animaduer-
20 tere, † quòd in Ordine Prædicatorum facultas diſpenſandi cum prædictis, reſidet tantum apud Magiſtrum Generalem, & Prouincialem, vt habetur in Conſtitutionibus eiuſdẽ Ordinis, *diſt.* 1. *c.* 13. *tex.* 4. *ſub lit. n.* & manifeſtius in declaratione eiuſdem textus, per ſequentia verba: *Declaramus quod nullus illegitimè natus poteſt recipi ad Ordinem ſine licentia Prouincialis, vel Magiſtri Ordinis; & ſi fuerit receptus, non poterit eſſe Supprior nec Vicarius Prioris in aliquo Conuentu, etiam Priore illius Conuentus mortuo, vel amoto, niſi cum eo fuerit diſpenſatum. Apud Podium* 1344. *& Perpiniani* 1427. *declaratum fuit quod illegitimè natus, non poteſt fieri Prior, nec Supprior, nec Viſitator ſine diſpenſatione. Et ſi diſpenſatum fuerit quod poſſit eſſe Prior, non poterit tamen propter hoc eſſe Vicarius Prouincialis, aut Prouinciæ, aut Diffinitor Capituli Generalis, niſi in diſpenſatione de prædictis facta fuerit expreſſa mentio.*

21 Portel in ſuis dubijs † Regularibus *tit. Illegitimus, num.* 9. refert quod Patres Congregationis S. Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia habent priuilegium conceſſum ab Eugenio IV. Conuentui ſancti Gregorij in Alega ſui Ordinis, vt admiſſus ad profeſſionem, ſi habet defectum natalium, ipſo facto ſit diſpenſatus ad ordines, & dignitates, & prælaturas eiuſdem Religionis. Et *num.* 10. re-
22 fert de alio priuilegio † conceſſo Ordini S. Hieronymi Hiſpaniarum, virtute cuius poteſt etiam Prior Conuentualis diſpenſare cum illegitimo, vt fiat Prior; quo vero ad Prouincialatum, ait ille, poteſt tantum diſpenſare Generalis. Et *num.* 13. adducit priuilegium Pauli III. conceſſum Generali eiuſdem Ordinis S. Hieronymi Hiſpaniarum diſpenſandi cum familiaribus, Conuerſis, & Donatis ſui Ordinis illegitimis, etiam inceſtuoſis, & ſacrilegis, vt poſſint obtinere beneficia Regularia cum cura, vel ſine cura animarum in ſuis Monaſterijs.

Et Sorbus in annotationibus *ad tit. Diſpenſatio*, animaduertit quod Iulius Pa-
23 pa ſecundus conceſſit facultatem † omnibus Prælatis, & eorum Vicarijs Ordinis Minimorum, vt poſſint diſpenſare cum illegitimis, vt eligantur in Superiores eiuſdem Ordinis. De iure enim communi illegitimè natus ſi eligatur ad prælaturam ſine præuia diſpenſatione, electio erit nulla, vt ſuſius dictum eſt ſuperius cap. 4. & vt habetur *in cap. innotuit.* & *cap. cum Vintonien.* Forma autem diſpenſandi cum illegitimè natis paſſim adducitur à Summiſtis verbo *illegitimus*, ſiue verbo *diſpenſatio*.

24 Prælati, maximè † Generales Ordinis Prædicatorum, ex priuilegio Pij V. conceſſo eidem Ordini, poſſunt abſoluere à quacunque irregularitate, & ſuſpenſione ex delicto occulto prouenienrte, excepto homicidio voluntario, & hæreſi; vt patet in Bulla eiuſdem Pontificis cuius initium eſt, *Circumſpecta benignitas.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Iulij 1571. Pontificatus ſui anno ſexto: quam refert per extenſum Rodericus in noua collectione priuilegiorum Apoſtolicorum, ſub *num. Bullarum Pij V.* 13. *fol. mihi* 423. de qua Bulla fit mentio in Compendio priuilegiorũ Minorum *fol.* 127. in illo Patrum S. Hieronymi Hiſpan. *fol.* 83. §. 1. 2. ac in illo Societatis Ieſu *verb. Prælati*, §. 3.

Sorbus vbi ſupra, §. *poteſt Prior*, inquit, quod *Generalis poteſt cum perſonis*

Ordinis

Digitized by Google

Ordinis in foro conſcientiæ diſpenſare quoad irregularitatem, etiam in caſibus reſeruatis S. D. N. Papæ, ſcilicet in homicidio, in membrorum obtruncatione, & in enormi ſanguinis effuſione contractam; dummodo factum horum trium notorium non ſit. Ita conceſſit Iulius II. Ordini Prædicatorum vt habetur in lib. priuileg. eorundem fol. 173. & refertur in Compend. Societ. Ieſu, verb. Diſpenſatio, §. 5. Et in Compend. Priuileg. S. Hieronymi Hiſpan. vbi ſupra, §. 24. Aduertendum circa id quod notat Cordub. in §. 24. fol. 298. de diſpenſatione irregularitatis homicidij voluntarij, quod nunc obſtat Concilium Tridentinum in ſeſſ. 13. cap. 7. de reformat. etiam de homicidio voluntario occulto; ait enim quod iſte talis homicida nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſit: ſed de homicidio caſuali non obſtat, vt ex eodem cap. 7. colligitur.

Qua occaſione non omittam, quòd poſt Conſtitutionem Sixti V. contra ſimoniacè recipientes ordines, ſiue male promotos, non poſſunt Superiores
25 regulares abſoluere † ſuos ſubditos ab excommunicatione propter ſimoniacam ſuſceptionem Ordinum, neque illos diſpenſare vt ad alios aſcendere poſſint ordines; addens regularibus pœnã priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, declarans illos incapaces officiorum, & dignitatum, vti eſt videre in eadem Bulla, §. *volumus.* & §. *quod nemo*, addit idem Pontifex. *Quòd nemo, prætextu cuiuſcunque priuilegij (etiam Mare magnum nuncupati) conceſſi quibuſcunque ordinibus, congregationibus, & perſonis regularibus, aut Epiſcopis per decreta Concil. Trident. aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ; vel minoribus, aut etiam maioribus Pœnitentiarijs noſtris & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel alias quomodolibet pro tempore conceſſis, perſonæ ſic, vt præfertur, delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites quàm Abbates promouẽtes, quàm clerici male inſigniti, ſeu ordinati, à reatibus, & exceſſibus præfatis abſolui, præterquam in mortis articulo poſſint aut debeant; neque cum his ſuper irregularitate præmiſſa contracta, etiam ſi crimen penitus occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari.* Et Clemens VIII. in ſua Conſtitutione edita 1595. pridie Kalend. Martij Pontificatus ſui anno quinto ſtatuit vt infra. *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ ſedis plenitudine, ſua perpetua valitura conſtitutione, ſupradictas litteras Sixti V. ad terminos ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionem Pij Papæ II. ſui prædeceſſoris, quæ incipit: Cum ex ſacrorum Ordinum, & ad diſpoſitionem Decretorum ſacri Concilij Tridentini reſtrinxerit; & reduxerit, nec non cenſuras, & pœnas in eiſdem Sixti literis contra quoſcunque:* addit tamen verba ſequẽtia, *præterquam contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas. Has enim voluit in ſuo robore permanere.* Et vt animaduertit Roderiquez *tom. 1. quæſtionum regular. q. 20. art. 13. ad finem*, etiam non poteſt ſuper prædictis Prælatus Regularis diſpenſare, etſi habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, etiam ſi ſint occulta: nam priuilegium Concilij Tridentini diſpenſandi ſuper occultis, fuit abrogatum à Sixto V. & Clemente VIII. *vbi ſupra.*

Qua occaſione valde cauti eſſe debent Regulares, ne per ſimoniam quis inter illos aſſumatur, vel eligatur ad officia, & prælaturas Ordinis. Vbi non omittam põderare cum Dominico Soto, *lib. 9. de iuſt. & iur. q. 8. art. 1.* & Petro Aragon. *in 2. 2. D. Tho. quæſt. 100.*
26 *art. 6. dub. 1. concl. 3.* quòd † ille, *qui committit ſimoniam realem fictam, vel deceptoriam, hoc eſt promittit dare aliquid temporale pro ſpirituali, ſine animo tamen adimplendi promiſſum, non incurrit pœnas iure ſtatutas contra ſimoniacos.* Et ſtatim ſubdit ipſe Arag. *Itaque nec eſt excommunica-*

Digitized by Google

municatus, nec tenetur reſignare beneficium tali pacto interueniente comparatum, ſaltem in foro conſcientiæ, addens: *Nam in foro contentioſo cùm Eccleſia non poſſit conſtare de illius animo, certum eſt, quòd iudicabitur obnoxius omnibus iuris pœnis*. ita tenet *Caiet. quolib.* 1. *q.* 10. & Soto *lib.* 9. *de iuſt. quæſt.* 8. *art.* 1. *ad* 1. Tandem bonam reddens rationem inquit. *Nam qui taliter decipit, nihil ſpirituale emit, ſed fingit ſe imere; ergo non eſt verè ſimoniacus, atque ex conſequenti in foro conſcientiæ non incurrit pœnas iure ſtatutas, contra ſimoniacos*. Idem ſentit Graſſius 1. *par. deciſ. lib.* 2. *cap.* 91. *nu.* 81. & Reginald. *in ſua praxi*, *lib.* 23. *num.* 188. Quamobrem coniectura ſatis ſufficiens ea eſſe poterit, quando quis ſuſcepit beneficium vel officium, & commode poteſt etiam ſecreto & abſque aliqua ſui iactura quod promiſit conferre, non tamen confert; vel ſi ipſe iuret fictam fuiſſe eius promiſſionem. Quomodocumque tamen ſit, omnes promiſſiones, reales, & fictæ exterminandæ ſunt, & longius eſſe debent ab omnibus eccleſiaſticis, præſertim à Regularibus, alias maxima cum difficultate euadere poterunt pœnas contra ſimoniacos taxatas, maximè in foro fori, nec effugere poterunt ſaltim alias grauiores pœnas in iure communi, & eorum Conſtitutionibus taxatas contra illos qui vtuntur pactionibus, &c.

Alia vero ad hanc materiam diſpenſationis in vtroque foro pertinentia, erunt requirenda in locis ſupracitatis, & præſertim apud D. Thomā 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. vbi etiam expoſitores illius multa adducunt, maximè Raphael à Turre Dominicanus, *diſp.* 5. hoc vno conſiderato, quòd eſt D. Thomæ *vbi ſupra im-*
27 *mediatè*, quod videlicet † eadem eſt ratio neceſſitatis circa diſpenſationem Legis, Voti, & Iuramenti, bonum ſcilicet, vtile, & honeſtum. Et de punctis quæ tanguntur ſuperius in hac materia diſpenſationis, quæ eſt iuris relaxatio, & de cauſis neceſſarijs ad rectam, legitimamque diſpenſationem ad numerum ſeptenarium redactis à Siluestro *verb. Diſpenſatio, nu.* 3. ab Angelo *ibidem nu.* 2. ab Armill. *num.* 14. & a Piſanella, *eod. verb. à princip.* videlicet ad tempus, ad vtilitatem, ad qualitatem perſonæ, ad neceſſitatem, ad pietatem, ad euentum rei, & ad euitanda ſcandala. Qui numerus cauſarum, implicitè ſaltem, cõtinetur in reductione capitum explicata ſuperius ad tertiam propoſitionem. De his ac alijs neceſſarijs ad materiam legitimæ diſpenſationis, agunt Innocentius *in cap. finali de poſtul. Prælat.* Abbas *in cap. officij de elect. nu.* 4. Angelus *verb. Diſpenſatio*, Silueſter, Roſella, Armilla, & alij Summiſtæ *verb. Diſpenſatio*, S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & 1. 2. *quæſt.* 97 *art.* 4. Interpretes ipſius *ibidem*, Sotus *lib.* 1. *de iuſt. & iur. quæſt.* 7. *art.* 3. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *par.* 9. Roderiquez *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 27. *art.* 5. Tabiena *verb. Diſpenſatio, præſertim nu.* 10. Turrecrem. *in expoſitione Regulæ ſancti Benedicti, tract.* 139. *dub.* 5. Nauar. *in ſumma Præludio* 9. Salas *de legibus diſp.* 20. Azorius *tom.* 1. *inſtit. moral. cap.* 29. *quæſt.* 6. *& lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 9. & omnes Legiſtæ, & Canoniſtæ, *tit. de diſpenſat.* hoc vno addito, quod eſt aſſertum ab innumeris Doctoribus, præſertim à Silueſtro, Armilla, Roſella & à ſancto Antonino 1. *par. tit.* 17. *cap. vn.* § 20. & à Sà in Aphoriſmis *verb. Diſpenſatio, num.* 2. Quemadmodum ſcilicet peccat ſubditus petendo diſpenſationem abſque iuſta, & rationabili cauſa, vt latius dictum eſt ſuperius in quinta propoſitione; ita
28 quoque Prælatus, & Superior † examinata cauſa, & ea reperta iuſta, & rationabili ad diſpenſandum, tenetur diſpenſare, alioquin peccat; & vt animaduer-

aduer-

aduertit Caiet. 2.2. q.147. *art.*4. §. *ad hoc dicitur, verſ. minus ergo*, improbat modum quorumdam Prælatorum, *qui petentibus ſubditis in cauſa dubia diſpenſationem cœnandi in ieiunijs Eccleſiæ, aut aliter ieiunium ſoluendi præueniendo horam ieiunij, remittunt eos in conſcientia ſua*. Subdens ſtatim remedium, *debent enim compati infirmis, & commutare ad cautelam ieiunium in ſeptem pſalmos, vel aliquid huiuſmodi; & eadem ratione poſſunt diſpenſare Prælati in qualitate ciborum*, intellige ſemper in caſu de quo ſupra.

Quærenti igitur an Eccleſiarum Antiſtites, & Prælati relaxare, ſiue diſpenſare poſſint, eximendo aliquos ex parte ſaltem à iure Canonico, Reſpõdendum eſt cum Azorio 1. *par. inſtit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *dub.*7. *eos non poſſe niſi in certis caſibus, quos ipſis leges, & iura concedunt*. quam doctrinam vt ipſemet fatetur, *ibidem*, expreſsè colligit ex Siluest. *verb. Diſpenſatio quæſt.*9. ex Soto *lib.* 1. *de iuſt. quæſt.*7. *art.* 3. & ex Caiet. 2.2. *quæſt.* 97. *artic.* 4.

Et ad aliam interrogationem (cuius reſolutionem multi cupiunt habere)
29 an lex † poſterior priorem tollat, tametſi nullam faciat mentionem illius? Reſpondet idem Azorius *vbi ſupra cap.* 16. *dub.*2. ex doctrina Siluestri *verb. Lex quæſt.*28. §. *tertio tollitur*, ſi vtraque lex ſit generalis, & à Principe lata, prior per poſteriorem ſimpliciter abrogatur; præſertim ſi poſterior priori contrarietur. Ratio communiter aſſignata à Doctoribus ea eſt, quia Princeps non cenſetur ſuas ignorare Leges ſiue Constitutiones.

Punctum Quartum.

Denique ad maiorem prædictorum explicationem, præſertim illius quod ſuperius inſinuatum eſt de Generalibus, & alijs ordinarijs Prælatis
30 valentibus ex quo habent † iuriſdictionem, & facultatem ordinariam, eamdem alteri delegare ad eorum libitum in totum vel in partem, ſiue ſimpliciter, vel ad tempus determinatum, caſu quo in litteris patentibus delegationis inueniantur clauſulæ generales, vt puta, *Damus tibi omnem noſtram auctoritatem, ſuper tali Conuentu vel Prouincia, vt poſſis omnia, & ſingula facere, quæ nos ipſi præſentes facere poſſimus*; an virtute conſimilium clauſularum poſſit delegatus diſpenſare in his, quæ continentur in Conſtitutionibus, vel Statutis ſpecialibus alicuius Ordinis vel Congregationis, quorum diſpenſatio eſt propria ſolius Generalis, & pariter ea concedere, quæ ſolus Generalis tribuere poteſt? Videtur reſpondendum negatiuè: & ratio huius aſſignatur, quia delegatus in Commiſſarium, ſiue Viſitatorem per clauſulas de quibus ſupra, valet ea perficere, quæ poteſt Generalis reſpectu eorum quæ ſpectant ad officium ſiue ad munus ad quod delegatur; & illis clauſulis non ampliatur auctoritas officij Commiſſarij, vel Viſitatoris, ſed intra terminos ac limites dicti officij ad quod delegatur, datur omnis poteſtas conſueta & neceſſaria. & hoc eſt quod exprimitur per illas clauſulas in ampliori forma: nec alia poteſt, niſi ſpecificè, & in particulari concedatur per alias clauſulas ſpecificas & particulares, amplior vel maior auctoritas ſiue poteſtas, neceſſario exprimenda.

Hoc namque confirmatur ex illa Regula, quod verba interpretanda veniunt ſecundum materiam in qua ponuntur, *cap. conſtitutus, de Religioſ. dom.* & *cap. ſolitè, de maiorit. & obed.* & in deciſionibus Cardinalis Seraphini, *deciſ.* 121. *nu.* 11. & *deciſ.* 398. *nu.*7. & *deciſ.* 541. *nu.*6. Quod totum probatur ex relatis

latis à Doctore Martha *tract. de clauſulis par. 4. clauſul. 2.* in prioribus verbis, Ge-
31 nerales † clauſulæ reſtringuntur, *vt ea non comprehendant, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus; & tunc ſpeciales expreſſæ iuris præſumptione derogant generalibus, vt ſub generalibus non comprahendantur. Cap. in generali, de regulis lib. 6.* Reſtringuntur quoque ad ſolita, *l. ſi finita in princip. ff. de damno infecto.* Et inter complures reſtrictiones *ibidem* adductas, hæc vna eſt, *non extenduntur ad ea quæ ſunt caput in genere*, & aliæ ſequentes: *Arctantur ad illa quæ commode fieri poſſunt*; & pariter illa illa alia. *Arctantur, ne comprehendant poteſtatem priuilegialiter conceſſam*. Quod eſt dicere, per illas clauſulas communes etiam ampliſſimas nunquam intelligitur conceſſum id quod eſt priuilegium ſolius Principis, vel Prælati Generalis. Ad hoc etiam diligentius conſideranda eſt alia reſtrictio *ibidem* adducta ab eodem auctore, qua dicitur, *Reſtringuntur clauſulæ generales propter effectum, qui eſt ſingularis, vt in litteris generalibus prouiſionum: nam ibidem effectus eſt ſingularis, licet litteræ ſint generales*. Pariter quoque attentius ponderanda ſunt verba alterius reſtrictionis dicentis. *Item arctantur vt conceſſum in genere ita videatur conceſſum, vt ius aliud competens non lædatur*. Igitur virtute clauſularum de quibus ſupra, non confertur auctoritas diſpenſandi, ſiue faciendi quod eſt contra Conſtitutiones & ſtatuta Generalia ſuæ Religio-
32 nis. Et in † Ordine Prædicatorum præſertim, totum hoc certiſſimum, ac euidentiſſimum eſt: ideò non poteſt Commiſſarius ſiue Vicarius Generalis virtute clauſularum, de quibus ſupra, ea facere quæ ſunt propria iuriſdictionis, & officij Generalis: & proportionaliter idē dicendum erit de Commiſſario Prouincialis. Etenim in Conſtitutionibus ſacri Ordinis Prædicatorum declaratio illorum Satutorum, quæ dicuntur Conſtitutiones, ſolum ad tantum pertinet ad Generale, ſiue ad Capitulum generale, ex priuilegio ſpeciali Iulij III. de quo in Conſtitutionibus eiuſdem Ordinis, *in declarat. text. 10. Prologi earundem*. Ita pariter habetur *in cap. 4. de elect. Magiſtri Ordinis diſt. 2. in declaratione text. 5. ſub littera, F,* & *in text. 12. cap. 3. de elect. Prioris Prouincialis* ſtatuitur, & ſi *Vicarij Prioris Prouincialis plenariè vices gerant,* (additur tamen) *exceptis dumtaxat inſtitutione, & deſtitutione Priorum & Lectorum*. Intellige, niſi habeat ſuper his in literis patentibus ſpecialem facultatem à Prouinciali. & nomine Lectorum intelliguntur Lectores, qui dicuntur Doctores Conuentuum, vt alibi declarat eadem ſacra Conſtitutio. Et *cap. 11. de Viſitatoribus in text. 1. ſub lit. b*, expreſsè præcipitur Viſitatoribus Prouinciarum, *vt exceſſus Priorum Conuentualium & fratrum audiant, & emendent abſque conſtitutione, & immutatione ſtatus domus*. Sed certum eſt quod abſolutio Prioris, & Lectoris immutant ſtatum Conuentus, maximè Prioris; igitur ex diſpoſitione huius textus regulariter prohibentur iſta Viſitatoribus & Commiſſarijs, niſi ſpecialis fiat mentio ſuper his in eorum literis patentibus.

Inſuper conſidero quod Viſitatores, etiam Apoſtolici, cum ampliſſima facultate deſtinati per illas clauſulas, ſcilicet *Dantes tibi omnem auctoritatem, tam ſuper capita, quam membra, & ſuper quaſcumque perſonas, etiam exemptas, & priuilegiatas, dignitatis, tituli, ac officij cuiuſcumque exiſtant, &c.* non tamen virtute illarum poſſunt deponere, vel priuare Prælatos eorum officijs, vt ſtatim probabo: multo minus id præſtare valebunt Viſitatores, & Commiſſarij Regularium per quaſcumque clauſulas com-

Supra Tractatus de Electione.

Oo

communes vniuerſales, etiam ampliſſimas, in eorum litteris patentibus contentas, niſi fiat de Prælatorum amotione, & abſolutione ſpecifica, & indiuidua mentio. Præter ſuperius adducta pro firmitate antecedentis, extat Breue in forma ampliſſima conceſſum à Gregorio XIII. cuidam Viſitatori ab ipſo deputato: quod integrum recenſet tamquam exemplar maximæ amplitudinis Azorius, *tom. 2. inſtit. moral. cap. 35. folio mihi* 384. 385. 386. in quo Breue, §. *quacumque*, quaſi ad calcem ipſius ſequentia leguntur. *Quacumque vero grauiora contra Epiſcopos, ſeu Prælatos inueneris, recipias & in ſcriptis redigas, & ad nos ſub tuo ſigillo tranſmittas; vt quod iuſtitia ſuadeat, mature deliberare poſſimus*; non obſtāte quod ſuperius in dicto Breue habeatur, *vt poſſit quaſcumque perſonas exemptas, priuilegiatas, etiam Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiectas, iuxta eorum exceſſus, & canonicas ſanctiones, carcerare, punire, caſtigare, & coercere, debitiſque pœnis afficere*; cum alijs clauſulis amplioribus. Itaque Viſitatori, vel Commiſſario, niſi habeat ſpecialem auctoritatem, non licet, neque conceditur auctoritas Prælatos ab eorum officijs remouendi: quod eſt, nedum iuxta ſtatuta Ordinis Prædicatorum, ſed cenſetur ex iam adductis, de iure quoque communi, & ſecundum ſtilum curiæ Romanæ. Ideo ab omnibus eſt obſeruandum.

Vbi non omittam quædam notabilia adducta in ſua praxi fori Eccleſiaſtici à Riccio, in deciſione 110. quæ redacta pro faciliori intelligentia ad formam propoſitionum, ſunt quæ ſequuntur.

33 Prima. Regulariter delegatus à † Papa, vel à Principe (intellige ſupremo) poteſt in cauſis ſibi commiſſis alios ſubdelegare, vt communiter tradunt DD. *in cap. quoniam Apoſtolica, de offic. deleg.* & *in l. à iudice, C. de iud.*

Secunda. Quoties in literis patentibus etiam in forma Breuis conceſſis, apponuntur verba clare perſonalitatem ipſius delegati, & negotium, ad quod delegatur exprimentia, vt euenire ſolet in cauſis grauiſſimis: tunc, & eo caſu delegatus etiam Apoſtolicus non poteſt ſibi commiſſam cauſam alteri delegare, DD. *in eodem cap. quoniam Apoſtolica*, & præſertim Guid. Papa *in dicto cap. ſub num. 5.* & alij, quos referam poſt Bullam Pij V. ad finem huius capitis, adducendam.

Tertia. Quoties cauſa, ſiue negocium commiſſum, reſpicit publicam vtilitatem in materia graui, non admittit ſubdelegationem. Guid. Pap. *vbi ſupra, n. 7.* & Abbas, *num. 2.* & pro regula generali habetur ex Baldo *vbi ſupra, num. 5. & 7.* ex magnitudine miniſterij commiſſi cenſetur perſona delegata cum reſtrictione, ne poſſit alium ſubdelegare. Iaſ. *in l. more, num. 65. ff. de iuriſd. omn. Iud.* Menoch. *de arbit. lib. 1. q. 54. & 68.* & *in tract. de præſump. q. 21. nu. 4.*

Quarta. Quoties in literis delegationis inueniuntur clauſulæ, quibus electa cenſetur induſtria perſonæ, vt puta, *diſcretioni, vel circumſpectioni tuæ committimus*, &c. ſiue *conſcientiam tuam oneramus*, vel *per te* aut *coram te*, & ſimilibus: tunc cenſetur ablata facultas ſubdelegandi, DD. communiter *in d. cap. quoniam Apoſtolica, §. his autem*, Creſcent. *deciſ. 1. de offic. deleg.* Gratian. *deciſ. 157. num. 1.* & Iaſ. *in l. iudice 12. limit. C. de iudic.* vbi alios etiam ad idem cumulat.

34 Cùm itaque † ſolus Generalis, & Capitulum Generale valeant declarare Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum, nec intelligatur conceſſa alicui, etiam per clauſulas generales, conſimilis facultas (& verius id nequeat fieri) euidentiſſimum eſt, quod multo minus eiſdem poterit, nec per clauſulas generales, ne-

que

que ſpeciales; cum diſpenſatio ſit iuris relaxatio, vt tradunt communiter omnes canoniſtæ, & ſummiſtæ *verb. Di-*
35 *ſpenſatio, nu. 1. vel 2.* Et Prælati † Religionum non poſſunt diſpenſare ſuper Regulam, & Conſtitutiones à ſancta Sede Apoſtolica approbatas, niſi quantum illis à Regula vel Conſtitutionibus permittitur, vel niſi habeant ſuper his ſpeciale Priuilegium Apoſtolicum, ex Innoc. *in cap. 2. de eo qui fur. Ord. recepit*, & Abbas *in cap. ſi Clerici, §. de adulterijs*, Angelus *verb. Diſpenſatio, nu. 7.* vbi refert multos caſus, quibus Abbas poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis. Idem quoque tradit Silueſter eodem *verb. Diſpenſatio, nu. 20. Dico* (inquit) *quòd non, niſi in quantum ei à iure vel Regula aut priuilegio conceditur.* vbi numerat decem caſus, in quibus poteſt Superior, Abbas vel alius Prælatus regularis diſpenſare cum ſuis ſubditis. Numquam tamen poteſt ſuperior ex tali facultate etiam Apoſtoca, ſibi conceſſa, ſuper eſſentialia Regulæ diſpenſare, data quoque legitima cauſa; vt communiter traditur, & multo minus circa totam Regulam: id enim requirit poteſtatem ſummi Pontificis, qui Regulam & ſtatuta confirmauit, ita communiter omnes.

Redeundo ad principale intentum reſolutionis dubij propoſiti parum ſupra, §. *denique ad maiorem, &c.* Iterum
36 repeto †, in generali & ampla conceſſione à Prælato ordinario, etiam à Generali facta eius delegato, non comprehenduntur ea quæ veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, vt ſupra dicta optimè probant: quemadmodum in ampliſſima conceſſione ſiue facultate conceſſa ab Epiſcopo ſuo Vicario Generali, non intelligitur conceſſa facultas conferendi beneficia vacantia in menſibus in quibus collatio ſpectat ad Epiſcopum, *cap. vlt. de offic. Vicarij, in 6.* Et quando Epiſcopus (& proportionaliter alius Prælatus) concedit facultatem alicui, vel aliquibus, abſoluendi in foro conſcientiæ quoſcumque pœnitentes venientes ad ſe, etiam per clauſulas vniuerſales; nunquam cenſetur conceſſa facultas eis abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, *cap. 2. de pœnit. & remiſſ. in 6.* vbi aſſignatur pro ratione. *Cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*, vbi etiam Gloſſ. ad illa verba, *nulla quoque*, inquit: *Si Epiſcopus ſubdito ſuo contulerit facultatem eligendi Confeſſorem doctum, & idoneum, qui eum poſſit abſoluere ab omnibus peccatis, non poterit Confeſſor à caſibus epiſcopalibus abſoluere*, ſubdens immediatè verba textus eiuſdem cap. 2. cuius initium eſt, *ſi Epiſcopus*, quod Capitulum continet Statutum Bonifacij VIII. quæ ſunt. *Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci quod aliquis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſoluere vel ligare.* Quod vero eadem proportionaliter intelligantur de Superioribus & Prælatis regularium, declarat Gloſſa *ibidem verb. Eligere*, dum inquit. *Epiſcopi & Archiepiſcopi, & Superiores inferiores ab Epiſcopis exempti, habent à iure licentiam quod idoneum Confeſſorem ſibi eligunt, qui poteſt eos ſoluere, & ligare.*

Circa quod iuris priuilegium limitatio quædam & declaratio inuenitur ſacræ Cógregationis Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium ſacri Conc. Trident. interpretum, qua prohibetur Epiſcopo, non obſtante diſpoſitione cap. finalis, de pœnit. & remiſſ. ne poſſit eligere ſibi confeſſarium non ſubditum, qui à proprio ſuo Epiſcopo non fuerit antea approbatus. Hanc declarationem, refert inter alios Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 8.* &

alij Summiſtæ moderni *verb. Epiſcopus*. Et celeberrimi Iuriſtæ docent etiam per clauſulam ampliſſimam, vt puta, *Damus tibi ampliſſimam, & omnimodam facultatem noſtram, & poteſtatem agendi, quæ nos ipſi poſſemus, ſi eſſemus præſentes*, non conferri facultatem ex his circa ea quæ ſunt ſupremæ iuriſdictionis, & quorum cognitio ſpectat ad Principem, indigentque ſpeciali nota, & expreſſione. ita tenuit poſt Purpurat. *in l. Imperium, nu. 75. ff. de iuriſdic. omnium iudic.* & Roland. *conſil. 4. num. 14.* & Abbas *conſil. 25. dubit. 2. lib. 1.* Gratian. *diſcept. 859. num. 7.* Bald. *in l. quod ſi verum, §. ſi quis, C. ne filij pro parentibus*, Felin. *conſil. 35. nu. 9.* & Azorius *tom. 2. inſtit. moral. lib. 5. cap. 35.* qui inſcribitur, *Quid nam poſſit Viſitator Apoſtolicus*, vbi ad idem citat Baldum, & Felinum *vbi ſupra*, ac etiam Gloſſam *in cap. is cui, de reſcriptis ibidem*. Refert etiam ad verbum Breue Gregorij XIII. editum in inſtitutione cuiuſdam Viſitatoris Apoſtolici, cum ampliſſima facultate: & præſertim in caſu diſpenſationis ſuper Conſtitutionibus, & Statutis eiuſdem Religionis: quia condere leges vel Conſtitutionibus iam conditis derogare, pertinet ad ſupremam Principis ſiue Prælati iuriſdictionem, Bartol. *l. in omnes Populi, ff. de iuſt. & iur. num. 3.* Iaſon. *ibidem, num. 25.* Bald. *in l. fin. C. de iuriſdic. omnium iudic.*

37 Addas his omnibus † quod generalitas clauſularum nunquam extenditur ad ea quæ ſunt præter ius commune vel particulare huius vel alterius Religionis, prout eſt tollere aut derogare Conſtitutionibus generalibus Ordinũ à ſancta Sede Apoſtolica approbatis: quod de facili concedi non ſolet, vt nouiſſimè tradit Giouagnonus *conſil. 14. num. 63. lib. 1.* Et idem fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Cardinali Lancellotto *in vna Valent. decimarum 28. Nouembr. 1603. & in dicta deciſ. 84. num. 7. par. 1. recent.* & idem docuit in terminis de Cardinalibus Legatis de latere, cum ampliſſima auctoritate expeditis, Honded. *conſ. 93. nu. 70.* & *conſ. 104. nu. 20. lib. 2.* & Marſilius *conſil. 49. num. 69. & 70.* Gratian. *diſcept. 859. nu. 8.* & *in deciſ. recent. par. 1. deciſ. 287. num. 5.* & *deciſ. 490. nu. 7.* hoc vno adnotato, quod illa verba, *ac ſi nos eſſemus præſentes, &c.* attribuunt delegato non omnem qualitatem, & auctoritatem delegantis; ſed ſimilitudinem quandam, non tamen in omnibus, vt patet per textum *in l. ſi finita, §. ſi quis metu, ff. de damno infect.* & *l. ſi deferente, ff. quibus modis pign. & hipot. ſoluat.* Rot. *deciſ. 58. nu. 1. par. 1. recent.* Grat. *tract. de diction. dict. 3.* Rot. *deciſ. 576. nu. 1. par. 1. recent.* Addendumque eſt id quod in facultatibus perſonis delegatis conceſſis, hoc eſt quod non legitur in eiſdem, hoc eſt quod non exprimitur, cenſetur denegatum: Rot. apud Gregorium XV. *deciſ. 287. nu. 5. & 6.* Cuncta hęc traduntur pro intelligentia illius clauſulæ, *Quæ noſmetipſi faceremus*.

38 Quo vero † ad illam aliam clauſulam ſiue verius dictionem, *Omnimoda*; etſi ſecundum doctrinam multorum, præſertim *Clemen. 1. §. eiuſdem*, & ibi gloſſæ, *in verb. Omnimodam, de foro competen.* ſignificare poſſit liberam poteſtatem, & iuriſdictionem; nihilominus ſanior communiorque ſententia ea eſt, quod neceſſario recipiat à iure communi congruam interpretationem, ita vt non extẽdatur ad ea quæ ſunt præter ius, Ruin. *conſ. 8. nu. 11. volum. 5.* Roland. *conſ. 61. num. 55. tom. 2.* Bald. *in l. fin. C. de contrahenda emptione*, Decius *conſ. 356. nu. 3. lib. 2.* Grat. *de diction. dict. 49. verb. Omnimoda, nu. 4.* præſertim quia in reſcriptis non fit extenſio, cum ſint ſtricti iuris. Federic. *de Sen.* qui alios quamplures ci-

res citat, *conſil.* 145. *verſ. præterea*.

Valde cauti igitur eſſe debent Commiſſarij, ſeu Viſitatores, vel delegati, ne quidquam agant, maximè in materia graui, contra ſubſtantiam formæ commiſſionis, ſiue delegationis, vel contra qualitatem; alias eorum actus nullius erunt valoris, *cap. Piſanis* & *ibi* Abbas *notab.* 4. *de reſt. ſpol.* qui textus reputatur ſingularis in hac materia communiter ab omnibus. Idem ſentit Bald. *in cap.* 2. *circa exordium de ſent. & re iud.* & Iaſon. *in l. ſi Procurator, num.* 3. *C. de Procurat.* Certiſſimum eſt enim quod totum id quod fit præter formam commiſſionis eſt ipſo iure nullum, *l. inter eos*, §. *ſed ſi ita*, *ff. quod quiſque vniuer.* & vt animaduertit Aloyſius Riccius *in ſua praxi fori eccleſiaſtici deciſ.* 106. *num.* 6. Rot. Rom. *in vna Auximana prædij coram Orano*, & *in illa altera Cardinalis Seraphini* 1308. non tenuit contrarium: primo quia Commiſſarij de quibus in præfatis deciſionibus, non exceſſerunt formam ſuæ commiſſionis, ſed pinguius adimplerunt eandem formam; quod non eſt variare formam, neque egredi limites illius, ſecundum textum notabilem *in l. ſi quis mihi bona*, §. *penult. verſic. quod ſi ex parte*, *ff. de acquiſ. hæred.*

Reſpondetur ſecundo, quod qui facit illud, quod eſt vicinum & valde proximum commiſſioni, prout fuit factum in caſu, de quo in deciſionibus Rotæ Romanæ, non agit cōtra formam commiſſionis, vt docet gloſſa *in cap. innocens* 22. *quæſt.* 4. & alia gloſſa *in cap. licet ego* 8. *q.* 1. quod etiam habetur in textu *cap. in cauſis, de elect.* & *ibidem* gloſſa, & *in cap. poſt tranſlationem*. Seruanda eſt igitur forma, & qualitas commiſſionis. Commiſſio enim, vt communiter omnes tradunt, eſt ſtricti iuris; & Commiſſarius vnius cauſæ non poteſt cognoſcere de alia non comprehenſa in ſua commiſſione; ideo commiſſionalia ſunt ſtrictè intelligenda. ita omnes.

Punctum Quintum.

Bullæ, de quibus paulò ſuperius ſermo habitus eſt, ſunt quæ ſequuntur.

39 *Bulla Pij V. De facultate abſoluendi conceſſa Prælatis Ordinis Prædicatorum ad inſtar in hoc Epiſcoporum.*

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis circumſpecta benignitas honeſtis petentium votis, quæ perſonarum ſub religionis iugo Altiſſimo famulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & fauoribus proſequitur oportunis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis fratrum Prædicatorum, quod cum in Bulla Cruciatæ ſanctæ, & alijs priuilegijs, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi confeſſorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chiſtifideles abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam etiam quæ dictæ Sedi reſeruata ſunt: Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonulli, etiam his facultatibus vti præſumunt, & illarum prætextu eligunt Confeſſorem aliquem, præter eos, qui à ſuis Prælatis pro audiendis eorum confeſſionibus deputati ſunt; quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Prior nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportune prouidere de beni-

gnitatem Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi obuiare volentes, ac eundem Priorem à quibuſuis excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem Cruciatæ ſanctæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum Fratribus, & ſororibus monialibus totius Ordinis prædicti, tam Prouinciæ Hiſpaniæ huiuſmodi, quàm extra eam vbilibet locorum, minimè habere nec cenſeri; ſed noſtræ intentioni exiſtere, quod ijdem Fratres, & Moniales ad Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo declaramus: Eiſdem tamen Prælatis, vt in vſu huius poteſtatis ſe cum ſubditis benignos & faciliores exhibeant, præcipientes, & mandantes. Et inſuper, quia ſacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium cõceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ ſeu conſcientiæ, ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 25. cap. 6. habetur: ne Prior Conuentualis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tam in dicta Prouincia, quam extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quam clerici, aut ſeculares exiſtant; eiſdem Priori Conuentuali & Superioribus Prælatis, vt ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in clericos, & laicos ſibi ſubiectos, tam quo ad abſoluendi & diſpenſandi huiuſmodi, quàm alias qualcumque facultates, eiſdem auctoritate & tenore etiam, perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus. Decernentes præſentes literas perpetuo durare, & valere; & ſub quibuſuis illorum conſimilium vel diſſimilium conceſſionum, indulgentiarum, & gratiarum renunciationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, derogationibus, vel alijs contrarijs diſpoſitionibus, etiam per nos & ſucceſſores noſtros Romanos Põtifices pro tempore exiſtentes, aut Sedem Apoſtolicam etiam, ex quauis cauſa, aut aliàs quomodolibet canonicè, vel de facto nunc & pro tempore factis & faciendis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas; & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas exiſtere, & fore, ac cenſeri, & ſuffragari debere. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis Apoſtolicis, ac vniuerſalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Cõcilijs editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quibuſuis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumq; expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenorem ſuum, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata, inſe-

reren-

rerentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus; cæteriſque contrarijs quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 21. Iulij 1571. Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Virtute huius Bullæ, poſſunt etiam modò, per ſeipſos tantum (propter ſtatim dicenda) Prælati noſtri Ordinis Prædicatorum in eadem Bulla nominati, in foro conſcientiæ ſolum ſuos ſubditos abſoluere, & diſpenſare cum illis, ab his, & ſuper his in eadem Bulla expreſſis; quæ facultas eſt valde ampla, vt aſſerunt nonnulli: & maior cenſetur illâ, quæ datur Epiſcopis à ſacro Concilio Tridentino. Idem quoque, licet non in tanta latitudine, conceſſit Gregor. XIII. Fratribus Ordinis ſancti Bernardi Regnorum Hiſpaniæ, quemadmodum habetur in eorum Compendio Priuilegiorum, verb. *abſolutio quoad Fratres*, §. 19. vbi tamen excipitur hæreſis, atque homicidium voluntarium. Poſſunt ſiquidem Prælati noſtri Ordinis diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex homicidio voluntario, ſi fuerit tamen occultum, ex eadem Bulla Pij Quinti: quæ diſpenſatio, vt animaduertunt Roderiq. *tom.* 1. *quæſt. Reg. q.* 24. *ar.* 16. & Miranda *tom.* 2. *Manual. q.* 8. *art.* 10. intelligēda eſt quoad Ordines, non autē ad futuras Prælaturas habendas intra, vel extra Religionem; & Prouinciales Ordinis Prædicatorum, atque Abbates Congregationis S. Hieronymi Regnorum Hiſpaniæ poſſunt diſpenſare ſuper mutilatione volūtaria membrorum, dummodo ſit occulta, ex Bulla Pij V. de qua ſupra; & Hieronymiani ex conceſſione illius facta à Greg. XIII. anno 1574. *Nec mirum eſt*, inquit Roderiq. vbi ſupra, art. 16. ad calcem, *Prælatos Regulares maiorem poteſtatem habere erga ſuos ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos; cùm prout conſtat ex libris ſuorum Priuilegiorum, fauore Religionis, multo maiores fauores illis à Sede Apoſtolica impertiantur.* Addi poteſt alia ratio præter illam, laborum quos glorioſe pertulerunt Regulares in communem Eccleſiæ vtilitatem, vt tollantur ſcilicet, frequentes diſcurſus eorundem, ſub prætextu diſpēſationis ad Romanā Curiam ſæpè confugientium, vt teſtatur Eugenius Quartus, in Priuilegio ab ipſo conceſſo Monachis ſancti Benedicti Obſeruantiæ Italiæ circa diſpenſationem, & irritationem votorum ſuorum ſubditorum, quod recenſet Roderiq. *tom.* 1. *q.* 25. *art.* 4. ad calcem.

40 Qua occaſione vniuerſaliter conſidero, quod † Prælati Regulares, præſuppoſita ſemper legitima cauſa, poſſunt diſpenſare ſuper votis ſuorum ſubditorum; & quod amplius eſt, illa irritare, ſine aliquo bono ducti, propter rationem aſſignatam à Diuo Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *in corp.* & *in reſp. ad* 1. & *ad* 3. *arg.* dum inquit: *Quia Religioſus ſubditus eſt Prælato, quantum ad ſuas operationes, ſecundum profeſſionem Regulæ.* & poſt pauca ſubdit; *nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati*; quod etiam repetit *in reſp. ad* 4. *arg. eiuſdem art.* addens; *Non tamen peccant vouendo, quia in eorum voto intelligitur conditio, ſcilicet, ſi ſuis Superioribus placuerit, vel non renitantur*, quam D. Thomæ doctrinam declarant, atque ampliant expoſito-

poſitores ipſius, *vbi ſupra*; ſed præter omnes fideliſsimus Diſcipulus eiuſdem ſancti Doctoris, Caietanus *in comm. ad prædictum articulum per totum*, præſertim ad initium, *&* §. *in reſponſione ad* 3. vbi duo addit. Primum eſt, *Religioſus ſubditus Prælato ſecundùm Regulam, nõ ſolum ſubditus eſt quoad operationes, & omiſſiones contentas in Regula, ſed quoad eas, quæ ad contenta ſub Regula rationabiliter ordinari poſſunt*. Secundum eſt, *quod Religioſus ſubditus eſt Prælato, in operationibus exercendis, & omittendis omnibus quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, aut peccata, excepto exercitio excedentium Regulam, & tranſitum ad arctiorem Religionem, vel ſtatum: quæ quia ſemper intelliguntur excepta, ideo abſolute verificatur, quod Religioſus eſt ſubditus Prælato in omnibus operationibus, & omiſſionibus ſuis*. De qua materia copioſe tractant omnes Summiſtæ *verb. votum*, & *verb. diſpenſatio*. & Sotus *lib. 7. de iuſt. & iure, q. 4. art. 1. & ſequentibus*. & in Compendijs Priuilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium, verb. *votum*, verb. *diſpenſatio*, & verb. *Prælatus*.

41 Facultas, de qua † in hac Bulli Pij V. non poteſt alteri delegari, vt apertè demonſtrant verba ipſius Bullæ, §. *& inſuper*. Verba ſunt, *& ipſi per ſeipſos idem omnino poſsint*. ideo Superiores in illa nominati, & non alij, virtute ipſius priuilegij Pij V. poſſunt in ſuos ſubditos viros, vel moniales, quod poſſunt Epiſcopi ex diſpoſitione Concilij Tridentini in eadem Bulla relati. Ratio eſt, quia illa clauſula, *per ſeipſos*, eſt ſpecialis, & talis facultas conceditur induſtriæ perſonæ Prælatorum nominatorum in Bulla Pij V. ideo alteri nequit delegari. Io. Andreas *in cap. 2. de teſtam. lib. 6.* & *ibidem* Geminian. & *in cap. vt circa, de elect. in 6.* § *penult.* Oldradus *conſ. 99.* Baldus *l. nulli, verſ. quia pro ſua conſcientia, C. de Epiſc. & cleric.* Gloſſ. in *cap. finali, de dilation.* nam vbi requiritur præſentia alicuius, talis actus nequit ritè, ac rectè fieri per Procuratorem, ſiue per alium ſubdelegatum, tex. *in l. final. ff de excuſat. tut.* ibi quoque Baldus, per eundem text. *verſ. dummodo per ſe exerceat. cap. licet, de decim.* in quo cap. agitur de priuilegio collato facientibus actũ proprijs manibus, quod nequit trahi ad illos qui talem actum exercent per alios. Quæ omnia propter ſimilitudinem, & identitatem rationis optimè locum habent in caſu noſtro, de quo in Bulla Pij V. & proportionaliter extenduntur vniuerſaliter atque generaliter ad conceſsiones, ſiue commiſsiones quaſcumque, vel priuilegia conceſſa perſonis, & eorum induſtriæ ſpecialiter commiſſa, vt fuſius explicaui ſupra §. *vbi non omittam*.

42 *Alia Bulla eiuſdem S. D. N. Pij Quinti, in quo conceditur facultas, quod Superiores Ord. Fratrum Prædicatorũ in vnaquaque Prouincia poſsint conſtituere etiam plures ſui Ordinis Fratres, ab eis approbatos, in Notarios publicos, pro intimandis mandatis, & reſcriptis Apoſtolicis, publicam vel priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentibus.*

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum Paſtoralis officij, nobis (meritis licet imparibus) ex alto commiſſi, nos admonet, & inducit, vt circa Religionum quarumlibet, præſertim Ordinis Fratrum Prædicatorum ſancti Dominici, ad quem patrio quo-

dam

dam iure peculiarem gerimus paternæ charitatis affectum, ſtatum proſperè dirigendum, & reſcripta Apoſtolica quæcumque publicam, ac aliàs priuatam dicti Ordinis, & Fratrum, ſiue Monialium eiuſdem vtilitatem concernẽtia, per probos, & idoneos eiuſdem Ordinis religioſos, perſonis, quibus opus fuerit intimanda, & inſinuanda, ac debitè exequenda, ſtudijs inuigilemus aſſiduis, ac alias omnibus illorum incommodis, & neceſſitatibus conſulamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut nobis dum in minoribus conſtituti eſſemus, ſatis comprobatum ſit, quòd Fratres Religioſi, & Moniales dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum ſancti Dominici, ſiue Ordinem ipſum, vel illius regulam profitentes, quem quidem Ordinem expreſſe profeſſi ſumus; tam vniuerſaliter, quam particulariter; quamplura damna, incommoda, & detrimenta patiuntur, & impenſas ſuſtinent, ex eo quod Notarij tam clerici, quam laici ſeculares, etiam Apoſtolica, Imperiali, Regali, aut alia auctoritate creati, & conſtituti, in plerìſque mundi partibus, regionibus, Regnis, Prouincijs, Dominijs, & locis exiſtentes, ex eis oriundi, ſiue aliàs inibi commorantes, mandata, conceſſiones, gratias, priuilegia, & indulta, aliaq; reſcripta Apoſtolica, tam in publicam, quam priuatam vtilitatem emanata, ſiue cõceſſa, & bonum, ſiue commodum publicum, ſiue priuatum concernentia, Dominis temporalibus, ſiue Poteſtatibus, Regibusque, Ducibus, Principibus, Marchionibus, ac alijs Dominis, & perſonis, quibus intimanda, ſiue inſinuanda veniunt, ac intimare, & inſinuare oportet, intimare, notificare, ſiue inſinuare varijs conſictis reſpectibus recuſant, ſiue non audent, contra eorundem officium liberum, & publicum exercitium, debitamque Sedi Apoſtolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ, & priuatæ vtilitatis, & commodi præiudicium, & detrimentum. Nos igitur cupientes quantum cum Deo poſſumus, in præmiſſis, Ordini, & Fratribus præfatis, ac etiam Monialibus ipſis de opportuno remedio prouidere, & dictis incommodis, detrimentis, expenſis, & damnis eorum obuiare, neque mandata, priuilegia, gratias, conceſſiones, indulta, & reſcripta Apoſtolica, in genere, vel in ſpecie dicto Ordini, ſiue ipſius Ordinis Magiſtro Generali, Prouincialibus, alijſq; Superioribus, Prioribus, & Fratribus, & eorum ſingulis, dictiſq; Monialibus, ſiue earundem Abbatiſſis, & Prioriſſis, earundem etiam ſingulis eiuſdem Ordinis, ſiue dictum Ordinem, & illius regulam profitentibus, quomodolibet in genere, vel in ſpecie conceſſa, aliaq; mandata, & reſcripta Apoſtolica, publicam, vel priuatam ipſius Ordinis vtilitatem quomodolibet concernentia, & emanata, ob id debito careant effectu, & vacua remaneant, prouidere volentes; ipſoſq; Ordinem, ac illius Magiſtrum Generalem, Vicarium, Procuratorem, & Fratres, ac Abbatiſſas, Prioriſſas, & Moniales, earumq; ſingulos, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; necnon nomina, cognomina Magiſtri Generalis, Prouincialium, Vicariorum, Procuratorum, & aliorum Superiorum, ac dictarum Abbatiſſarum, Prioriſſarum, & Monialium, inuoca-

uocationesque, denominationes, & dependentias, Monaſteriorum, domorũ, Conuentuum, & aliorum regularium locorum, tam virorum, quam mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatorum, conceſsionum, indultorum, reſcriptorum, aliarumque gratiarum tenores, præſentibus pro expreſsis habentes. Motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa Noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, modernis, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Magiſtro Generali, Vicarijs, & Prouincialibus, tam citra, quam vltra, ac alias vbilibet conſtitutis, quod in vnaquaque eorum Prouincia, vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis bene viſos dicti Ordinis Religioſos, ſeu Fratres, probos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipſis approbatos, in Notarios, creare, conſtituere, & deputare; Qui ſic creati, conſtituti, & deputati, ſine aliquo reſpectu, & omni ceſſante recuſatione; libere quoties requiſiti fuerint, omnia & ſingula mandata, priuilegia, conceſsiones, gratias, & indulta Apoſtolica, aliaque tam vniuerſalia, quam particularia dicto Ordini, ac quibuſuis illius, quæ de Obſeruantia ſunt tantum, locis, Domibus, Conuentibus, Monaſterijs, & Eccleſijs, tam virorum, quàm mulierum, & ſeu eiuſdem Ordinis Magiſtro Generali, Prouincialibus, Vicarijs, Prioribus, & alijs Superioribus, Fratribus, ac Abbatiſsis, Prioriſsis, monialibus, & alijs perſonis ſub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ ſunt obſeruantiæ tantum, in genere, vel in ſpecie, & ad vniuerſam, ſiue priuatam vtilitatem conceſſa, & emanata reſcripta Apoſtolica, eiſdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, alijsq. perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus quibuſcunque, vbi & quoties opus fuerit, ac ad id requiſiti fuerint, notificare, inſinuare, & intimare. Ac eoſdem iuxta mandatorum, cõceſsionum, indultorũ, priuilegiorum, & reſcriptorum huiuſmodi formam, continẽtiam, & tenorem, requirere, aliaque omnia, & ſingula circa ea requiſita, & opportuna facere, gerere, exercere, & exequi: ac de eiſdem omnibus, & ſingulis publicos, & publica, actus, & inſtrumenta eorum teſtibus ad hoc requiſitis conficere, & ſtipulare, ac in notam redigere; & exinde ſemel, vel pluries, prout ad id requiſiti fuerint, vnum, vel plures; ac plura, publicos, & publica, actus, & inſtrumenta, quibus eadẽ prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac ſi per alios quoſcunque publicos, & authenticos rogatos notarios, ſtipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuiſſent, conficere; & debitis ſignis, & characteribus ſubſcribere, & authenticare liberè, & licitè poſſint, & valeant; Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem impartimur, concedimus, & indulgemus: Eiſdemq. actis, notis, inſtrumentis, & ſcripturis per dictos Religioſos, vt præfertur, authenticatis, plenam, & indubitatam fidem vbique, tam in iudicio, quàm extra adhibere; ac eoſdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos eis afficere, & arctari debere, volumus, ſtatuimus, et ordinamus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, et indignationis noſtræ, ac ſuſpenſionis à diuinis, quoad Archiepiſcopos, et Epiſcopos, quoad alios verò inferiores, ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, locorum Ordinarijs, et alijs quibuſuis perſonis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, et conditionis exiſtentibus, et quacunque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, ſeu poteſtate,

ſtate, etiam Legati de latere, ac Cardinalibus Cardinalatus honore fulgentibus, ne ipſos notarios, vt præfertur deputatos, et electos, ſiue eorum aliquem in executione ſupradictorum omnium quouis modo impediant, ſeu impedire aut perturbare audeant vel præſumant. Ac decernentes præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis ſeu intentionis noſtræ vitio, ſeu defectu notari, ſeu impugnari, ac ſub quibuſuis reuocationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris emanandis comprehenſas; ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum, & validiſſimum, etiam ſubdata per eoſdem Magiſtrum Generalem, Prouinciales,& alios ſupranominatos eligenda, conceſſas, reſtitutas, & plenariè reintegratas exiſtere. Et ſic per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & difiniri debere; ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs Iacobo tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin Preſbytero Cardinali de Sabellis nuncupato, noſtro in alma Vrbe Vicario, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti nunc, & pro tempore exiſtentibus, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri generalis, Procuratoris, Prouincialium, & aliorum prædictorum, ſeu alicuius eorum, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum ſingulos indulto, conceſſione, voluntate, Statuto, Ordinatione, Mandato, & Decreto noſtris huiuſmodi, iuxta eorundem, præſentium tenorem pacifice frui & gaudere. Non permittentes omnes deſuper per quoſcũque quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; ac legitimis ſuper his habẽdis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus diætis, dummodo quis auctoritate præſentium vltra tres diætas ad iudicium non trahatur; alijſque quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus,ac etiã iuramento, confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis Statutis et conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis,et literis Apoſtolicis, etiam dictæ Sedis de latere Legatis, Nuncijs, locorum Ordinarijs, et alijs quibuſuis perſonis in præiudicium præmiſſorum per quoſcunque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos, et ſedem præfatam, tam ſub plumbo, quam in forma breuis, et etiam metu, et ſcientia ſimilibus conceſſis, approbatis, et innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorum-

rumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, et forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, et expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, et expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quod tranſumptis præſentium manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, et extra vbique locorum adhibeatur, et adhiberi debeat, quæ literis ipſis Originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimo primo Martij, milleſimo quingēteſimo ſeptuageſimo primo, Pontificatus noſtri anno ſexto, etc.

Laurentius de Portel, Ordinis Minorum de obſeruantia, in ſuis dubijs Regularibus, *tit. Notarius num. 1. 2. & 3.* tradit ex Roderiquez, Aldrete, & alijs, poſſe Prouinciales creare Notarios intra Ordinem pro cauſis criminalibus Religioſorum, ita vt illis tanta fides adhibeatur, quanta Notario ſeculari. *Cum enim cauſæ Religioſorum, non poſſint tractari coram iudice ſæculari; neque poſſint cauſæ illorum graues proceſſari abſque Notario, vt tenet Rodriquez tom. 2. quæſt. 13. art. 2. (quia iudex non poteſt eſſe Notarius) ſequitur omnino quod Superiores in cauſa criminali graui, poſſint creare Notarios, quod ſolent facere per ſuum Secretarium: poſſunt enim in cauſis ſubditorum, quod poſſunt Epiſcopi. Habent enim Prælati Regulares plenum ius circa cauſas ſuorum ſubditorum. Idemque poterunt facere Guardiani in cauſis ſuorum ſubditorum. Et hoc poſſe facere Prouinciales ex conſuetudine, tenet Aldrete cit. loc. num. 4. citans Ioan. Andr. Abbat. Felin. Imolam.*

Aldrete *lib. 1. de Relig. diſciplina, cap. 8. nu. 8. & 9.* addit quod prædictus Notarius creatus à Guardiano, vel Priore, debet recipere iuramentum fidelitatis, tanquam de eſſentia officij Notarij; teneturque ſe ſubſcribere poſt examina teſtium, & eorum ſubſcriptionem.

Moderatio Conſtitutionum Sixti Quinti felicis recordationis, contra illegitimos regulares facta à S. D. N. Gregorio Papa XIV.

GREGORIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia, ea quæ rationabilibus cauſis auctoritate Apoſtolica ſancita fuerunt, ipſa rerum experientia ſuadente, & alijs interdum non minus iuſtis cauſis moderatur, & immutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè, licèt alias felicis recordationis Sixtus PP. V. prædeceſſor noſter, nōnulla circa qualitatès, modum & formam admittendi religioſos ad quoſcunque Ordines ſalubriter ſtatuerit; prout in duabus deſuper, prima videlicet ſub

cet ſub datum 6. Kalen. Decembris anno 3. & altera ſub datum 12. Kalendas Nouembris anno 4. ſui Pontificatus editis Conſtitutionibus latius continetur: Quia tamen vſu comprobatum eſt multa inuenta fuiſſe impedimenta, propter quæ ea, quæ in præmiſſis ſtatuta fuerunt, executioni minimè mandari poterunt: Vnde quamplures litteris, & pietate inſignes viri à ſancto propoſito regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alij diu cum magna eorum laude in Religione verſati, ab illius dignitatibus, honoribus, prælaturis, cum non modico Religionis, & Ordinum huiuſmodi detrimento repulſi, & inhabiles penitus redditi fuerint. Nos igitur ea, quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe conſtituta, confirmare, quæ vero moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum Conſtitutionum, & inde executorum quorumcumque tenores, etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes; habita cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper negotijs, & Conſtitutionibus Regularium deputatis, matura deliberatione: de eorundem conſilio prædictas Conſtitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo dãnato toto vel complexu, ad quamcunque Religionem, neque ad habitum, aut profeſſionem Regulares, ſed tantum ad habitum Conuerſorum, aut famulorum in Monaſterijs alijſque locis Regularium ſeruientium admittantur: & ſi poſt dictam Conſtitutionem profeſſionem emitterẽt, voluit eam nullius eſſe momenti. Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiã ante ipſam Conſtitutionem profeſſos, vigore priuilegiorum aut indultorum Apoſtolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumque Superioribus in genere vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſi per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcunque, tam antiquis quam alijs, priuilegijs, literis Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus non obſtantibus, excludi; atque diſpenſationes quaſcunque, aut legitimationes non ſuffragari, nec in futurum cum his, niſi à Sede Apoſtolica, priuilegijs quibuſcunque non obſtantibus, diſpenſari poſſe voluit: Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ad terminos iuris reducimus, & moderamur; ac omnes diſpenſationes, & habilitationes vigore priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monaſterio, aut Congregationi, eorumue Superioribus in genere vel in ſpecie vt præfertur conceſſorum, quæ tempore Conſtitutionum huiſmodi vſu recepta, & non ſub illis, & alijs reuocationibus comprehenſa erunt, per quoſcunque eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum, & validitatem, in quibus ante ipſas Conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus, & reintegramus. Volentes, ijſdem Conſtitutionibus non obſtantibus, eos qui quouis modo illegitimè procreati fuerint, ad habitum, & profeſſionem Regulares admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant ſi ſupradictæ Conſtitutiones editæ non fuiſſent: ita tamen vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis ad habitum & profeſſionem Ordinum quorumcunque agetur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia ex quibus ex dictarum Conſtitutionum præcepto circa quoſcunque etiam legitimos diſquirere debent, diligenter vitam eorum, & mores inquirant; & ita demum recipiant,

piant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpeciem præ ſe ferant, ac tot eis merita ſuffragentur, vt natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et ſuper hoc ipſo, ij ad quos (vt dictum eſt) pertinet huiuſmodi receptio, matura deliberatione habita ita cenſuerint, & iudicauerint; dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo patre iuuente non admittatur: quod expreſsè prohibemus. Volumus quoque ac ſtatuimus, licere Generali, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ dummodo vſu recepta, nec alias ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus, cum illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non alias, ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcunque, vt antea valere, & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ Conſtitutiones non emanaſſent.

Ceterum cum acceperimus nonnullarum Religionum, & Ordinum, præſertim monachalium, Monaſteria ita inſtituta eſſe, vt in eis perpetua quidem filiatio conſtituatur: Ideoque receptio Nouitiorum in vnoquoque Monaſterio ad Superiorem Prælatum, & Capitulum eiuſdem Monaſterij tantum pertineat, quæ etiam Monaſteria vt plurimum inter ſe longe diſtant, nec generalia, prouincialia, aut intermedia Capitula niſi perraro celebrare ſolent: Ideò, ſtatuimus vt Superiores illorum Monaſteriorum de conſenſui ſui Capituli, præhabito ſimul cum his, de quibus in vnaquaque Religione aut Monaſterio, iuxta eius Conſtitutiones, recipiendus interrogari ſolet, aliqua informatione ſuper his quæ in dictis Conſtitutionibus continentur, ad receptionem huiuſmodi procedere valeant; dummodo tamen antequam ad profeſſionem admittatur, plenaria & eo modo, prout in dictis Cōſtitutionibus habetur, inquiſitio fiat; vt poſtea ab eis à quibus examinari ſolent, diligenter examinentur, & approbentur; & demum in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes quod Superiores præcelebrandi Capitula cum tribus aut quattuor ad id cōgregatione per vota ſecreta deputatis, ſeruatis eorum regularibus inſtitutis ac ſupradictis omnibus, eamdem in Nouitijs recipiendis habeant auctoritatem, quæ per dictas Conſtitutiones Prouincialibus Capitulis eſt attributa: Decernentes, ſic & non alias, per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autē quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio,

cio, & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reductionis, moderationis, reintegrationis, prohibitionis, reualidationis, Statutorum, voluntatum, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Idus Martij, Pontificatus noſtri anno primo.

44 Animaduerſione dignum eſt,† quod abſque cauſa vera & reali ſuffragij, videlicet meritorum, nequeunt illegitimi, ex reductione Bullæ Sixti V. facta à Gregorio XIV. ad terminos iuris, de qua ſupra immediatè, à Generalibus diſpenſari, ſiue habilitari ad dignitates, & officia Religionum; quemadmodum apertè nimis demonſtrant illa verba, §.4. *eorum ſuffragantibus meritis*. Cui addendum eſt, id eſſe quoque de iure communi, vti explicat inter alios Roderiquez *tom.1. qq. regul. quæſt.13. art.14.* & per conſequens ſi fiat aliter, huiuſmodi diſpenſatio ſine cauſa meritorum cenſeri debet nulla: primo quia non ſubeſt legitima cauſa: ſecundo ex defectu poteſtatis, quia Gregor. XIV. non abſolute tribuit hanc poteſtatem Generalibus, ſed cum hac reſtrictione, *ſuffragantibus meritis, &c.*

Conſtitutio Clementis VIII. pro recipiendis ad habitum, & profeſſionem Ordinis Minorum de obſeruantia in Prouincijs Hiſpaniarum.

CLEMENS VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

45 Altiſſima paupertatis via, quæ ducit ad vitam, quam Domini veſtigijs illuſtratam Seraphicus ille Beatus Franciſcus diuino Spiritu ductus, ſequutus eſt, cupientibus illam ingredi Apoſtolicæ Sedis prouidentia circunſpecta, debito conſueuit adeſſe præſidio. Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter perpetuo ſtatuit, & ordinauit, iuuenes in aliqua Religione recipi non poſſe, nec debere, niſi prius de eorum parentibus, patria, & anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, ac compertum ſit eos deuotionis, & pietatis feruore vitam religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe; & de eis in Generalibus, vel Prouincialibus Capitulis plena, & indubitata fides fieri debeat; prout litteris prædicti Prædeceſſoris 6. Kalen. Decembris Pontificatus ſui anno tertio confectis, plenius continetur. Cùm autem ſicut accepimus, prædicta Capitula non niſi ſexennij vel triennij ſpatio celebrari ſoleant; animaduertentes tanti temporis mora poſſe pias profiteri volentium mentes tepefieri, & à tanto propoſito adimplẽdo forſan etiam abſtrahi. Nos ad ea remouenda, quæ Religioſorũ eorum propoſitum impedire quoquo modo poſſint, intenti, harum ſerie in Hiſpanijs tantum concedimus Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, ac etiam Miniſtris Prouincialibus dicti Ordinis Fra-

trum Minorum de obſeruantia nuncupatorum, quod extra Capitulum quocunque tempore poſſint & valeant recipere Iuuenes ad habitum, de conſenſu quatuor Diffinitorum, vel de conſenſu quatuor Fratrum ex antiquioribus illius domus in quam Iuuenes recipiēdi ſunt. Concedimus quoque quod ipſi coram Notario, vel Fratres per eos ad hoc deputari poſſint; ac debeant ad inquiſitionem huiuſmodi faciendam vocare teſtes, & ab eis recipere iuramentum. Quod ſi à prædictis Superioribus dicti Ordinis ac Fratribus per Superiores, vt præfertur, deputatis in præmiſſis contra factum fuerit, voce actiua, & paſſiua, nec non officijs, gradibus, & honoribus, & dignitatibus quibuſcunque per eos obtentis eo ipſo in perpetuum priuati, & tam ad illa, quam ad alia quæcunque in poſterum obtinenda perpetuo inhabiles & incapaces, ac excommunicationis ſententia innodati ipſo facto exiſtant: Decernentes ſuſceptionem habitus & profeſſionem, ac inde ſequenda quęcunque valere, perinde ac ſi iuxta tenorem diuæ Conſtitutionis facta fuiſſent. Non obſtantibus dicta, & altera illius declaratoria felicis recordationis Sixti V. Conſtitutionibus, nec non moderatione felicis recordationis Gregorij XIV. Prædeceſſorum noſtrorum, quas in omnibus alijs ſub pœnis in illis contentis obſeruari prorſus volumus, & mandamus, ac quibuſcunque alijs in contrarium facientibus. Ceterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, vbi neceſſe fuerit, deferri; volumus, & ſimiliter auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu Miniſtri, ſeu Commiſſarij vel Procuratoris Generalium dicti Ordinis ſubſcriptis, de eorum ſigillo obſignatis eadē fides prorſus adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 14. Aprilis M. D. XCII. Pontificatus noſtri anno primo.

Marcellus Veſtrius Barbianus.

Eandem conceſſionem elargitus eſt in forma ampliſſima idem Clemens Octauus pro recipiendis ad habitum, & profeſſionem in celeberrimo Conuentu ſancti Stephani Salmaticenſis Ordinis Prædicatorum, vti videre eſt in Bulla conceſſionis eiuſdem Clementis, cuius initium eſt, *In hu quæ*. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 10. Septemb. 1597. anno ſexto ſui Pontificatus: quam Conſtitutionem fideliter refert per extenſum, inter alios Rodericus *tom. 3. ſuarum qq. regul. q. 54. art. 5. ad finem*.

46 Sequitur alia Conſtitutio eiuſdem Pontificis Clementis Octaui, † qua declarat validas, atque legitimas eſſe profeſſiones emiſſas à Regularibus contra tenorem alterius Conſtitutionis Sixti V. de qua fit mentio in hac eadem, & in illa ſuperius adducta Gregorij XIV. dummodo adſint alia ſubſtantialia neceſſario requiſita de iure communi ad validitatem profeſſionis, tenoris ſequentis.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſuprema Eccleſiæ Catholicæ ſpecula, meritis licet imparibus, Diuina prouidentia diſponente, conſtituti, omnibus incommodis, quæ in eadem Eccleſia, non ſine fidelium animarum periculo, & detrimento oriri poſſunt, ob variam, & ſiniſtram Cōſtitutionum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum

rum noſtrorum, quas iuſtis de cauſis ediderunt, interpretationem pro noſtri Paſtoralis officij munere conamur prouidere, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum igitur fel. rec. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter, ad integritatem, & candorem in Regularibus, & Religioſis Ordinibus in Eccleſia ſancta inſtitutis retinendum, & conſeruandum, quadam ſua, quæ incipit, *Cum de omnibus Eccleſiaſticis ordinibus*, ſub Datum ſexto Kalendas Decembris, Pontificatus ſui anno tertio: nonnulla circa modum, formam, & qualitates admittendi Religioſos ad quoſuis Regulares ordines decreuerit; & deinde alia ſimili, quæ incipit: *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, ſub Dat. 12. Kalend. Nouemb. Pontificatus ſui anno ter. tio, quædam dubia ſuper dicta priori Conſtitutione exorta declarauerit; & præterea piæ memoriæ Gregorius Papa Decimusquartus etiam Prædeceſſor noſter, alia ſua perpetuò valituris Conſtitutionibus, quæ incipit. *Circumſpecta Romani Pontificis prouidentia*, ſub Dat. Idibus Martij, Pontificatus ſui anno primo, reſpectiuè editis, Conſtitutiones Sixti Prædeceſſoris ſupradictas, quoad illegitimos moderatus fuerit, prout in eiſdem Conſtitutionibus plenius continetur: Tamen quia longo vſu, & experientia compertum eſt, ex nimia facilitate, & multitudine caſuum, in quibus profeſſio à ſuſcipientibus habitū alicuius Regularis Ordinis, à dicto Sixto Prædeceſſore nulla declaratur, multos hac occaſione arrepta fraudulenter petijſſe, & in dies petere, vt profeſſio, quam in aliquo Regulari Ordine emiſerunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum Regulares Ordines, & inſtituta ſub hoc prætextu deſeruerunt, & idcirco pleriſque in locis maxima incommoda, & ſcandala exorta fuerunt. Nos ea ſcandala, & incommoda, quantū in Domino poſſumus remouere, & ne in poſterum alia eiuſmodi, hac de cauſa oriantur, opportuna ratione prouidere cupientes, ſingularum Conſtitutionum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, matura ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper negocijs Epiſcoporum, & Regularium deputatis, conſultatione præhabita: ex illorum ſententia, & voto Conſtitutiones prædictas Sixti Prędeceſſoris, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eiſdem Conſtitutionibus pręſcriptam de cetero non ſeruauerint, & quoad alios etiam caſus ibidem expreſſos, in quibus receptorū in quibuſcunque etiam Mendicantium Ordinibus profeſſio nulla declaratur, ad terminos iuris, & ſacrorum Canonum perindè, ac ſi prædictæ Conſtitutiones in illa parte editæ non fuiſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reducimus. Ceterum pœnas contra Superiores quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, huiuſmodi, qui in admittendis Regularibus ad habitum, & profeſſionem earundem Conſtitutionum formam non ſeruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, in ipſis Conſtitutionibus inflictas, ſaluas eſſe volumus, & ſtatuimus, ſicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus. Non obſtantibus præfatis Conſtitutio-

nibus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, Datum Rom. apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſecunda Aprilis 1602, Pontificatus noſtri anno vndecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

Cauti ſint itaque Superiores Religionum circa receptiones ad habitum, & profeſſionem, memores quòd præter culpam luent etiam pœnas taxatas contra receptores, niſi ſeruauerint formam, & conditiones, de quibus latius in Bulla, ſiue Conſtitutione Sixti V. edita contra illegitimos, criminoſos, debitis, & ratiocinijs obnoxios, ad aliquam Religionem tranſire volentes, & pariter aduerſus Regulares abſque debita Superiorum ſuorum licentia de Prouincia ad Prouinciam tranſmigrantes, cuius initium eſt. *Cum de omnibus*. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum 1587. 6. Kalen. Decemb. Pontificatus ſui anno tertio, Quas pœnas confirmauit in alia ſua Conſtitutione ſuper dubijs in priori conſtitutione emergentibus, cuius initium eſt; *Ad Romanum ſpectat*. Dat. Romæ in Monte Quirinali 1588. 12. Kal. Nouemb. Pontificatus ſui anno quarto, Quas pœnas in dictis Conſtitutionibus expreſſas non modificauit, neque diminuit, ſed in ſuo eſſe, & robore reliquit Gregorius XIV. in Bulla ſuæ moderationis, de qua ſupra, & Clemens VIII. in hac ſua vltima Conſtitutione, vti videre eſt §. *Ceterum pœnas contra Superiores, &c.* præſeruat. Reductio igitur Bullæ Sixti V. reſpicit tantum, at ſolùm nullitatem profeſſionis, in quo reducitur ad terminos iuris; alijs contentis in illa in ſuo robore permanentibus, maximè pœnis contra receptores ſtatutis.

Vt igitur ritè, ac rectè fiant Regularium receptiones ad habitum, & profeſſionem abſque dictarum pœnarum incurſione, optimũ erit imò neceſſarium, ad receptionem habitus neminem admittere abſque literis teſtimonialibus, de quibus infra immediatè ad minus.

Exemplar literarum Teſtimonialium, quæ fieri debent pro recipiendis ad habitum, & profeſſionem, & in aliquo Conuentu principaliori, vbi ſunt Patres ad hoc deputati, approbandorum ad hoc, per Capitulum Prouinciale deputandi, quique illas ſubſcribere debent ad præſcriptum Bullarum, de quibus immediatè.

Formula.

47 *NOs N. Vicarius Generalis Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi N. Vniuerſis, & ſingulis præſentes inſpecturis, atteſtamur, & fidem facimus, ſicut ex fide dignorum teſtium in Officio noſtro cum iuramento examinatorum legitima depoſitione nobis innotuit N. de N. fuiſſe, & eſſe filium legitimum, & naturalem D. N. de N. & Dominæ N. de N. eius vxoris, ex eorum legitimo matrimonio de anno* tali *natum, ipſumque nulla homicidia, furta, latrocinia, & id genus alia, nec maiora crimina vnquam commiſiſſe, nec pro eis inquiſitum, carceratum, vel bannitum fuiſſe, ære alieno grauatum, aut reddendæ rationis de aliqua adminiſtratione alicui obnoxium non exiſtere, ſed zelo deuotionis accenſum, & non aliqua humana ratione ductum,*

ductum, cupere Religionem ingredi, neque parentes ſua ope, & ſubſidio indigentes relinquere. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

Ita eſt N. Vicarius, &c. manu propria.

Quod ſi ſimplex Notarius fidem prædictam faciet, apponendum erit quoque teſtimonium ſuæ legalitatis, prout de more.

Nedum itaque propter grauitatem negocij, & ad obſeruantiam eorum, quæ præcipiuntur in prædictis Bullis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ante receptionem ad habitum, & profeſſionem omni diligenti cautela procedendum eſt; verum etiam ad euitandas lites, & ad impediendas oppoſitiones, quæ in dies oriuntur, aliquando etiam ex hominum malitia, modò contra male receptos, modò etiam, & aliquando vehementius contra receptores: qui ſi in rei veritate non ſeruauerint ſeruanda, non effugient rigorem pœnarum, de quibus in dictis Conſtitutionibus, & Decretis. Quæ omnia nouiſſimè innouata fuere ex vi Confirmationis Pauli V. & S.D.N. Vrbani Papæ VIII. quam ediderunt ad Decreta Clementis VIII. circa admiſſionem Nouitiorum, in quibus innouantur, & augentur pœnæ, de quibus ſupra contra Receptores.

Io. Baptiſta Scortia in ſuis epitomis in ſelectas Summorum Pontificũ Conſtitutiones, epit. 144. & 145. theorem. 372. §. *porrò*, inquit; *Male exiſtimauit Sorbus in Compend. Priuileg. Mendicant. verb. Nouitius, notab. 4. §. 4. vetari recipi in Relig. minorem ſexdecim annis. Pontifex enim* (ideſt Sixtus V.) *ſolum ſtatuit minorem ſexdecim annis non eſſe admittendum niſi præuia informatione, vt rectè etiã notauit Sanchez. lib. 4. in decalog. cap. 18, in fine.* quod etiam colligitur, imò clarè habetur in eadem Bulla Sixti V. *cum de omnibus.* quam edidit anno 1587. quam poſtea modificauit, declarauitque Gregorius XIV. & Clemens VIII. modo iam explicato.

Inter quamplura Priuilegia Ordini Prædicatorum conceſſa à fel. rec. Pij V. & Clementis Octaui, illud eſt de ſolemni Proceſſione facienda per Fratres dicti Ordinis, Dominica infra Octauam Feſtiuitatis ſanctiſsimi Sacramenti; cuius exemplar dignis de cauſis hic inſerendum curaui.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DVdum fel. record. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter, certis, iiſque pijs cauſis adductus, perpetuo conceſſit profeſſoribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, quòd in quibuſuis Ciuitatibus, Terris, Villis, locis, aut Caſtris, in quibus ſoliti fuerant facere Proceſſionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, ſoli in prima Dominica infra Octauam Feſti ſanctiſſimi Corporis Chriſti, ſingulis annis illam facere, & celebrare poſſent & deberent; ac omnibus Fratribus, & Presbyteris aliarũ Religionum, ne dicto tempore, & hora ſimiles Proceſſiones, aut Feſta celebrare, aut in ea cum profeſſoribus prædictis concurrere auderent, perpetuo inhibuit. Et vt Chriſti fideles maiori cum deuotione, ac in numero copioſo ad dictam Proceſſionem concurrerent, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus dictæ Proceſſioni intereſſentibus, ſiue ante, vel poſt prandium fieret, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem clargitus eſt; prout in literis dicti Prædeceſſoris

in forma Breuis die 20. Iunij Anno Domini M. D. LXXI. Pontificatus ſui Anno ſexto, confectis plenius continetur. Cum autem credatur quod dictus Prædeceſſor prædictam gratiam conceſſerit tam tunc fabricatis, quam quæ in poſterum in quibuſuis Orbis partibus fabricarentur dicti Ordinis Domibus, ad Priores & Fratres nouarum Domorum dicti Ordinis poſtea fabricatarum, poſſe iuxta tenorem dictarum literarum, celebrare Proceſſionem prima Dominica infra octauam Corporis Chriſti, huiuſmodi, & Chriſti fideles dictis Proceſſionibus interreſſentes, ac vere pœnitentes & confeſſos, aut tempore debito firmum confitendi propoſitum habentes, Indulgentiam plenariam prædictam conſequi, ac inhibitionem, aliaque in dictis literis contenta ad eos ſe extendere. Nihilominus pro parte eorumdem Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus omnem in præmiſſis dubitandi materiam, amputare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos dictarum literarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas prædictas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, & Decretis, ac inhibitionibus, ad omnes & ſingulos dicti Ordinis Domos, in quibuſcunque Ciuitatibus, Terris, Villis, locis & Caſtris, poſt datam ipſarum literarum fabricatis, & in poſterum fabricandis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium extendimus & ampliamus. ita vt Priores, & Fratres Domorum dicti Ordinis poſt datam literarum prædictarum fabricatarum, & in poſterum, in quibuſcunque mundi partibus fabricandarum; Proceſſionem eiuſdem ſanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramenti per vicos & plateas ac loca, ab eis electa, & ſemel tantum eligenda in prima Dominica infra octauã feſti ſanctiſſimi Corporis Chriſti, ſingulis annis ſoli abſque vllo prorſus impedimento, per quoſcumque quauis auctoritate fungentes, illato & inferendo celebrare poſſint & debeant. Inhibentes omnibus Fratribus, & presbyteris aliarum Religionum, ne dicto tempore & hora ſimiles proceſſiones aut feſta celebrare, aut in ea cum Fratribus Prædicatoribus prædictis concurrere audeant; nec non omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis ad id temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui Proceſſionibus dicti ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti per Priores, & Fratres dictarum Domorum poſtea erectarum, & in futurum erigendarum, prima Dominica infra octauam dicti feſti celebrandis huiuſmodi deuote interfuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate & tenore præmiſſis elargimur. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Ceterum, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca vbi neceſſe fuerit deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Martij 1592. Pontificatus noſtri Anno primo.

Marcellus Veſtrius Barbianus.

Romæ, Apud impreſſorem Cameralem, & Bononiæ apud Ioannis Roſſij 1605. Superiorum Permiſſu.

Die quartadecima Nouembris 1615.

Sacra congregatio Rituum audita relatione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi DD. Cardinalis de Monte, coram quo de mandato eiuſdem ſacræ Congregationis Rituum deducta fuerant voce & ſcripto, iura & rationes Fratrum Prædicatorum Ciuitatis Piſaurenſis prætendentium poſſe virtute literarum Clementis Octaui, de quibus ſupra, ampliare viam, ab illis alias electam, pro Proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti, facienda Dominica infra octauam Corporis Chriſti; eadem ſacra Congregatio audita relatione vt ſupra, iuxta formam literarum fel. record. Papæ Clementis Octaui, in quibus expreſsè dicitur quod Fratres Dominicani poſſint dictam Proceſſionem ſanctiſſimi Sacramenti facere per vicos, plateas, & loca, ab eis electa, & ſemel tantum eligenda: Declarauit dictos Fratres Dominicanos in dicta eorum Proceſſione, quam in Ciuitate Piſauri facere ſolent, Dominica infra octauam feſtiuitatis ſanctiſſimi Corporis Chriſti, debere incedere per eandem viam, per quam proceſſionaliter prima vice inceſſerunt, quando dictam Proceſſionem facere inceperunt. Ita cenſuit & declarauit, & in dicta Ciuitate Piſauri obſeruari mandauit in futurum.

A. Maria Epiſcopus Oſtienſis Cardin. Gallus.

Loco † ſigilli.

IP. Mucantius Secretarius.

Eadē ſacra Congregatio Rituum reſpōdit Archiepiſcopo Brundiſij 1624. vt manuteneret in ſua poſſeſſione Fratres Prædicatores ſuæ diæceſis, circa proceſſionem ſanctiſſimi Sacramenti, per ipſos faciendam Dominica infra octauam Corporis Chriſti.

Bulla reductionis Gregorij XIII. circa Priuilegia Mendicantibus olim conceſſa.

48 In tanta rerum, † & negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus aſſiduè premitur, vix vitari poteſt ne aliqua interdum exiliant, quibus poſtea recognitis neceſſe eſt moderationis remedium adhibere. Cùm itaque fel. record. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter, auditis grauaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinarijs locorum, & Parochialium eccleſiarum Rectoribus multis inferri dicebantur ſuper ſacris Concionibus, & lectionibus habendis, Confeſſionibus audiendis, pœnitentijs iniungendis, Fratribus ad Ordines promouendis, celebratione Miſſarum, cura animarum, Sacramentorum adminiſtratione, ſepulturis, quarta funeralium, Legatis, donationibus, eleemoſynis, collectionibus, alijſque huiuſmodi iuribus, nec non decimis, & diuerſis oneribus; ac etiam ſuper ſtatu, & regimine ſanctimonialium ipſis Fratribus ſubiectarum, formatione Proceſſium, cenſurarum publicatione, Proceſſionibus præcedētia, locorum acquiſitione, ceteriſque alijs rebus tunc expreſsis; multa per quaſdam ſuas literas pro dictis Fratribus non modo ſtatuerit, ſed & quæ iam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declarauerit; multaque prӕterea priuilegia eiſdem decimo ſeptimo Kalendas Iunij Pontificatus ſui anno ſecundo, & deinde ea omnia diuerſis alijs Ordinibus,

bus, & Congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communionis conceſſerit. Poſtea per quandam ſuam Conſtitutionem de Vicarijs perpetuis in Parochialibus eccleſijs vnitis per Ordinarios locorum inſtituendis, & portione illarum Vicarijs aſſignanda editam, alia ſuper Conſtitutione Fratrum eorundem ad exercitium curę animarum in eis Parochialibus eccleſijs, quæ domibus & locis ſuis vnita ſunt decreuerit: Demum quod animaduerſo, quod ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magniſque difficultatibus obſtracta, multas magnaſque diſſenſiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipſorum Ordines, non ſine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum ſcandalo concitauerant, contra ac ipſe ſperabat, & præter ſuam expectationem; vt qui interdum conquererentur multa aliter, alioque ſenſu à ſe prolata fuiſſe, quam literis expreſſa eſſent. Cupiens his mederi incommodis, primum illa omnia quæ regularibus aliorum Ordinum quam Mendicantium communicauerat, & ſecundum præmiſſa conceſſerat, motu proprio reſtrinxerit: deinde plenius prouidere volens, prioribus literis à ſe, quo ad ipſos Mēdicantes magna in parte moderatis, & omnes & quaſcunque alias literas, quæ de alijs Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium Ordines de obſeruantia nuncupatos emanauerant, omnino aboleuerit; cauſas omnes iam de his etiam in Romana Curia pendentes ad ſe aduocando, lites extinguendo, ac formatos ſuper illis proceſſus, lataſque ſententias annullando, quemadmodum alijs ſuis literis in regiſtro proximè comperits, nunquam tamen publicatis, plenius continetur. Poſtremo circa Confeſſariorum Regularium etiam Mendicantium approbationem, iuxta Concilij prædicti Decretum faciendam, etiam Lectores in Theologia graduatos, & certos alias tunc expreſſos comprehendi debere declarauerit. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiā ex multiplici literarum, & Conſtitutionum editione procedit, pręſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes: de nobis attributæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & ordinamus, prædictis & alijs omnibus literis & Cōſtitutionibus, quæ ab eodem Prædeceſſore eiſdem de rebus pro quorumcunque Regularium etiam Mendicantiū Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt; ac omnibus & quibuſcumque in eis contentis deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubiecta materia futuram eſſe, quæ ſiue ex iure veteri, ſiue ex ſacris Concilij Decretis, ſiue alias legitime ante dictarum literarum & Conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſæ non emanaſſent, futura fuiſſet; ad quam diſpoſitionem, & deciſionē, ſuumque priſtinum & integrum ſtatum, ac terminum illa omnia reducimus, quin etiam tollimus & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes, mandata & quæcunque alia ipſis literis & Conſtitutionibus appoſita, & alias eorum occaſione, vel cauſa factis, his noſtris Statuto, Ordinationi, & reductioni aduerſantia, quibuſcunque illa ſint concepta formulis ac præſeruationibus, declarationibus, modificationibus, reſtitutionibus, mentis atteſtationibus, derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficaciſſimis, & inuiolabilibus clauſulis, etiam motu & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & ex certa ſcientia, etiam pro conſeruatione ſtatus regularis, & ex quibuſcunque alijs vrgentiſſimis cauſis quotieſcunque roborata. Decernentes illa omnia pro

nullis

nullis & infectis haberi, omneſque ſupradictas illarum vſu, cōmodo & effectu carere; ac omnes lites, controuerſias, quæ coram quibuſuis iudicibus ſiue ordinarijs, ſiue Commiſſarijs, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, & Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalibus, etiā de latere Legatis, prædictarum literarū & Conſtitutionum occaſione ſuper pręmiſſis iam motæ ſunt, nec dum deciſæ aut finitæ, vel etiā quæ tam deciſæ ſunt, ſi modo tractum habeant ſucceſſiuum, eaſque rurſus & inter quoſcunque excitari in poſterum contingat, ſecundum prædictam diſpoſitionem, nec aliter decidendas; futura vero dubia & difficultates quandocunque, & vbicunque oriētur, ad nos, & Sedem Apoſtolicā vbi, & cetera, quę ad Decreta dicti Cōcilij pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda eſſe; nec non irritum & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcunque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, mandamus, &c. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ, &c. Anno Incarnationis Dominicæ 1572. Kalen. Martij Pontificatus noſtri anno primo.

Stephanus Quaranta in Summa Bullarij, *tit. Priuilegia Regularium, fol. mihi* 540. præſertim verba faciens de Bulla Gregorij Tertijdecimi; poſt multa, inquit: *Cetera ergo priuilegia non aduerſantia remanent, vt clarè etiam patet ex diſpoſitione dicti Concilij, ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 20. in fine ibi (in ceteris omnibus præfatorum ordinum priuilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & iura concernunt, firma ſint, & illæſa) vt per Emmanuel. Roder. in tom. 1. quæſt. Regul. q. 8. & per Io. Bapt. Confect. in dicto Summario priuilegiorum, tit. 3. cap. 4. vbi de Regularium priuilegiorum confirmatione, & validitate, fol. 56. qui etiam tractant An Regularium priuilegia per non vſum, ſeu contrarium vſum, aut per præſcriptionem tollantur; quæ clauſula eſt clarior illa Gregorij Tertijdecimi confirmantis dicta priuilegia, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus, & Decretis ſacri Concilij Tridentini non aduerſentur, ſub die 21. Aprilis, fol. 1234.* incipit: *Benigna*.

Eadem docet poſt recenſitam prædictam Bullam Gregorij Tertijdecimi, Sorbus in ſuo Compendio Priuilegior. *verb. Priuilegia Fratrum, fol. mihi* 329. vbi explicans illas clauſulas ſolitas apponi in Confirmatione Priuilegiorum regularium, quas appoſuit Clemens VIII. & pariter Vrbanus VIII. in Confirmatione priuilegiorum Ordinis Prædicatorum, quam conceſſit hoc anno 1625. & in alijs Cōfirmationibus alio-
49 rum Ordinum, videlicet † *Dummodo ſint in vſu, & ſacris canonibus, & Decretis Concilij Tridentini non aduerſentur*, inquit. *Non eſt intelligendum (vt quidam malè opinari videntur) de ſacris canonibus ſummorum Pontificum in Decretis & Decretalibus contentis; ſed de ſacris canonibus, & Decretis Concil. Trid. cùm clare pateat Concilium ipſum & canonibus, & Decretis conſtare; & illud operatur, illa copula (&) coniungendo canones cum Decretis Concil. Trident. Adeò vt malè ſentire mihi videantur, qui aiunt ſub illa particula (canonibus) intelligi Decreta & Decretalia ſummorum Pontificum, & ſub illa alia (Decretis Concil. Trident.) ea quæ ſunt in eodem Concil. Trident. & quod proinde nulla aut pauciſſima remanerent Mendicantibus Priuilegia: & ita eſſet equidem, ſi hac illorum valeret opinio. Sed quantum ſit hoc abſurdiſſimum, & à mente, & à verbis ſupradictorum ſummorum Pontificum alieniſſimum, quis mente compos non videt? vt etiam probaui infra poſt finem huius Compendij in Bulla prima f. 2. ibi Annotatio Capucini: Dixiſſent enim, ſi vellent intelligi de Decretis, & Decretalibus, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus* Sum-

Summorum Pontificum, & Decretis ſacri Concilij Tridentini non aduerſentur. Et hoc corroboratur etiam ex verbis ipſius Gregorij XIV. in Bulla Miniſtrorum infirmorum appoſitis, ſupra relatis; nullam enim prorſus ibi de ſummorum Pontificum Decretis, & Decretalibus facere mentionem poteſt colligi; ſed tantum de Decretis ſacri Concil. Trident. vt cuilibet intuenti patet. Hæc ille.

Et in Compendio Bullarij nouiſſimè Romæ impreſſo ad Bullam Gregorij Tertijdecimi de qua ſupra, auctor animaduertit, *Schol. 1.* & ſi reductio fiat de omnibus Pij V. Conſtitutionibus ſtatum regularium concernentibus, nō comprehendi tamen reſtrictionem omnium Priuilegiorum Regularium; ſed per illa verba, *De eiſdem rebus editas*, moderatur eadem reſtrictio, vt non poſſit nec debeat extendi ad multa Priuilegia antea conceſſa, de quibus Pius V. non egit in ſuis Conſtitutionibus, in Bulla Gregorij XIII. indicatis; vbi exemplificat de indulto exemptionis à gabellis, contributionibus, onereque hoſpitandi milites, & ſimilibus, quæ adhuc ſunt in ſuo robore: & pro eadem ſententia citat Stefanum Quarantam in annotationibus ad eandem Bullam Gregorij XIII. addens, *Et clarè patet ex lectura textus*, hoc eſt ex lectura textus Bullæ eiuſdem Gregorij, de qua ſupra.

Priuilegia etenim, Regularium robur & confirmationem ſucceſſiuè, & continuè ſuſceperunt ex frequenti, & reiterata Cofirmatione eorumdem, à tempore ſcilicet Alexandri Papæ IV. & ſucceſſorum, vſque ad hæc tempora ſanctiſſimi D. N. Vrbani Papæ Octaui, quē Deus Optimus Maximus diu incolumem conſeruare dignetur, pro gloria, & felici regimine vniuerſalis Eccleſiæ: quemadmodum de omnibus alijs ſummis Pontificibus, Alexandro IV. Clemente IV. Eugenio IV. Sixto IV. Iulio II. Leone X. Clemente VII. Iulio III. Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregor. XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. fuſius differit Miranda in ſuo Manuali Prælator. Regular. *tom. 2. q. 42. art. 1.* fere per tot.

Continuando ſermonem de reſtrictione, ſiue moderatione, vel ſuſpenſione, aut reuocatione Priuilegiorum Regularium, referre ſtatui ad extenſum Decretum ſacræ Congregationis Concilij circa facultatem concedendam regularibus pro alienandis eorum bonis.

DECRETVM

Sacræ Congregationis Concilij Sanctiſsimi D. N. Vrbani Papæ Octaui iuſſu editum.

De rebus Regularium non alienandis.

50 *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, rerum exprimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apoſtolicis priuilegijs innixi, ac proindè operæpretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere: ſpeciali Sanctiſſimi D. N. iuſſu, Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcunque alijs Superioribus Regularibus, cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel inſtituti, intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypotecam, locationem, & conductionem*

vltra

Digitized by Google

ultra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus à iure permiſſis, fieri perpetuo prohibet, atque interdicit, abſque ipſius Congregationis Concilij expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocíſque actiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant; ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitut. & præſertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit: Ambitioſæ, *in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus, hypothecas, locationes, conductiones, & conceſſiones quaſcunque contra huiuſmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis Suæ auctoritate, ipſo iure nullas, atque irritas decernit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Io. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſario, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque; necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis cla[u]ſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, quibus, quoad ea, quæ præſenti Decreto, ac prohibitioni aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſè, Sanctitatis Suæ auctoritate, derogat; ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ die 7. Septembris 1624.*

Coſmus Card. de Torres.

Locus † ſigilli.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.

Die 16. Septembris 1624. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in acie Campi Floræ, & alijs locis ſolitis Vrbis, per me Ioannem Radica Sanctiſs. D. N. Papæ Curſ.

Brandimartes Latinus pro D. Mag. Curſ.

Romæ, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ. 1624.

Pariter hodie licentia alienandi bona regularium, qui antea habebant priuilegium illis conceſſum principaliter, & ſingulariter, inter quos connumerantur Fratres Ordinis Prædicatorum, ex Bulla Leonis X. *Pro Paſtorali officio.* ſub Datum Romæ die 15. Iunij 1514. Pontificatui ſuis anno ſecundo; & ex alia Bulla Clementis VII. *Exponi nobis*, die 25. Februarij 1531. Pontificatus ſui anno octauo; extant quoque Decreta ſacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium quibus coarctantur, & limitantur Priuilegia regularium circa abſolutionem à cenſuris ſeu à caſibus reſeruatis, de quibus ſuperius ad finem Puncti ſecundi huius capitis ſermo habitus eſt; ideo exemplaria eorumdem

per extenſum hic etiam apponere volui, vt ſciant cuncti regulares per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentes (vt verbis vtar eorumdem Decretorum quemadmodum eſt videre ad exordiũ) quam auctoritatem habeant vel non habeant, & vt rite ac valide conferre poſſint vt decet abſolutionem Sacramentalem pœnitentibus, quibuſuè deneganda ſit.

DECRETA,

& Declaratio,

Super abſolutione à cenſuris, ſeu à caſibus reſeruatis.

51 EDITVM fuit aliàs à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinaliũ, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Decretum ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis, eius qui ſequitur tenoris.

SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, iuſtis & grauibus cauſibus id exigentibus, ac de Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS PP. VIII. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, Sacerdotibus omnibus tam ſecularibus, quàm Regularibus per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confeſſiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis IESV, & generaliter quarumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit; ne quis eorum ſub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel ſpecificè ſcripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationem à Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſecularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu alias quomodocunque ſub quibuſuis tenoribus, formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiuſuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam conceſſarum, ſeu confirmatarum, alicui cuiuſuis ſtatus, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex caſibus clarè vel dubiè in Bulla dic Cœnæ Domini legi ſolita, contentis, vel alijs quomodocunque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per Sanctitatem ſuam, eiuſuè Succeſſores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reſeruandis, nec etiam à Caſibus, quos Ordinarij locorum hactenus reſeruarunt, vel in poſterum ſibi reſeruabunt, nullo caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi mortis articulo, ſeu cum noua, & ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut Succeſſorum ſuorum, vel Ordinariorum, quo ad Caſus ab ipſis tantum reſeruatos, reſpectiuè, impetrata in ſcriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda, abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat: ſed cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores, legitimoſque Iudices ſuos accedere conſulant; ſub pœna contrafacientibus tam regularibus, quàm ſecularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confeſſiones, & ad quacunque officia, prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto, abſque vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatione, aut abſolutio, præterquam in mortis articulo, poſſit impartiri: Sanctitas enim ſua (quatenus opus ſit) facultates, & conceſſiones ipſas in hac parte vti caſſas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obſtantibus quibuſcunque.

Præterea nouerint pœnitentes, abſolutionem,

nem, ſi quam obtinebunt contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliuſque roboris, & momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reſeruandorum Caſuum competit, plurium, quàm opus ſit, reſeruatione, ſubditis, aut Confeſſarijs in animarum ſalute procuranda cooperatoribus ſint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eoſque tantum, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem, pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſariò reſeruandos eſſe iudicauerint, reſeruent. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ die nona Menſis Ianuarij Anni M. DCI.

Cum autem dubia quædam ac difficultates circa eiuſdem Decreti interpretationem atque obſeruationem emerſiſſent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitatiuè locus relinquatur, & vt clarius appareat, in quibus caſibus vigore eiuſdem Decreti reſeruatis, intelligatur prohibita abſolutio, ſpeciali mandato eiuſdem S. D. N. CLEMENTIS PP. VIII. ſimiliter viuæ vocis oraculo ſuper ea re habito, ipſum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet ſub eiuſdem prohibitione illos tantum in poſterum comprehendi caſus, qui Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta continentur. Ac præterea: Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis fel. rec. Gregorij XIII. quæ incipit: Cùm aliàs nonnulli: Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem: Prouocantium & pugnantium in duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Conſtitutionem fel. rec. Gregorij Papæ XIII. incipientem: Ad tollendum: Inijcientium violentas manus in clericos, iuxta Canonem, Si quis ſuadente, &c. 17. q. 4. ac iuris diſpoſitionem: Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes caſus, quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, vel in poſterum reſeruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis caſibus dumtaxat, & ſublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in ſua firmitate & priſtino robore permanere: Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam ſeculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in ſupradicto Decreto expreſſis, ſuffulti fuerint, poſſe iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vſu ante idem Decretum receptas, & quæ ſub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non alias abſoluere à caſibus in præſenti declaratione non comprehenſis; alijs verò Sacerdotibus huiuſmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos caſuum reſeruatio ſpectat, ea in re modum excedant; eadem Sacra Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cenſet, vt non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent, quorum reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat in ædificationem, nō autem in deſtructionem cedat; ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperflue reſeruent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos. Facultatem verò & licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis, quam in ſcriptis tantum concedi permittebatur, etiam ſola viua voce concedi poſſe declarat. Ceterum ne quis Sacerdotum ſecularium, aut Regularium,

Digitized by Google

ſub prætextu, quòd per primò dictum Decretum nō fuerit ſufficienter eorum ſpecialibus priuilegijs derogatum, eidē Decreto, ſic vt præfertur declarato, contrauenire audeat: Sanctitas ſua Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum ſeu inſtitutorum Regularium, aut Sacerdotum tam ſecularium, quàm Regularium editis, nec non eorundem Ordinum, ſeu inſtitutorum, ac etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & aliorum ſecularium, ſeu Regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, eiſdem Ordinibus, ſeu inſtitutis, ac etiam Eccleſijs, & Monaſterijs, & ſecularibus, ſeu Regularibus locis, aut perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & alijs Decretis etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens; quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogat: contrarijs quibuſcunque non obſtantibus. Romæ die 26. Nouem. 1602.

Alex. Card. Floren. Epiſc. Præneſtin.

Hier. Agucchius Secret.

Aliud Decretum eiuſdem Sacræ Congregationis de S. D. N. PAVLI PP. V. mandato editum.

QVoniam ſacra Congregatio Cardinalium negocijs Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitorum, nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultatis, ſeu priuilegijs ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, vt etiam à caſibus locorum Ordinarijs in eorum Diœceſibus reſeruatis, abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia, pœnitentes abſoluere minimè dubitent, nonnulloſque alios in decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinarijs reſeruatis die 9. Ianuarij 1601. fel. rec. Clementis Papæ VIII. iuſſu edito, nec non in declaratione illius eodem Clemente Pontifice iubente die 26. Nouembris 1602. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarij prædictis reſeruatas, minimè comprehenſas aſſerere: vnde fit, vt metius, quo homines à peccando coerceantur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideò ſacra eadem Congregatio de S. D. N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, decretum huiuſmodi, illiuſque declarationem, nec non cenſuras, & pœnas, in eiſque contenta omnia, confirmanda, atque innouanda operæ precium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innouat; ab omnibuſque ſacerdotibus tam ſecularibus, quàm regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſario expri-

exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter obſeruari; ac inſuper vt nulli ex ſacerdotibus prædictis, quibuſcunque priuilegijs, indultis, & facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinarijs, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tam ad forum contentioſum eorundem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat, ſub eiſdem cenſuris, & pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, mandat, ac præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in Decreto, & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ 7. Ianuarij Anni 1617.

Antonius Card. Saulius.

V. Theatinus Secretarius.

ROMAE, Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M.DC.XVII.

Poſt relata verba ſupradictorum Decretorum occurrit Conſiderandum illud quod animaduertit Quaranta titulo vel verbo, Caſus reſeruati fol. mihi 205.

52 *Poſtremo † animaduertendum id quod paſſim aſſeritur, ſcilicet per obitum Epiſcopi Caſuum reſeruationem ceſſare, intelligi debere de caſibus, quos ipſe Epiſcopus ſibi reſeruauerit, ſicut communiter ſolent Epiſcopi vti his verbis, ſcilicet nobis reſeruamus; quia cum ſint lati ab homine, ipſo ſublato, & ipſi extinguuntur, ſecus vero de caſibus à iure Epiſcopo reſeruatis, de quibus per Syluest. in verb. Caſus ſub num. 3. quia tunc per eius mortem non expirant, & erit facienda abſolutio à ſucceſſore vel à Capitulo Sede Vacante ſuccedente in eius iuriſdictione. & illud idem affirmandum, quoties Caſuum reſeruatio eſſet facta ab Epiſcopo viuente, per modum ſtatuti, ſeu perpetuæ Conſtitutionis, veluti decernendo quod abſolutio ab eis fieri non poſſit niſi à nobis vel Epiſcopo, qui ſuo tempore fuerit; vel reſeruando Curiæ ſeu Sedi Epiſcopali: tunc enim nõ expirat niſi fuerit facta reuocatio à ſucceſſore vel à Capitulo Sede vacante, vt infra dicetur. ad quæ faciunt text. in cap. fin. de offic. legat. in cap. 28. ſtatuto de conſt. in 6. & dicta per Nauar. in Man. cap. 27. nu. 12. & ſub nu. 74.*

Alia multa pertinentia ad materiam Caſuum reſeruatorum conſpiciat Lector *in practica Caſuum reſeruatorum*, Iacobi à Graſſijs Monachi Caſinenſis, & Franciſci à Coriolano, Seraphici Ordinis Capuccinorum, *in opere de Caſibus reſeruatis*, & pariter *in tractatu de Caſibus reſeruatis*, Ioannis Chapeauille Vicarij Leodienſis, & ab omnibus ſummiſtis, *verb. Abſolutio*, ſiue *verb. Caſuum reſeruatio*, diſſeritur de attinentibus ad eamdem materiam.

Summa Cap. XXI.

1 *Conſuetudo legitima eſt quid facti, & conſequenter probari debet.*
2 *Conditiones legitimæ conſuetudinis quæ nam ſint.*
3 *Conſuetudo legitima, & rationabilis, quæ nam ſit.*
4 *Cauſa inducens conſuetudinem, debet eſſe vtilitas communis.*
5 *Conſuetudo non poteſt probari per actus turbidos, &c.*
6 *Quando conſtet de Principis aſſenſu in conſuetudine, & nu. 14.*
6 *Conſuetudo mala, & irrationabilis quæ dicatur.*
8 *Quando cenſendum ſit à lege abrogari conſuetudinem ſibi contrariam, tam præteritam, quàm futuram, & nu. 11.*
9 *Clauſula reuocationis, ſiue abrogationis, abſolutè poſita, cadit tantùm ſuper factum præteritum, & præexiſtens.*

10 *Effectus conſuetudinis rationabilis.*

12 *Quænam requirantur ad hoc vt conſuetudo tollat legem. & num. 14.*

13 *Non valet conſuetudo contra legem Diuinam, vel naturalem, vel contra libertatem Eccleſiaſticam.*

15 *Clauſula*, Non obſtante quacunque cõſuetudine, *quid operetur; & quando tollat conſuetudinem immemorabilem. & num. 17.*

16 *Dictio* quæcunque *extendit ſe ad maiora expreſſis, etiam impropriè.*

18 *Conſuetudo contra Regularem obſeruantiam, &c. an vincat legem, vel potius à lege vincatur. & num. 21.*

19 *Statuta confirmata à Sede Apoſtolica, an admittant conſuetudinem in cõtrarium.*

20 *An poſſit in Ordine Prædicatorum introduci conſuetudo contra Statuta, & Leges eiuſdem Ordinis.*

22 *Conſuetudo an poſſit introduci per non vſum alicuius legis.*

23 *Statutum habens annexam excommunicationem, an poſſit tolli per Conſuetudinem contrariam.*

24 *Conſuetudo mala actu vigens, an excuſet illius obſeruatores à pœnis præſentis ſæculi.*

25 *Conſuetudo nondum completa, an interrumpatur per vnum actum contrarium.*

CAP. XXI.

De Conſuetudine.

Punctum I.

OMiſſa multiplici diuiſione huius nominis Conſuetudo, in bonam, ac legitimam, ſiue in malam, vel reprobatam, ſeu irrationabilem; breuiter, ac ordinatè de conſuetudine legitima, ſiue rationabili, vt diſtincta à præſcriptione, à qua differt per ſex differentias relatas ab Hoſt. *verb. conſuetudo*, & à Silu. *eodem verbo, num. 14.*

1 In primis † ſtatuo Conſuetudinem legitimam eſſe quid facti, vt habetur in *cap. 1. de conſtit. in 6.* & certum eſt illa, quæ ſunt facti neceſſario probari debere, ſecundum diſpoſitionem textus *in l. in bello, §. facta, ff. de capt. & poſt. lim.* reuer.

2 Conditiones † rectæ, ac legitimæ conſuetudinis ſunt, quæ ſequuntur. Prima, vt ſit introducta, atque legitimè præſcripta, hoc eſt nunquam interrupta, ſpatio ad minus decem, aut viginti annorum, etiam ſi ſit præter ius canonicum; ſi verò ſit contra, requiritur tempus quadraginta annorum. *16. q. 4. c. penult. & vltimo.* & *cap. auditis*, cum alijs quamplurimis relatis à Valerio Reginaldo *in vol. 1. ſuæ prax. fori pœnitentialis, lib. 13. tit. 16. cap. 23. ſect. 3. nu. 247.* Angelus quoque *verb. conſuetudo, nu. 8.* innixus auctoritati Panor. tradit, quòd ſi Conſuetudo ſit contra ea, quæ reſeruata ſunt Principi, tàm iure Ciuili, quàm Canonico requirit tempus, de cuius initio non ſit memoria; dummodo Princeps non conſentiat Conſuetudini.

Secunda conditio, vt verè, & realiter ſuperuenerit noua cauſa, quæ ſit rationabilis, ordinata ſcilicet ad bonum commune, ſiue vtilitatem reipublicæ, ob quam neceſſariò debuerit introduci.

Tertia. Vt ſit in vſum maioris partis Populi, excluſis fœminis, furioſis, & infantibus: per maiorem partem Populi intelligendo duas ex tribus partibus. Panor. cum alijs citatis à Suarez *tract. de legib. lib. 7. cap. 9.* num. 14.

Quarta conditio, vt ortum habeat ex pluribus actibus publicè, & voluntariè factis à maiori parte Vniuerſitatis, ſiue Populi, vel ab vno actu continuato habente effectum diuturnum.

Quapro-

Quapropter Doctores Theologi, ac
vtriuſque facultatis, meritò dicunt Con-
3 ſuetudinem legitimam † *eſſe ius quoddā, non tamen ſcriptum, frequentatis actibus conſtitutum, Principi notum, cui non repugnando conſentit, quod pro lege ſuſcipitur, habens conditiones legis benè poſitæ, ſiue iuſtæ legis.* Hoſtien. *in ſumma, tit. de conſuet.* §. 1.

Hinc eſt quòd Conſuetudo rationabilis, vt inquit Panor. *in cap. fin. de conſuet.* eſt illa, quæ aliquo bono fine conſtituitur: vel ſecundum Anton. *in d. c. fin.* Conſuetudo in tantum eſt rationabilis, in quantum participat de fine iuris, qui in Canonico eſt felicitas animæ; in Ciuili verò bonum publicum. Pro quo citat etiam Geminianum *in cap. licet de conſt. in 6.*

Ideò colligit Silueſter *verb. conſuetudo, num.* 2. Conſuetudinem rationabilem debere eſſe conuenientem Religioni, diſciplinæ, & ſaluti. Subdens, *Et ſi prædictis ſit contraria, de ſe eſt irrationabilis, & ſeruari non debet.* Pro quo citat Gloſſ. D. Thomam, & alios Auctores: & *num.* 7. appellatione Conſuetudinis intelligit eam, quæ tenet, & præſcripta eſt, *ex cap. Cum ina, de elect.*

4 Quapropter ratio, ſine cauſa † inducens conſuetudinem, ſecundum omnes Doctores eſſe debet vtilitas, ſiue bonum Communitatis, quemadmodum finis iuſtæ legis ſemper eſt vtilitas communis. S. Thom. 1. 2. *in corp.* & præcipuè *ad 2. argum.*

Supradicta autem debent eſſe probata concludenter per teſtes vniformes, &
5 idoneos. Vbi aduerte, quòd † conſuetudo nequaquā probari poteſt per actus turbidos, vel controuerſos, vel vario modo obſeruatos. *ex deciſ. 65. p. 1. tom. 1. recentior. coram Illuſtriſſ. Card. Pamphilio, num. 13. & 16.*

Punctum II.

IN ſecundo puncto aſſignandæ ſunt aliquæ Regulæ, quibus magis declarantur prædicta. Ante quas Regulas ponderandum eſt legem humanam aliquando abrogare, aliquando reprobare, aliquando prohibere, & aliquando reſi-
6 ſtere Conſuetudini. Inſuper † nota, ſiue ſignum cognoſcendi aſſenſum, vel non aſſenſum Principis, eſt, quando quis accuſatus de conſuetudine contraria legi, ſi ſeuerè puniatur, vel acriter reprehendatur, ſignum eſt non adeſſe aſſenſum: ſi verò nec puniatur, nec reprehendatur, tunc ſignum eſt Principem, implicitè ſaltem præbere aſſenſum circa introductam Conſuetudinem.

7 Prima Regula eſt: Mala † Conſuetudo non ſolum illa dicitur, quæ eſt conrra legem Diuinam, vel naturalem, ſiue Eccleſiaſticam libertatem; verū etiam, quæ per ſe, & ratione obiecti non meretur nomen Conſuetudinis, ſed abuſus, & corruptelæ: quando videlicet introducitur actibus malis de ſua natura, vel prohibitis; ita vt per nullam humanam poteſtatem honeſtari poſſint; quæ vè apertè reſiſtit optimo fini à lege intento, cui contrariatur, qui vt plurimum eſt vtilitas communis: dummodo ille finis adhuc perſeueret, quemadmodum finis Regulæ, ac Statutorum vniuſcuiuſque inſtituti poſt confirmationem Apoſtolicam.

Secunda: Illa Conſuetudo dicitur irrationabilis, quoties fuerit introducta per actus indecētes, manifeſtè inuoluentes in ſe periculum, vel incommodum in præiudicium boni publici, ac Vniuerſitatis.

Tertia: Illa Conſuetudo cenſetur irrationabilis, quæ nec ratione iuuatur, nec ſacris congruit inſtitutis, *ex cap. 1.*

de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli; qui textus ſumptus eſt ex Concil. Lateranen. ſub Alexandro III. celebrato.

Quarta: Illa Conſuetudo cenſetur irrationabilis, quoties moraliter dubitari poteſt rationabiliter de bonitate, ſiue malitia ſui effectus ob illius inconſtantiam, vel aliam ſimilem conditionem pernicioſam bono communi.

Contenta in prædictis, ac ſequentibus Regulis colliguntur ex traditis à Sũmiſtis, *verb. conſuetudo*, quæ amplıauit Suarez *tract. de legibus, lib. 7. cap. 6. à n. 3. vſque ad finem capitis.*

Quinta Regula: Abrogatio Conſuetudinis non includit ſemper neceſſario reprobationem legis, cui contrariatur: nam abrogari poteſt lex, quia non placet Principi, non tamen infertur, ergo irrationabilis.

Sexta: Lex prohibens omnem Con-
8 ſuetudinem † ſibi contrariam, non ſolum præteritam, verum etiam, & futuram tollit, ſiue impedit, vel præuenit. Ratio huius aſſignatur, quia prohibitio ſemper reſpicit actum futurum.

Septima: Quoties lex aliqua vtitur ſolo verbo, *reuocare*, tollit præteritam tantùm Conſuetudinem.

Octaua: Quoties lex non ſolum reprobat, atque prohibet Conſuetudinem ſibi contrariam, verum etiam per expreſſa verba illam irrationabilem declarat, talis conſuetudo dicitur iure reprobata: & ſi reprobet conſuetudinem præteritam tanquam corruptelam, & irrationabilem, ex conſequenti etiam videtur reprobare conſuetudinem futuram, dummodo & illa eaſdem habeat conditiones, quas habet prima.

Nona: Lex denique abrogans ſolum, ac tantum conſuetudinem in communi, tollit præteritam conſuetudinem, nõ
9 futuram: nam † clauſula reuocationis, vel abrogationis abſolutè poſita, ſecundum omnes, in proprietate ſermonis conſiderata, cadit ſuper præteritum factum, & conſuetudinem iam præexiſtentem. Idem quoque dici poteſt, quotieſcunque reuocat, vti per clauſulam, *non obſtante conſuetudine in contrarium.* niſi alia addantur verba prohibentia conſuetudinem futuram. Ratio eſt quia reuocatur propriè loquendo non futurum, ſed præteritum, vel præexiſtens, ac reſiſtens legi: Ideoque verba non ſunt extendenda in materia odioſa. Et ita etiam declarat vſus; quando enim legiſlator amplius intendit, id declarat, atque ſtatuit alijs verbis.

Supradictæ Regulæ, à quinta vſque ad nonam, incluſiue colliguntur ex Diuo Thoma, & Summiſtis vbi ſupra, quas ad formam propoſitionum reduxit, & auxit Suarez *vbi ſupra, cap. 7. per totum*, additis teſtimonijs Canonum, grauiſſirum Doctorum, Theologorum, Canoniſtarum, atque Iuriſtarum.

Punctum III.

IN tertio puncto aſſignantur effectus, quos iura rationabili conſuetudini tribuunt, qui communiter ad numerum ternarium reducuntur; quo-
10 rum † primus eſt vt vim legis habeat S. Tho. 1. 2. *q. 97. art. 3.* & expoſitores illius, *ibidem.*

Secundus eſt, legitimam atque debitè præſcriptam Conſuetudinem eſſe optimam legum interpretem. Omnes. ſummiſtæ *verb. Conſuetudo*, S. Thom. 1. 2. *q. 97. art. 3.* Sotus *de iuſtitia, & iure quæſt. 7. art. 2.* Suarez *de legibus, lib. 7. cap. 8.*

Tertius eſt, quod ſupradicta Conſuetudo abrogat legem, *ex cap. vlt. de conſuet.* S. Thom. *vbi ſupra in corpore art. ad calcem.*

Pun-

Punctum IV.

IN quarto puncto adducendæ ſunt ſequentes cóclúſiones decerptæ pro maiori parte ex Didaco Couarruuias, *tom. 2. var. reſol. lib. 3. cap. 13. nu. 4. per totum*, vbi citat ſacros Canones, Abbatem, Baldum, Romanum, Iaſonem, Ancharanum, Dominicum, Innocentium, Francum, Bartolum, Aretinum, Tiraquellum, Felinum, Decium, Rochum Curti, Alex. & alios eximios Doctores, aſſerens eſſe doctrinam communem illam contentam in ſequentibus concluſionibus, quod etiam multis argumentis probat.

11 Prima eſt: Quotieſcunque lex † aliqua, vel ſtatutum tollit conſuetudinem in communi, ſermo eſt de conſuetudine præterita, non autem de futura.

Secunda: Quandocunque lex, vel ſtatutum conſuetudinem aliquam tanquam iniquam, & irrationabilem decernit, ac reprobat, tunc, & eo caſu fit ſermo tàm de præterita, quàm de futura conſuetudine.

Tertia: Poteſt ſimpliciter loquendo conſtitui conſuetudo, & vires obtinere aduerſus legem, quæ licet conſuetudinem reuocauerit, eidemque derogauerit, dummodo eandem conſuetudinem non reprobet, damnet, vel repræhendat. Quòd enim lex ſtatuat aliquid obſeruandum, non obſtante conſuetudine, cui expreſsè derogat, non eam reprobat, nec irrationabilem, aut iniquam eſſe iudicat; ſed eam tollit, quemadmodum tolli ſolent veteres leges ex cauſis, quæ iuxta temporis qualitatem, & rerum viciſſitudinem iuſtæ legiſlatoribus apparent; nec ex hoc leges antiquatæ iudicandæ ſunt iniquæ, imò iterum in praxim reduci poſſunt, ſi reipublicæ adminiſtratori placuerit.

Quæ Concluſiones confirmantur ex iam traditis regulis, & ex ſequentibus.

Punctum V.

IN hoc puncto inquiritur quæ nam requirantur ad hoc vt conſuetudo tollat legem. Multa autem ad iſtum effectum concurrere debent in conſuetudine, de quibus latè DD. *in l. de quibus, ff. de legibus*, præcipuè adducta, & examinata per Borell. *Sum. dec. tot. orbis, tit. 14. per totum*. Sed tamen ad quatuor præcipue reducta fuerunt per Andr. Gail. *obſeru. 71. num. 10. lib. 2.* Olaſch. *deciſ. 99. nu. 9.* Minſing. *obſer. 41. & 42. num. 7.* & *42. nu. 1. cent. 6.* Gaſpar Ant. Theſſaur. *qq. forenſ. lib. 2. q. 80. nu. 23.*

12 Primo † requiritur quod ſit legitimè præſcripta, per text. *in cap. fin. de conſuet.* gloſſ. *ibidem in verb. legitimè, l. diuturna, ff. de legibus*, Rot. *deciſ. 456. nu. 15. par. 1. rec.* ſaltem per ſpatium 40. annorum, Rot. *deciſ. 524. nu. 3. & deciſ. 497. nu. 5. par. 1. recent.*

Secundo quod fuerit à maiori parte Populi admiſſa, *l. ſed & ea, ff. de legibus*, Rot. *255. num. 4. par. 1. recent.* & *par. 2. deciſ. 497. nu. 2.*

Tertio: Vt frequentia actuum ſit coadiuuata, eſt text. *in l. 1. C. quæ ſit long. conſuet.* & iſta frequentia inducitur ex duabus vicibus, gloſſ. 2. *in cap. monaſterio, in fin. de vit. & honeſt. cleric.* Barr. *in l. certi conditio, ff. ſi cert. pet.* Mareſcott. *var. reſol. lib. 2. cap. 100. nu. 2.* Rot. per Creſcent. *deciſ. 1. tit. de conſuet.* Borell. *Summ. deciſ. tit. 14. num. 19. & 20.* Rot. *deciſ. 162. nu. 12. ſanctæ mem. Greg. XV.* & *deciſ. 497. nu. 2. par. 2. rec.*

Quarto, quod ſit rationabilis; eſt text. *in cap. 2. §. fin.* & *in cap. mala autem conſuetudo*, cum ſeqq. *diſt. 8. cap. fin. de conſuet.*

Quibus omnibus concurrentibus có-
ſuetudo

ſuetudo dicitur tollere legem.

13 Limita † ſecus eſſe in lege diuina, & naturali, Bart. *in l. de quibus, ff. de legibus*, cuius tranſgreſſio peccatum inducit. Quod quomodo procedat, latè declarant Summiſtæ *in verb. Vſura*, & ibi *Silueſter*, §. 2. Gratian. *diſcept.* 14. *nu.* 12. *&* 13.

Fallit item in libertate eccleſiaſtica.

14 Inſuper Conſuetudo vt † vires habeat contra ius, ſiue legem, requirit primo conſenſum Principis ſiue Superioris: qui conſenſus ex ſcientia & tolerantia eiuſdem Principis, vel Superioris probari poteſt Oldrad. *conſil.* 53. *in princip. lib.* 2. Cardin. Imol. & Abb. *in cap.* 1. *de Tregua, & pace*, Aret. *conſil.* 11. *colum.* 3. *verſic. ſed oſtenditur ex ſecundo*, Ruin. *conſ.* 143. *num.* 2. *vol.* 5. Surd. *conſil.* 58. *nu.* 12. Gonzalez *reg.* 8. *gloſſ.* 47. *num.* 27. Quod procedit etiam ſi actus eſſet præiudicialis Principi vel Superiori, hac tamen adiuncta qualitate, dummodo cõcurrat diuturnitas temporis circa tolerantiam, & ſcientiam, de qua ſupra, Crauet. de Antiq. tempor. 3. *par. nu.* 29. Ruin. *conſ.* 151. *nu.* 16. *vol.* 4. Maſcard. *de probat. concl.* 416. *nu.* 2.

Secundo probatur dictus aſſenſus ſiue conſenſus Superioris etiam ex ſciẽtia, patientia atque tolerantia officialium ſiue miniſtrorum Principis vel Superioris, Bartol. *in l. ſi publicanus*, §. *in omnibus vectigalibus, nu.* 2. *ff. de public.* ad idem conducunt quæ tradit ipſemet, *in l. principalibus, ff. ſi cert. pet.* Angel. *conſil.* 63. Alex. *conſ.* 101. *vol.* 1. Decius *conſ.* 404. *col.* 1. Cardinalis Tuſcus *in littera C. concl.* 796. *num.* 75. & *concl.* 797. *num.* 11. Maſcard. *de probat. concl.* 416. qui quamplura ad idẽ cumulat, quemadmodum & Cardinalis Tuſcus *in littera P.*

Punctum VI.

QVibus firmatis, ſupereſt breuiter per concluſiones declarare quid operetur in aliqua lege præceptiua, clauſula illa, *Non obſtante quacunque conſuetudine.*

15 Prima concluſio. Clauſula hæc demonſtrat † Principem habuiſſe notitiã contrariæ cõſuetudinis, argumento text. *in cap. ad audientiam, in fin. de decim.* vt dixit Rot. *deciſ.* 192. *n.* 6. *par.* 1. *in recent.* & *in Romana penſionis* 4. *Iulij* 1601. *coram Cardin. Pamphilio*, & *in Lucana penſionis* 4. *Nouembris* 1579. *coram Rubeo.*

Secunda concluſio. Tollit omnem cõſuetudinem etiam immemorabilem, gloſſ. *in clem.* 1. *in verb. quantumcumque, de foro compet.* cum concord. per Tiraquell. *de retract. conuent.* §. 1. *gloſſ.* 2. *num.* 26. Couar. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 15. *in princip.* Et hoc ratione illius di-

16 ctionis, † *quacumque*, quæ eſt ampliſſima, & extendit ſe ad maiora expreſſis, etiam impropriè, gloſſ. *in clem.* 1. *de re iud.* Rot. *deciſ.* 690. *nu.* 5. *par.* 2. *rec.* Mareſcott. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 101. *nu.* 2. *&* 3. Grat. *de diction. in ver. quacumque dict.* 6. *fol.* 243. & bene in puncto dicit Gonzalez *ad regul.* 8. *gloſſ.* 33. *nu.* 8. vbi concordantes adducit.

Contrarium tamen, quòd ſcilicet per iſtam Eccleſiam non tollatur immemorabilis conſuetudo, tenuerunt Ruin. *conſ.* 13. *in fin. lib.* 2. Dec. *conſ.* 171. *nu.* 15. Couar. *vbi ſupra, nu.* 5. Gabriel *de præſcript. concl.* 1. *num.* 20. & latiſſimè Gonzalez *var. reſolut. nu.* 2. qui alios adducit, & *nu.* 3. *cum ſeqq.* Et hanc ſecundam opinionem amplexa fuit Rota *in cauſa Burgen. quindenniorum* 15. *Maij* 1600. *coram Corduba*, vbi aliæ deciſiones fuerunt allegatæ ad idem.

17 Declarandum eſt primam † opinionem

nem procedere quando quis ſe fundat in ſola conſuetudine; quia tunc appoſita dictione vniuerſali, *quacumque*, cenſetur ſublata etiam conſuetudo immemorabilis. Secus vero quando fundat ſe in alio iure, ad cuius probationem adducit præcipuè continuationem vetuſtiſſimæ conſuetudinis. ita declarat Felin. *in cap. dilecti, de maior. & obed. col. penult. circa finem, ver. circa hoc arguitur,* Mareſcott. *var. reſolut. lib. 2. d. cap. 161. num. 5.* vel iſtas opiniones concorda, vt per Gonzalez, *loco ſupra citato, nu. 9.*

Ex quibus colliguntur Corrollaria in concluſione præcedentis puncti inſinuata: quorum primum eſt: ergo quandocumque lex conſuetudinem aliquam tamquam iniquam decernit, vel reprobat, damnat tunc tam præteritam, quàm futuram conſuetudinem.

Secundum: igitur conſuetudo etiam futura, vires non acquiret contra legem, quæ futuram quoque conſuetudinem reprobat; nam ſenſim tunc eam tamquam iniquam iudicat, reijcitque, ac viribus priuat.

Ad ſupradictorum claritatem addi poteſt doctrina Butrij *in cap. fin. de conſuetud. n. 53. ad medium,* Ruin. *conſ. 52. nu. 1. lib. 5.* qui citat Lapum *in clement. ſtatutum de elect.* Ioan. Andr. & Butr. *in clement. certificari de ſepult.* Imolam, & Abbatem *in cap. fin. de conſuetud.* Qua doctrina corroborantur prædictæ concluſiones quarti, & quinti puncti, & à Suarez *de legibus, lib. 7. cap. 7. nu. 2.* Et etiam ex doctrina S. Thom. 1. 2. *q. 97. art. 2. in reſponſione ad ſecundum argumētum,* cuncta probata redduntur, docentis. *Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex vtilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex cōſuetudinem ſemper vincit; niſi fortè propter hoc ſolum inutilis lex videatur, quia non eſt poſſibilis illius obſeruantia ſecundum conſuetudinem patriæ, quæ erat vna de conditionibus legis.* Huius aſſignat rationem S. Doctor dum ſubdit; *difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis remouere.*

Vnde merito colligunt expoſitores D. Tho. *vbi ſupra,* quoties priſtina vtilitas à lege intenta perdurat, tunc, & eo caſu conſuetudo contra legem introducta non eſt verè appellanda lex, ſed corruptela, atque abuſus.

Circa quod ponderandum quoque venit id quod tradit ſapientiſſimus Caietanus vbi ſupra circa reſponſionem ad ſecundum argumentum D. Thomæ: *Quamuis enim,* inquit ille, *ab actu illicito inchoare nequeat conſuetudo, quæ legi deroget; dato tamen quod ab illicitis actibus inchoaſſet, ex quo conualuit, & iam conſuetudinis vim habet, ac legi ſcriptæ derogat, non oportet enim poſteros ſollicitos eſſe an licitè, vel illicitè introducta ſit conſuetudo, quam ſine dubio licitè inueniunt obſeruari, relicta lege ſcripta.* Ad huius firmitatem adducit Valerius Regin. *in ſua praxi lib. 13. tit. 4. cap. 23. ſect. 3. nu. 148.* caſum Clericorum qui ex conſuetudine contra diſpoſitionem cap ſtatuimus, incipiunt cum alijs Catholicis Quadrageſimam tantùm feria 4. poſt Quinquageſimam, cum deberent eam incipere feria 2. quia ita inuenerunt eſſe conſuetudinem iam introductam.

Cuncta hæc ſuperius adducta circa rationabilem, & legitimam conſuetudinem obſeruandam, robur maius recipiunt ex auctoritate S. Patris Auguſtini in Epiſt. ad Caſulanũ relata à S. Tho. *art. 2. vbi ſupra argum. ſed contra,* dicentis, *Mos Populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege ſunt tenenda; & ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita & contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coercēdi ſunt; dummodo verè conſuetudines ſint, non autem abuſus, ſiue corruptelæ; quæ caſu amputandæ veniunt, nullatenus proſequendæ.*

Pun-

Punctum VII.

Continens difficultatem ad Regulares in communi attinentem.

OCcaſione prædictorum in fauorem Regularium proponam difficultatem vna cum reſolutione, quam mouent aliqui expoſitores D. Tho. 1.2. q.97. *art.*2. præcipuè vero Seraphinus à Porrecta in examine reſpon. ad ſecundum argumentum. *Si declaretur*, inquit, *Conſuetudo iam à multis annis alicubi introducta contra regularem obſeruantiam in toto, vel in parte ſtatutorum reg. ita vt ibi viuatur (at aiunt) conuentualiter, aut nihil, aut fere nihil, vel parum de Regula, & Conſtitutiones ſeruando*, quæri poteſt iuxta tradita à S. Thom. vbi ſupra in reſponſ. ſcilicet ad ſecundum argumentum. An talis conſuetudo vincat legem, vel potius à lege vincatur?

Huic difficultati reſpondendum eſt conformiter ad literam text. S. Doctor. quòd nequaquam talis conſuetudo tollit à Regula, & Conſtitutionibus vim obligandi, neque excuſat tranſgreſſores, nec mutat, nec abrogat, nec tollit vim legis, neque nouam legem introducit. Imò talis conſuetudo potius abuſus, & corruptelæ nomen habere debet. Et ratio huius eſt, quia adhuc, & ſemper manet ratio priſtinæ vtilitatis à maioribus per leges regulares intentas inſtinctu Spiritus ſancti, vt pie creditur; immarceſcibilis etenim eſt, nec tẽpore finitur. Imò quandocunque ſeruentur ipſæ leges regulares fundatæ in præceptis, & in conſilijs Euangelicis, augent, atque multiplicant mirabiliter fructum, & vtilitatem earum, ac in altum perfectionis magis, magiſque dilatantur.

Eandem reſolutionem magis augent, ac declarant tradita ſuperius ſub num.2. de mente Silueſtri, Gloſſæ ac D. Thomæ.

Punctum VIII.

An Statuta à Sede Apoſtolica confirmata admittant conſuetudinem in contrarium.

CIca iſtam concluſionem diſtingue. Aut Statutum tale eſt, quod de per ſe validum erat, etiam nulla accedente confirmatione; & tunc etiam ſi fuerit à Sede Apoſtolica confirmatum, admittit, & tollitur per conſuetudinem in contrarium. Aut vero Statutum ſine confirmatione erat inualidum; & tunc non poteſt tolli nec per conſuetudinem, nec alio modo, ſine Superioris auctoritate: quia tunc confirmatio eſt de forma. ita diſtinguit Bald. *in l. omnes populi, num.*33. *ff. de iuſt. & iur.* Alex. Iaſ. & alij, *in l. omnium, C. de teſtam.* Surd. *conſil.*58. *num.*20. *& ſeqq. lib.*1. Gratianus *diſceptat. forenſ. lib.*1. *cap.*9. *num.* 6.

Amplia ſecundum membrum diuiſionis, ſcilicet admitti conſuetudinem contrariam, etiamſi confirmatio erat de forma, quando tamen conſuetudo concernit maiorem vtilitatem Eccleſiæ, vel perſonarum eccleſiaſticarum, Abb. *in cap. cum acceſſiſſent. num.*4. *ver. ego limitarem, de Conſtitut* Felin. *ibidem, nu.*11. *ver. ſecunda concluſio*, & *num.*14. Dec. *nu.*10. Surd. *d. conſil.*501. *num.*22. qui loquitur de Statutis perſonarum eccleſiaſticarum.

Pun-

Punctum IX.

Continens ſpecialem difficultatem pro Fratribus ſacri Ordinis Prædicatorum.

EX reſolutione antecedentis difficultatis poſſumus iure procedere ad enodationem, & reſolutionem alterius difficultatis frequenter ſubortæ,
20 an ſcilicet dari, † ſiue introduci poſſit conſuetudo in Ordine Prædicatorum, quæ deroget, ſiue tollat leges, atque ſtatuta eiuſdem Ordinis contenta in Conſtitutionibus, ſiue in actis Capitulorum generalium ad vniuerſum Ordinem pertinentia.

Non defuerunt, qui crediderunt, & forſitan etiam docuerunt, conſuetudinem poſſe legitimè introduci contra vim, & obſeruantiam prædictorum; contendentes ad eorum voluntatem interpretari loca relata in prologo Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorũ, vt puta in declaratione textus primi eiuſdem prologi, vbi verbatim dicitur. *In Capitulo etiam Bononien.* 1564. *admonentur Prælati, vt diligenter attendant, ne contra Conſtitutiones abuſus, aut conſuetudines præualere incipiant: ſuper quo Prouincialium, & Viſitatorum conſcientias oneramus, vt ſi quos Priores, aut Præſidentes inuenerint, qui abuſus inducant, aut conſuetudines noſtris legibus contrarias in communi tollerant, in pœnam ab officijs abſoluant.* & text. 8. eiuſdem prologi, *vbi auctoritate Apoſtolica reuocatur, atque annullatur quæcunque cõſuetudo quomodocunque prætenſa, circa non obſeruantiam prædictorum*, vt latius dictum eſt ſuperius, cap. 1.

Dicentes in locis præcitatis excludi ſolùm, ac tantum præteritam conſuetudinem, non autem futuram, introductam ſcilicet, vel introducendam poſt promulgationem dictarum legum, ſiue Statutorum Cap. General. facientes etiã vim in hoc, quod Statutũ Capit. Bonon. de quo ſupra facta eſt mentio, fuit conditum nõ per viam *ordinationis*, & *mandati*, ſed ſimplicis *admonitionis*.

Quibus non obſtantibus reſpondendum eſt per ſequentes concluſiones.

Prima concluſio. Contra Statuta Regulæ, ſiue Conſtitutionis, vel actorum Capituli generalis ſimpliciter edita, atque ordinata ad bonum commune vniuerſitatis totius Religionis Prædicatorum, ſiue Prouinciarum, Conuentuum, atque Fratrum, vt expreſsè habetur in text. 8. eiuſdem præcit. prologi *ſub litera q*, nulla eſt admittenda conſuetudo; ſed omnis extirpanda venit, tanquam abuſus, & corruptela. Ratio huius ea eſt, quæ ſuperius latè fuit aſſignata, præcipuè verò, ex doctrina D. Tho. 1. 2. *q.* 97. *art.* 2. *in reſpon. ad* 2. ac etiam ex diffinitione conſuetudinis rationabilis, nec non ex prima, & quinta regula ſuperius adducta. Certum eſt enim iura omnia prædicta ordinata eſſe vt commodius dirigantur profeſſores eiuſdem Ordinis ad Deum, & pro fine habent vtilitatem communem, ac uitæ regularis rectitudinem.

Secunda concluſio. Supradicta Statuta de quibus in priori concluſione, derogant, atque reprobãt tanquam iniquam, quamcunque contrariam conſuetudinem, etiam futuram. Ratio huius eadem eſt proportionaliter cum illa ſuperius aſſignata, cui tamen additur: Qualiter ex verbis Statuti Capituli Bonon. 1564. ſuperius relati apertè colligitur excluſio, atque reprobatio cuiuſcunque conſuetudinis; dum inquit, *attendant*, &c. *ne conſuetudines præualere incipiant contra Conſtitutiones*, &c. Quæ verba abſque dubio reſpiciunt non præ-

teritum tantùm, ſed futurum etiam: quis enim non videat, quod illa quæ incipere debent, nondum ſunt, ſed potius futura ſunt? & ordinariè prohibitiones in rigore conſideratæ reſpiciunt non præteritum, neque præſens, ſed futurum.

Ideò S. Antoninus, Siluester, & alij quamplures Summiſtæ, *verb. Conſuetudo*, aſſerunt, quando verba, quibus reprobatur conſuetudo, ſunt omnino abſoluta, & vniuerſalia, tunc nullam patiuntur reſtrictionem ad præteritū tantum; *Sed trahenda ſunt etiam ad futurum, vt puta nolumus contra hanc legem, aliquam præualere conſuetudinem*. Et ſimilia vt latius puncto ſexto, & ſeptimo.

Quod totum videtur habere fundamentum, *in l. eos, C. de cenſibus*, §. *ſuper*.

Quam rationem confirmant tradita à Suarez *tract. de legibus, lib. 7. cap. 7. nu. 5. ver. primo ſi expreſſè*, &c. dum inquit. *Si lex expreſſè vetet, ne contra illam conſuetudo aliqua introduci permittatur, vel quando iubet ne inducatur, tunc impedit, atque reſiſtit conſuetudini inductæ, atque inducendæ*, quod eſt dicere præteritæ, ac futuræ conſuetudini derogat, & reſiſtit. Pro qua ſententia inter alios adducit Nauar. *conſ. 3. de cenſibus*, quare, &c.

Hinc eſt quod nonnulli doctores paſ-
21 ſim aſſerunt, nullam † poſſe aſſignari conſuetudinem tranſgrediendi Regulas, ſiue Conſtitutiones, ſecundum quas profitentur regulares; imò appellant talem conſuetudinem contemptum interpretatiuum, obligatiuum ad culpam, ex D. Antonino 3. *par. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. ex Silueſt. *verb. Religio* 1. *quæſt.* 12. & ex Tabiena *eodem verb. q.* 4. ex Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *q.* 4. *puncto* 5. ex Abbate *cap. nam concupiſcentiam, nu.* 4. & 5. *de conſtit.* & Felin. *ibidem, nu.* 11. & Cartuſiano, Corduba, & alijs multis citatis à Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 4. *nu.* 17. & *ſeqq.* & *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. & *ſeqq.* Ideò tamquam axioma commune, grauiſſimi Auctores docent, contra eſſentialia Religionis cuiuſque, nullam poſſe introduci veram, & legitimam conſuetudinem: inter quos vnus eſt Nauarrus *in ſuo Manuali tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 50. vbi citat Maior. Panorm. Felinum, Aufrerium, S. Antoninum, & Caietanum, & Rodriquez *tom.* 1. *quæſtionum regularium q.* 69. *art.* 2. & Azorius *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 13. *cap.* 11. *q.* 15. & Valerius Reginaldus *in ſua praxi, lib.* 18. *nu.* 369. & Sanchez *in decalog. lib.* 6. *cap.* 2. *nu.* 26. Hoc vno tamen adnotato; quod ſi quis profiteatur Regulam laxatam, & ferè collapſam quoad obſeruantiam ratione profeſſionis, quam emiſit viuendi ſecundum illam Regulam, nequit cogi ad arctiorem obſeruantiam eiuſdem Regulæ. ita communiter doctores ſupra citati, præſertim Azorius *vbi ſupra q.* 16. pro qua citat Cardinal. & Panor. *in cap. ſuper eo de regul. nu.* 6. ideò Caiet. citatus à Valerio Reginaldo *vbi ſupra*, §. *conſequens eſt*, vbi religio deficit in eſſentialibus, grauiſſime peccant, qui filios ſuos illi offerunt.

Ad obiectionem in principio iſtius difficultatis adductam dicentium ordinata in præcitato Capit. Bonon. habere vim non legis, ſed ſimplicis admonitionis tantum: Reſpondetur quod in re, & in facto prædicta admonitio cum ſit præceptiua, atque imponat tranſgreſſoribus pœnam determinatam, atque grauem, ideo verius appellanda eſt non ſimplex admonitio, ſed admonitio præceptiua vim legis habens, iuxta doctrinam text. *in l. legis virtus, ff. de leg. & Conſtit. Princip.* vbi examinantur effectus proprij, atque formales veræ legis, atque Statuti; inter quos vnus eſt, quotieſcunque iubet, & alius quando punit tranſgreſſores, qui ambo continentur in præfa-

præfatâ admonitione. Cui fauent tradita à Suarez *vbi ſupra nu.5.* & latius à nobis ad calcem præludiorum.

Ordinata verò in Capitulis Generalibus pro bono, ac vtilitate vera, atque reali alicuius Prouinciæ, ſiue Conuentus, proportionaliter veniunt intelligenda modo dicto cum reſpectu ſemper ad regulam S. Thomæ traditam, *1.2. q.97. art.2. ſub puncto 7. ſub nu.9.* fideliter relata.

Punctum X.

Tandem breuiter reſoluuntur aliqua dubiola ad eandem materiam attinentia, quorum

22 Primum eſt quærentibus † vtrum non vſus tantum alicuius legis iam promulgatæ valeat inducere conſuetudinem? Reſpondet Silueſter negatiuè in ſua ſumma, *verb. Conſuetudo, num.13.* addens nec inducere conſuetudinem, neque auferre legem, quando non vſus, pro ſe non habet actum tacitum in ſubſtantia, vel forma contra diſpoſitionem iuris: pro qua ſententia adducit caſum ſpecialem, & auctoritatem grauium Doctorum, Reginaldus quoque *lib.13. tit.4. cap.23. ſect.3. nu.250.* idem ſentit.

Secundum: An per actus frequentatos, mere tamen facultatiuos, inducatur conſuetudo, prout eſt ius priuatum, in præiudicium facientis. Hanc pariter reſoluit Silueſter *vbi ſupra, nu.13. ac 19.* negatiuè, multis rationibus, atque auctoritatibus cumulatis demonſtrantibus ſententiam negatiuam.

23 Tertium: Si ſtatutum † aliquod annexam habens excommunicationem tolli poſſit per contrariam conſuetudinem. Hanc reſoluit affirmatiuè idem Auctor, dummodo tamen per binum, aut trinum actum factum ſit cõtra Statutum, legiſlatore ſciente, ac valente contradicere, non tamen in facto contradicente; alias requiritur tempus 40. annorum, ſi ſit ius canonicum; ſi verò Statutum ſit Epiſcopi, ſufficit tempus 10. annorum.

24 Quartum. Conſuetudo † mala, atque praua, ob quam iam introducta eſt conſuetudo quæ actu viget, excuſat ne obſeruatores illius conſuetudinis à pœnis præſentis ſæculi? Hanc quoque reſoluit Silueſter *vbi ſupra, nu.18.* affirmatiuè, ſequenti tamen adhibita limitatione, dummodo prauitas conſuetudinis non fuerit iam declarata vt talis, ita vt ſciens, vel ignorans ignorantia craſſa, malitiâ, ſiue prauitatem cõſuetudinis prædictæ: nec tamen ex hoc excuſatur quoad Deũ; ſecus autem erit ſi interueniat probabile dubium circa bonitatem, aut malitiam conſuetudinis. Idem ſentit poſt alios Suar. *tract. de legib. lib.7. cap.6. n.11.*

25 Quintum. Si conſuetudo † nondum perfecta, atque completa, per vnum actum contrarium interrumpatur; An ſit neceſſe de nouo eam incipere cum conditionibus ſuperius expreſſis? Reſpondet Armil. ex Panor. & alijs *verb. Conſuetudo, num.7.* affirmatiuè. Ratio eorum eſt, quia inde apparet ſufficiens argumentum de tacito ſaltem conſenſu populi nolentis introducere conſuetudinem oppoſitam legi; ideò facta eſt interruptio actuum, quibus perfici debebat conſuetudo. De his hactenus.

FINIS

ADDITIONES
AD NONNVLLA LOCA TRACTATVS
De Electione Canonica
FR. LVCAE CASTELLINI
SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM
Procuratoris Generalis, ab eodem Auctore editæ.

Summa Additionum ad Præludia.

1 *Præcepta, ſiue leges habentes formam præcepti, quotuplicia ſint.*
2 *Lex pœnalis non obligat ad culpam, niſi contineat intentionem præcepti.*
3 *In Societate Ieſu nullum præceptum obligat ad culpam, niſi fiat in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel in virtute obedientiæ.*
4 *Verba S. Auguſtini poſita initio ſuæ Regulæ*, Hæc ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus, *an obligent ad culpam.*
5 *An omnia quæ inueniuntur in Regula per modum præcepti, obligent tranſgreſſores, ſaltem ad peccatum veniale.*
6 *Subditi an poſſint in aliquo caſu non obedire Prælato præcipienti aliquid ſub pœna excommunicationis, &c. & nu. 17.*
7 *Subditus an teneatur obedire Prælato præcipienti ea, in quibus diſpenſare poteſt.*
8 *Prælatus Regularis, etiam ſupremus, quænam præcipere poſſit ſuis ſubditis: & an poſſit condere nouas leges obligantes ad vitam aſperiorem. & num. 9.*
10 *Religioſus delinquens in obſeruantia Conſtitutionum, an propter hoc dicatur ſimulator, ſiue mendax.*
11 *Prælati Eccleſiaſtici an poſſint ſibi reſeruare actus internos. & num. 13. 14.*
12 *Occultum per ſe, & occultum per accidens, quod dicatur.*
15 *Decretum Clementis Octaui de Caſuum reſeruatione.*
16 *Subditus non tenetur adimplere voluntatem ſui Prælati, niſi ei expreſſe præcipiatur.*

Additio ad §.4. Præludiorum.

NOn ſine maxima vtilitate adddeda ſunt, quæ tradũtur à Beato Humberto Burgundo Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorũ in expoſitione ad Regulam S. Auguſtini cap. 10. vbi poſt recenſitas diuerſorum opiniones, ac illas merito reiectas, circa vim obligatiuã illius termini, vel vocis, *Præcipimus*, Diſtinguit præcepta, ſiue leges
1 habentes formam præcepti in † triplici
ordine. In primo ſtatuit leges etiam diuinas, quæ continent in ſe modum, & intentionem ſimul præcepti, quemadmodum illud: *Vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos*. Quæ verba profecto exprimunt modum, & intentionem præcepti diuini obligantis tranſgreſſores ad mortale.

Digitized by Google

tale. In ſecundo vero ordine collocat leges exprimentes præceptum, hoc eſt intentionem legiſlatoris, quamuis nō modum præcepti, vt eſt illud: *Non furtum facies*. Quæ verba continent expreſſum præceptum negatiuum de non furando. In tertio denique ordine ponit legem, ſiue leges, quæ habeat modum præcepti, non tamen intentionē; quemadmodum eſt illud Matthæi 7. de ſanatione Surdi, & Muti, præcepit enim Chriſtus, *ne cui dicerent*. De quo certum eſt, quod Saluator noluit eos obligare ad mortale; vnde prædicando miracula Chriſti non peccabant, vt aſſerunt omnes.

Ex quibus euidenter colligitur maior claritas eorum, quæ traduntur in præludijs ad hunc tractatum §. 4. præſertim nu. 13. 14. & ſequentibus, Legem † ſci-
2 licet pœnalem non obligare ad culpam etſi contineat modum præceptiuum, niſi ſimul etiam contineat intentionem præcepti. Ideo Humbertus ponderando illa verba Regulæ S. Patris Auguſtini parum poſt initium. *Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus, &c.* Vbi ſupra inter quamplura inquit: *Et tale eſt iſtud:* (intellige præceptum, de quo in Regula S. Auguſtini) *Non enim eſt probabile quod vir tam ſapiens, etſi per modum præcipiendi loquatur, intenderet omnia ponere ſub præcepto, & tantam damnationis materiam miniſtraret accedentibus ad Regulam ſuam pro ſalute quærenda.*

Et ad obiectionem ab eodem Beato Humberto ibidem propoſitam, quare S. Pater Auguſtinus vtatur verbo præcipiendi, cum non intendat in rei veritate præcipere, quod videtur miniſtrare fomentum ſcrupuloſitatis; Reſpondet per ſequentia verba: *Licet non intendat omnia ponere ſub præcepto, tamen ſuæ intentionis eſt, quod multum vult omnia ſeruari: ad expreſſionem ergo ſuæ voluntatis vtitur verbo præceptorio potius, quam alio verbo ſimplici, ne daretur ex tenui modo loquendi, pigritiæ humanæ occaſio minus curandi de mandatis Regulæ. Et eſt ſimile in Euangelio Marci 6. Præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam tantum.* Et ad aliam pariter obiectionem: Ergo ſi verbum *præcipio*, vel *præcipimus*, non ſemper ſignificat veritatem præcepit, ſed ſolum intentionem voluntatis; ergo nullum erit præceptum in Regula S. Auguſtini, Franciſci, & aliorum.

Reſpondet verum eſſe, *quod nullum præceptum eſt in Regula ex virtute huius verbi, ſed multa ſunt in intentione, quamuis non ſecundum expreſſionem in modo loquendi: ſicut diuina Scriptura, cum nobis loquitur eodem modo, tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædā præcepta; ſicut Luc. 7. cum dicitur: Si quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei & alteram; reputatur conſilium. & cum dicitur in eodem capitulo, Mutuum date nihil inde ſperantes; licet ſit idem modus loquendi, tamen reputatur præceptum.*

Quam doctrinam diligenter meditando Thomas Sanchez in Decalogum tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 70. inquit: *Et*
3 *in Societate † Ieſu nullum Superioris præceptum ad culpam mortalem, vel venialem obligat, niſi Superior ea in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel in virtute obedientiæ iuberet. Sic enim, & vſus Societatis intellexit, & habetur in eiuſdem Conſtitutionibus, 6. par. cap. 5. fine. Atque ita nec obligaret ad culpam præceptum Superioris in illa, etſi vteretur expreſſis præcepti verbis, vt præcipio, iubeo, vel ſtrictè præcipio, vel ſub præcepto iniungo. Sed iuxta id Decretum, & vſum, oportet ſuperiorem amplius explicare ſuam voluntatem, vt cenſeatur velle obligare ad culpam aliquam. At ſi exprimeret ſuam intentionem eſſe obligare ad culpam mortalem, vel venialem, obligaret vtique, niſi ratione leuitatis ma-*

teriæ voluntas eſſet rationi diſſona, quia ea Conſtitutio non auſert poteſtatem aliter obligandi, quàm vtendo illis verbis; ſed illis certam obligandi voluntatem explicat, vt talis non cenſeatur quando illis verbis non vtitur.

4 Hinc † colligitur minimè verum eſſe quod tradit Henricus, quodlib. 6. q. 17. cuncta ſcilicet contenta in Regula Diui Auguſtini obligare profeſſores illius in omni caſu tranſgreſſionis ad aliquam culpam, propter illa verba ſuperius relata: *Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus*. Sed præter ſupra iam adducta ponderanda ſunt, quæ docet expreſſè Siluester verb. Religio. 1. num. 11. vbi quærit de vero intellectu Regulæ ſancti Patris Auguſtini, vbi ad initium quæſtionis motæ per eum, confutat dictam ſententiã Henrici de Gandauo, probando contra illum, quòd illa verba, *hæc ſunt, &c.* veniunt neceſſario referenda, nõ ad omnia contenta in Regula, ſed ad duo illa præcepta charitatis, de diligendo ſcilicet Deum, & proximum, quæ immediatè præmiſerat ſanctus Auguſtinus, quod indicat illa dictio illatiua *igitur*. *hæc igitur ſunt, &c.* vbi etiam cumulat alias rationes demonſtrantes euidenter falſitatem explicationis ipſius Henrici, ita vt illa verba ſuperius relata ſancti Auguſtini, nullatenus poſſint referri ad omnia, & ſingula contenta in Regula, ſed ſolum, ac tantum ad præcepta Dei, & Eccleſiæ, & ad tria vota principalia. vnde ſi generaliter quis illa referat ad omnia contenta in Regula, cogitur dicere cum eodem Siluestro, & alijs, quod illud verbum *præcipimus*, non propriè, & formaliter venit interpretandum, ſed cum diſiunctione prædicta, ſcilicet ſubſtantialia immediatè explicata *præcipimus*, alia vero *monemus*.

Ad illud vero, quod aliqui contendunt inferre ex doctrina Diui Thomæ

5 *2.2. q. 186. art. 9. reſp. ad 1. arg.* † Quod omnia, quæ inueniuntur in regula per modũ præcepti expoſita, obligent tranſgreſſores ſaltem ad peccatum veniale. Dico cum eodem S. Thoma, vbi ſupra, id eſſe intelligendum non vniuerſaliter reſpectu contentorum in quauis regula, & Statutis, præſertim vbi Legiſlator ſuam explicat mentem eſſe non obligare tranſgreſſores ad culpam, ſed ad pœnam tantum; prout in Ordine Prædicatorum, in quo Profeſſores illius nõ ſunt adſtricti ad culpam, neque venialem, cùm tranſgreſſio Regulæ, ſiue Conſtitutionum dicti Ordinis ex ſuo genere non obliget ad culpam mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam, vt clare, ac expreſſè habetur in text. 6. prologi Conſtitut. ſacri Ord. Prædicat. *ſub littera l*, & clarius in declaratione eiuſdem text. §. *in Religione*. Cum hac tamen limitatione, niſi ſuper his, quæ præcipiuntur præcepto formali. Quod eſt dicere præcepto habente modum, & intentionem veri præcepti.

Reſpondetur inſuper ad eorum replicam. Aſſerunt enim S. Thomam docere, tranſgreſſionem, & omiſſionem aliorũ, quæ non ſunt contra præceptum Regulæ, obligare ſolum ad peccatum veniale; dicendo D. Thomam non loqui ſimpliciter, & abſolute, neque reſpectu omnium, ſed ſemetipſum optimè declarat ibidem, mentemque ſuam aperit fuiſſe non complecti omnia ſimpliciter, & abſolute, ſed ſolum aliqua, illa ſcilicet, quæ ſunt diſpoſitiones immediatè ad principalia vota, vel illa, quæ impediunt Religioſum à diſpoſitione, ſiue ab obſeruantia principalium præceptorum legis Chriſti, quæ ſunt præcepta charitatis: alia adiuncta limitatione, quod hoc habet locum in quibuſdam Religionibus; à quibus etiam excipit

cepit palam profeſſores Ordinis Prædicatorum per ſequentia verba. *Tranſgreſſio talis, vel omiſſio, ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam*. Quæ verba D. Thomæ ſunt eadem omnino cum illis declarationis text. 6. Prologi paulò ſuperiùs relata.

Cum Panor. *cap. Inquiſitioni, de ſent. excom.* & Siluestro *verb. obedientia*, non erit inutile conſiderare, qualiter ſubditi
6 non † tenentur obedire Prælato præcipienti ſub pœna peccati, & excommunicationis, quoties præuidet certo malum, vel ſcandalum oriturum, ſi obediat, & pariter quando præciperet aliquid Prælatus inferior contra mandatum, ſiue præceptum Prælati ſuperioris, §. 1. *ff. de re iudicata, l. contra pupillum*, pariter ex S. Thoma 2. 2. *q.* 104. *art.* 5.

Quibus addi poteſt doctrina, quam tradit idem ſanctus Doctor 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in reſponſione ad* 3. *arg.* dum inquit: *Quod religioſi obedientiam profitentur quantum ad regularem conuerſationem, ſecundum quam ſuis prælatis ſubduntur; & ideò quantum ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem conuerſationem pertinere. Et hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem etiam in alijs obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem Regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui, vna ſufficiens ad ſalutem, quæ ſcilicet obedit in his ad quæ obligatur; alia perfecta quæ obedit in omnibus licitis; alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit.*

Pro maiori dilucidatione horum hic quoque apponam, quæ tradit Caietanus vbi ſupra, §. *ad hoc dicitur*. vbi reſpondendo ad quoddam dubium ab eo ibi-
7 dem propoſitũ, an religioſus † teneatur obedire Prælato præcipienti ea, in quibus ipſe ſcilicet Prælatus poteſt diſpenſare, poſt diuiſionem ab eodem Caietano adductam de diſpenſatione, quæ poteſt fieri cum cauſæ vrgentis diſcuſſione, vel quæ fit abſolutè ſine cauſæ diſcuſſione ad arbitrium Prælati, tandem inquit: *Si Prælatus ergo præcipiat aliquid contra, vel præter regularem vitam, diſpenſando primo modo, non tenetur ſubditus obedire, ſed debet potius ſequi ſtatum Religionis ſuæ. Et ratio eſt, quia diſpenſatio, ſine cauſa legitima ſufficiente, ad relaxationem legis, in hoc caſu non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio; niſi fortè diſpenſans ſit Princeps, in his, quæ ſunt purè iuris poſitiui. Si verò præcipiat aliquid diſpenſando cum cauſa legitima, ſic tenetur ſubditus obedire. & ratio eſt, quia ex quo acceſſit legitima diſpenſatio, opus illud pro tunc non eſt contra, aut præter regularem vitam, & ex alia parte ſubeſt cauſa præcipiendi, vt fiat hoc opus, propter aliquem finem ſubordinatum regulari conuerſationi, ſeu vitæ, ad quam omnia hominis præcepta ordinantur in Religione; conſequens eſt, vt nulla ratione excuſetur ſubditus ab huiuſmodi obedientia. Vnde Bernardus in libro de diſpenſatione, & præcepto inquit: Votum meum non minuat Prælatus ſine neceſſitate; inſinuans quod quando neceſſitas adeſt, poteſt Prælatus præcipere.*

Et Antonius Cordubenſis in expoſitione ſuper Regulam Fratrũ Minorum, cap. 10. q. 2. §. *notandum in hoc* 7. verſic. *nam abſolute*. Loquens de Regulari, præſertim Franciſcano iam profeſſo, expreſſis verbis inquit: *Nam abſolute in omnibus obedire ſine vllo limite, non eſt rationabile, nec poſſibile, ſecundum Bonauent. & communiter Doctores in 2. diſt. vlt. vt infra in argumento habetur. & facit ad hoc Richardus de ſancto Vict. in 1. par. dicens: Debitum eſt quod præcipitur ſecundum Ordinem, indebitum quod ſupra profeſſionem. & paulò inferius ait, Potes tamen ſi volueris nullam obedientiam tibi facere. Si promittis*

mittis coram Deo, vel profiteris coram Prælato tuo obedientiam ad omnia, iam tibi de reliquo nulla obedientia erit indebita. Hæc ille ergo. deinde ſtatim, atque immediatè ſubdit.

Secunda probatio eſt, quia expreſsè Regula dicit ſic: Præcipio firmiter eis, vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ, & Regulæ noſtræ. quæ verba rite intellecta, vt ſonant, gloſſantur ſic. Præcipio eis, vt obediant in omnibus, quæ promiſerunt, idest in omnibus in Regula expreſsè contentis, & eo modo quo continentur: hoc enim eſt, quod Fratres promiſerunt in profeſſione, ſcilicet ſeruare Regulam Fratrum Minorum, & vitam, vt poteſt, & non ſunt contraria animo, & Regulæ noſtræ; idest etiam præcipio, vt obediant in omnibus alijs quibuſcunque, cum hac tamen limitatione, ſcilicet dummodo non ſint contraria animæ, & Regulæ noſtræ aliquo modo.

Quædam alia ad idem addam, paucis multa perſtringendo, quæ traduntur à Thoma Sanchez *tom. 2. in decalogum, par. 3. lib. 6. cap. 2. num. 12. & ſequentibus.* Quæ omnia quemadmodum ipſemet fatetur *num.* 15. collegit ex D. Tho. 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. & *quolib.* 10. *art.* 10. & 2. *ſent. diſt.* 44 *q.* 2. *art.* 3. & ex D. Bonau. *ibid. art.* 3 *q.* 2. ex Caiet. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. *dubio vltimo*, ex D. Antonino, Turrecremata, Soto, Silueſtro, Tabiena, Paludano, & alijs quamplurimis, quos ibidem, eorumque loca ſpecialia adducit.

Erit itaque prima propoſitio per modum concluſionis. Prælatus quicunque
8 Regularis, etiam ſupremus, † in Religione, ſuis ſubditis ea ſolum præcipere poteſt, quæ ſunt ſecundum Regulam, ſiue directè, & expreſsè in Statutis in Regulæ contineantur, ſiue indirectè, & implicitè; vt ſunt ea, quæ licet non clarè exprimantur, in vniuerſali tamen continentur in prædictis Statutis, tanquam neceſſaria ad Regulam, & Conſtitutiones obſeruandas, vti ſunt mutua religioſa obſequia, & illa, quæ pertinent ad pœnas tranſgreſſionis Regulæ, & Conſtitutionū vniuſcuiuſque inſtituti per ſanctam Sedem approbati.

Hanc concluſionem probant Doctores paulò ſuperius citati, ac alij quos adducit Sanchez, vbi ſupra, in toto illo capit. 2. præſertim *num.* 5. *q.* 10. & 17.

Probatur eadem concluſio: Religioſi enim obedire debent ſuis Prælatis, ex debito in illis conſurgente ex ſolo obedientiæ voto; & de neceſſitate nil vltra votum obedientiæ habent religioſi ſupra alios fideles, vt optimè probat S. Th. 2. *ſentent. diſt.* 44. *q.* 2. *q.* 3. *ad vltimum argum. Sed contra.* & ibi S. Bonauentura *art.* 3. *q.* 2. & Durandus *ibidem q.* 4. *n.* 4. & Silueſt. *verb. Religio* 6. *q.* 6. Sed per votum obedientiæ remanent adſtricti, iuxta Religionis Regulas, & Conſtitutiones tantum. Igitur obedire tenentur Prælatis in his, quæ ſunt in Regula, ſiue ſtatum religioſum conſeruantibus, ſecundum Regulæ, & Conſtitutionum ſtatuta, iuxta explicationem factam in concluſione. Et hoc eſt, quod demonſtrant verba S. Gregorij *lib.* 1 *regeſt. c.* 19. relata *in cap. geſta, diſt.* 74. quibus ait: Iuſtum eſt, vt nemo creſcere compellatur inuitus, quibus oſtendit neminem religioſorum obligari in ſua Religione ad arctiorem vitã. Hoc idem docuit etiam S. Bernardus *lib. de præcept. & diſpenſat. cap.* 8.

Eſt ſecunda propoſitio. Generalis, ne-
9 que etiam † cum Capitulo generali, poteſt ferre nouas leges obligantes religioſos ad aſperiorem, & arctiorem vitam ſupra rigorem Regulæ, & Conſtitutionum. In hac propoſitione non ago de reformatione, & reſtitutione Regulæ, & Conſtitutionum quoad earum obſer-

uantiam

uantiam ad ſuum priſtinum ſtatum, & candorem. Scio etenim Superiores, & Capitula teneri ad hoc, vt relaxationes circa prædicta, & abuſus, qui irrepſerunt, omnino euellantur, vt clare tradunt omnes, & clarius habetur in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. de Regular. & Monial. cap. 1. Sed vera intelligentia huius ſecundæ propoſitionis ea eſt, quod nec Generalis, neque Capitulum generale ex ſe nullam habent facultatem noua condendi ſtatuta, ſiue mandata, arctiorem viuendi modum continentia.

Probatur ſecunda propoſitio ſufficienter ex adductis ad probandam priorem propoſitionem, cum vtrobique militet eadem ratio. Cum poteſtas, quam habent Generalis, & Capitulum generale in Religioſos ex propria profeſſorum voluntate, qua ſe illis ſua ſponte voto obedientiæ obligarunt, remanet limitata, iuxta voti limites, ad obediendum ſcilicet in his, quæ ſunt ſecundum Regulam, modo iam declarato.

Pro reſponſione vero ad obiectiones eorum qui dicunt D. Thomam locis ſupra citatis docere religioſorum obedientiam differre ab obedientia communi fidelium, quia obedientia Religionis eſt vniuerſalis, & quoad omnes res (quæ verba ſunt D. Tho. 2.2.*q.* 186.*ar.* 5.*ad* 1. & S. Bonauenturæ in expoſitione Regulæ Fratrum Minorum *cap.* 1.) Animaduerto, quod D. Thomas ſuam mentem aperuit; & ſenſum ab eo intentum palam explicauit quodlib. 10. art. 10. dicendo: Obedientiam Religioſorũ dici vniuerſalem, & quoad omnia, non quia comprehendat, quæ ſupra Regulam ſunt, ſed quia eſt circa generalem vitæ diſpoſitionem, quoad præcipua vota, nempe obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, ac etiam circa omnes alias res, in quantum ad Regulæ, & Conſtitutionum obſeruantiam neceſſariæ ſunt.

Ad illud verò S. Bonauenturæ pariter dicitur, quod ex attenta lectione verborum eiuſdem S. Doctoris apertè colligitur intentionem illius eſſe docere, quod in quibuſdam Religionibus arctioribus, ſit amplior obedientia, quam in alijs, cum habeant diuerſos fines, ac per conſequens diuerſa media.

Sit itaque tertia propoſitio collecta ex D. Thoma 2.2.*q.* 184.*art.* 5. *in reſponſ. ad* 2. *arg.* cuius doctrinam magis explicat Caietanus ibidem ad finem articuli:
10 Religioſum † retinentem animum proficiendi, & per conſequens viuendi ſecundum Regulam, & Conſtitutiones ſuas, quamuis in multis quoad executionem interdum delinquat, non propter hoc dicitur ſimulator, neque mendax, niſi ab intentione perfectionis animum reuocet; & per conſequens eximendus eſt à culpa ſaltem mortali.

Rationem huius aſſignat ibidem D. Thomas, quam magis declarat Caietanus; *Quia ſtatus Eccleſiaſticus, qui extenſior eſt, ſignificat directè, ipſam intentionem exiſtentium in ſtatu, & non executionem.* Addens immediatè, *cuius ſignum eſt, quod aliquis ſtatim vt ſit religioſus, aut Epiſcopus, ex ſola intentione proficiendi veraciter, in ſtatu illo eſſe dicitur, abſque ſimulatione quacunque verbo, vel facto.* Vbi Caietanus nullam facit mentionem de violatione votorum, neque an in obſeruantia Regulares inducant, vel non inducant peccatũ contra præceptum tendendi ad perfectionem, prout ei imponitur abſque veriori fundamento à Sanchez, *vbi ſupra cap.* 5. *num.* 5. *&* 12. ſed Caietanus *ibidem* verum Diui Thomæ ſenſum aperit, non ſine magna ſubtilitate, & circumſpectione veritatis, prout de more.

Thomas Sanchez *tom.* 2. *in decalogum lib.* 6. *cap.* 4. *nu.* 70. *& ſequentibus*, poſtquam generaliter docuit de mente Diui

Anto-

Antonini 2.*par.tit.*4.*cap.*2. §.3. & 3.*par. tit.* 16. *cap.*1. §.9. & ex Vaſquez 1.2. *q.*96. *art.*4.*diſp.*158.*cap.*3.*nu.*24. Prælatos imponere volentes ſubditis aliquid tanquam neceſſario faciendum, ſolitos eſſe vti hoc vel ſimili modo loquendi, *Sub culpæ mortalis obligatione*, vel *ſub intermination e maledictionis eternæ*, vel *in virtute ſanctæ obedientiæ*, vel *ſub pœna excommunicationis*, inquit. *Quare dum his vel ſimilibus verbis non vtuntur, crederem ex communi vſu non cenſeri eorum præcepta obligare ſub mortali, niſi id aliunde conſtet.*

Et *num.* 72. expreſſis verbis per modum obſeruationis ait. *Tandem id obſeruandum eſt, quando in aliqua religione reſeruatur peccatum inobedientiæ, aut peccatum contra votum obedientiæ, non cenſeri reſeruatam inobedientiam, quæ non eſt mortalis, contra virtutem obedientiæ aut contra votum illud: quæ reſpiciunt præceptum Superioris obligans ad mortale; vt quando præcipit in virtute obedientiæ vel alio ſimili modo: quod ſi eſſet peccatum mortale per accidens, nempe propter cõtemptum, vel propter aliam circumſtantiam extrinſecam mali finis, nõ cenſeretur peccatum illud comprehenſum in reſeruatione, quia nõ eſt inobedientia nec directe repugnat voto obediẽtiæ.*

Neque præteribo animaduertere pro claritate eorum quæ adducuntur in ſupradicto, §.4. & ſequentibus, doctrinam traditam à Nauarro *tomo* 2. *conſil. lib.*5. *de ſimonia.conſil.*45. *nu.*1. ac etiam ab alijs Summiſtis *verb. Lex*, ſiue *verb. Peccatum mortale*, ex qua colligitur quod ille qui legem aliquam humanam violat, male eam intelligendo; ſed bona fide agendo præſertim ſi accedat ignorantia, etiam quod putet ſe habere iuſtam cauſam; non peccat ſaltem mortaliter, etiam quod lex obliget ad mortale ob grauitatem materiæ: quam doctrinam dilucide tradunt Alphonſus de Caſtro *lib. vlt. de lege pœnali cap.*14. *concluſ.* 2. *principali*, & Thomas, Sanchez *lib.*9. *de matrimonio diſput.* 33. quam vocat communem ſententiam Suar. *lib.*5. *de legibus, cap.*12. *nu.*3.

Denique non omittam hic fideliter referre quæ ſapienter ſcripſit Ioan. Tritemius in Reg. S. Benedicti, cap. 3. §.*audeo*, & ſunt quæ immediatè ſequuntur. *Quod transgreſſor Regulæ non eſt, quem fragilitas non voluntas deuiare facit, cum omne peccatum voluntarium ſit. Tunc peccatum non eſt, ſi quis vult, & non poteſt obſeruare (ſaltem ad literam) Regulam, non arbitror illum transgreſſorem, cum dicat Auguſtinus pſal.* 17. *Quicquid vis, & non potes, factum Deus computat*, ſtatim ſubdens. *Fragilitas quippe ſi ceciderit, bona voluntate ſubleuatur, voluntas verò in malum cadens quando reſurget?* Cuncta enim hæc cum in ſe dilucida ſint, ſola ponderatione digna ſunt, pro Superiorum ſubditorumque inſtructione.

Additio ad §.13. Præludiorum:

PRopter contenta in dicto §. propoſitione ſecunda, Quod lex humana poſſit præcipere, ſimulque punire actus hominis internos, nonnulli dubi-
11 tarunt, † an Prælati eccleſiaſtici, præſertim regulares, poſſint ſibi reſeruare actus internos, qui ſola cogitatione, ſiue voluntate interiori conſũmantur. Hanc dificultatem inter alias tractat Caietanus in ſuis commentarijs *ad* 2.2. *D.Tho. q.*11.*art.*3. & 4. & in Summa caſuum, *tit. hæreſis*, & *tit. horæ canonicæ*. Vbi inter
12 quamplura poſt diſtinctionem † Occulti per ſe, quod ex ſua ratione ſibi vendicat nullatenus ſubeſſe cognitioni ſenſitiuæ, à qua incipit humana cognitio, ſecundum quam Eccleſia iudicat; & occulti per accidens, quod aliquo modo ſenſui ſubiacet: pro terminatione propoſitæ difficultatis, inquit. *Licet occul-*

tiſſima

13 *tiſſima † per accidens, & actus interiores, vt rationes exteriorum commiſſionum, vel omiſſionum, ſubiaceant Eccleſiæ iudicio, & cenſuris. Occulta tamen per ſe, vt ſunt actus interiores ſoli, ab Eccleſiæ iudicio, & cenſuris aliena ſunt.* Ibique adducit rationem prædicta comprobantem illis verbis. *Et ratio eſt, quia homo videt quæ apparent; Deus autem intuetur cor, vt dicitur 1. Reg. cap. 16. & propterea Apoſtolus prohibet horum iudiciū, dicens prima ad Cor. 4. Nolite antea, tempus iudicare, quouſque veniat Dominus, qui manifeſtabit conſilia cordium.*

Subdit aliam propoſitionem reſolutiuam propoſitæ difficultatis, quæ & ſi particularis ſit, propter tamen rationem eius, quæ vniuerſalis eſt; quod aſſeritur in illa affirmari poteſt ſimpliciter, & abſolute. Et eſt: Quamuis hæreticus, qui in ſolo corde hæreſim habet, non ſit excommunicatus, neque reus cenſendus aliarum pœnarum iuris humani; *Si tamen peccatum hæreſis, non ratione cenſuræ annexæ, vt in proceſſu annuali Romanæ Curiæ reſeruatur, ſed abſolute eſſet reſeruatum Papæ, vel Epiſcopo, non poſſet talis hæreticus ab inferiori abſolui.* Et ſtatim addit rationem horum, *quoniam reſeruatio non eſt pœna, ſed negatio, vel adeptio iuriſdictionis, qua Superior poteſt vti in quantumcunque occultis.* Ex quibus liquido conſtat poſſe Prælatos eccleſiaſticos de poteſtate abſoluta ſibi reſeruare interiores actus, inuoluentes peccatum mortale. Eandem ſententiam affirmatiuam tuetur, atque defendunt inter quamplures Alphonſus de Caſtro, de iuſta hæret. punitione, *lib. 2. cap. 18. §. qui autem hæreſim.* Vbi cumulat nonnullas auctoritates ſacræ Scripturæ, Canonū, & Gloſſæ. Idem ſentit Dominicus Soto *lib. 10. de iuſt. & iure, q. 5. art. 5.* cum alijs multis, quos in ſpecie citat Miranda in ſuo Manuali Prælat. Regul. *to. 2. q. 34. art. 3.*

Secunda propoſitio ad idem: Nihilo-
14 minus † de facto, & ſecundum praxim, nunquam Eccleſia conſueuit reſeruare actus pure interiores; ideo Prælati, & Superiores ab huiuſmodi reſeruatione omnino abſtinere debent, quia horum reſeruatio ſecundum ſe nimis onoroſa, & ſcrupuloſa eſſet pro ſubditis, eo quod peccata cordis ſunt frequentiſſima, & occultiſſima, & vix homo poteſt diſcernere, an illis conſenſerit nec ne; & intolerabile videtur ferè omni hora, & momento adire Superiorem pro facultate abſolutionis, ob quem rigorem multi deterrerentur, ſimulque retardarentur à frequentia Sacramentorum, cunctis fidelibus valde proficua, maxime vero Religioſis ad perfectionem tendentibus.

Immo ſuperaddit Miranda vbi ſupra concluſ. ſecunda, ex traditis à Patre Suarez tom. 4. ad 3. par. D. Thomæ diſput. 28. ſect. 3. *Conſtare ex Summorum Pontificum, & Eccleſiæ vniuerſalis voluntate, hanc interiorum actuum non eſſe materiam capacem reſeruationis; & in hoc credo firmiter eſſe ſtandum.* Hæc Miranda. Multa alia ad idem pertinentia inueniet Lector apud Graphium, Chappeauillem, & Corriolanum locis ſupra citatis in cap. 20. huius noſtri tractatus de Electione Canonica. Quibus addi poſſunt etiam illa, quæ tradit Laurentius de Peirinis, *to. 1. de ſubdito, quæſt. 1. de obedientia, §. 1. & quæſt. 4. de vita Quadrag. not. 4.*

Ad horum quoque maiorem firmitatem vtile exiſtimaui hic apponere
15 Decretum Clementis Octaui † circa caſuum reſeruationem, ſequētis tenoris.

Sanctiſſimus D. N. Clemens VIII. qui iam pridem accurate perpendit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pænitentes à quibuſdam grauioribus delictis, niſi

niſi moderate fiat, nonnullos infirmiores in æternæ damnationis periculum, & deſperationem inducere poſſet: ideo decreuit, vt nemo Superior regularis peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis his quæ ſequuntur, aut aliquibus illorum, prout in Domino expedire iudicauerit.

I. Veneficia, Incantationes, & ſortilegia, &c.

II. Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Conuentus fiat egreſſio.

III. Nocturna, & furtiua à Conuentu egreſſio, etiam non animo Apoſtatãdi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit mortale peccatum.

V. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſiue legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, ſiue conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

VII. Falſificatio manus aut ſigilli Officialium Conuentus.

VIII. Furtum de rebus Conuentus in ea quantitate quæ ſit peccatum mortale.

IX. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

X. Occiſio, vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcunque perſonæ.

XI. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione, & aſſenſu. Non liceat Superioribus regularium confeſſiones audire ſubditorum, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum commiſerit, aut ipſimet ſubditi ſponte id petierint. Superiores in ſingulis domibus duos vel tres, aut plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori vel minori deſignent; iique ſint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit; in quo caſu debere committi, ipſe in primis confeſſarius iudicauerit, tam Superiores pro tempore exiſtentes; quam confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum aſſumpti fuerint, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerũt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Licebit tamen Superioribus determinare pænitentias graues quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis à confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab illis cohibere poſſint. Et ita mandat ſeruari ab omnibus. Non obſtantibus, &c.

Qua occaſione non omittam ponderare vt decet, illud commune ſapiẽtum continens admonitionem, ſiue potius documentum neceſſario à Prælatis, & Superioribus, præſertim regulariũ, omnino obſeruandum, ne ſint faciles ad condenda præcepta formalia ſubditos obligantia ad peccatum mortale: cùm experientia rerum omnium magiſtra, demonſtret illorum frequentiam magis contemni quam formidari, & infelices exitus in animarum perniciem inde ſubſequi. quod docent communiter Doctores Theologi, & Canoniſtæ de frequentia fugienda circa excommunicationis fulminationem, conformiter ad ea quæ traduntur *ſeſſ. 25. Conc. Trid. cap. 3. de reformatione*, per ſequentia verba. *Quamuis excommunicationis gladius neruus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio Populos valde ſalutaris: ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam ſalutem.* Cuncta hæc proportionaliter dici poſſunt de

præce-

præceptis formalibus. Ideo in ſacro Ordine Prædicatorum expreſsè prohibetur multitudo, & frequentia præceptorum obligantiū ad mortale: & quamuis illud ſtatutum ſit ſingulare, & particulare dicti Ordinis, ratio tamen prædicti ſtatuti eſt communis, & vniuerſalis reſpectu omnium regularium, & eccleſiaſticorum, vti videre eſt in prologo Conſtitutionum dicti Ordinis Prædicatorum text. 10. in quo dicitur. *Porro Prælati omnes à multitudine præceptorum, & ordinationum abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum inijciant; nec propter defectum vnius vel paucorum, quem vel quos non audent corrigere, communitatem inuoluant.*

Ideò grauiſſimi ac pijſſimi Doctores non abſque magno rationis fundamento, expreſsè docent per modum animaduerſionis neceſſario à Superioribus ponderandæ, *Diſcreti Prælati abſtinere debent à præceptis* (quæ vocant formalia) *& ab excommunicationibus, hiſque raro vti fas eſt, niſi quod iubetur, ſit aliàs diuinum præceptum aut eccleſiaſticum ad mortalem culpam obligans.* ita communiter DD. præſertim expoſitores Regulæ SS. Benedicti, Auguſtini, Franciſci, ac Ignatij, quam doctrinam omnes fere quo ad ſubſtantiam tradunt, & optimè. Adduntque nonnulli alij Auctores cele-
16 bres, † ſubditum nequaquam remanere obſtrictum adimplere voluntatem ſui Prælati, etiam quod conijciat ipſum velle hoc vel illud, niſi id expreſſo mandato habente formam legis præceptiuæ iubeat. ita quamplures Doctores, quos citat in ſpecie Homobonus in ſuis commentarijs reſolutorijs, *tract 6. cap. 6. q. 27.* parum poſt exordium, inter quos extat Silueſt. *verb. Obedientia, §. vlt.* & *verb. Præceptum, q. 2.* Azorius *p. 1. lib. 12. cap. 12. q. 2.* D. Antoninus Tolet. Regin. Miranda, Graffius, & Sanchez.

Tractatus de Electione.

Contra quos Superiores ſiue conſimiles, ex doctrina Alphonſi de Caſtro, lib. 1. de lege pœnali, cap. 5. docum. 2. colligit Valerius Reginaldus vol. 1. ſuæ praxis fori pœnitentialis, lib. 15. cap. 6. ſect. 2. nu. 43. ad finem, *Perperam ſentire eos Religionum Prælatos, qui putant ſe poſſe ad mortalem culpam ſubditos obligare, propter ſolius ſilentij violationem, aut propter ſolam vnius lactucæ manducationem ſine licentia, aut propter aliud ſimile, quod eſt ex ſe parui momenti, nec poteſt grauiter religioni nocere;* vbi etiam proponit obiectionem, illamque reſoluit, quod in iure canonico de cadaueribus non exenterandis, ſiue in fruſta concidendis, ſeu ad alia loca transferendis; quæ cenſentur res leues, & parui momenti; extat præceptum, ſub pœna excommunicationis maioris, & ex conſequenti, ſub pœna peccati mortalis; reſpondendo, & optime, talia dici quidem leuia ex ſuo genere: ratione vero circumſtantiæ, per quam aggrauantur, in ordine ad bonum commune, vtputa quod conſimilis exenteratio, ſiue conciſio, facta erat quaſi communis, & abierat in conſuetudinem, non ſine magno fidelium horrore, ſcandalo, & perturbatione: ratione quarum circumſtantiarum prænominata efficiuntur grauia, & oneroſa, & multum nociua bono communi; ſub qua ratione formali vt grauia ſunt, prohibentur, ſub pœna excommunicationis vti eſt videre in extrauag. commun. *deteſtandæ*, de ſepulturis. Et ratio omnium horum ſupradictorum ea eſt, quam aſſignat Alphonſus à Caſtro, vbi ſupra: alioquin peior miſeriorque eſſet in hac vita ſubiectio animæ quam corporis. Sane lex humana nequit hominem pro re leui ad mortem corporalem obligare; multo minus poterit lex humana rite ac recte adminiſtrata obligare ad mortem ſpiritualem,

Ss ſeu

ſeu damnationem æternam, quæ in infinitum grauior eſt: eo magis quia omnium legum condendarũ poteſtas Principibus tum eccleſiaſticis, tum laicis cõceſſa ſit in ſubditorum bonum, ac vtilitatem, non autem in perniciem, & animarum laqueum: ita communiter omnes. Nullatenus prætermittendum eſt pro inſtructione Superiorum Regularium, id quod expreſſis verbis tradit Thomas Sanchez in decal. lib. 6. cap. 2. num. 45. & 46. quod collegit, vt aſſerit ipſemet, ex Silueſtro verb. religio 6. q. 6. ex Tabiena verb. obedientia, num. 6. ex Corduba in expoſit. regulæ S. Franciſci, cap. 10. q. 2. ex Vaſquez 1. 2. q. 95. ar. 2. diſput. 154. cap. 4. nu. 21. & 29. ex Bañes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. & eſt, *Quando Regula ex ſe, & primæua ſua inſtitutione non obligat ſub culpa, ſed ad ſolam pœnam, non poſſe Superiorem obligare in vniuerſum ad obſeruationem illius ſub culpa mortali: at poſſet priuatum ſic obligare, quando ad exemplum aliorum, & correctionem illius, qui minus parere conſueuit, id expedire iudicaret. at vero propter vnius, vel duorum culpam non poſſet ſic totum Conuentum obligare. ſic docet Vaſquez eadem diſput. 154. cap. 4. num. 21. quod idem credo de obligatione ſub culpa veniali, quia hæc excedunt Regulæ praſcriptum.*

17 Pariter † ſubditi Religioſi non tenentur Prælatis ſuis aliquid ſupra Regulam, ſimpliciter, & Conſtitutiones præcipientibus obtemperare, niſi concurrente ſubditorum voluntate, iuxta illud D. Bernardi lib. de diſpenſ. & præcept. dicentis: *Nihil præcipiat mihi Prælatus, quæ non voui; nihil prohibeat eorum, quæ non promiſi; non augeat, nec minuat votum meum.* Quibus addi poteſt animaduerſio ad Prælatos Regulares, qui non debent, nec poſſunt ſub culpa obligare ſubditos ad ea obſeruanda, quæ ex Regula, & primæua ſua inſtitutione, ſed ad ſolam pœnam, vt latè dictum eſt, aſtringunt: neque ex inobedientia priuata vnius, vel alterius expedit totum Conuentum, vel totam Vniuerſitatem obligare ſub culpa. Ex D. Tho. *in quolib.* 10. *art.* 10. D. Anton. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 1. § 9. Felin. & Dec. *in cap. ad noſtram, ext. de appellat.* Angles *q. de voto, diff.* 15. Graffius *lib.* 3. *deeiſ. aur. cap.* 5. *num.* 45. Sanchez *de præcept lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 46. Miranda *in man. Prælat. Regul. tom.* 1. *q.* 26. *art.* 10.

Beatus quoque Humbertus in expoſitione ſuper Regulam Baeti Auguſtini, cap. 162. aſſignat quamplures caſus, in quibus non tenentur ſubditi ſuis Prælatis regulariter obedire. *Primus eſt, quando præcipit contra Deum, quia magis oportet obedire Deo, quam hominibus, Act.* 5. *Secundus, quando maior ſecundum diſtinctionem prædictã præcipit contrarium. Tertius, quando eximitur quis ab eo, qui poteſt, à poteſtate Prælati ſui. Quartus, quando præcipitur aliquid in derogationem iuriſdictionis maioris Prælati; vt ſi præciperet minor Prælatus, quod maiori viſitanti non diceret aliquid de reuelandis in viſitatione. Quintus, quãdo nullo modo fieri poteſt quod præcipitur. Nemo enim poteſt ad impoſſibile obligari, extra de regul. iuris lib.* 6. *Sextus, ſi aliquid mãdatur, per quod eijciatur de obedientia promiſſa; vt ſi præciperet Prælatus ſubdito ſuo, quod intraret alium Ordinem. Septimus, cum præcipitur aliquid, quod eſt ſupra, vel infra, vel contra profeſſionem factam; cum nemo teneatur vltra quam alij tenentur, niſi ad id quod promiſit. Octauus, ſecundum quoſdam, cum præcipitur aliquid impertinens ad profeſſionem; vt ſi præciperet Abbas Monacho, quod tota die reſpiceret aues, præcipuè ſi hoc faceret ſine cauſa rationabili: nam ſi hoc faceret cauſa probandi obedientiam, vel ad exercendum patientiam, vel alia cauſa annexa profeſſioni, eſſet ſecus.* Ex ſuperius

perius

perius traditis colligit cõcluſiones nonnullas Sanchez *in opere ſuo morali in præcepta decalogi*, lib. 6. cap. 2. 4.

Summa Additionum ad Cap. 1. 2. 3. 4. de Electione.

1 *Confirmatio generalis Statutorum, vel priuilegiorum, non comprehendit Statuta iniuſta, & iuri communi contraria; etiamſi tali confirmationi eſſet appoſita clauſula* ex certa ſcientia. *& num.* 2.

3 *Confirmatio in forma communi nihil tribuit de nouo, nullumque obſtaculum tollit.*

4 *Electio non eſt actus iuriſdictionis, ſed officij.*

5 *Prouiſio Cathedralium Eccleſiarum pertinet ad ſolum Romanum Pontificem.*

6 *Signa cognoſcendi Eccleſias Collegiatas.*

7 *Vox*, Electio, *habet ſignificationem actiuam, & paſſiuam.*

8 *Electio eſt remedium ordinarium, Poſtulatio verò extraordinarium.*

9 *Adducitur doctrina B. Humberti de munere Prælatorum, præſertim Regularium.*

10 *Prælatus Capituli, eſt Procurator, non autem Dominus ipſius.*

11 *Prælati quinam propriè dicantur.*

12 *Munus Prælati quodnam ſit.*

13 *Prælatus tenetur negocia grauia, & ardua terminare cũ Capitulo ſui Collegij; alias ipſius determinationi non ſtatur. Limita vt num.* 14.

15 *Quæ mala oriantur ex negligentia Prælatorum renuentium ſubditorum culpas corrigere.*

16 *Quid obſeruare debeant Principes in nominationibus, quas faciunt Romano Pontifici ad dignitates Eccleſiaſticas.*

17 *In electione, omnibus iam peractis, eſt neceſſarium Decretum verbale; aliàs electio facta non tenet.*

Tractatus de Electione.

18 *Non poteſt Prælatus proponere in electione duos, vel tres, ex quibus vnus tantum eligatur; ex Decreto Congregationis Concilij.*

19 *Electio facta ab excommunicato occulto, eſt irrita.*

20 *Electio pertinet ad eligentes ratione priuati officij, & non publici.*

Additio ad primum Caput Tractatus de Electione.

AD obiectionem illorum, qui contendunt contra tradita in 1. cap. de elect. in communi, num. 1. & 2. aſſerere, poſſe Capitula Generalia condere leges contra, ſiue præter ſtatuta in ſacris Canonibus, etiam in materia electionis; eo quia ſtatuta Regularium ſunt confirmata per Sedem Apoſtolicam, & in illis aliquando continetur modus cõtra, ſiue præter illum ſtatutum in iure Canonico: facillimè reſpondetur per ſequentia notatu digna, Dicendo, quod

1 confirmatio generalis † Statutorum, vel priuilegiorum non extenditur ad Statuta iniuſta, illicita, iuri communi contraria, vel quæ poſsũt ius aliquid nouum inducere. Cynus *in l. cum oportet, nu.* 2. *C. de bonis quæ lib.* vbi quod ſi Princeps confirmat omnia priuilegia, videtur cõfirmare iuſta, non iniuſta. Bald. *in l omnes, num.* 37. *ff. de iuſt. & iur.* vbi quod Papa in generali confirmatione Statutorum non cenſetur confirmare ea, quæ ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam: & *in cap.* 1. per illum textum, *per quos fiat inueſtitura ſuper feudis, num.* 2. vbi quod generalis cõfirmatio non confirmat niſi iuſta priuilegia; & quod iuri communi contraria, non intelliguntur confirmata, ſed per obreptionem impetrata, per text. *in cap. dudum* 31. *de decim. in §. comparentibus.* Bart. *in l.* 1. *nu.* 1. *ff de ijs qui ſunt ſui, vel alien. iur.* vbi quod ſi

Papa confirmat omnia priuilegia alicui
Eccleſiæ, vel Collegio, ſeu Ciuitati, vi-
detur confirmare, quæ ſunt iuſta, *arg.*
l. 1. §. 1. ff. de his quæ in teſt. delent. & *c. 1.*
de iureiur. Iaſon. *in conſil. 122. colum. 3.*
vol. 4. Alex. *conſ. 59. num. 8. vol. 1.* vbi
quod generalis cõfirmatio priuilegiorũ
non trahitur ad iniuſta, & illicita, & ad
ea quæ ſunt iuri communi contraria,
cùm talis confirmatio intelligatur per
obreptionem obtenta, per not. *in l. ſi quis*
loca. C. de fund. & ſal. rei dom. lib. 11. &
per Gozadin. *in conſ. 9. col. 7.* Soc. Iun.
conſ. 32. lib. 3. vbi quod confirmatio ge-
neraliter facta refertur ad Statuta licita,
& honeſta, & non ad illicita. Felin. *in*
cap. Eccleſia S. Mariæ; num. 4. in fin. de
conſtitut. & latiſsimè Roland. *conſil. 29.*
num. 32. & ſeq. lib. 1. Corn. *conſ. 9. nu. 3.*
lib. 3. & Pariſ. *conſ. 33. num. 53. lib. 3.* vbi
2 dicit id † etiam procedere, vbi talis con-
firmatio generalis facta fuiſſet cum clau
ſula, *Ex certa ſcientia.* & *in conſ. 10. col.*
penult. vol. 4. & *in conſ. 106. num. 6. lib. 3.*
vbi quod confirmatio generalis, etiam
ex certa ſcientia, non refertur ad Statu-
ta, quæ diſponunt contra ius diuinum,
naturale, canonicum, & ciuile. Gutie-
rez *de contract. iur. cap. 38. num. 6.* vbi la-
te Rota *dec. 780. par. 1. diuerſ.*
3 Et ratio eſt, † quia confirmatio in for-
ma cõmuni nihil de nouo tribuit, nul-
lumque defectum, aut obſtaculum tol-
lit. *cap. 1.* vbi gloſſ. 2. *cap. cum dilecta,*
& *cap. examinata, de confirm. vtil. vel*
inutil. Felin. *cap. inter dilectos, num. 6. de*
fid. inſtr. Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 7.*
num. 7. Caſſad. *deciſ. vnic. de confirm. vti-*
li, vel inutil. Rot. *deciſ. 702.* & *deciſ. 730.*
num. 5. par. 1. diuerſ. nec eſt veriſimile
Principem voluiſſe talia Statuta appro-
bare: & quia etiam capienda eſt illa in-
terpretatio, per quam minus derogetur
iuri communi. Socin. Iun. *in d. conſ. 32.*
num. 43. & Roland. *in d. conſ. 29. nu. 34.*
& Gutierez *vbi ſupra*, qui latè.
4 Eligere abſque dubio non eſt † actus
poteſtatis, ſed ordinis; neque iuriſdictio-
nis, ſed ſolum muneris, & officij: namq.
canonici ius habent eligendi Præſulem,
monachi Abbatem; nomine Monacho-
rum comprehendo Regulares quoſcun-
que ad eligendum habiles, vt latius pa
tebit paulò poſt §. *apud Monachorum*; &
tamen nec iſti, nec illi iuriſdictionis po-
teſtatem poſſident, vt docet inter alios
Azorius *lib. 6. inſt. moral. par. 2. de quar-*
to Decalogi præcepto, cap. 14. q. 14. quod
antea docuerant omnes ferè Canoniſtæ
tit. de elect. & electi poteſt. & inter alios
Paulus Lancellottus Peruſinus in ſuis
inſtitutionibus iuris canonici *lib. 1. tit. qui*
eligere eligiue poſſint. & tit. *de elect.*

Inſpecta namque iuris communis di-
ſpoſitione, ius Prælatum eligendi ad Ca-
nonicos, ſiue Monachos reſpectiue per-
tinet: & Azorius, *vbi ſupra, cap. 14. q. 1.*
circa finem contra aſſerta à Suarez, de
quibus latius *cap. 7. num. 14.* poſtquam
dixit, in Germania adhuc vigere vete-
rem cõſuetudinem; Canonicorum ete-
nim Collegia in Metropolitanis eccle-
ſijs Archiepiſcopos, in Cathedralibus
vero Epiſcopos eligunt: immediatè ſub-
dit. *Apud Monachorum, & Religioſorum*
Ordinum cœnobia adhuc mos antiquus re-
tinetur, vt Abbates cœnobiorum, Præpoſi-
ti Ordinum Generales, Prouinciales, & ple-
rique etiam locales, in Conuentibus vel Ge-
neralibus, vel Prouincialibus, multorum
ſuffragijs eligantur. Igitur ex teſtimonio
Azorij, Regulares non reliquerunt, ſed
adhuc palam retinent modum eligendi
per ſuffragia multorum, tamquam con-
formem diſpoſitioni iuris communis.
Fateor enim cum Canoniſtis, id verum
eſſe, quod aſſerit Garcias *de beneficijs, 5. p.*
5 *cap. 4. num. 6. & 7.* prouiſionem † ec-
cleſiam Cathedralium pertinere ad ſo-
lum Romanum Pontificem, vt manife-
ſtè tra-

ſtè tradunt textus canonum, quos *ibidem* citat cum innumera multitudine Doctorum, inter quos vnus eſt Cardinalis Bellarminus 1. *tom. controu.* 5. *lib.* 1. *cap.* 8. & 2. *tom. controu.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. qui aſſerit electionem Epiſcoporum non pertinere iure Diuino ad Clerum, ſed ad Sũmum Pontificem Romanum, vt ipſe eligat, vel modum eligendi præſcribat. Et *num.* 8. ex auctoritate Gloſſ. Abb. Selua, Coraſij, Gregor. Lopez, & Burſati probat inferiorum Eccleſiarum prouiſionem ſpectaſſe olim ad Epiſcopum. Et num. 9. *Tractu temporis,* inquit, *fuit conceſſa facultas cuilibet Collegio eligendi ſi-ſi Prælatum, ſiue Eccleſia ſit Cathedralis, ſeu inferior, confirmatione tamen electi Superiori immediato relicta.* Quemadmodum videre eſt *cap.* 1. *cap. ne pro defectu, cap. quia propter, de elect.* cum alijs multis eiuſdem tituli ibi, & *in 6.* Et *nu.* 10. demum ait, quod earũ prouiſio iam reſeruata eſt Papæ per regulas Cancellariæ 2. & 3. quæ vt aſſerit Lancellottus, vbi ſupra, ab omnibus Pontificibus cõfirmantur, & renouantur. de quibus Regulis multa copioſe dicit Garzias, *vbi ſupra, cap.* 1. *num.* 212. *& ſequentibus,* quæ propter illarum prolixitatem hic omittuntur.

Diffinitionem electionis, de qua in hoc cap. nu. 8. vt animaduertunt quamplures Canoniſtæ, præſertim Lancellottus, vbi ſupra, tit. de elect. verb. *electio,* ſub litera g. approbant omnes communiter tanquam bonam, rectam, atque perfectam diffinitionem, ſiue deſcriptionem.

Promotio Epiſcoporum, ſiue aliorum Prælatorũ habentium iuriſdictionem generalem in Eccleſijs Collegiatis, fieri ſolet per electionem, ſiue po-
6 ſtulationem. Signa vero † dignoſcendi Eccleſias Collegiatas, quæ adducit Abb. *cap. nobis, de iurepatr.* ſunt, nempe ſi habeat poſſeſſionem ſuper iure Collegij: ſi exercet iura pertinentia ad ſolum Collegium; item ſi habeat ſigillum commune, vel ſi conſueuerunt eligere Prælatum. *cap.* 1. *de elect.* deficientibus enim his prædictis ſignis, etiam quod in ea reperiatur multitudo Clericorum, nequit dici Collegium, ſiue collegiata. Card. *in clem.* 11. *q.* 4. *num.* 8. *de ætate & qualit.* Felin. *in cap. accedentes, de præſcriptionibus, col.* 1.

7 Nomen † ſiue vox, *electio*, duplicem habet ſignificationem, actiuam ſcilicet & paſſiuam, vt not. *in l.* 11. *ff. de duo. rc.* & per Abb. *in rubrica eod.* ideo tantum eſt dicere de electione, quantum ſi diceretur de his, qui poſſunt eligere, & de his qui poſſunt eligi, & pariter de formis quibus eligendum eſt. Cùm igitur hoc nomen *Electio*, cuncta hæc cõplectatur, merito volui inſcribere hunc tractatum *De Electione canonica;* ac etiam anteponere caput de Electione illi de Poſtulatione, etſi tam in Gregoriana, quàm in Bonifaciana cõpilatione prius tractetur de poſtulatione, quàm de ele-
8 ctione. Equidem electio † cum ſit ordinarium remedium, poſtulatio vero extraordinarium, innititur enim gratiæ, quemadmodum animaduertunt communiter Doctores *in rubrica de poſtulatione Prælatorum;* ideo differendum fuit prius de ordinario remedio, deinde de extraordinario, *argum. l. in cauſæ, ff. de mino.* & *l. in Prouinciali, ff. de no. op. nunciat.* Aliam quoque rationem ad idem inueniet lector ad initium cap. de poſtulatione.

Additio ad num 16. 17. & 18. cap. 2. de Poſtulatione.

9 Compendioſe nec abſque vtilitate paucis referam, quæ † prolixe tradit de Prælatis, præſertim regulari-

bus, B. Humbertus *in expoſitione ad Regulum ſancti Auguſtini, cap.* 170. Prælato enim non ſatis eſt vt dicat, moneat & præcipiat, more Phariſæorum, qui dicunt & non faciunt; ſed debent & ipſi recta operari, & quæ docent facere, exemplo Chriſti. Et hoc ſummè pertinet ad illum, vt ſuo exemplo ac bonis operibus ſubditos inuitet ad obſeruantiam Regulæ, & Conſtitutionum. Ita docent ſanctus Gregorius *in paſtorali,* & S. Benedictus *in Regula,* quos citat Humbertus *vbi ſupra,* addens, quòd non ſufficit vt in occulto bona agant, ſed palam & in oculis omnium bona operari tenentur, ſecundum illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Immo ſuperaddit, non in vno tantum, ſed in omnibus debere ſe præbere bonorum exemplar, iuxta illud ſancti Patris Auguſtini in Regula dicentis de Prælato, *Circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum,* dicente Beato Humberto *ſine hoc enim carent efficacia quæcunque facit,* & S. Paulus ad Timotheum, *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & in caſtitate.* vbi etiam dicit ex auctoritate ſacræ Scripturæ, & S. Gregorij: *Scire debent Prælati quoniam tot mortibus digni ſunt, quot exempla perditionis ad ſubditos tranſmittunt.* & iterum, *non debet hominum habere ducatum, qui neſcit homines bene viuendo præire;* cum alijs multis quæ breuitatis cauſa omittuntur.

10 Prælatus Capituli † ſiue Collegij, dicitur, & eſt Procurator, non autem dominus, licet maiorem prærogatiuam habeat quàm ordinarius Procurator: ideo proprie non dicitur pars Capituli; ſed nominatur principalis in Capitulo, ſiue Collegio. Gloſſ. *in clement.* 1. *&* 2. *de regul.* & Card. *ibidem.*

11 Vt dictum eſt in numeris ad initium iſtius additionis citatis, illi † proprie dicuntur Prælati, qui habent ordinariam iuriſdictionem, modo & ordine ibidem explicato: quibus addi poteſt quòd lato vocabulo, & appellatione poſſunt dici Prælati, qui habent præeminentiam ſiue iuriſdictionem, vt ſunt plebani: latiſſime vero dicuntur etiam presbyteri, qui habent curam animarum, Dec. *in cap. decernimus de iudic. colum.* 6. & videtur dicendum de Prælatis, ſicut dici poteſt de Præpoſitis, vt Præpoſitus dicatur, qui alijs præeſt, vt habetur *in cap. quamuis, de verb. ſignific.* vide Abb. *in cap.* 11. *de donat. in primo notab.* & facit ad idem, *cap. quia nonnullis, de magiſtris.*

12 Inſuper † munus Prælati eſt, iuxta tamen conſuetudinem Eccleſiarum, Collegiorum, & Conuentuum, quando ex illa nullus realis reſultet abuſus, proponere negotia examinanda, & decidẽda, ſuffragiaque votantium colligere ac numerare. ita Speculator *tit. de locat. §. ſequitur.* ad ipſumque Prælatum pertinet concludere quod in Collegio, ſiue Capitulo fuerit deliberatum; apud quem etiam conſeruatur ſigillum Capituli, ſiue Collegij. Caſſaneus in ſuo Catalogo gloriæ Mundi, 1. *par. conſiderat.* 17. *concl.* 1. His etiam addenda ſunt quæ tradit Silueſter *tit. de Prælatis, nu.* 2. vbi ex doctrina Paludani, & aliorum, concludit quod ſpurius etiam per ingreſſum religionis, abſque diſpenſatione nequit habere curam neque iuriſdictionem, ſiue per electionem, ſiue per commiſſionem, neque poteſt fieri Supprior, aut Vicarius Conuentus alicuius. Et *nu.* 4. reſoluendo quæſtionẽ ab eo motam de negligentia prælatorum ex gloſſa, Archid. Hoſtien. Bernard. & alijs, concludit quod Prælatus negligens circa ea quæ ſunt ſui muneris, peccat mortaliter, in omiſſione ſcilicet neceſſariorum

rum

rum ad ſuum officium, vt puta viſitationis, correctionis, & huiuſmodi. addens: *Et ſecundum Hoſtienſem, cap. ea quæ de offic. Archidiac. tenetur non ſolum de dolo, & lata culpa; ſed etiam de leui, quo ad damnum rerum eccleſiaſticarum, & à fortiori quo ad damnum animarum*. Tandem num. 5. ex auctoritate multorum canonum, Panor. Innocen. & aliorum
13 concludit † Prælatum teneri, negotia grauia, & ardua quæ talia dicuntur arbitrio boni viri, cum conſilio, ſiue Capitulo terminare; alias non eſſe ſtandum determinationi. Vbi etiam animaduertendum
14 eſt † quod ſi Capitulum, ſiue Collegium, vel Conſilium non rationabiliter, ſed voluntarie tantum contradicat Prælato, valet nihilominus quod facit Prælatus ductus rationabili cauſa, & patenti: immo illi de Capitulo pro conſentientibus in tali caſu haberi poſſunt & debent, Archid. *in cap. Epiſcopum* 61. *diſt.* Felin. *cap. cum omnes de conſt. col.* 13. & ſuper hoc extat deciſio Rotæ Romanæ *in antiq.* 31.

Quamobrem neceſſarium eſt, vt in Prælatis vigeat correctio ſuorum ſubditorum propter eorum vtilitatem, dicente ſancto Auguſtino, *Sicut meliores ſunt, quos amor dirigit, ita plures ſunt quos timor corrigit*. Et ſanctus Benedictus in Regula. *Non diſſimulet Abbas peccata delinquentium; ſed mox vt oriri ceperint, radicitus ea vt præualent amputet*, & S. Bernardus (quos omnes citat Beatus Humbertus in expoſitione Regulæ S. Auguſtini cap. 171.) *Non iraſci, vbi iraſcendum, eſt peccatum*: dicente S. Gregorio lib. 15. moral. cap. 23. *Omnis namque peccator prudens erit in pœna, qui ſtultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore contritus ad rationem oculos aperit, quos voluptati deditos clauſit; & pœna torquente exigitur, vt ſapiat quæ excæcante ſe ſuperbia decipiebat*.

Vbi ſupra Beatus Humbertus ex Diuo Auguſtino ad Bonifacium reſpondet obiectioni eorum, qui dicunt ſubditos eſſe regendos ſola benignitate, non autem correctione, & timore. Verba relata ab Humberto ex Diuo Auguſtino ſunt. *Quidam dixit, pudore, & libertate liberos retinere, ſanctius eſſe credo, quàm metu. Hoc quidem verum eſt: ſed ſicut meliores ſunt, quos diligit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor*.

15 Deinde idem † Humbertus aſſignat mala quæ oriuntur ex negligentia Prælatorum renuentium culparum ſubditorum corripere: quæ præſertim ſunt nouem. Tria priora redundant in Prælatum negligentem: Alia vero in damnum delinquentium. Tria vero poſteriora in perniciem vniuerſitatis. Primum aſſignatur confuſio eiuſdem met Prælati negligentis, iuxta illud Eccleſiaſtici 22. *Confuſio eſt patris de filio indiſciplinato*. Secundum, culpa negligentis Prælati: in eum enim tranſeunt ſubditorum errata, iuxta illud S. Benedicti in Regula, *Sciat Abbas, culpæ paſtoris incumbere quicquid pater familias, in ouibus minus vtilitatis poterit inuenire*. Tertium eſt pœna temporalis, quam ob ſuam negligentiam patietur, in hoc & in alio ſeculo, vt patet de Heli Sacerdote.

Primum vero malum ſecundi ordinis redundans in delinquentes, eſt excæcatio, qua credunt ex non correptione illis illata, non eſſe malũ quod agunt, vel ſaltem non eſſe tantum malum: ideo dicebat S. Gregorius in Paſtorali. *Nonnulla vehementer increpanda ſunt, vt dum culpa ab actore non cognoſcitur, quanti ponderis ſit, ab increpantis ore ſentiatur*. Ideo Prouerb. 29. *Virga, & correptio tribuit ſapientiam*. Secundum eſt delicti multiplicatio, cum non ſtatim corrigatur. Quamobrem S. Bernardus dicebat. *Impunitas eſt inſolentiæ mater, radix impudi-*

citiæ, tranſgreſſionum nutrix. Tertium valde flebile, eſt finalis ſubditorum perditio & ruina: cùm enim non corripiuntur, continuo multiplicant delicta, vt finaliter pereant.

Alia vero tria mala reſpicientia damnum communitatis, ſiue vniuerſitatis, ſunt infectio multorum: ſicut enim morbida ouis inficit gregem, ita peccatum incorreptum facillime inficit vniuerſitatem. Secūdum eſt difficultas corrigendi. Tertium, & vltimum denique eſt rebellio ad omne bonum. Ideo Prælatis dicitur: *Terror veſter, & tremor ſit ſuper cunctos ſubditos veſtros; vt ſi malum fecerint, timeant poteſtatem: ad hoc enim gladium portatis, ideo in virga, delinquentes corrigere debetis: ita vt à iuſtitia non flectamini.* Cum timore itaque Dei cuncta perficiet Abbas (vt inquit S. Benedictus in Regula) *quia initium ſapientiæ timor Domini.* additque S. Benedictus, *& cum obſeruatione Regulæ*: ideſt (ait Trithemius ad eandem Regul.) *nihil faciat quod ipſa prohibet; nihil omittat quod illa iubet: ne cum alijs illam implendam prædicat; ipſe negligendo reprobus efficiatur.*

16 Cum in hoc † capite 2. facta fuerit mentio de nominatione, quæ fit ad Prælaturas, vt videre eſt num. 14. breuiter dicam quæ prolixe referuntur à Rebuffo *quæſt. 1. de nominationibus*, à Valerio Reginaldo *in ſua praxi lib. 30. tract. 3. nu. 204.* & à Molfeſio *par. 1. ſuæ ſummæ moralis tract. 6. de beneficijs, cap. 6. nu. 21. & 22.* Quando Reges, vel alij Principes Catholici, in Terris ſuæ dictioni ſubiectis, ad Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, Abbatias, vel ad alias dignitates eccleſiaſticas, aliquas perſonas nominant Summo Pontifici Romano, vt ab illo approbentur, & ita approbatis libere conferat dignitatem, quam ſibi magis placuerit; obſeruare debent infraſcripta. Primò vt actu vacet Prælatura, ita vt ordinarie & regulariter non poſſit fieri nominatio ad dignitatem vacaturam: Secundò vt prædicta nominatio fiat immediatè à Principe: Tertiò vt perſona, ſiue perſonæ nominatæ, ſint dignæ ac idoneæ ætate, ſcientia & moribus: Quartò quod fiat intra ſex menſes à die vacationis; vel ſi nominatus repertus fuerit indignus à Summo Pontifice, loco illius tenentur nominare idoneum, ſiue idoneos, intra tempus trium menſium. Quæ verò docet in hac materia Reginaldus, deſumpſit, vt *ibidem* fatetur ille, ex Silueſtro *verb. Poſtulatio*, & *verb. Nominatio*: & Molfeſius quæ adducit *loco citato*, collegit ex Reginaldo. De hac materia tractār etiam Tabiena, & alij Summiſtæ *vbi ſupra*, & Panormitanus, *in cap. quia ſicut, de elect.* & fit ſermo *in cap. placet, diſt. 65.* & à Vaſquez *tom. 3. ad 3. par. D. Thomæ diſp. 244. num. 23. & ſequentibus.*

Additio ad num. 1 & 2. cap 3. de qualitatibus Electionis canonicæ ad §. 6. poſt dictam, *ver.* quo facto.

17 Tanta eſt neceſſitas † Decreti verbalis ſiue vocalis, quod regulariter fieri debet ab vno eligentium, omnibus iam peractis neceſſario requiſitis ad electionem canonicam Præſulum, dicendo: *Ego N. nomine omnium elgo*, vt præter adducta ibidem ſatis abunde hic etiam referre voluerim quæ circa hoc præcipitur *in cap. ſicut 21. de elect. in 6.* & hæc ſunt. *Præcipitur: ſicut cùm per formam ſcrutinij ad electionem proceditur, eſt per vnum pronuncianda, & facienda communis electio, ſecundum canonica inſtituta: ſic & per vnum debet fieri, cum per formam proceditur compromiſſi.* quibus addit Gloſſ. ibidem, *ex notatis per* Innoc.

Innoc. Hoſtienſ. & Compoſtell. *cap. quia propter, & cap. in Geneſi, de elect. quod electio aliter facta non tenet*. Electio enim debet per antiqua iura fieri verbo (modo immediatè declarato) de illo in quẽ conſenſerit maior pars capituli: non enim tenet electio, niſi fuerit facta à maiori parte totius capituli, vt expreſsè probatur *in cap. Eccleſia veſtra, de elect.* in quo caſſam, & irritam declarat atque oſtendit Pontifex Honorius III. electionem non factam modo immediatè, explicato.

Additio ad cap. 4. De caſibus in quibus electio eſt nulla.

Addatur Declaratio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, ſequentis tenoris, videlicet.

18 *An ſtante † libertate electionis liceat Prælato Superiori proponere duos vel tres, ex quibus vnus tantum eligatur.*

Sacra Congregatio Cardinaliũ Concilij Tridentini interpretum cenſuit, *Non licere*.

R. Cardinalis Vbaldinus.

Locus † ſigilli.

Pro maiori claritate eorum quæ dicta ſunt circa nullitatem electionis, in qua interfuit excommunicatus etiam occultus, de quo num. 13. huius cap. 4. neceſſario videnda ſunt quæ copioſe adducta fuere cap. 5. nu. 18.

Ad claritatem illorum quæ traduntur cap. 4. nu. 13. & cap. 5. nu. 18. huius tractatus de elect. compendioſe referam quæ adducit Garzias *5. par. tract. de beneficijs, cap. 4. num. 314.* & ſequentibus; vbi inter actus irritos, & nulliter factos ab excommunicato occulto, pa-

19 lam enumerat † actus electionis, ſiue eligendi; & reddens rationem ait, quia *geritur iure priuato, ſeu ratione priuati officij electio, licet ad capitulum pertineat ratione publici officij, tamen ad ſingulares canonicos pertinet ratione canonicatus; & officij priuati; & ſic facta ab excommunicato etiam occulto non valet*, hæc ille. Pro qua ſententia quo ad omnem ſui partem, citat Innocentium in cap. *quam dilectus, de conſuet.* & *in cap. conſultationibus de iurepatron.* & *in cap. poſtulaſtis, de clerico excommunicato*, Abb. *in d. cap. conſultationibus*, & *in cap. veritatis de dolo, & contumacia, num. 47.* Rebuff. *in concord. tit. de excommunicatis non vitandis, verſic. collatio etiam*, & alios multos ad idem citat, inter quos eſt Petrus de Biaxio, *in direct. elect. cap. 1. 1. par. nu. 4.* quem ego quoque citaueram, *cap. 5. vbi ſupra*. Quæ omnia ne dum proportionaliter; ſed quaſi identice dici poſſunt, & debent de alijs legitimis Electoribus
20 etiam regularibus. Cùm enim † electio pertineat ad eligentes, ex auctoritate tantorum virorum, ratione priuati officij, & non publici, remanet certa atque indubitata, & ne dum communior, ſed quaſi vniformis omnium Doctorum, præſertim antiquorum, noſtra ſententia quam tradidimus cap. 4. & 5. huius tractatus, quod excommunicatus etiam occultus, re detecta inficiat electionem; nam tota difficultas extabat quod electio, eſſet non publici, ſed priuati officij actus, Hoſtien. *de renunciat. niſi cum pridem, num. 49.* vt docet idem Garzias *loco immediatè citato, num. 329.* vbi citat quamplures Leges, Butrium, Abbat. Seluam, Iaſonem, Gregor. Lopez, Ludouicum Lopez, Humadam, Tabienam, Silueſtrum, Armillam, Thomam, Sanchez, Nauarr. *in cap. placuit, de pœnitentia, diſt. 6. nu. 179.* & *in Manual. cap. 9. nu. 11. alias 8. & conſil. 1. de officio Ordin.* & Bar-

& Bartholomæum Vgolin. *tabula 1. de cenſuris, cap. 2. §. 22. nu. 4.* & Aziorium, *lib. 5. q. 2. cap. 8.*

Summa Additionum ad Cap. 5. & 6.

1 *Elector, qui liberè renunciauit votum in aliqua electione, ſi poſtea eum pœniteat, & petat admitti ad eamdem, an, & in quibus caſibus ſit admittendus. & quid de Cardinali, in electione Summi Pontificis, & num. 5.*

2 *Elector renuncians electioni, & deinde petens admitti, ſi non admittatur in caſibus in quibus admitti debet, dicitur verè contemptus, & poteſt inſtare pro nullitate electionis: electus tamen, quouſque caſſetur electio, eſt verè & legitimè electus, & num. 3.*

4 *Ratio quare renuncians iuri eligendi poteſt iterum ad illud admitti; non autem renuncians beneficium, ſiue Prælaturam, &c.*

6 *Electio debet fieri in aliquo loco publico; alias eſt nulla.*

7 *Communis opinio tenenda eſt in quacumque materia, quæ non reperiatur deciſa ab aliquo Canone, vel Lege.*

8 *Communem opinionem qua faciant.*

9 *Vnus de Capitulo, cæteris negligentibus, repræſentat totum Capitulum.*

10 *Vocalis priuatus voce, ſi velit intereſſe electioni, debet expelli.*

11 *Electio an poſſit fieri de nocte.*

Additio ad num. 22. cap. 5. de legitimis Electoribus.

AD maiorem ſtabilitatem eorum, quæ explicantur in prædicto nu. 22. de illo ſcilicet, qui libere renunciauit votum in tali electione canonica, quem poſtea pœnituit, & petijt admitti ad eamdem electionem, cùm res adhuc eſſet integra; neceſſario ponderanda, veniunt nonnulla pro parte affirmatiua, quam ibidem propoſui ac defenſaui, ex doctrina Abbatis, Gloſſ. & Angeli, quorum placitis adhærent, & frequenter vtuntur in grauiſſimorum negociorum reſolutionibus inſignia tribunalia Vrbis, & Orbis, præſertim in materia electionis, quæ pro maiori facilitate ad formam concluſionum redegi.

Concluſio prima. Certum & indubitatum eſt, quoties vocalis renunniat vocem emittere in tali electione particulari determinate celebranda pro tali die ab eodem ſpecificato; ſi eadem electio differatur ad alium diem, poteſt ſi vult, & debet admitti ad eamdem electionem: quia non eſt pura, & abſoluta renunciatio; ſed conditionata, & ad tale tempus ſolum determinata. ita communiter omnes.

Secunda: Quoties Elector, ſiue vocalis legitimus, renunciat votum ſuum in tali electione non ſimpliciter; ſed cum ſequenti limitatione, *pro hac vice tantum*; exeundo de Capitulo, caſu quo nullus tunc euadat legitime electus ex vi actus quem fecerunt pro illa vice Electores, etiam quod eodem die procedatur iterum ad aliam electionem; qui renunciauit moo dicto, ſi vult intereſſe alijs electionibus faciendis, poteſt & debet admitti: quia non in totum renuntiat; ſed pro tali actu tunc celebrando: ideo reſpectu actus illius Prioris ſemetipſum ſuſpendit à iure ſuo eligendi, & non amplius; & in rigore iuris, illa non dicitur vera, & pura renunciatio, niſi quando in totum ſimpliciter, & abſolute renunciat, vt late tradit inter alios Hoſtienſis *tit. de renunciat. cap. niſi cum pridem, num. 47. & ſequentibus*, vbi citat Codices, Leges, & Canones nonnullos ad

los ad idem; vbi etiam eadem docent Canoniſtæ, & Summiſtæ *verb. Renunciatio*, vel *Electio*.

Tertia. Quoties vocalis, ſiue elector renunciauerit vocem per ſequentia verba, *Renuncio electioni, quamdiu Eccleſia vel Conuentus, hac vice vacauerit ſuo Prælato*; certum eſt quòd in ſecunda vacantia eiuſdem Eccleſiæ vel Conuentus, poterit eligere, & tenebuntur alij electores illum admittere ad electionē; propter rationes in alijs duabus propoſitionibus immediatè adductis propoſitas; addendo ex doctrina communi Canoniſtarum vbi ſupra, *renunciationem tantum valere, quantum verba per quæ fit, ſonant & ſignificant:* dummodo ſemper fiat liberè & voluntariè. Vnde ſuſpenſio talis vocalis eſt & ipſa ad tempus, non autem abſolutè & ſimpliciter, illo volente.

Quarta. Quoties legitimus elector liberè voce, vel ſcripto renunciat ſimpliciter, & abſolutè per verba clariſſima votum ſuum in electione, quæ fieri debet de Prælato illius Eccleſiæ, cuius eſt vocalis; ſi vero peniteat, & re adhuc integra petat admitti ad eamdem electionem, tenentur Electores illum recipere, & poteſt emittere votum validum in eadem electione. Imò addunt Doctores Canoniſtæ, *vbi ſupra*, & Summiſtæ, quando renunciatio eius præiudicaret bono communi, talis qui renunciauit, cum in hoc caſu egerit contra iuſtitiam, compelli poteſt, atque debet ad eligendum cum alijs. Inſuper addit Silueſter, *verb. elect. 1.* & *verb. renunciatio*, ac etiam Tabiena, *eodem verb. elect. 1. num. 13. Male faciunt, qui permittunt eligi indignos, vel inſufficientes, renunciantes voci ſuæ, ne notentur, vel alio humano reſpectu; & poſſet faciliter hic eſſe peccatum mortale*. Veritatem huius quartæ propoſitionis docent expreſsè, ac defendunt Abbas, Gloſſa, & Angelus *locis citatis, num. 22, cap 5 huius tractatus*. Silueſter, & Tabiena, *vbi ſupra immediatè*, vti eſt videre apud Silueſtrum, *verbo electio 1. ad finem num. 5. §. quintum electorum*, expreſſe dicentem: *Poteſt quilibet Elector renunciare voci ſuæ, ac iuri ſuo: vnde quod poſtea fit per alios, impugnare non poterit, ſi tamen accedat electione non dum facta, admittendus eſt in his, quæ circa ipſam reſtant*. Pro qua ſententia citat inter alia cap. *Eccleſia veſtra 2. de elect.* Inſuper eamdem propoſitionem, ſiue Concluſionem quartam expreſſis verbis tradit Gloſſa *in cap. vbi periculum, de elect. in 6.* quam aſſerit colligi, ſiue haberi in textu eiuſdem cap. *§. ſi vero infirmitate*, quemadmodum videre eſt in dicta Gloſſa, *vbi ſupra, verb. ſanitatem*; dicente de illo qui renunciauit, & poſtea pœnituit. *Pænitens, & rediens admittendus eſt*, addens: *De his autem, quæ medio tempore facta ſunt conqueri non poterit: & hæc quæſtio* (inquit ille) *ſatis hic terminatur*, demonſtrando his verbis, quod in eodem cap. *vbi periculum* determinata eſt hæc quæſtio affirmatiue, iuxta adducta in quarta concluſione.

Inſinuat pariter Gloſſa ibidem, eamdem ſententiam affirmatiuam docuiſſe Hoſtienſem *ſuper 1. decret. tit. de renunc. cap. niſi eum pridem*. & ita eſt in rei veritate, prout videre poſſunt cuncti legentes attente, quæ ibidem traduntur per Hoſtienſem, maximè *à num. 47. vſque ad num. 57. incluſiue*; vbi, præſertim *ad calcem num. 49.* ſermonem faciens de eo, qui renunciauit electioni, & poſtea pœnituit, inter quamplura multis argumentis optimè fundata, ad fauorem ſententiæ affirmatiue inquir: *Quantumcunque autem renunciatum ſit, ſemper penes renunciantem remanet ius eligendi, vt patet in eo, quod notatur ſuper Gloſſa verſ. item hoc ius incorporale eſt. & ver. per quod & patet.*

patet. Et quandocunque veniat re integra, ſemper admittendus eſt, & locus eſt pœnitentiæ; cùm pœnitentia Eccleſiæ ſit vtilis, ac nemini ſit captioſa, vt ff. de interroga. act. de ætate, in fin. & dicitur res integra in inferioribus Eccleſiis, quandocunque veniat antequam aliquis eligatur, vel ſcrutinium publicetur; vt patet in eo, quod legitur, & notatur ſupra de elect. quia propter. & cap. Eccleſia 2. §. pars verò, & cap. publicato. Et quod amplius eſt, vt ſe oſtendat Hoſtien. acerrimum defenſorem huius ſententiæ affirmatiuæ, *num.* 52. & 53. proponit, & reſoluit dubium de eo, qui ſemel noluit petere bonorum poſſeſſionem, & ſtatim perdidit ius; & de illo pariter, qui ſemel renunciauit liti, & vterius non auditur; dicendo eſſe omnino diſparem rationem: nam ibi agitur de priuato intereſſe huius, vel alterius perſonæ; in caſu vero electionis de communi intereſſe, & vtilitate publica, dicẽdo: *Quia quod à pluribus quæritur, facilius inuenitur:* quod probat auctoritate Canonum, ac etiam Prouerbiorum *cap.* 11. quo in loco Salomon inquit: *Vbi multa conſilia, ibi ſalus.* denique concludit per ſequentia verba: *Admittatur ergo renuncians, & ſi iunior ſit, ex quo venit re integra.* & paucis interiectis expreſſis verbis ait: *Poteſt & illud dici, quod ius eligendi Prælatum cuiuslibet Eccleſiæ, & maximè Summum Pontificem, auctoritate, & vtilitate publicum eſt, cui nulla ratione expreſſe renunciari poteſt, vt notat ſupra eadem Gloſſa ver. ſed contra.* Conſideranda ſunt itaq. non ſolum dicta celeberrimorum Doctorum, quibus manifeſtè, & in proprijs terminis tradunt veritatem contentam in quarta concluſione; verum & rationes, quas ad idem probandum addunt, quæ procul dubio, euidenter demonſtrant cunctis veritatem aſſerti in quarta concluſione. & Geminianus *in cap. vbi periculum, num.* 1. docet quod in dubio reſoluendum eſt ad fauorem renunciantis, vt ſcilicet petens admittatur.

Ex his quatuor Cõcluſionibus abunde declaratis, atque ſtabilitis, infertur per viam neceſſariæ conſequentiæ ſequens Corollarium.

2 Igitur qui † renunciauit votum in electione, deinde pœnitens inſtet pro emittendo voto in eadem electione, re adhuc integra, ſi expellatur & prohibeatur, dicitur vere contemptus; & vt contemptus ſi inſtet pro nullitate, vel caſſatione electionis, debet audiri, & caſſanda venit electio, etiam poſt confirmationem, vt latius dictum eſt in cap. 4. huius tractatus, *num.* 25. & *cap.* 8. *nu.* 1. & 2. quibus locis argumentis, ratione, & auctoritate ſacrorum Canonum fundatis, demonſtratur veritas huius Corollarij, dummodo contemptus vnius, vel plurium probetur.

3 Hoc tamen conſiderato, quod † Prior electus, in cuius electione præſupponitur aliquem ex Electoribus fuiſſe contemptum, modo iam fusè explicato, eſt vetus & legitimus Prior, donec & quouſque fuerit caſſata ipſius electio, & confirmatio, poſtquam cõnſtiterit de contemptu vnius, ſiue plurium vocalium.

4 Ad obiectionem eorum † qui dicunt ius eligendi non poſſe reaſſumi ab illo Electore, qui iam illud renunciauit, aſſerendo idem iudicium eſſe faciendum de iſto, & de illo qui renunciauit Superiori beneficium, ſiue dignitatem, Prælaturam, ſeu Officium, quod non poteſt iterum reaſſumere poſt Superioris acceptationem, etiam quod pœniteat; dummodo renunciatio fuerit libera, & voluntaria. Reſpondetur dicendo, falſum eſſe quod vtrobique inueniatur eadem ratio, imò diuerſa reperitur inter hunc, & illum caſum: primo, quia iura concedunt in textibus capit. ſupra citatorum Electo-

Electori qui renunciauit, & poſtea pœnituit, acceſſum poſt pœnitentiam ad eligendum; quod non conceditur ei, qui renunciauit Officium, ſiue Prælaturam, vel aliud ſimile. Secundo, ſi attendatur ius eligendi quatenus publicum eſt, vt eligere idoneum, quod ordinatur ad vtilitatem Eccleſiæ, ſiue Collegij, vel Conuentus, huic renunciari non poteſt, vt optime probat Hoſtienſis, *vbi ſupra, num.* 49. *&* 57. reſpectu vero Prælaturæ, & beneficij iam acquiſiti vnuſquiſque poteſt renunciare: & bene eſt quod inter caſum, de quo in quarta concluſione, & illum recenſitum in argumento, reperitur omnimoda diuerſitas. & Regula eſt, quod quis renunciare poteſt illis, quæ ſunt ad ſui fauorem ordinata, ideſt tantum: ſed electio præſertim digni, ad vtilitatem publicam dirigitur Eccleſiarum, ſiue Conuentuum.

Ad ſecundam obiectionem fundatam in verbis *cap. vbi periculum, de elect. in 6.*

5 *§. fanè.* vbi dicitur † de Cardinali qui intrauit Conclaue, & poſtea exiuit abſque manifeſta cauſa infirmitatis, *Nec in eiuſdem electionis negocio vlterius admittendo, per alios ad eligendum Summum Pontificem liberè procedatur.* Ex quibus intendunt inferre à ſimili: ergo qui ſemel renunciauit, nō eſt amplius admittendus.

Reſpondetur primo, quod ibidem fit ſermo reſtrictè de electione Sūmi Pontificis Romani, circa quam extant multa iura ſpecialia, quæ non habent locum in alijs inferioribus electionibus; quemadmodum docet Gloſſa *ibidem verb. ſanitatem*, vbi dicit: *Pœnitens, & rediens admittendus eſt.* hoc idē docet Hoſtien. *vbi ſupra, num.* 50. vbi quaſdam differentias aſſignat inter electionem Papæ, & aliorum inferiorum Prælatorum. Et ſuperius *num.* 32. 33. *&* 34. proponens caſum de ſeipſo, qui cauſa infirmitatis mortalis renunciauit pro ea vice iuri ſuo coram alijs Cardinalibus in Conclaue ſecū exiſtentibus circa electionē Summi Pontificis Romani, vt exiret de Conclaui: de qua renunciatione interperitos fuit dubitatum, an valeret; cùm ius eligendi Papam Diuinum ſit, vt optime ille probat *nu.* 34. *Summæ*, publicum eſt; ideo renunciari nequit: quod probat argumento multorum textuum. quod ius, vt probat idem Hoſtienſis, *vbi ſupra, num.* 36. eſt de ſe inhærens Cardinalatui. Hinc eſt, quod Doctores nonnulli diuerſarum facultatum, inter quos vnus eſt Molfeſius, in ſua Summa, *tractatu 6. de beneficijs, cap.* 16. *num.* 65. docent eſſe notiſſimum, & de fide certum, quod electio Summi Pontificis ſpectat ad Cardinales, iuxta diſpoſitionem cap. *vbi periculum, de elect. in 6.* Ex quibus colligi poteſt ſecunda reſponſio ad eamdem obiectionem, dicendo, quod verba relata in obiectione ex cap. vbi periculum, non ſignificant, vt dicitur in argumento, negationem admiſſionis ſimpliciter illius Cardinalis, qui renunciauit iuri ſuo, & exiuit de conclaui ex iuſta cauſa; ſed habent locum in eo, qui exiuit ſine cauſa rationabili. Vel verius dicamus, quod ibi eſt ſermo, quod non ſit admittendus Cardinalis, qui exiuit, præſertim ſine rationabili cauſa, ita vt eius abſentia alios impediat ad liberè procedendum ad electionem Pontificis Romani: ideo poſsūt illo nō requiſito, ad electionem rite procedere, nec tenentur illum expectare: nulla tamen ibi fit mentio de eo quem pœnituit, & reuertitur ad Conclaue pro emittendo voto, quod antea renunciauerat, de quo inquit Gloſſa ibidem, *quod rediens admittendus eſt.* quia tunc ius eligendi reſidet penes illos, qui remanſerunt in Conclaui, vt dicit Cardinalis Albanus *de Cardinalatu, q.* 27. addens ex Roſell. *Si vero prætextu metus exeunt Cardinales de Concla-*

Conclaui, ſublato metu eos qui citius redirent, alijs deinde tempore congruo expectatis eligendi poteſtatem habituros, intra quod tempus metu abiecto regredi potuiſſent.

Tertiò reſpondetur, quod verba capituli, in obiectione ſecunda relata, intelligi debent non de illo qui reuertitur, ſed de abſente, qui nō debet admitti per alium habentem illius conſenſum: ſed electio Pontificis Romani, hoc habet inter cetera, vt non admittantur vota, ſiue conſenſus abſentium, cum ad ſolos Cardinales in conclaui præſentes pertineat.

Ad obiectionem pariter eorum qui dicunt opinionem contrariam eſſe aliquo modo probabilem, breuiter Reſpondetur, Regulam communem eſſe omnium ſapientum, Quotieſcunque in aliqua difficultate pro aliqua determinata ſententia ſiue affirmatiua vel negatiua, reperitur Canon ſiue aliqua Conſtitutio Pontificia, illi ſententiæ proculdubio adhærendum eſt; ſed ex ſuperius adductis ad quartam cōcluſionem, ſententia in eadem concluſione expreſſa habet pro ſe textus ſacrorum Canonum, igitur illa ſequenda eſt, & non alia.

Datur ſecunda Regula Generalis, & ab omnibus approbata. Quoties in materia tam ciuili quam canonica non extat caſus, de quo agitur, in aliquo Canone determinatus, vel aliqua lege deciſus, tunc & eo caſu communis opinio tenenda atque ſequenda eſt; nec ab ea quis poteſt recedere abſque nota maxime temeritatis, iuxta illud: *Iudicium populi nunquam contempſeris vnus*, ita Abb. & alij cap. *Capellanus*, extr. de Ferijs.

8 Hac tamen animaduerſione quod † cōmunem opinionem non facit numerus Doctorum ſimpliciter, & præciſe, cùm multi more pecudum aliquem aliquando ſequantur, abſque ponderatione rationis, ſed illam efficit communem, vt plurimum, pondus, ratio, & auctoritas illorum Doctorum, qui eandem ſententiam multis argumentis bene munitam tradant; ita Nauarrus in ſuo Manuali cap. 27. nu. 287. Tolet. lib. 4. inſtruct. cap. 2. Maſcard. de probat. vol. 3. concluſ. 1138. Cardin. Tuſc. in verb. opinio concl. 149. & ſequen. Sed ex ſuperius dictis ſententia tradita ac explicata in concluſionibus, eſt hoc modo communis, igitur ſequenda.

Et ad num. 65. eiuſdem capituli videtur addendum pro maiori firmitate
6 aſſertæ neceſſitatis, vt vocales † ſint in actu electionis congregati in aliquo loco publico, alias electio nulla, & irrita eſſet. Quod Rota Romana, *die 13. Feb. 1617. coram Reuerendiſſ. Patre Domino Buratto in vna Hiſpalen. Canonic.* idem dixit, & determinauit; alias electio non eſſet Capitularis. Quod habet locum in electione Prælatorum habentium iuriſdictionem. Eadem Rota *deciſ. 3. & 5. de electionibus in nouiſſimis*.

Et ad nu. 86. eiuſdem capitis addenda ſunt infraſcripta confirmātia eadem ibidem tradita, præſertim §. *ex quibus*
9 *liquido conſtat:* namque † vnus de capitulo, ceteris negligentibus repræſentat totum capitulum, ſiue vniuerſitatem, ita Felin. poſt Gloſſam, *in cap. cum olim; de teſtam. col. 11.* & *ibi* Abbas & *in cap. in cauſis, de elect. col. 4.* hocque eſt ſecundum diſpoſitionem capituli *vbi periculum*, quod etiam inſinuat Cardinalis Albanus *de Cardinalatu, q. 27.* ſed clarius *q. 28.* & Molfeſius *in ſumm. tract. 6. de benefic. cap. 16. num. 111. & ſequentibus.*

Addi-

Additio ad num. 78. cap. 5. circa Bullam ibidem adductam Leonis X. quoad votum præſtandum ſecreto à regularibus in eorum electionibus ſiue approbationibus.

CIrca contenta in dicta Bulla, conſideranda ſunt quæ adducit Garzias de beneficijs 5. *par. cap.* 4. *nu.* 185. quæ ſunt. *Et quamuis in alijs actibus capitularibus de iure non requiratur quod vota præſtentur ſecreto, expediret tamen certe, quod in omnibus votaretur ſecreto, vt liberius vnuſquiſque poſſit ſuam ſententiam dicere, ſuamq. exonerare cõſcientiam,* Abb. *in cap. quia propter, nu.* 5. *de elect. & euitarentur rixæ, moleſtiæ, & inimicitiæ, inter capitulares, ac Præſidentium, & potentiorum tyrannides, & inſolentiæ, quas vigere videmus in capitulis, in quibus votatur publicè; & ita ſanctiſſima ſunt ſtatuta votandi ſecreto, & Epiſcopi prouidere deberent vt ita fieret; quamuis in Cõſultationibus ſacri Conciſtorij Cardinalium, vbi vota ſunt conſultiua, aliud expediat, vt per Cardinalem Paleottum de ſacri Conciſtorij Conſultationibus, par.* 5. *q.* 3.

Quibus verbis tamquam certum præſupponit, vt in electionibus Canonicis vota ſecretò præſtentur; addens inſuper, emiſſionem ſecretam votorum in alijs actibus, valde vtilem & forte neceſſariam, pro tuenda pace, & alijs euitandis incommodis nociuis ſtatui, & communitati, maximè regularium.

Nota inſuper circa dictam Bullam,
10 quòd ſi qui † per vim vellent intrare inter Electores iam congregatos ad electionem, quibus non competit ius eligendi, tamquam turbatores pacis, & electionis, licitè expelli poſſunt, atque debent. Abbas *in cap.* 1. *de immun. Eccleſ.* & *in cap. cùm Vintonien. de elect.* vbi concludit, quòd ſi priuatus notoriè, vellet omnino intereſſe, etiam violẽter expellendus eſt. idem docet Roman. *ſingul.* 673.

Additio ad cap. 6. De tempore, & loco electionis.

EXplicatis in eodem capitulo addi poſſunt quæ docet Molfeſius in ſua ſumma moralis Theologiæ, *tract.* 6. *de Beneficijs, cap.* 16. *num.* 129. & 130.
11 quæ ſunt. *Licet † olim aderat difficultas, vt de nocte fieri non poſſet electio, niſi quando vrgebat neceſſitas, vt quia non erat facta electio de die, & tempus eligendi terminabatur in media nocte, tunc citra controuerſiam fieri poterat electio de nocte, vt docent communiter DD. in d. cap. quia propter, §. fin. de elect. Innoc. Alb. & alij; quos probant Manual. Prælat. d. art.* 12. *concl.* 1. *in praxi tamen eſt in facultate electorum, quia poſſunt de nocte accendi duo vel tria luminaria, vt ſine vitio diſquirantur ſuffragia; & ſic à praxi non eſt recedendum. & licet Archid. in cap. in nomine, diſt.* 23. *tenuerit electionem eſſe inualidam, ſi facta eſſet in loco interdicto, attamen Ioan. Andr. Abb. & alij communiter, quos ſequuntur Miranda in Manual. Prælat. d. q.* 23. *art.* 9. *Azor. d. cap.* 14. *q.* 17. *tenent electionem eſſe validam; & iure quidem, quia nullibi hoc inuenitur prohibitum, & electio eſt quidam contractus, qui non prohibetur fieri in loco interdicto.* Et Portel in dubijs regularibus, *tit. electio, num.* 5. ex Nauarro, & Rodriquez, *tom.* 2. *q.* 52. *art.* 5. docet Panormitanum, & Felinum docuiſſe electionem per ſchedulas ſecretas non poſſe fieri poſt tenebras, niſi neceſſitas aliter vrgeret; quo caſu accendenda ſunt ad minus tria luminaria, alias clam factam fuiſſe dici poterit Rip. *lib.* 2. *reſol. cap.* 13. *nu.* 4. Cucchius *lib.* 4. *inſtit. maior. tit. de elect. nu.* 25. De ele-

ctione vero, quæ non fit per ſchedulas, dicendum eſt quod poſſit fieri etiam de nocte, ſecundum Regulam generalem, Quæ ſpecialiter non prohibentur fieri nocte, poſſunt quocunque tempore fieri; vti poſt alios tradunt Felinus, & Decius *in cap. conſuluit, de officio deleg.* & Panormitanus *in cap. 1. de elect.* quemadmodum de electione quæ fit per viã compromiſſi. & *in cap. quia propter, de elect.* & Io. Andr. relatus per Felinum *vbi ſupra, nu 18. ver. 3. fallit*, & Abb. *in cap. 1. de clan. ſpon.* & Miranda *in ſuo Manuali Prælatorum regularium*, hanc ſententiam appellat communem, quam vt inquit ille *tom. 2. q. 23. art. 12.* poſt primam concluſionem, *tenent omnes communiter Doctores.*

Summa Additionum ad Cap. 7. 8. 11. 14. 15. & 16.

1 *Si elector velit votum ſuum præbere palam, non debet permitti ab alijs electoribus vt hoc faciat; alias electio eſt nulla.*

2 *Non vitiatur electio in caſu, quo ante illam, vel poſt, aliquis ex electoribus dicat ſe velle dare, vel dediſſe votum ſuum tali determinatæ perſonæ: Secus autem, ſi hoc facerent cuncti electores, num. 3.*

4 *Vota in electionibus ſecreto præſtanda ſunt; & eligentium nomina ſemper ſecreta eſſe debent.*

5 *In Armenia Patres Ordinis Prædicatorum eligunt Archiepiſcopum, & vnum ſemper ex profeſſis illius Ordinis.*

6 *Electio facta non expectato electore non legitimo, valet; licet ad eam talis fuerit vocatus.*

7 *Electores legitimi abſentes à quonam ſint vocandi ad electionem.*

8 *Adducitur Breue Leonis Decimi, de tempore quo vacare debent Prouinciales Ordinis Prædicatorum, antequam ad idem officium reeligantur in eadem Prouincia.*

9 *Religioſus rite electus & confirmatus, an poſſit renunciare Prælaturæ, ad quam electus eſt.*

10 *In Ordine Prædicatorum nullus poteſt eligi in Priorem, qui neſciat grammaticè loqui, &c.*

11 *Adducitur pars Breuis S. D. N. Vrbani Papæ Octaui ſuper erectionibus nouorum Conuentuum, & Locorum inter Regulares.*

12 *Decretum Pauli V. de certo numero Religioſorum cuique Loco regulari præfigẽdo.*

13 *Elector appellans non tenetur coram alijs Electoribus probare rationes ſuæ appellationis. Et quid in hoc ſeruetur in Ordine Prædicatorum, & nu. 14.*

Additio ad num 1. cap. 7. de forma electionis canonicæ.

OBſeruãda neceſſario veniunt quæ multis argumentis probat Garzias *de beneficijs 5. par. cap. 4. num. 195. & 196. & ſequentibus.* Si quis videli-
1 cet de facto attentaret † votum ſuum præbere publice, ſeu palam, nullo pacto permitti debet aut poteſt ab alijs eligentibus vel à Capitulo; ſed compelli debet vt ſecreto votum ſuum emittat; alias electio eſſet nulla: & ſi id facere recuſauerit, poteſt excludi à voto per auctoritatem ordinarij Prælati pro illa vi-
2 ce: Si vero ante † electionem, vel etiam poſt, quis eligentium dicat ſe velle eligere vel elegiſſe hunc vel illum, non ex hoc tantum vitiaretur electio; quia in rei veritate, & in rigore ac proprietate ſermonis, non amitteret electio quin diceretur & vere eſſet ſecreta ad præſcriptum Concilij Tridentini, cùm potuerit ſuum ſuffragium alteri contuliſſe; li-

cet

cet male in hoc ageret, & puniendus eſſet: Ita reſpondiſſe fertur Sacram Congregationem Concilij Trident. occaſione declarationis eorum quæ continentur *in cap. 6. ſeſſ. 25. de Regularibus*. Si
3 vero hanc propalationem † facerent vocales cuncti, præſertim in ſcriptis, cum eorum proprijs ſubſcriptionibus in litteris etiam directis confirmatori, proculdubio agerent directe contra diſpoſitionem Decreti Concilij Tridentini contenti *in cap. 6. ſupra immediate citato*, & per conſequens redditur electio nulla & inualida: cùm ſecundum placitum multorum Doctorũ, abſolute præcipiat Concilium, vt vota ne dum ſecre-
4 to præſtentur; ſed quod ſint † ſemper omnino ſecreta nomina eligentium: vnde ſi publicantur, agitur de directo contra præceptum huius Decreti, vt tradit inter alios Garzias *vbi ſupra, nu. 187.*
5 *& ſequentibus*. Eo magis † ſi exempli cauſa viginti elegerunt, & ſe ſubſcribant in literis directis Confirmatori vel alteri, aſſerẽdo in illis omnes elegiſſe A. qui vere fuit electus à viginti electoribus, ſiue poſtulatus; proculdubio in tali caſu agerent non dico per accidens, neque ex conſequenti tantum, ſed per ſe, atque directè contra mandatum Statuti Concilij Tridentini, de quo ſupra, quod habet annexum Decretum irritans per ſequentia verba. *Si vero contra huius Decreti Conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit*; & electus, qui ſe permiſerit contra hanc Conſtitutionem eligi, ad omnia officia in ſua Religione obtinenda inhabilis exiſtat. In qua Conſtitutione Conciliari præcipitur primo vt vota in electionibus ſecreto præſtentur: ſecundo *vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur*. Qui igitur publicant ſua nomina modo declarato, irritant electionem, & ideo puniri debent: eſtque modus iſte prohibitus etiam, quia adimit quodammodo libertatem; ideo talis abuſus venit radicitus euellendus.

Supra immediate adducta maximè habent ſuam veritatem, quoties exempli cauſa accidat, quod vocales fuerint viginti quinque, & electus euaſerit nominatus à viginti tantum, & viginti ſolũ ſubſcripſerint literas de quibus ſupra.

Tandem dicitur quod hic modus adimat libertatem, quia vocales ſcientes ſe requirendos fore ad ſubſcribendum literis prædictis, nolentes, & contra eorum liberam voluntatem eligunt quem non eligerent. Quamobrem omni ex parte euellendus eſt, vbi reperitur conſimilis abuſus; & præcauendum eſt ne alibi introducatur, tamquam inimicus manifeſtus Sacrorum Canonum. Metus enim hominis, etiam leuis, ſufficit ad inualidandas electiones: quamuis enim leuis ſit aliquo modo, tamen voluntarium, & facultatem liberam neceſſario requiſitã in electionibus canonicis tollit & aufert, vti videre eſt cap. *ſi quis autem Epiſcopatum 1. q. 7.* Turrecremata *ibidem*, & Gloſſ. *in cap. inſinuante*, vti patet *in cap. vbi periculum, §. ceterum de elect. in 6.* & vt animaduertit Molfeſius, *in ſummã morali, tract. 6. de beneficijs cap. 16. nu. 98.* omnis metus aut indignatio Principis, vel Superioris, potens eſt reddere electionem nullam: nam eligens ad illam euitandam multoties ei præſtat ſuffragium, quem alias non eligeret.

Ad confirmationem eorum quæ copioſe dicuntur num. 22. eiuſdem cap. 7. maxime in reſpõſione ad ſecundã obiectionem Patris Suarez, addendum eſt illud quod expreſſis verbis tradit Azorius *par. 2. inſtit. moral. lib. 4. de quarto decalogi præcepto, cap. 16. littera E, col. 1.* quæ ſunt. *Adhuc in Germania antiquus mos retinetur, in electione Epiſcoporum; vt ſcilicet illa fiat à Collegijs Canonicorum.* Quæ

etiam conſuetudo, ex permiſſione ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, hodie ſeruatur in Armenia, vbi Clerus totus integratur ex ſolis regularibus Ordinis Prædicatorum, qui eligunt eorum Archiepiſcopum, vnum ſemper de Sacerdotibus profeſſis eiuſdem Ordinis, qui Romam perſonaliter venit pro approbatione, & confirmatione, ac alijs neceſſarijs obtinendis à Summo Pontifice Romano Chriſti Domini Vicario.

Additio ad cap. 8. de vocandis ad electionem.

6 QVandocunque accidat, quod fuerit † vocatus aliquis non legitimus Elector ad electionem, qui propter hoc vocari non debebat, ſi eo non expectato, fiat electio, abſque dubio valet, & ſuſtineri debet, ex doctrina Felini *in cap. examinata, de iudic. col. 7.*. Et ratio ea eſt, quæ ab omnibus communiter approbatur tamquam vera, quia tunc non deeſt vox neceſſaria ad talem electionē canonicam, & vocatio non tribuit illi ius, quod in rei veritate antea non habebat.

7 Abſentes † Electores legitimi vocandi ſunt, modo copioſè explicato in prædicto cap. 8. à Præſidente Capituli, ſiue Collegij; & ſi ipſe renuat, id fieri poteſt per antiquiorem profeſſione, ſiue gradu inter Electores; ex traditis à Rebuff. *in tract. Nomination. quæſt. 21.* & Felino *in cap. cùm omnes, de conſtitut. col. fin.* qui etiam in defectum Præſidentis vicem gerit capitis eligentium, vt tradunt inter alios Felinus *vbi ſupra*. & Abbas *in cap. 1. de maiorit. & obed. col. 2.* & *ibidem.* Felinus *col. 1. & ſequent.* & Rebuff. *vbi ſupra.*

Additio ad num. 13. Cap XI: §. Animaduertendum eſt.

AD confirmationem verioris ſenſus verborum Conſtitutionis Iulij II. editæ pro Ordine Prædicatorum circa temporalitatem Officiorum, congruum erit inſerere hîc exēplar † Breuis Leonis X. quo idem quod Iulius circa hoc ordinauerat, confirmat ac innouat, declarando in ſpecie quòd Prouinciales debent vacare tempore octo annorum, antequam reeligantur in eadē Prouincia ad idē Officium Prouincialatus. Breue eſt ſequentis tenoris.

8

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis religioſis Fratribus, & Monialibus Ordinis Prædicatorum, & præſertim Prouinciæ Aragoniæ, præſentes has inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DEcet Romanum Pontificem, quæ ab eo, præſertim pro euitandis ſcandalis, paceque Religioſorum, quos contienit ab omni contentione abſtinere, conſeruanda, prouida deliberatione emanarunt, ſic moderari, vt omnis diſcordiæ, ſcandalique occaſio tollatur. Dudum ſiquidem Litteras ſententiæ ſeu tenoris ſubſequentis edidimus.

VENERABILES fratres, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum fel. rec. Iulio Papa II. Prædeceſſori noſtro aliàs expoſito, quòd perpetuitas & diuturnitas in Officijs Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Aragoniæ, ipſi Ordini detrimenta, inter fratres contentiones, & inter Chriſtifideles ſcandala afferre ſolebat: idem Prædeceſſor volens præmiſſis opportuna adhibere remedia, per ſuas litteras ſtatuit & decreuit, quòd in prædicto Ordine Priores Prouinciales

uinciales vltra quatriennium, Conuentuales verò, & Priorisſæ Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub habitu, & cura dicti Ordinis Prædicatorum degentes, vltra biennium in huiuſmodi non poſſent perſeuerare Officijs; ſed his elapſis temporibus, ipſo facto abſque alia abſolutione, ſint à præfatis Officijs abſoluti; nec qui Prior Prouincialis fuit, poſſit intra octo annos immediatè eius abſolutionem ſequentes, eiuſdem Prouinciæ eſſe Prior Prouincialis: nec qui Prior Conuentualis fuit, poſſit intra quatriennium immediatè ſequens, eiuſdem Conuentus eſſe Prior Conuentualis: & ſimiliter, quæ Priorisſa fuit, etiam intra quatriennium immediatè ſequens, non poſſit eiuſdem Monaſterij eſſe Priorisſa, prout in dictis litteris plenius continetur. Cùm autem, vt oblata Nobis nuper expoſitio ſubiungebat, dicti Prædeceſſoris litteræ, ordinationes, & ſtatuta, in dicta Prouincia Aragoniæ executioni demandata, & capitulariter acceptata, & per plures annos pacificè obſeruata, & plures ex dictis Prioribus, iuxta illorum tenorem abſoluti fuerint, & plerique vt illis parerent, ſponte eorum officijs ceſſerint, & bona plurima dictæ Religioni obuenerint: pro parte Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri Ferdinandi Aragonum, & vtriuſque Siciliæ Regis Catholici, ſuo, & Fratrum Ordinis & Prouinciæ prædictorum, ſeu maioris & ſanioris partis conſilij eorundem, nominibus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis robur cõfirmationis noſtræ adijcere, & aliàs in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos dictarũ litterarum, & omnium in eis expoſitorum, ac Priorum, Priorisſarumq́ dictæ Prouinciæ nomina & cognomina, & aliorum omniũ exprimendorũ tenores & continentias, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Ordinationes & Statuta prædicta, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis Litteris contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, confirmamus, & reualidamus; ſupplemusq́ omnes & ſingulos defectus tam iuris quàm facti, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem; & quatenus opus ſit Ordinationes, & Statuta prædicta per præſentes innouamus, & de nouo illa ordinamus, & ſtatuimus: & ſi qui Præſidentium prædictorum, vltra tempus in Statutis, & litteris dicti Prædeceſſoris expreſſum eorum officium continuarunt, ſeu exercuerunt, ex nunc eos abſolutos declaramus, & quatenus opus ſit denuo abſoluimus. Quocirca vobis, & veſtrum cuilibet per hæc ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum Statuta, & Decreta prædicta, & huiuſmodi literas noſtras per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita faciatis inuiolabiliter obſeruari, cum poteſtate tranſgreſſores, & inobedientes toties quoties opus fuerit cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe declarandi, & illas aggrauandi, reaggrauandi, interdictum ponendi & brachium ſeculare inuocandi, & omnia alia faciendi, quæ pro obſeruatione dictorum Statutorum, & huiuſmodi literarum noſtrarum neceſſaria, ſeu quomodolibet oportuna fore cognoueritis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, priuilegijs, & indultis, ac literis Apoſtolicis Ordini præfato, etiã alicui Prouinciæ, Monaſterio, Magiſtro Generali, vel alicui Priori Conuẽtuali, vel Prouinciali, ſeu Priorisſæ, vel alicui Congregationi, ſiue Vicario generali, etiam in forma Breuis, vel viuæ vocis oraculo, ſub quibuſuis verborum formulis, & clauſulis derogatoriarum derogatorijs, fortioribus & inſolitis, irritantibusq́ decretis conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi de eis, eorumq́ totis tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret; eorum omnium tenores præ-

Digitized by Google

ſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxv. Septemb. MDXIII. Pontificatus noſtri anno primo.

Thomas Pighinus.

CVM autem dilectus filius noſter Nicolaus tit. S. Priſcæ Presbyter Cardinalis, dicti Prædicatorũ Ordinis Protector, Nobis expoſuerit, quòd ex reintegratione Statuti, de quo in Litteris Breuis præſentibus inſertis, quod reuocatũ erat, & abſolutione Prouincialis, & Priorum, & Prioriſſarum in dicto Ordine quamplura ſcandala exoriri poſſet. Nos igitur paci & quieti dicti Ordinis prouidere volentes, Litteras prædictas ſuſpendimus, donec dilectus filius Thomas dicti Ordinis Generalis Magiſter miſerit vnum vel plures ad dictã Prouinciam, ad ſcrutandũ libera vota Fratrum in ea degentium, præſertim ſeniorum, circa Statutum prædictum de tẽporalitate Officialium; vt illa in ſcriptis redacta, ad eumdem Thomam Generalem deferant: & ſi omnes Fratres, aut duæ partes eorum voluerint Statutum huiuſmodi eſſe ſeruandum; volumus, quòd idem Thomas Generalis auctoritate noſtra decernat Statutum ipſum in dicta Prouincia, de cetero eſſe ſeruandum: ſi vero minor pars id tantum voluerit, tunc vſque ad proximum Capitulum Generale ſuperſedere volumus; vt in eo per Capitulum ipſum, quid ſuper hoc ſeruandum ſit decernatur: & ex nunc eundem Thomam Generalem omnia vigore ſupradicti Breuis geſta, & gerenda, & cetera inde quomolibet ſubſecuta, & ſubſequenda, auctoritate noſtra reuocare, & in priſtinum ſtatum reducere poſſe, & per eum geſta, vſque ad finẽ proximi Capituli Generalis ſeruãda fore, niſi ipſe Generalis interim per ſe, vel per alium aliquid mutandum duxerit, decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & ſpecialiter ſi non de verbo ad verbum quoad omnia inſertæ eſſent, præſentibus dictæ noſtræ literæ, ceteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Februarij 1514. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ia. Sadoletus.

Additio ad numerum 65. & ſeqq. Cap. XIV. de confirmatione, & confirmatore.

CIrca religioſum rite electum, & confirmatum, qui renuit confirmationem, & renunciat Prælaturæ, ſiue Officio, ad quod electus, & confirmatus eſt; ponderanda ſunt præter adducta vbi ſupra *à num. 65. vſque ad numerũ 75.* incluſiue, illa quæ refert Molfeſius *in ſua Summa, tract. 6. de benefic. cap. 16. num. 124. & ſeqq.* vbi animaduertit, quod † regularis, de quo ſupra
9 immediatè, quamuis ſit habilis ad munus exequendum, ad quod electus, & confirmatus eſt, poteſt nihilominus ob humilitatem recuſare, per modum excuſationis; licet multoties, modo ſcilicet explicato in eodem *cap. 14. nu. 76. & ſeqq.* ſub reatu peccati mortalis teneatur electionem, & confirmationem acceptare, ſi recuſatio vergeret in damnum communitatis, ita docent vniformiter, præter Diuum Thomam *locis ibidem citatis*, Archid. Silueſter, & alij nonnulli, quos citat Miranda *in ſuo manuali Prælat. tom. 2. q. 23. art. 31.* & Roderiquez *tom. 2. qq. Reg. q. 56.* & Menochius *de arbitr. iud. caſ. 431.* & Cardina-

lis

lis Tuſcus *in verb. electus, concl. 91.* & Valentia *tom. 3. diſput. 11. q. 5. punct. 3.* addit per modum reprehenſionis verba S. Petri ad Clementem, quæ deſumpſit ex D. Attanaſio, & alijs. *Si periculum peccati timens, Eccleſiæ gubernacula ſuſcipere refugis; certus eſto quòd grauius peccas, quàm ſi populum Dei, in mari fluctuantem, cum iuuare poſſis, ſubterfugis, tui tantummodo conſiderationem habens.* Ex quibus concludunt doctores, poſſe Religioſum honeſte, & laudabiliter ſe excuſare. ſi tamen viderit atque cognouerit, voluntatem Superioris eſſe, vt acceptet munus ſibi iniunctum, tenetur obedire, & acceptare; exemplo ſanctorum Gregorij Magni, & Nicolai; præſuppoſita ſemper habilitate, & virium valetudine.

His addi poſſunt pro inſtructione Confirmatorum, præſertim Ordinis Prædicatorum, verba text. 5. Cap. ſecundi de elect. Prior. Conuent. *diſt. 2.* Conſtitutionum eiuſdem Ordinis Prædicatorum, quæ ſunt. *Nullus eligatur*
10 *aut confirmetur in Priorem, niſi ſciat grammatice loqui, abſque falſa latinitate, & ſit ita inſtructus ſaltim in moralibus ſacræ Scripturæ, vt ſciat proponere competenter verbum Dei in ſuo Conuentu.* Quibus immediate additur. *Quod ſi ſecus factum fuerit in Conuentibus habentibus integrum numerum Fratrum; confirmator abſoluatur, & per triennium, omni officio Ordinis priuetur.*

In declaratione cuius textus, inter alia refertur admonitio Capituli Romani 1571. per quam *admonentur Prouinciales, & vniuerſi Fratres ad quos pertinet electio, vt in Conuentibus vbi viget ſtudium generale, dent operam, vt viri graues, & quo magis fieri poterit, in literis periti, in Priores eligantur; vt ſcientiarum ſtudia, quæ maxime ordo noſter profitetur, in dies augeantur.*

Additio ad cap 15. de electione Diffinitorum, &c.

AD calcem dicti Capituli refertur Decretum S. C. Illuſtriſſimorum ac Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium negotijs Epiſcoporum atque Regularium præfectorum, circa modum erectionis nouorum Conuentuum, Re-
11 gularium, quod † nouiſſime confirmauit, innouauit, ac ampliauit ſanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus Papa VIII. per ſuum Breue datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Auguſti 1624. anno Pontificatus ſui ſecundo, quodque fuit publicatum Romæ, & affixum ad ſolita loca per Curſorem Sanctiſſimi, die vltima menſis Auguſti eiuſdem anni. In quo reuocat licentias qualcunque conceſſas contra tenorem dicti Decreti, prohibentes ne Domus ſiue Conuentus, vel Monaſteria iam incepta contra tenorem prædicti Decreti, poſſint finiri & abſolui. Sublata facultate etiam Cardinalibus, & Legatis de latere, aliter iudicandi ſiue interpretandi; declarando irritum, & inane quidquid ſecus ſuper contentis in dicto Decreto, & Bulla à quoquā quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Præcipiendo Superioribus quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inſtitutorum regularium, quocumque nomine nuncupatis, ceteriſque perſonis ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub priuationis vocis actiua, & paſſiua, nec non officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis, interdicit & prohibet, ne licentiarum ſeu facultatum per illum vt præfertur reuocatarum, & annullatarum, ſiue alio quouis*

præ-

prætextu vel cauſa etiam, quantumuis priuilegiata; noua Monaſteria, Collegia, Domos & alia loca regularia huiuſmodi, niſi ſeruato tenore Conſtitutionis Clemẽtis VIII. de qua latius in dicto Decreto, recipere, erigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incepta finire, & abſoluere audeant, ſiue præſumant. Quibus omnibus poteſt, & forte neceſſario addi debet, pro inſtructione Superiorum circa regulares deſtinandos pro vnoquoque Conuentu, Monaſterio, ſiue Collegio, diſpoſitio Decreti felicis recordationis Pauli Quinti de certo numero Religioſorum Regularium, aſſignando in vnoquoque Monaſterio tenoris ſequentis.

DECRETVM S. D. N. D. PAVLI PAPAE V.

De certo Religioſorum numero cuicumque Monaſterio, Conuentui, ac domui regulari præfigendo.

12 *SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Paulus, diuina prouidentia Papa V. cum ex plurimis iiſque grauiſſimis Decretis, quæ fel. recor. Clemens VIII. ad regularem diſciplinam reſtituendam, & augendam condidit, illud maximi momenti eſſe animaduerterit, quod à ſacro Concilio Tridentino multo ante cautum etiam fuerat, vt is tantum religioſorum hominum numerus in ſingulis Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus Regularibus conſtitueretur, qui vel proprijs redditibus, & obuentionibus, vel conſuetis emolumentis ac eleemoſynis ali commode poſſent, magnamque ſortaſſe obſeruantiæ regularis iacturam inde factam eſſe, quod Ordinum Superiores illud exequi minimum diſtulerunt; vt hoc etiam adhibito remedio, huiuſmodi incommoda proſpiceret, aditumque ijs Prælatis regularibus præcluderet, qui plures ad ſuam Religionem admittentes, quam Monaſteriorum, & Conuentuum cenſus, eleemoſynæ & qualitates, ferant, non leuem ſubditis vitæ clauſtralis relaxandæ occaſionem præbere videntur; decreuit & præcipit, ac præſentis Decreti virtute præcipit & mandat omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum, quouis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum tam Monachorum, quam Mendicantium, & non Mendicantium regularium quorumcumque exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium; vt ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia adhibitis duobus aut tribus Monachis Fratribuſue ſui Ordinis vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones tam communes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quam etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem vſum deinceps conferendas, decem annorum diuerſorum habita ratione, diligenter ac mature recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliáue cuiuſlibet generis onera cõſueuerunt abſorbere; eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior cuius intereſt, in primo capitulo ſeu Congregatione Prouinciali coram tribus iudicibus ab ipſomet Capitulo vel Congregatione deligendis proponat: qui computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, ac oneribus vt ſuperius detractis, ſedulo examinent quot Religioſi homines in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & Domo Regulari iuxta regionis & proprij inſtituti morem, victum & veſti-*

tum

Digitized by Google

tum in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari; tum eorundem bonorum, redditunm, & eleemoſynarum & onerum præciſam notam Congregationi Capitulo[?] Prouinciali exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuicumque familiæ, Conuentus, Monaſterij, & Domus regularis quouis nomine nuncupatæ, in ſingula quaque Prouincia certus earum tantum perſonarum numerus communi Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vt ſuperius ſufficienter ali poſſint. Ne vero Superiores qui id præſtare debent, ſerius aut remiſſius quam par eſt, muneri ſuo ſatisfaciant: mandauit ac mandat Sanctitas ſua, vt infra annum à die dati præſentis Decreti computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta in authenticam formam redacta, ad Congregationem reformationis Apoſtolicæ ſinguli mittant, numerumque familiæ ſingulorum Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi Regularium, Capituli vel Congregationis Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum quorumcumque tam Generales, & Prouinciales, quam locales omnes, perpetuo ſeruare omnino teneantur. Eos autem Superiores cuiuſcumque ſtatus gradus, & conditionis exiſtant, qui prædicta omnia præfixo termino non præſtiterint, vel numerum huiuſmodi præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt; vociſque actiuæ ac paſſiuæ, ac ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque etiam alijs grauioribus ad Sanctitatis ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum arbitrium infligendis pœnis ſubiacere voluit & declarauit. Vult præterea Sanctitas ſua per hoc Decretum, eiuſdem Congregationis Reformationis Apoſtolicæ Secretarij manu ſubſcriptum, conſuetiſque Almæ Vrbis locis affixum & publicatum, omnes & ſingulos Ordinum regularium Superiores, ad quos ſpectat, perinde affici, ac ſi fuiſſet cuilibet perſonaliter intimatum. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, priuilegijs, Statutis, indultis nec alijs contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum die 4. Decembris M. D. CV. Pontificatus eiuſdem S. D. N. Anno primo.

Ant. Seneca Refor. Apoſt. Secr.

Quod Decretum confirmauit, & innouauit S. D. N. Vrbanus Papa VIII. vt eſt videre in Decretis *De Celebratione Miſſarum*, eiuſdem Sanctiſſimi auctoritate editis per ſacrã Congregationẽ Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorũ DD. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum die 21. Iunij 1625. §. *Poſtremo Illuſtriſſimi PP.* Quæ Decreta publicè affixa, & publicata fuerunt ad ſolita loca Vrbis die 22. Septembris eiuſdem Anni.

In quo Decreto Miſſarum declarat ſacra Congregatio, quòd in numero præfigendo Religioſorum cuicumque Conuentui, vel Monaſterio connumerentur etiam Conuerſi, Laici, alijque neceſſarij ſeruientes in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & Domo regulari, iuxta Regionis, & proprij Inſtituti morem. In quo etiam Decreto innouantur, & augentur pœnæ contra Superiores quoſcumque, qui quoquomodo augere voluerint dictum numerum, etiam prætextu augmenti redditñum, abſque ſacræ Congregationis Concilij licentia; addendo etiam vt dictum Decretum Miſſarum publicari debeat omni anno, *feria 2. poſt primam Dominicam Aduentus, & feria 6. poſt Octauam Corporis Chriſti*, ſub pœnis priuationis officiorum, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, *omnibuſque tam eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint Ordinis,*

nis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, vt latius habetur in dicto Decreto Miſſarũ, §. *poſtremo*, & §. *deinceps*, ac §. *porro*.

Additio ad cap. 16. de appellatione ab Electoribus interpoſita contra electionem.

13 QVoties vnus † vel plures de Electoribus appellant, modo explicato in dicto Capitulo, non tenentur probare coram alijs Electoribus, etiam quod repræſentent maiorem partem eligentium, rationem, ſiue rationes ſuæ contradictionis, & appellationis: quia maior pars non eſt iudex competens, imò eſt ſuſpecta minori parti ob talem repugnantiam: ſed horum cognitio ſpectat regulariter ad Superiorem: ita communiter omnes.

In Formulario tamen principalium actuum ad officium Prioris Prouincialis, & Conuentualis Ordinis Prædicatorum ſpectantium, impreſſo poſt Conſtitutiones eiuſdem Ordinis, nouiſſime prælo mandatas, titulo *de forma literarum ſcrutinij Prioris Conuentualis*, ad cal-
14 cem † dicitur. *Si autem aliqua contradictio, vel oppoſitio fiat ab aliquo, debet ſcribi in eiſdem literis, vel alijs ſeparatis, cum Decreto, tamen mittendis puta: Duo Fratres videlicet, F. N. & F. P. noluerunt huic noſtræ electioni conſentire, vel oppoſuerunt ei quod facta fuerat per practicas, & minas; quod tamen non probauerunt.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

I N-

NOMINA DOCTORVM,

Quorum teſtimonio innititur Author.

Abbas Panormitanus.
Adrianus.
Albericus de Roſate.
Alciatus.
Aldrete.
Alenſis.
Alexander.
Alphonſus Diez.
Alphonſus de Caſtro.
Almaynus.
Aloyſius Riccius.
Altiſiodorenſis.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Anchraranus.
Angeli ſumma.
Angelus.
Archidiaconus.
Ariſtoteles.
Andreas Molfeſius.
S. Antoninus.
Antonius de Butrio.
Antonius Cordoba.
Armilla.
B. Auguſtinus.
Auguſtinus de Ancona.
Aymon Crauetta.
Baldus.
Bañes.
Barbatius.
Barboſa.
Bartolus.
Beccaria.
Bartholomæus de Firmo.
Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Vgolinus.
Baſileenſe Concil.
Beda.
Bellamera.
Bellarminus Cardin.
Beluacenſis.
S. Bernardus.
Bernardus Diaz.
Bertachinus.
Bertrandus.
Biblia ſacra.
Boerius.
Brunus.
Bullæ ſummorum Pontif.
Burſatus.
Butrius.
Caietanus.
Cæſar Baronius Cardinalis.
Caſſadorus.
Calcedonenſe Concil.
Canones ſacri.
Caputaquenſis.
Claudianus.
Colonienſe Concil.
Compendium Priuilegiorum Ciſtercienſium.
Compoſtellanus.
Conſtanſienſe Concil.
Conſtitutiones Prædicatorū.
Coſmus Guimlerius.
Couarruuias.
Creſcentius.
Cuchius.
Curtius Iunior.
S. Cyprianus.
Deciſiones Rotæ Romanæ.
Decius.
Didacus Perez.
Dinus.
Dominicus Bañes.
Dominicus Soto.
Emmanuel Rodriquez.
Emmanuel Sà.
Federicus de Senis.
Felinus.
Ferdinandus Rebellus.
Flaminius Pariſiens.
Florentinum Concil.
Formularium ordin. Prædic.
Franciſcus Marcus.
Franciſcus Suarez.
Franchus.
Franciſcus Maironus.
Franciſcus Toletus Cardin.
Gabriel.
Garaias.
Geminianus.
Gerſon.
Gloſæ Canonum, & Legum.
Goffredus.
Gonzalez.
Graffius.
Gratianus.
Gregorius Lopez.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Niſſenus.
S. Gregor. Thaumaturgus.
Gregorius de Valentia.
Guido Papæ.
Gulielmus Benedictus.
Gulielmus Mandagottus.
Guttierez.
Henricus Caniſius.
Henriquez.
S. Hieronymus.
Hieronymus Card. Albanus.
Hieronymus Manfredus.
Hieronymus Platus.
Hippolitus Marſilienſis.
Homerus.
Hondedeus.
Hoſtienſis.
S. Hilarius.
Humbertus ordinis Prædicat.
Iacobus Simanca.
Ianſenius.
Iaſon.
Innocentius Papa.
Ioannes Andreæ.

Digitized by Google

Ioannes de Anania.
Ioannes Azorius.
Io.Baptiſta de Salis.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes Franciſ.
Io. de Friburgo.
Ioannes Gutierez.
Ioannes de Imola.
Ioannes Leonius.
Ioannes Salas.
Ioannes Medina.
Iodochus Lorichus.
Ioannes Turrectemata Card.
Iſidorus.
Lambertinus.
Lambertus.
Lancellottus.
Lanfrancus.
Lateranenſe Concil.
Laurentius Peirinus.
Laurentius de Portellis.
Ledeſma.
Leges Ciuiles.
S. Leo.
Leo X.
Leonardus Leſſius.
Leonius.
Liber Romanor. Pontif.
Ludouicus Miranda.
Ludouiſius.
Lugdunenſe Concil.
Mandagotus.
Mandoſius.
Mantica.
Maranta.
Mare Magnum.
Mareſcottus.
Marius Alterius.
Martha.
Martinus Laudenſis.
Maſcardus.
Matheſilanus.
Meldenſe Concil.
Matrenſis.
Menochius.
Molfeſius.
Monaldi ſumma.
Moneta.
Natta.
Nauarrus.
Nicolaus Garzia.
Nicolaus Boerius.
Nicolaus de Lyra.
Oldradus.
Origenes.
Palæottus Cardin.
Paulus de Caſtro.
ecchius.
Peregrinus.
Petrus de Aragonia.
Petrus de Biaxio.
Petrus de Lorca.
Petrus Martyr Vrceanus.
Philippus Francus.
Philo Hebræus.
Piſanella ſumma.
Plutarcus.
Proſper Farinaccius.
Purpuratus.
Puteus.
Raphael à Turre.
Raudenſis.
Rebuffus.
Regula Fratrum Minorum.
Richardus.
Riminaldus Iunior.
Reginaldus.
Rogerius.
Roffredus.
Rolandus à Valle.
Romanus.
Roſellæ ſumma.
Rota Genuæ.
Rota Romana.
Ruinus.
Salicetus.
Sanctes Pagninus.
Sarnanus.
Sayrus.
Scaccus.
Seneca.
Seraphinus Cardin.
Silueſter.
Sorbus.
Soccinus Senior.
Speculum.
Statuta Minorum.
Stephanus Quaranta.
Surdus.
Suetonius Tranquillus.
Surius.
Tabienæ ſumma.
Tancredus.
Theodoretus.
D. Thomas.
Thomas Sanchez.
Tiraquellus.
Thomas Grammaticus.
Tridentinum Concil.
Trithemius.
Tuſcus Cardinalis.
Valerius Reginaldus.
Vaſquez.
Vatablus.
Vgo Celſus.
Vgolinus.
Viennenſe Concil.
Verallus.
Vincentius Bandellus.
Vitalinus.
Zabarella.
Zerola.
Zechius.

SERIES

SERIES BVLLARVM.

A

ALexander IV.Concedit Prædicatoribus,vt in eodem ſcrutinio poſſit fieri poſtulatio vnius, vel plurium. 51.6.

Alexandriui Cardinalis odrdinatio declaratur, ac aperitur verus ſenſus, & obſeruantia illius. 153.82.

Antonij Cardinalis Saulij viua vocis oraculum circa electionem celebrandam à Diſcalceantis S. Auguſt. 403.

C

Clemens VIII. nonnulla ſtatuit obſeruanda in communi ante electionem. 63.12.

Clemens VIII. decreuit iuramentum præmittendum, & ab electoribus præſtandum de eligendo magis idoneo. 65.22.

Clementis VIII. decretum circa aſſignationes non faciendas ante duos menſes electionis in Ordine Prædicatorum declaratur. 146.77.

Clemens VIII. quid decreuerit circa electionem celebrandam à Diſcalceatis S. Auguſt. Regnorum Hiſpaniæ. 396.

Clementis VIII. Bullam de recipiendis ad Habitum, & Profeſſionem Ordinis Minorum. 447.

Clementis VIII. Bulla de validitate Profeſſionum. 449.

Clementis VIII. Bulla de Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti. 451.

D

Declarationes Congreg. Sac.Conc.Trid. ad Bullam Greg.XV. 350.

Declaratio alia eiuſdem Congreg.in materia electionis Prioriſſæ. 349.

Decretum triplex Congregationis Epiſcoporum, & Regularium circa caſuum reſeruationem. 458.& ſequent.

Decretum Congregationis Rituū Circa Proceſſionem faciendam à fratribus Ordinis Prædicatorum Dominica infra octauam Corporis Chriſti. 453.

Decretum de alienatione bonorum regularium Sac.Congeg.Conc.Trid.456.& 57.

G

Gregorij IX. decretum circa eligentes indignum allegatur. 85.57.

Gregor. X. eximit Cardinales ab obligatione eligendi ex vi pactionum,& promiſſionum, hunc vel illum in Papam. 218.11.

Gregorius X. ſtatuit nonnulla circa appellationem in materia electionis faciendam. 335.7.

Gregorij XIII. Bulla circa officium triennale Abbatiſſarum in Italia. 343.

Gregorius XIII. quid ſtatuerit circa electionem fratrum Minorum de obſeruantia. 391.

Gregorij XIII. Bulla de reductione Priuilegium Mendicantium. 353.

Gregorius XIV. quid modificauerit ex bulla Siti V. contra illegitimos regulares. 444.

Gregorij XV. bulla circa electionem Summi Pontificis integrè refertur. 223.

Præcipua eiuſdem bullæ ventilantur. 231.

Gregorius XV. quid ſtatuerit circa electionem Heremitarum Diſcalceatorum S.Auguſtini. 396.

Gregorij XV. quid ſtatuerit circa electionem Diſcalceatorum S.Trinit. 408.

Gregorij XV. conſtitutio non tribuit ius confirmandi Abbatiſſas Epiſcopis. 350.29.

Quæ conſtitutio multis modis declaratur à Sacra Illuſtriſſimorum Congregatione Concilij Trident.ibid.

I

Iulius II. concedit Generali Prædicatorum, vt poſſit declarare priuilegia eidem Ordini conceſſa. 45.32.

Iulij II. bulla de temporalitate officiorum pro Ordine Prædicatoruus, & contenta in illa. 147.

Iulij II. ſtatutum circa triennale officium Prioriſſæ in Ordine Prædicatorum. 344.10.

Iulij II. bulla circa electionem Fratrum de Obſeruantia. 391.

a 2 Latera-

Series Bullarum .

L

Lateranenſe Concil. punit eligentes illegitimum, niſi probent id ignoranter feciſſe . 129.24.

Leonis X. bulla de modo acceptandi nouitios, eligendi Priores, & faciendi alios Officiales in Ordine Prædicatorum . 149.

M

Martini V. declaratio circa excommunicatos euitandos adducitur . 127.17.

N

Nicolaus V. quid ſtatuerit circa electionem Monialium S.Claræ . 351.32.

P

Paulus III. quid ſtatuerit circa electionem faciendam ante vacantiam prædeceſſoris in aliquibus Conuentibus Ordinis Prædicatorum . 280.298.27.

Pauli IV. bulla circa tractatum euitandum de eligendo Papa, viuente adhuc Summo Pontifice . 238.

Pij V. bulla circa electionem Prælatorum Canonicorum Regularium S.Saluatoris . 389.

Pij V. bulla circa facultatem abſoluendi conceſſam Prælatis Ordinis Prædicatorum . 437.

Pij V. Bulla quod Superiores Ordinis Prædicatorum poſſunt conſtituere fratres notarios, &c. 440.

Pij. V. Oraculum viuæ vocis circa formam eligendi ſeruandam ab omnibus Regularibus . 176.12.

Pius V. dat facultatem digniori appellandi ad Papam, ſi reijciatur ab Epiſcopo. 207.26.

S

Sixtus IV. concedit fratribus Ordinis Prædicatorum, vt in eodem ſcrutinio poſſit fieri poſtulatio vnius, vel plurium, &c. 52.6.

Sixti IV. Bulla circa Prædicatores degentes extra Conuentum, &c. 258.46.

Sixti V. Bulla circa formam eligendi ſeruandam à Minoribus . 177.

Sixtus V. quid ſtatuerit circa illegitimos regulares . 444.

T

Tridentinum Concil. probibet electoribus ne votum publicè dare poſſint . 129.26.

Item ſtatuit ne electus per ſchedulas obſignatas admittatur . 129.27.

Quid decreuerit circa electionem Abbatiſſarum . 130.28.

ELEN-

ELENCHVS
RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus paginam ſiue folium indicat, ſecundus verò numerum, in quibus ſunt diſtributa Capitula, demonſtrat.

A

ABbas habirare debet intra monaſteriorum ſepta. folio 56. num.17.
Abbas à quibus ſit eligẽdus. 56.17.
Abbas cuius ætatis.420.6.
Abbas iam factus in alio monaſterio non habet vocem in illo primo monaſterio à quo recedit. 124.3.
Abbas ſit ſacerdos. 420.5.
Abbas qualis eſſe deber. 56.17.
Abbates Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris quomodo eligantur. 389.
Abbatiſſa & Prioriſſa eligitur per vota ſecreta. 341.1.
AEtas vtriuſque. 341.2.
Si in eodem monaſterio non reperitur digna pro Abbatiſſa, eligatur ex alio monaſterio eiuſdem ordinis. 342.3.
Abbatiſſæ quomodo eligendæ ex vi Concilij Tridentini. 130.28.
In Abbatiſſam nequit eligi niſi prçuia diſpenſatione, quæ eſt corrupta. 347.5.& 349.27.
Quando eligitur, collatio fiat numeri ad numerum. 347.19.
Eius confirmatio quando impediatur per appellationem. 347. 20.
Eiuſdem electio fiat ſecundum Concilium Tridentinum. 348r22.
In eius electione non habent vocem actiuam confeſſor, & ſuperior. 349.28.
Tenetur ante menſem certiorem facere Epiſcopum de profeſſione Nouitiæ. 351.31.
A quo confirmari debeat. 352. 34.
Benedicitur intra annum confitmationis ſuæ. 352.35.
Quomodo eligatur in Caſſinenſibus. 370.
Abſentes quomodo vocandi, vel non. 191.5.
Abſolutio facta ante electionem à Præſidente quid operetur. 283.15.
Abſolutio collata impetranti gratiam in Curia Romana, quem effectũ habeat. 283.16.
Abſolutiones Priorum in ordine Prædicatorum, quæ ſecum ferant, & quomodo fieri debeant. 123.2.
Abſens qui non eſt de corpore Capituli, debet babere duo vota in electione vltra medietatem. 76.37.
Acceptans dignitatem, ad quam exercendam non habet ſufficientem ſcientiam, grauiter peccat. 208.
Acta Capitulorum Generalium ordinis Prædicatorum tenenrur acceptare, & obſeruare omnes Prouinciæ. 44.31.
Acta electoris excommunicati inficiunt electionem. 140.56.
Actualis Epiſcopus, & proportionaliter Prior vnius Conuentus, non poteſt eligi in alium conuentum in odine Prædicatorum ante completum tempus ſui officij. 42. 25.
Actum interiorem cum dependentia ab exteriori quomodo prohibere poſſit, & punire Eccleſia. 21.28.23.29.
Actus contrarius diſpoſitioni iuris canonici, eſt ipſo iure nullus. 68:1.72.20.
Actus geſtus contra formam mandati, eſt ipſo iure nullus. 74.33.
Actus eſt inualidus quando non ſeruatur forma eius. 77. 39.
Adminiſtrans ante confirmationem, cadit à iure ſuo, & efficitur ineligibilis abſq. diſpenſatione Papæ. 41.20.
Admittẽtes electum vel poſtulatum ante confirmationem, remanent voce priuati.72.19.
Admiſſio excommunicatorum quando vitier, vel annullent electionem. 81.46.82.47.
Accuſatus quando non poteſt eligi. 254.21.
AEtatem non habens ſaltem vigintiquinque annorum, eſt ineligibilis. 245.8.

Digitized by Google

Aleator non poteſt eligi. 85.58.
Alternatiuam electionis non obſeruans quando annullet electionem. 256.41.
Ambitio quid? & an peccatum mortale, 220.13.
Ambitionis effectus ex S. Bernardo. 221.16.
Ambitioſus repellitur. 256.39.
Annos ſex qui expleuerit poſt profeſſionem, poteſt habere vocem in ordine Prædicatorum. 132.37.
Apoſtoli prius functi ſunt officio Cardinalatus, quàm Epiſcopatus. 235.11.
Appellantes contra electionem, vel poſtulationem, debent exprimere in ſcriptis quæ obijciunt, & iurare de eorum veritate. 335.2.
Appellantes electores poſt elapſum tempus nõ audiuntur. 335.5.
Appellans contra determinatam perſonam, ne eligatur, obſeruet conſtitutionẽ Gregorij X. 335.7.
Opponens perſonæ electæ, vel electioni, ſi nõ probat, punitur. 336.8.10.
Appellare poteſt ad Papam dignior, ſi ab Epiſcopo reijciatur. 207.26.
Appellatio impedit confirmationem. 302.42.
Appellatio quomodo fiat à minori parte contra electum à maiori parte. 336.9.
Poteſt fieri à Monacho pro iure ſibi quæſito. 337.11.
Appellatio in materia electionis malè formata, excludit ius partis. 338.17.
Forma appellationis. 338.18.
Appellatio ne fiat electio, non tenet, niſi aſſignetur cauſa probabilis. 335.1.
Appellatio iudicialis ſuſpendit effectum iuriſdictionis Iudicis à quo: ſecus verò extraiudicialis. 335.3.
Interpoſita ab eo cuius non intereſt, non eſt valida. 335.4.
An debeat fieri per inſtrumentum publicum, an per literas priuatas. 337.16.
Appellatione pendente quid agendum ſi electio eſt celebrata. 85.54.
Appetere prælaturam quando liceat. 211.36.
Appetitus honoris tripliciter innordinatus. 219.12.
Aſſertio Papæ habetur pro vera. 231.1.
Aſſignatio ſi fiat in loco in quo de proximo facienda eſt electio, &c. 317.75.
Aſsignatio executioni mandanda in ordine Prædicatorum intra menſem. 138.51.
Aſsignati infra duos menſes caret voce inter Prædicatores. 141.59.
Aſsignatio facienda iuxta decretum Clementis VIII. declaratur. 146.77.
Aſsiſtentes in ordine Fulienſium quomodo eligantur. 387.
Aſsignationes nouæ non fiant infra menſem inſtante electione in ordine Prædicatorum. 157.89.
Aſsignati vbi nam intelligantur in ordine Prædicatorum qui iam expleuerunt officium Prioratus. 134.38.
Aſsignati ubi intelligantur ſtudentes formales abſoluto eorum triennio. 134.38.
Aſsignationes nequeunt fieri in ordine Prædicatorum ante duos menſes electionis, & ſi fiant nullæ ſunt. 63.10.141.59.
Aſsignationes quæ fiunt in Capitulo prouinciali non comprehenduntur in decreto Clementis VIII. 63.11.
Aſsignationes ſeu mutationes fratrum vocalium, quando nullæ ſunt quoad vocum præſtandum in electione, etiam in caſu mortis Prioris in ordine Prædicatorum. 79.41.
Aſsignationes in ordine Prædicatorum debent conſtare Priori, & Conuentui per duos menſes ante electionem. 134.38.
Aſsignationes albæ ſunt nullæ. 151.78.
Aſsignationes Lectorum quando excipiantur à prædictis caſibus. 134.38.
Aſsignationes factæ imminente electione Prouincialis, vel Prioris in ordine Prædicatorum nullæ ſunt. 139.54.
Aſsignationes fratrum vocalium non ſunt faciendæ in ordine Prædicatorum ante confirmationem, & acceptationem Prioris electi. 145.74.
Aſsignationes ſeu remotiones fratrum vocalium in ordine Prædicatorum nequeunt fieri inſtante vacantia Prouincialis, vel Prioris Conuentualis. 63.10.
Aſsignationes quæ ante decretum Clementis VIII. prohibebantur fieri in ordine Prædicatorum infra menſem electionis, modo poſt decretum remanent prohibitæ infra duos menſes electionis. 109.23.
Harum aſsignationũ prohibitio, quæ vocales ſiue eligentes reſpicit, extenditur ad electiones canonicas vel ad illas ordinatas ad canonicas. 146.77.
Aſsignationes in ordine Prædicatorum præſertim vocalium, quæ ante decretum Clementis VIII. cõſtare debebant per menſem Priori & Conuentui, poſt decretum debent eiſdem conſtare per duos menſes ante electionem. 151.78.
Aſsignationes in ordine Prædicatorum non
poſſunt

Digitized by Google

poſſunt fieri poſt Septuageſimam, 151.78. 146.77.

Aſsignatus realiter, & abſque fraude in aliquo Cōuentu ordinis Prædicatorum, in quo man ſit ſpatio multorum dierum, ſi bona venia ſuorum ſuperiorum pergat ad concionandum, vel ad aliquid aliud pro ſeruitio religionis peragendum, computatur ei totum tempus ad effectum eligendi, dummodo ſint expleti duo menſes ante electionem. 134. 38.

Attentatum contra Priuilegia licet ſit caſſandum, ipſo tamen iure non eſt nullum. 76.35.

B

BAſileenſe Concilium quando, & quanto tempore fuerit legitimum. 113.31. Item Verb. Concilium.

Beneficia curam animarum habentia quæ dicantur, & ad quid ordinata ſint. 206.20.

Beneficia, & Prælaturas Eccleſiaſticas nemo renunciare poteſt abſque licentia Superioris. 86.60.

Beneficia conferre ac prelaturas, qua ratione ſpeciali competat Pontifici Romano. 209. 30.

Bona homicidæ nequeunt auferri ante condemnationem. 26.30.

Bufo nequit eligi in Prælatum Eccleſiaſticum.

C

CAietanus vindicatur in multis ab Alfonſo de Caſtro, & alijs. 24.30.

Camaldulenſes qua forma vtantur in electionibus Prælatorum, & Officialium ſui Ordinis. 372.

Canonici Regulares S. Saluatoris quomodo eligant ſuos ſuperiores. 389.

Caietanus docet reum teneri ad executionem pœnæ iuſtæ ſeruatis ſeruandis. 25.30.

Canones quomodo interpretari poſsint. 26.

Canones quando, & quos priuent iure eligendi. 145.75.

Canonica electio in ordine Prædicatorum admittit quartum ſcrutatorem. 89.63.

Canonum finis quis ſit, & Author. 2.1.

Et quomodo ad ſummum Pontificem ſpectet illos interpretari, ibidem num. 4.5.6. & 7. & 3. 6.

Canonum ſtatuta, ab omnibus etiam a regularibus, ſunt obſeruanda, præſertim in materia electionis. 37.1.2. & 3.

Capitula Generalia, præſertim ordinis Prædicatorum, & Minorum poſſunt inſtituere alternatiuam in electionibus Prouincialium. 49.36.

Capituli ſanior pars cenſetur maior pars illius. 138.49.

Capitulum, *Quia propter*, quid præcipiat circa electionea canonicas etiam Abbatum & aliorum Prælatorum Regularium: præbet formulas illos eligendi, continet decretum irritans; ideo tollit ab electionibus quamcumque conſuetudinem contrariam. 97.3. 101.13.104.19.

Capitulum, *Quamquam*, appellat non canonicas electiones factas contra diſpoſitiones Capituli, quia propter. 113.30.

Capitulum Prouinciale in quo differat à capitulo ſolius electionis Prouincialis in ordine Prædicatorum. 317.24.

Carcerem non habētes in eorum Conuentibus Priores nequeunt emittere votum in electione futuri Prouincialis ordinis Prædicatorum. 152.81.

Cardinalatus officio functi ſunt Apoſtoli priuſquam munus Epiſcopale exercerent. 235. 11.

Cardinales tranſgreſſores conſtitutionis Gregorij XV. quando incurrant excommunicationem. 237.15.

Cardinales eximuntur ab obligatione etiam iuramento firmata, de eligendo hunc vel illum in Pontificem Romanum. 218.11.

Cardinales tenentur eligere in Pontificem Romanum, digniorem. 215.1.

Cardinales ſine licentia viuentis Papæ nequeunt tractare de eligendo ſucceſſore. 237.16.

Cardinalis qui procurat eligi in Pontificem Romanum, tamquam ambitioſus repellendus eſt. 216.4.

Cardinales ſi exeant de conclaui, & vnus ſolus remaneat, quando poſſit eligere Papam ille ſolus. 37.43.155.86.

Caſus in quibus uitiatur electio ex parte materiæ. 142.64.132.34.

Caſſinentium S. Benedicti forma in eligendo ſuos officiales. 361.

Cauſæ iuſti impedimenti, ne tempore à iure præfixo teneantur procedere electores ad electionem. 152.80.

Cautela generalis eſt circa admiſſionem vocalium etiam dubiorum ad electionem canonicam, vt admittantur præuia proteſtatione. 139.55. Idem Verb. Proteſtatio.

Cæcus effectus elector non priuatur ex ſola cæcitate iure eligendi. 141.60.
Celebrantes ſcienter in loco interdicto, nequeunt intereſſe electioni. 138.46.
Ciſtercienſis ordinis Regulares quando, & quomodo eligant ſuos ſuperiores, & officiales. 382.
Ciuilis atque eccleſiaſtici regiminis finis quid ſit. 209.29.
Clauſula ſequens, vt puta, *hæc electio non valeat* quid operetur. 74.32.88.63.101.13.
Clauſula *nemini liceat interpretari &c.* explicatur. 19.28.
Clauſula *per nos vel à nobis* quid operetur. 186.25.
Clauſula *electio facta non ſuſtinetur*, habet vim decreti irritantis. 68.2.
Clauſula generalis an & quomodo reſtringi poſſit, nec extenditur ad ius commune. 433. 31.436.37.
Clauſulæ *ipſo iure, ipſo facto* quid efficiant. 12. 21.
Collatio an requiratur in electione ex compromiſſo mixta cum ſcrutinio. 138.32.
Collatio numeri ad numerum non autem zeli ad zelum, eſt neceſſaria in electionibus canonicis, præſertim in ordine Prædicatorum. 64.19.
Collegialiter electores conuenire debent in actu electionis canonicæ. 143.65.
Collegium ordinarium & regulariter ſaluatur in tribus perſonis. 137.42.& 43.
Communis electio poſt collationem numeri ad numerum, per vnum ex electoribus pronunciari debet nomine omnium. 118.32. 100.10.
Compoſitio, & diuiſio reſidet in intellectu, quemadmodum & veritas. 94.64.
Compromiſſarius non tenetur ad collationem zeli ad zelum. 118.32.
Compromiſſarij ſi eligantur in diſcordia, vt fiat eorum electio concorditer, poterit capitulum compromittere in vno vel pluribus, qui eligant compromiſſarios. 116.32.
Compromiſſarij facultatem habent vota ſingulorum eligentium exquirendi, illumque eligendi, in quo maior pars eligentium conſenſerit. 117.3.110.
Compromiſſum fieri debet ab omnibus de capitulo. 116.32.150.78. & 124.7.
Cõpromiſſum quot modis fieri poſſit. 116.32.
Compromittentes an poſſint in aliquo tollere ſubſtantialia electionis, iuxta diſpoſitionem capituli quia propter. 118.32.
Compromittere ius eligendi quomodo competat electoribus. 124.7.
Commiſſarius ſiuè Prælatus electionis an poſſit eligi in ſcrutatorem. 275.36.
Communio ſacramentalis cenſetur neceſſaria ante electionem canonicam. 154.85.
Conceſſum tempore limitato, ac determinato, illo elapſo cenſetur prohibitum. 352.33.
Conceſſionem habet ordo Prædicatorum eligendi quartum ſcrutatorem in electionibus Prælatorum dicti ordinis. 92.64.
Concilium Baſileenſe quando fuerit legitimum. 113.31.
Concilium Baſileenſe ſtatuit ſuſceptionem Euchariſtiæ ante electionem canonicam prælatorum. 135.39.
Concilium Tridentinum quomodo præcipiat electionem canonicam fieri per vota ſecreta. 107.23. 87.61.
Concilium Tridentinum hortatur eligentes vt meliorem eligant, omni poſtpoſito reſpectu. 125.9.
Concilium Tridentinum non derogat diſpoſitioni capituli quia propter, imò illi fauet. 107.23.
Concilij Baſilienſis decreta omnia fuiſſe confirmata à Nicolao V. purum figmentum eſt. 114.31.
Concilij Baſileenſis Patres fuerunt à Deo poſt ſchiſma peſte percuſsi. 113.31.
Concilij Baſileenſis qualia decreta confirmauerit Nicolaus V. 114.31.
Concordata debent intelligi ſtrictiori modo in electionibus. 113.30. 112.29. 113.29. 114.32.
Conferre dignitates, beneficia, & Prælaturas, quomodo conueniat Pontifici Romano. 209.30.
Confirmans Indignum, vltra peccatum grauiter venit puniendus. 252.23.
Confirmari non poteſt electio cui contradicitur, niſi prius remotis contradictionibus. 303.45.
Confirmari non poteſt in ordine Prædicatorum ille qui habet litteras à General', nec poſsit cogi ad acceptandum Prioratum. 303.46.
Confirmatio quid ſit. 292.1.
Per eam contrahitur vinculum indiſſolubile inter eccleſiam, & illum qui ei præficitur in prælatum. 292.2.
Confirmatio eſt neceſsitatis in qualibet prælatura eccleſiaſtica, licet electio à principio fuerit voluntatis. 41.19.153.83.

Confirmatio quando infringi poſſit. 309.55.
Confirmatio antequam fiat requirit, vt dirimantur difficultates impedientes. 310.58.
Confirmatio de iure procurari poteſt ab eo, qui fuit ritè, ac rectè electus, ac etiam ab electoribus. 314.63.142.63.153.83.
Confirmatio quando impediatur ex appellatione interpoſita ab habentibus intereſſe in electione. 302.42.
Confirmationem petens redargui poteſt tam quam ambitioſus, præſertim in ordine Prædicatorum. 252.24.
Confirmatio Superioris ordinarij non ſupplet defectus, qui acciderunt in electione contra diſpoſitionem Capituli, quia propter. 111.28.
Confirmata in Capitulo Generali Ordinis Prędicatorum, quando cenſeantur habere vim conſtitutionis. 45.33.
Confirmator quam obligationem habeat circa proceſſum electionis, & perſonam electam ante confirmationem. 305.49.
Confirmator dum prouidet de Prælato ſua authoritate, eligit ſimul, & confirmat. 314. 64.
Confirmator quos defectus ſuppleat per cōfirmationem. 305.52.
Confirmator an poſſit caſſare electionem de aliquo ritè factam. 309.56.
Confirmator tenetur confirmare idoneum ritè, ac rectè electum. 296.15.
Confirmator quando compelli poſſit per Superiorem, vt confirmet electum, vel poſtulatum. 50.3.296.18.
Confirmator tenetur ſub mortali inquirere diligenter de qualitate perſonæ electæ, niſi antea eam agnoſcat. 293.6.
Si confirmauerit indignū, quomodo, & quanto tempore remaneat ſuſpenſus. 294.7.
Nequit confirmare ſine præuio conſilio grauiorum virorum. 254.12.
Alias erit nulla confirmatio. 295.13.
Poſt confirmationem nulliter factam electus adminiſtrans in quas pœnas incidat. 296. 14.
Confirmatori ante confirmationem conſtare debet ſingula vota eligentium fuiſſe fideliter ſeruata à ſcrutatoribus. 94.65.
Confirmatus ſi renuat acceptare confirmationem, an propriè, & formaliter dicatur confirmatus. 311.66.
Quidue agere poſſit quando in confirmatione iniungitur confirmato ſub præcepto formali, vt acceptet prælaturam, ſiue officium ad quod confirmatur, an poſſit renuere. 316.71.318.76.
Quis dicatur confirmationem pertinaciter tenuere. 318.77.
Confirmatus non poteſt renunciare prælaturam poſtquam acceptauerit, abſque conſenſu, & licentia ſui Superioris. 297.23.
Congregari in Capitulo ad effectum electionis, ibique permanentes, quamuis voluntariè recedant alij, poſſunt eligere, & eorum electio dicetur canonica. 125.11.
Conſenſus expreſſus alicuius indicat eius voluntatem. 110.27.111.28.
Conſenſus eligentium in omni electione canonica debet eſſe omnino liber, & remotus ab omni coactione. 60.3.85.56.
Conſenſus præſtitus eligendi aliquem ante actum electionis, ſufficit ad illam caſſandam. 70.6.
Conſenſus omnium eligentium præſtitus poſt publicationem electionis, & ſcrutinij, non operatur, vt electio antea celebrata dicatur communis, & quaſi per inſpirationem omnium. 98.4.
Conſenſus eligentium non ſolemniter datus, à Summo Pontifice conualidari poteſt. 107. 23.
Conſenſus de iure naturali requiſitus ad electionem canonicam ipſe ſolus non ſufficit, niſi concurrant alia de iure ſubſtantialia. 112.28.
Conſenſu carens eligentium aliqua electio ipſo iure eſt nulla. 96.1.
Conſentiendi tempus electioni quale ſit. 302. 40.
Conſentiens electioni de ſe factæ contra libertatem canonicam, & eccleſiaſticam, priuatur commodo, & iure electionis, remanetque ineligibilis ad omnem dignitatem, & prælaturam, ſuper quo nequit diſpenſari niſi à Papa. 131.34.
Conſilij maturitas requiritur in electione canonica. 123.1.
Conſiliarij in Ordine Prædicatorum, qui communiter Patres à conſilijs appellantur, cuius ætatis, & conditionis eſſe debeant. 422.9.
Conſtitutiones de requiſitis ad electionem canonicam publicè legendæ ſunt antequam fiat electio. 269.24.
Conſuetudo eſt quid facti. 103.16.
Conſuetudo omnis contraria diſpoſitioni cap. quia propter, ex contextu eiuſdem capituli totaliter aufertur. 104.19.
Conſuetudo particularis eccleſiæ, quæ ſi ſeruetur

uaretur in electione canonica illius eccleſiæ, oppugnaretur formulacapituli, quia propter, electionem reddit inualidam. 109.23.
Conſuetudo non probatur nec inducitur ex actibus vario modo ſeruatis,requirit enim actus vniformes.109.24.
Conſuetudo nequaquam ex errore, ſed ex certa ſcientia inducitur. 110.25.
Conſuetudo introducenda contra canones requirit ſcientiam, & expreſſum conſenſum Papæ conditoris illorum. 110.26.
Conſuetudo in ordine Prædicatorum de non faciendis aſſignationibus poſt Septuageſimam,cum ſit vniuerſalis,omnino ſeruanda eſt. 146.78.152.79.
Conſuetudo qua tollũtur ſubſtantialia electionis canonicæ, eſt nulla. 64.16.
De conſuetudine vltra prædicta, innumera fere habentur in toto cap. 21. huius tractatus de electione.
Conſtare quando dicatur aſsignatio Priori, & Conuentui. 134.38.
Conſtitutio Innocentij III. circa electiones per compromiſſum mixtum cum ſcrutinio, non reuocatur ab Alex. III. 116.32.
Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum tribuebant olim Vicario in capite inſtituto emiſſionem voti, in electione canonica Prioris ſui Conuentus, quod nunquam contulit Præſidenti electionis, niſi aliunde eſſet vocalis. 92.64.
Eędem conſtitutiones decernũt atque prohibent ne augeatur numerus electorum intra menſem electionis,excipiendo aliquos caſus particulares. 138.51.
Eędem conſtitutiones concedunt, vt tres ſcrutatores eligantur de collegio vocalium, quibus addi poteſt & quartus. 93.64.
Conſtitutiones eiuſdem Ordinis non obligant ſuos profeſſores tranſgreſſores illarum ad pœnam. 30.30.
Conſtitutiones prædictæ continent ſtatuta honeſta, & rationabilia. ibid.
Conſtitutiones dicti Ordinis Prædicatorum continent veras leges, & optima ſtatuta. 32.30.
Conſtitutio Gregorij X. de electione Pontificis Romani,an poſsit immutari à cœtu Cardinalium Sede vacante. 38.3.
Contemptus quale, & quantum peccatum inuoluat. 15.24.16.24.
Contemptus Prælati quando ſit peccatum mortale. ibid. 25.
Contemptus Regulæ, & Conſtitutionum in Ordine Prædicatorum inuoluit peccatum; tametſi ex ſuo genere illa non obligent ad culpam, ſed ad pœnam. 30.30.
Contemnere conſilia Dei quando eſt peccatum mortale. 15.24.
Contemptus ille dicitur in aliqua electione canonica, qui non fuit legitimè vocatus. 190.2.
Contemptus plurium, vel vnius ex vocalibus, quando reddere poſsit electionem caſſandam. 73.25.
Conuerſi non poſſunt emittere votum in electionibus canonicis. 129.& 143.64.
Conuentuum Præſidentes tenentur celeriter mittere confirmationem confirmaro. 305. 51.
Conuictus de lapſu carnis priuatur voce ad triennium in Ordine Prædicatorum.144.72.
Culpa vocalium quando non ſit excuſabilis. 125.9.
Criminoſi non repelluntur à ſuo iure ante condemnationem, niſi fuerint innodati maiori excommunicatione. 123.22.& 128.18.
Contra non legitime factum poteſt quis opponere, præſertim quando factum eſt nullum, vel cenſetur contra vtilitatem eccleſiæ. 131.30.

D

Declarationes Capitulorum Generalium, vel Magiſtri Ordinis Prædicatorum æquè obligant profeſſos dicti Ordinis, quēadmodum, & ſtatuta quorum ſunt declarationes. 43. 28.
Declaratio omnis, in qua malè aſſeritur ordinationes Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum non obligare fratres alicuius Prouinciæ ad illarum obſeruantiam,niſi acta Capituli fuerint in eadem Prouincia acceptata, eſt reuocata, & omnino abolita authoritate Apoſtolica. 44. 29.
Declarantur multa loca Conſtitutionis Ordinis Prædicatorum in materia electionis, & poſtulationis, 54. 13.
Declaratur eminentia Ordinis Prædicatorum ſuper omnes alias religiones. 43.28.
Declaratur obligatio quam habent omnes Prouinciæ Ordinis Prædicatorum recipiendi, & obſeruandi acta Capitulorum Generalium. 44.30.
Declaratur vis,& efficacia ephycheiæ,& quando ea vti fas ſit. 47.35.

Declaratur Bulla reuocationis viuæ vocis oraculorum Gregorij XV. 133.37.
Decretum irritans tollit omnem, & quamcumque conſuetudinem, inficit titulum, & poſſeſſionem etiam. 104.19.98.8.
Decretum irritans, de quo in Capitulo, quia propter, reſpicit non ſolum formulas ibidem traditas electionis, verum etiam ſolemnitates in electione per ſcrutinium ſeruandas. 109.23.
Decretalis priuans voce tenuentes eligere vnum ex nominatis à Papa declaratur. 63.12.
Decretum congregationis Epiſcoporum, & Regularium de numero duodenario fratrum in vnoquoque Conuentu, refertur, & declaratur. 333.
Decreti irritantis multiplices effectus proponuntur atque declarantur. 187.27.
Decretum iam celebratæ electionis, quod aliqui vocant ſcrutinium electionis, debito modo editum fidem facit indubiam. 270.25.
Decretum prædictum confirmatori tranſmittendum, quæ, & qualia continere debeat. 270.29.
Decretum de quo immediatè, quando ſit neceſſarium, vt mittatur confirmatori. 271.30.
Defectum faciens, per quem nequit exercere munia Prælaturæ, vel aliorum officiorum, eſt inhabilis, vt eligatur. 245.4.
Defectus occultus, regulariter non ſemper vitiat electionem, licet aliquando eam irritet, vel irritandam conſtituat. 74.31.138.48.128.18.
Defectus eligentium, & perſonæ electæ enumerantur. 142.64.
Defectus ſolemnitatis iuri poſitiui, qui accidunt in electione canonica quando, quomodo, & à quibus diſpenſari poſſunt. 81.45.
Defectus qui accidit in electione canonica ex admiſſione, & concurſu illegitimi vocalis, cum ſit contra formam electionis efficit electionem annullandam. 80.41.
Defectus contra formam ſubſtantialem electionis, vel alterius actus, irritum facit prædictum actum. 101.13.
Defectus in forma eſſentiali electionis reddunt electionem ipſo facto nullam. 74.33.
Defectus ex parte electi quando vitient electionem de illo factam, & qua pœna puniendi ſint eligentes defectuoſos. 142.64.
Defenſio non debet, nec poteſt cuique denegari. 285.21.
Deformis valida deformatione corporis nequit eligi in Prælatum. 254.29.
Degentes extra clauſtra ex Ordine Prædicatorum, & Minorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum, niſi inſeruiant Sancto Officio, ſunt priuati voce actiua, & paſſiua in omni electione canonica. 138.47.
Delegatus à Papa, vel à Principe, ſeu à Superiore Regulari, quando, & quomodo poſſit ſubdelegare. 431.33.
Delicta pernicioſa illius, qui eligi debet ad aliquam Prælaturam, vel officium, poſſunt electores manifeſtare pro impedienda indigni electione, ſi aliter fieri non poteſt. 153.84.
Delinquentes electores omnes præter vnum quando, & quomodo ius eligendi ad illum ſolum deuoluatur. 137.44.
Denunciatus ſiue accuſatus de aliquo delicto, quando non poſſit eligi. 254.31.
Determinationes aliquæ in materia electionis circa caſus ſpeciales in Ordine Prædicatorum referuntur. 78.41.
Dictio illa *omnimoda authoritate*, quid ſignificet. 436.38.
Diffamatus in loco particulari non poteſt eligi in Prælatum alicuius eccleſiæ, vel Conuentus eiuſdem loci. 95.67.
Diffinitores Capituli Generalis, & Prouincialis Ordinis Prædicatorum quomodo eligi debeant. 322.10.320.1.
Diffinitores Camaldulenſium quomodo eligantur. 373.378.
Diffinitores Caſſinenſium quomodo eligantur. 362.
Diffinitores Ciſtercienſium quomodo eligantur. 383.
Diffinitores Capituli Generalis non poſſunt eſſe in Ordine Prædicatorum, qui actu ſunt Prouinciales, niſi in capitulo Generali electionis, vel illius quod dicitur Capitulum Prouincialium. 321.8.
Diffinitorum authoritas atque munus quale ſit, & quantum duret. 322.11.
Diffinitoris munus in Ordine Prædicatorum non confertur fratribus extraneæ Prouinciæ. 321.2.
Dignior, & vtilior ſemper eſt eligendus in Prælatum, vel officialem, ad euitandam culpam. 236.13.199.3.
Dignior eſt eligendus in Pontificem Romanum. 215.1.
Dignior confirmari poteſt prætermiſſo digno, & è contrario aliquando. 302.43.

Di-

Dignior quis ſit, qualiſue dicatur. 199.4. 125.9.

Digniori dignus tunc præferendus eſt, quando in illo concurrunt circumſtantiæ publicæ vtilitatis, & pietatis, quod arbitrio boni viri iudicandum eſt. 125.10.

Dignitatem acceptans, & non habens ſufficientem ſcientiam ad illam, quomodo, & quantum peccet. 208.27.

Dignitates, & Prælaturas conferre, quomodo ſit munus Papæ. 209.30.

Dignitatis appetitus, quot modis dicatur inordinatus. 219.12.

Dignum ſe reputans, & verè dignus exiſtens, an peccet renuendo Prælationem. 211.35.

Digni electio ſequuta contra voluntatem confirmatoris contradicentis, & iubentis, vt alium eligerent, ſi hæc caſſata procedatur ad aliam electionem, hæc poſterior nulla eſt. 64.14.

Dignus & naturalis loci, in quo facienda eſt electio, quando, & quomodo præfæratur extraneo digniori. 210. 31.

Dignus ſi ſcienter concurrat cum digniori, an, & quomodo peccet. 210.34.

Dignus vt eligi poſsit, quis dicatur. 207.24.

Dignior reiectus ab Epiſcopo in collatione Beneficij, vel dignitatis, quando poſſit appellare ad Papam. 207. 26.

Diſcalceati S. Auguſtini Regnorum Hiſpaniæ quomodo eligant ſuos Prælatos, & Officiales. 396.

Diſcalceati Carmelitarum congregationis Italiæ quomodo eligant ſuos Superiores, & Officiales. 405.

Dilatio circa collationem numeri ad numerum faciendam in electione per ſcrutinium quando vitiet electionem. 59.2.

Diſcordia electorum, ſeu eligentium quomodo ſedanda, vt citius procedant ad electionem. 144.73.

Diſcordia quid ſit, & in quo conſiſtat. 265.12.

Diſcordia inter vocales ſi non remoueatur à Prouinciali, quid agendum ſit. 306.

Diſcreti electio quomodo fiat à Ciſtercienſibus. 382.

Diſpenſatio omnis requirit ſemper cauſam rationabilem, & iuſtam. 424.13.

De diſpenſatione circa electionem faciendam multa dicuntur. 304.48.

Diſpenſatio nequit fieri à Prælatis regularibus circa contenta in Regula, & Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbatis, niſi in caſibus in illis expreſsis. 435.35.

Diſpenſatio à voto facto à ſubdito, quando, & quomodo poſsit fieri à Superiore. 439.40.

Diſpenſatio cum illegitimo quando, quomodo, & à quo fieri poſsit. 428.19.

Diſpenſatio irregularitatis ad quem pertineat. 429.24.

Diſpenſatio cum illo, qui ſimoniacè ſuſcepit ordines, à quo fieri poſsit. 430.25.

Diſpenſatio quando fieri poſsit à delegato. 432.30.

Diſpenſare non poſſunt inferiores Prælati Regulares à ſtatutis editis à Generalibus, vel à Capitulis Generalibus. 425.14.

Diſpenſatio ab eſu carnium in Ordine Prædicatorum quando, quomodo, & à quibus fieri poſſit. 425.15.

Diſpenſatio, vt ſit legitima, qualem cauſam requirat. 426.16.

Diſpenſans ſine cauſa rationabili, vel neceſſaria, quomodo, & quantum peccet. 427.17.

Diſpenſatione facta abſque cauſa, vtens, quomodo peccet. 427.18.

Diſſenſio quid ſit, & in quo differat à diſcordia. 265.11.

Diſſẽſionis indicia, quæ, & qualia ſint. 266.13.

Doctori atteſtanti de conſuetudine, non eſt ita de facili credendum. 103.16.

Doctores quid ſentiant circa ſcrutatores aſſumendos de corpore Capituli. 87. 88. 89. & 96. & ſequen.

Doctoribus minus credendum eſt, cum aliquid incongruum, vel contra diſpoſitionem ſacrorum Canonum tradunt. 103.16.

Doctrina Patris Suarez deſumpta ex Richardo 4. ſent. diſt. 18. extenditur ad electores inhabiles reſpectu electionum Canonicarum. 141.56.

Refellitur doctrina ipſius Suarez, circa admiſſionem excommunicati occulti ad electionem canonicam. ibid.

Dubia in meliorem partem interpretãda, quomodo intelligatur hoc dictum. 18.27.

Dubium ſubortum, an aliquis vocalis ſit, vel non ſit admittendus ad electionem, ea inſtante, poreſt admitti præuia proteſtatione. 139.54. & 55.

Duo electores tãtum in aliqua electione canonica tenentur extraneum. 144.69.

Duo vota vltra medietatem debet habere electus, quoties fuerit de corpore, ſiue Collegio eligentium. 143.60. 175.9.

Duo ſunt, quæ electionem canonicam reddũt, ſubſtantia conſenſus eligentium, & ſubſtantia formæ præfixæ pro tali electione. 96.1.

Eccleſia

Digitized by Google

E

Ecclefia viduata,quæ,& qualis ſit. 172.4.
Eccleſiaſtici, & ciuilis regiminis finis qualis ſit. 209. 29.
Electi duo ad eandem Prælaturam ſi caſſetur vtraque electio,non poteſt alter illorum de nouo eligi. 251. 21.
Electio canonica quid ſit. 39. 8.
Electio in qua interuenit vſus ſortis, nulla eſt. 70. 7.
Electio indigni non valet. 70. 8.
Electio celebrata poſt elapſum tempus à iure præfixum dicitur nulla. 70. 9.
Electio facta ante publicationem inibitionis Papæ non cenſetur vitiata 70. 11.
Electio excommunicati regulariter ſemper eſt nulla. 70. 12.
Electio ſimoniaca pariter quoque eſt nulla. 71. 14.
Electio facta de perſona præſente in Ordine Prædicarorum ſi non excedat duo vota vltra medietatem, nulla eſt. 71. 15.
Electio ex ambitione, vel ſeditione procurata, retractatur. 71. 16.
Electio coarctata, & limitata ad vnã, vel duas perſonas tantum, cum ſit contra ius commune, inualida eſt. 287. 27.
Electio quando dicatur concors, & vnanimis. 71. 17.
Electio non ritè facta ad præſcripſum ſacrorũ canonum nequit confirmari. 293. 4.
Electio facta per vota non ſecreta nulla eſt. 68. 1.
Electio facta poſt motam prohibitam à ſacris canonibus,ob malitiam tamen eligentium, ſubſtineri poteſt, dummodo alias ſit canonica. 64. 17.
Electio digni quando poſſit confirmari prætermiſſo digniori. 302. 43.
Electio in qua eligitur non profeſſus nulla eſt. 72. 20.
Electio contra formam priuilegiorum alicuius eccleſiæ, vel conuentus, retractanda venit. 72. 21.
Electio omnis,vt ſit canonica debet eſſe à maiori parte eligentium vltra medietatem. 75. 38. 254. 27.
Electio facta ex certo gremio, vel natione quando ſubſtineri poſſit. 76. 36.
Electio celebrata à maiori parte ante quam voce priuentur, contradicente minori parte, adhuc eſt ſubſtinenda. 83. 52.
Electio etiam quod ſit caſſanda, aliquando nõ amittit quin ſit bona, 83. 49.
Electio,quæ de ſe inualida eſt nequit reualidari ex ſuperuenientibus. 80. 43.
Electio nulla ob defectum ſollemnitatis tantum iuris poſitiui, quando poſſit confirmari. 81. 45.
Electio eſt nulla in qua concurrunt eligentes iam excommunicati. 84. 53.
Electio canonica ſtatim completa debet publicari capitulo. 84. 54.
Electio vſurarij ſiue publici aleatoris, eſt nulla. 85. 58.
Electio celebrata pendente legitima appellatione,nulla iudicari debet. 59. 84. 53.
Electio celebrata ex vi renũciationis factæ ab aliquo prælato, ante ipſius renũciationis acceptationẽ à ſuo ſuperiore, nulla eſt. 86. 60.
Electio in qua vna, vel plures Schedulæ fuerunt obſignatæ aliqua nota, vel ſigno parenti,vt innoteſcat ſcrutatoribus,nulla eſt. 86. 61.
Electio in qua ſuperior in Religione,vel præſidens capituli eligentium præcipit ſcrutatoribus ne recipiant ſuffragia pro tali perſona collata,eſt ipſo iure nulla. 94. 66.
Electio illius qui diffamatus eſt in loco electionis,nulla eſt. 95. 67.
Electio carens conſenſu libero eligentium nulla eſt. 96. 1.
Electio per viam inſpirationis, quando ſit rite facta. 97. 4.
Electio de ſe nulla ob non ſeruatam formam capituli quia propter, nequit confirmari. 101. 11.
In electione etiam vnanimi, vota in communi ſunt publicanda, per vnum ex ſcrutatoribus ſiue electoribus. 106. 23.
Electio quot modis dicatur Canonica. 39. 6. 112. 29.
De electione diffinitorum multa dicũtur. 320. 1. cum ſequentib.
Electio facta de vno præſente, qui habuit votum vnum tantum, vltra medietatem,ſi deprehendatur, quod aliquis ex eligentibus eſſet inhabilis, vel elegerit inhabilem,talis electio, etiam præſentis ſubſtineri poteſt. 326. 21.
Electio Prouincialis in ordine prædicatorum quo modo facienda in capitulo electionis. 327. 24.
Electio cui contradicitur non debet confirmari niſi remotis contradictionibus. 303. 45.
Electio,vt ſit libera,quid requirat. 60. 3.

Electio in loco in quo eſt alternatiua perſonarum,quæ eligi debẽt,quo modo fiat.49.56.
Electio vitiata in parte,vel in totum, eſt nulla. 57.1.
Electio Canonica regulariter pertinet ad illos,qui ſunt de conuentu,vel collegio.139.25.
Electio illegitimi non antea diſpenſati nulla eſt. 244.3.
Electio munus digni quando ſubſtineatur.204,16.
Electio indigni, an poſſit impediri per pecuniam. 310.57.
Electio,quando inficiatur propter omiſſionem collationis numeri ad numerum.269.22.
Electio antequam fiat legantur conſtitutiones tractantes de electione.269.4.
Electio Pontificis Romani quomodo eſſe debeat omnino libera.216.6.
Electio per ſcrutinium quomodo dicatur difficilior.279.1.
Electio per ſcrutinium, eſt tutior.232.3.
Electio,quo in loco ſit facienda. 282.8.
Electionis Pręſidens quam facultatem habeat, vel non habeat.282.9.
Electio non totaliter libera eſt ipſo iure nulla. 233.4.
Electio,an poſſit celebrari ante vacantiam Prælaturæ.280.3.
Electione Canonica iam celebrata,& publicata in ordine Prædicatorum nequeunt vocales ſub pœnis grauioribus ad aliam electionem procedere.176.10.
Electionem canonicam limitare ad tres, vel quatuor perſonas, cum excluſione aliarum habilium,nullus poteſt inferior Papa.61.7.
Quando duæ celebrantur electiones, vna à maiori parte, altera à minori eligentium, quid agendum ſit. 83.50.
Electioni conſentiendi quale, & quantum tẽpus concedatur electo 302.4.
Electioni conſentiens de ſua perſona faciendæ priuſquam fiat, talis electio caſſatur. 69.6. 85.58.
Electionis præſidens,quis,& qualis ſit.282.7.
Electionis canonicæ neceſſaria ſubſtantialia recenſentur.57.2.
Electionis ſchedulæ ſi ſtatim non comburãtur coram eligentibus,electio eſt nulla. 87.62.
Electionis tempore,qui non eſt idoneus non poteſt eligi.255.36.
Electionis decretum in ſcriptis redactum circa proceſſum electionis fidem facit indubiã, & omnia acta in electione continere debet. 270.25.270.29.
Electionis Vicarius,ſiue commiſſarius,an poſſit eſſe ſcrutator in eadẽ electione.285.36.
Electio in qua duo Notarij extra collegium eligentium,loco ſcrutatorum aſſummuntur, nulla eſt. 96.1.
Electio per compromiſſum ſcrutinio mixtum, eſt canonica.116.32.
Electio facta de N. per vota ſecreta licet vnus eligentium ſuum publicauerit ſuffragium, ſi nihil electo profuit prædicta publicatio; cenſetur ritè facta. 129.25.
Electio facta contempta maiori parte electorum eſt adeo nulla, & irrita, vt non poſſit ratificari; ſecus de illa, in qua fuit contempta minor pars,&c.80.42.
Electio facta de crimino ſo venit omnino annullanda.81.45.
Electio celebrata à maiori parte vocalium,vno ſolo legitimo vocali excluſo, ſiue contempto,etiam poſt confirmationem eo inſtante, & petente caſſari debet.83.49.
Electio canonica rite celebrata ſi ex mutua conuentione vocaliũ, vel ex præcepto Præſidentis non publicetur conuentui ſolemniter,caſſanda eſt. 84.54.
Electio facienda de digno ex certo gremio, ſiue natione, ſi aliter fiat dicitur inualida. 77.35.
Electio facta per renuntiationem Prioris in ordine Prædicatorum, in qua præſupponitur rationabiliter fraus, & dolus ex parte renuntiantis ſiue ſuperioris, nulla declarari debet. 78.41.
Electio Canonica in ordine Prædicat. in qua quis euadit electus,ex renuntiationis ſui voti,eſt irrita,& nulla.29.41.
Electio in qua quis euadit electus ex vi vnius voti non legitimi,annullanda eſt.80.41.
Electio canonica debet fieri à maiori parte vocalium vltra medietatem, nõ qualemcumque medietatem,ſed illam excedentem omnium vocalium maiorem partem,qui volũt, & poſſunt intereſſe electioni. 75.34.
Electio illius, qui non eſt inſtructus in Regula,& conſtitutionibus ſui ordinis,caſſanda omnino eſt. Sicut, & illa in qua quis eligitur per fauorem poteſtatis ſæcularis.76.35. 26.& 27.
Electio annullata propter non ſeruatum debitum modum in proceſſu electionis, reliquit electum,vel poſtulatum habilem, vt de nouo eligatur abſque diſpenſatione. 74.30.
Electio in qua diuiſi electores inter ſe, maior pars

pars eligit de iure indignum, minor vero pars dignum, prior eſt nulla, ſecunda confirmari poteſt. 70.10.
Electio pro tracta, quoad ſui complementum vltra terminos ſacrorum canonum, ex ignauia, vel ignorantia eligẽrium, nulla eſt, ſecus autem erit ſi id fiat in fraudem electi ab aliquo ex ſcrutatoribus. 58.2.
Electio cenſetur ſecreta ex Concilio Trid. in qua ad aures ſcrutatorum ſinguli electores ſecreto perſonam eligendam nominant. 69.4.
Electio Prælati cuiuſcumque, quæ fit poſt elapſum terminum à iure præfixum præſertim in Ordine Prædicatorum, eſt nulla. 70.9.
Electio quando eſt præponenda poſtulationi. 40. 14.
Electio omnium Prælatorum, præſertim curam animarum habentium, indiget confirmatione, ibidem num. 17.& 41.19.
Electio in ordine Prædicatorum iam facta etiã vnanimis, an ius aliquod tribuat electo. 42. 23.
Electio in qua ſeruatur alternatiua rite inſtituta, non eſt contra, neque præter diſpoſitionem iuris canonici. 49.36.
Electio canonica, vbi non ſubeſt in ordine Prædicatorum, nulla poteſt eſſe poſtulatio. 52. 9.
Electio per ſcrutinium, quæ, & quot requirat. 53.2.58.2.57.2.59.2.60.3.
Electio per publicationem ſcrutinij, quæ fit regulariter ab vno ſcrutatorum, vel eligentiũ, quando dicatur completa. 64.18.
Electio eius, qui ante confirmationem adminiſtrat eſt nulla. 51.18.
Electio per ſcrutinium exigit regulariter tres ſcrutatores de collegio eligentium. 101.13.
Electio in qua interueniunt ſex ſcrutatores, quatuor de Collegio, duo vel vnus extra, nulla eſt. 107.23. 88.63.
Electio, in qua votum emiſit realiter excommunicatus maiori excommunicatione, etiã occultus, nulla eſt. 128.18.
Electio licet pertineat ad Capitulum ratione publici officij, ratione tamen Canonicatus, ſeù ſpiritualis fraternitatis, pertinet ad ſingulares perſonas, 127.18.
Electio clandeſtina nulla eſt. 75.54.
Electio facta cum aliquo metu omnimodam libertatem eligentium impediente, nequit ſubſtineri. 85.56.
Electio canonica omnium Regulariũ fieri debet per ſecretas ſchedulas. 88.62.
Electio vt ritè fiat exigit in eligentibus iudiciũ cognoſcendi dignum ab indigno. 137.41.
Electio iam publicata, non poteſt variari, ſiue commutari in melius, etiam ſi præceſſerit error. 143.68.
Electio quando ob defectum vnius, non legitimi vocalis fit nulla, vel annullanda. 80.41.
Electio canonica, præſertim in Ordine Prædicatorum, reijcit à ſe illos de quibus manifeſtum eſt, quod inciderint in excommunicationem latæ ſententiæ; etiam nulla alia declaratione ſubſequuta. 82.47.84.52.
Electione caſſata ob defectum temporalem electi, poteſt iterum rẽ eligi eo ceſſante. 71.16.
Electio digni ritè facta, quamuis contra confirmatoris voluntatem, ſi caſſetur per ipſum præuia confirmatoris comminatione, ſecunda erit nulla. 64.14.
Electione publicata, aliquibus electoribus aſſerentibus ſe non præbuiſſe aſſenſum, non creditur, ſed ſtandum eſt diſpoſitioni ſcrutinij confirmatori tranſmiſſi. 142.62.
Electionis defectus quicunque proueniens ex omiſsione alicuius attinentis ad formam eſſentialem electionis, ipſo facto inducit nullitatem, & ſunt puniendi electores. 75.33.
Electionis, & poſtulationis conuenientia explicatur. 10.11.39.9.
Electionis, & poſtulationis ritè factæ nulla ferè, dignoſcitur differentia, quoad libertatem confirmationis in Ordine Prædicatorum, 40.15.
Electionis canonicæ ſubſtantialia cuncta ſunt obſeruanda, & eo ordine, quo proponuntur. 54.18.
Elector ſiue eligens, formaliter loquendo non cẽſetur quis, niſi in actu electionis, ſeu emiſſionis voti. 130.26.
Elector manifeſte propalans votum ſuum conſentiente capitulo, vel maiori parte, efficit electionem nullam. 68.1.
Elector præſens, quis dicatur, 192.9
Elector impeditus quando, & quomodo conſtituere poſſit procuratorem. 159.90.
Elector non vocatus, ſed contemptus poteſt inſtare pro caſſatione electionis alias ritè factæ etiam poſt confirmationem. 138.50.
Elector ſi renuntiat votum, & poſtea pœniteat, poteſt ſi vult emittere ſuffragium, re adhuc integra. 118.22. ibid. in additionibus ad Cap. V. ad hunc num. 22. copioſius explicatur,
Elector qui oſtendit alteri ex electoribus ſuam ſchedulam, vt videat quem eligat, an inualidam

lidam reddat electionem. 68.3.

Electores excommunicati quando, & quomodo inficiant electionem. 81.46. & ſequuen.

Electores quando non ſunt ipſo iure voce priuati, ſed priuandi, quid agendum. 131.32

Electores ſi negligant eligere digniorem, & vtiliorem, quando peccant mortaliter. 23. 12.

Electores debent in die electionis, antequam emittant ſuffragium, Miſſam celebrare, vel Euchariſtiam ſumere, præſertim in Ordine Prædicatorum. 281.6.

Electores ſi diſcordent inter ſe, quid agendum cum illis. 144.73.

Electore ſi nõ eligant infra tempus ſtatutum, quid faciendum. 305.53.

Electores omnes abſentes in debita diſtantia, vocandi ſunt ad electionem per epiſtolam, ſiue per nuncium. 189.1.

Electores certo ſcientes diem electionis, ſi ſe ipſos voluntarie abſentent à loco vbi celebranda eſt electio, non ſunt amplius vocandi. 191.4.

Electores omnes ſi delinquant in caſibus in iure expreſſis in materia electionis, præter vnum, ius eligendi deuoluitur ad illum ſolum. 137.44.

Electores quando poſſint priuati voce actiua, ipſis non citatis. 297.20.

Electores moleſtans, vel aggrauans, quia non elegerunt quem ipſe concupierat, excommunicatur. 65.20.

Electores ſi appellent ab electione poſt tempus ſtatutum à iure, non audiuntur. 335.5. poſſunt tamen, noua ſuperueniente cauſa electionem impugnare, ibid.6.

Electori legitimo ſufficit, vt ſit in quaſi poſſeſſione eligendi. 124.5.

Elector legitimus iam effectus cœcus non eſt repellendus ab electione, quæ fit per ſchedulas præſertim in Ordine Prædicatorum. 141.60.

Electores non legitime priuati, non ſunt violenter repellendi ab electione, ſed poſſunt admitti præuia proteſtatione, niſi fuerint excommunicati. 123.2.

Electores non poſſunt compromittere ius eligendi, niſi ſinguli eorum cõſentiant. 124.7.

Electores tenentur inueſtigare de perſona idonea eligenda. 125.9.

Elector idem non poteſt in Ordine Prædicatorum eodem anno eligere Priorem in diuerſis Conuentibus. 152.79. 153.82.

Electorum ſi duæ partes recedant, an loco electionis, ſine aliqua neceſſitate, & euidenti, quid agendum. 194.12.

Electorum nullus excluditur ab electione, niſi fuerit ſententialiter antea condemnatus, aut euidenter excommunicatus. 123.1.

Electores quando non excuſantur de errore commiſſo, circa perſonam electam. 125.9.

Electores legitime vocati ad electionem pro tali die, & hora, ſi renuant venire, maior pars præſentium quando poſſit procedere ad electionem. ibid. nu. 11.

Electores eligẽtes indignum ſcientia, & ætate, ſunt voce priuati. 126.12.

Electores in Ordine Prædicatorum, in electionibus vti debent modo procedendi per ſchedulas, alias erit irritum, & inane. 173.5.

Electores in prędicto Ordine, non poſſunt multiplicare ſchedulas, vltra numerum eligentium, ſiue electorum. 128.19.

Electores quando, quomodo, & coram quo poſſint electionem oppugnare, vel ipſam defendere. 131.3.

Electores qui eligunt ſuſpenſum, nullam reddunt electionem. ibid.

Electores ponentes ſchedulam albam in vrna, computantur inter illos, qui vocem ſuam libere renuntiarunt. ibid. 33.

Electores in Ordine Prædicatorum eſſe debent Sacerdotes, & habere ſex annos integros à profeſſione. 132.37.

Electores qui die electionis non ſumpſerunt ſacram Euchariſtiam, remanent voce priuati. 135.39.

Electores in numero ternario poſſunt ritè eligere Prælatum, Priorem, ſiue Abbatem. 137.43.

Electores omnes inſtante vltimo termino à iure ſtatuto celebrandi electionem, ſi exeãt de Capitulo, vno excepto, ille ſolus poteſt eligere extraneum. 137.43.

Electores Prouincialium in Ordine Prædicatorum, ſunt Priores Conuentuales, eorum ſocij, Magiſtri in ſacra Theologia, qui loco, & voce gaudent in illa Prouincia, qui Prædicatores Generales appellantur 139.53.53.

Electores ſinguli poſſunt petere confirmationẽ electionis ritè celebratæ ab illis. 142.63.

Electores poſſunt vnum, vel plures nominare in eadem ſchedula. 143.66.

Electores etiam duo tantum, poſſunt eligere extraneum. 144.69.

Electoribus exiſtentibus decem, ſi quis poſtuletur à ſex, eligatur à duobus, dicetur poſtulatus à maiori parte. 54.13.

Electus

Digitized by Google

Electus legitimè ad aliquam Prælaturam ſi appellat ad Superiorem confirmatoris ordinarij, & interim confirmetur à confirmatore ordinario, confirmatio tenet. 339.19.

Electus canonice in Abbatem, vel Priorem, confirmandus eſt; licet eo inuito nequeat confirmari. 297.19.& 21.

Electus qui exercet quæ ſunt muneris ante confirmationem, qua pœna ſit plectendus. 71.18.

Electus ad aliquam prælaturam, ſeque dignum reputans, an peccet, renuendo confirmationem. 211.35.

Electus canonicè quando, & quomodo poſsit petere confirmationẽ. 314.63.

Electus per abuſum poteſtatis ſecularis, quas pœnas incurrat. 255.34.

Electus, & confirmatus ſi renuat acceptare confirmationem, an in proprietate ſermonis dicatur vere confirmatus, & an poſsit regularis confirmatus non conſentire confirmationi. 315.66.318.76.

Eligendi forma, qua vtuntur Ciſtercienſes, Caſsinenſes, & Camaldulenſes. 382.361. 372.

Eligendus eſt in Prælatum dignior. 199. 1.

Eligendus in Pontificem Romanum dignior. 215.1.

Eligendus in Priorem in Ordine Prædicatorum, debet habere ad minus duodecim annos à profeſsione. 76.37.

Eligentes quando poſſunt opponere contra electionem, vel electum. 131.30.

Eligendus de gremio Capituli, vel de numero eligentium, quomodo intelligatur. 252.26.

Eligentes iam electum in præcedenti electione ob defectum perſonæ electæ caſſata, electio ſecunda eſt nulla, &c. 132.35.

Eligentium libertas quomodo lædatur, ſiue diminuatur. 234.6.

Eligentium libertatem impedientes quomodo priuantur, præſertim in Ordine Prædicatorum. 62.10.

Eligere ſeipſum regulariter nullus poteſt. 137.45.

Eligere in Papam, an ritè poſsint Cardinales idoneum, relicto magis idoneo, & digniori. 217.8.

Eligere certam aliquam perſonam, vel aliquem de certo gremio perſonarum, quomodo differant. 63.13.

Eligi procurans in Papam, repellitur tanquam ambitioſus. 216.4.

Eligi non poteſt, ille ob cuius electionem veriſimiliter oriretur ſcandalum. 255.38.

Eligi procurans ad aliquam Prælaturam, ab ea repellendus eſt. 256.39.

Eligens in quaſi poſſeſſione eligendi, etiam quod ius non habeat ad electionem, dummodo quiete habeat poſſeſſionem eligendi, poteſt ritè, ac rectè eligere, ac eius electio cenſetur bona. 124.6.

Eligens innodatum minori excommunicatione, non poteſt contra iuſtitiam. 141.56.

Eligens ſuſpenſum ignoranter, non eſt priuatus poteſtate eligendi. 142.62.

Eligentes ſcienter indignum, ſi tamen non ſequatur effectus electionis, non remanent voce priuati. 142.62.

Eligentes per ſchedulam ſignatam ſigno patenti, & manifeſtatiuo nomine eligẽtis, peccant mortaliter. 86.61.

Eligentes in Ordine Prædicatorum in Priorem non habentes qualitates ordinationis tertiæ Cardinalis Alexandrini, non ſunt priuati, neque priuandi voce. 80.44.

Eligentes ex vigore pactionum, & conuentionum quam pœnam incurrant. 62.29.

Eligentes compulſi ad certam perſonam efficiunt electionem nullam. 63.13.

Eligentes, quem plenè non agnoſcunt, agunt contra conſcientiam. 125.9.

Eligentes contra formam cap. *Cum in cunctis*, remanent priuati poteſtate eligendi. 126. 12.

Eligentes contra formam cap. *Quia propter*, remanent voce priuati, & alijs pœnis ſubiecti. 126.14.

Eligentes ex illegitimo thoro natos, niſi probent in hoc ſuam ignorantiam, non euadũt pœnas taxatas in Conc. Lat. 129. 24.

Eligentes ex vi aliorum ſuggeſtionis, vel ſcripturæ obligatione, tanquam vituperabiles reprobantur. 130. 27.

Eligentes aliquem, vel eius electioni conſentientes, quando poſſunt, vel non poſſunt opponere. 131.30.

Eligentes, qui inuocant auxilium ſæcularium pro electione Canonica facienda, ſunt priuati ad triennium iure eligendi. 152.34.

Eligentes poſſunt atteſtari etiam in iudicio de facto electionis, ac de his, quæ in illa acciderunt. 142.63.

Eligentes, & circa electionem committentes defectum, quando effugiant pœnas contra malè eligentes in ſacris Canonibus taxatas. 142.63.

Eligentes quas conditiones habere debeant. 143.

143.64.& per tot. Cap. V. XI. & XX.
Eligere, quid ſit explicatur. 62.29.
Eligere, & poſtulare qui poſſint, vel non poſſint in Ordine Prædicatorum. 52.6.
Ens dicitur etiam de non ente. 94.64.
Entis conuenientia ad intellectum, nomine veritatis ex primitur. 93.64.
Epychcia vbi, & quãdo locum habeat. 47.35.
Epiſcopus vnius Eccleſiæ de iure communi nõ poteſt eligi ad aliam, & idem dici poteſt de Prælato addicto alicui eccleſiæ, vel Conuẽtus 42.25.
Epiſcopos ius nominandi habentes tenentur digniores nominare. 206.29.
Epiſcopus cum ſuo vicario, vel alio ab eo aſſumpto, vota ſingularum Monialium in electione Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ ad cratem oretenus audire, & recipere valet. 69.4.
Epiſcopus, vel Generalis religionis cum allegatore iam correcto diſpẽſare valet. 85.58.
Epiſtula Sancti Greg. Magni de electione Epiſcoporum per ſuffragia multorum recenſetur. 185.24.
Error nequit inducere conſuetudinem contra legem. 109.14.111.28.
Error in electione, quando poſſit corrigi. 143.68.
Error repertus in decreto, vel ſcrutinio electionis tranſmiſſo confirmatori, an poſſit electionem annullare. 94.65.
Euchariſtiæ ſacramentũ ſuſcipere debent electores in die electionis ante ipſam electionem. 135.39. 154.85.
Excommunicatio detecto, vno vel pluribus ex vocalibus, irritatur electio. 128.18.
De excommunicatione nonnulla dicuntur. 6. 14.65.20.128.18.
Excommunicationis ignorantia quid operetur ad validitatem electionis. 128.18.
Excommunicati notoriè non ſunt vocandi ad electionem. 194.14.
Excommunicatio lata propter ſimoniacam ordinum ſuſceptionem, quomodo, & à quo tollatur. 430.35.
Excommunicatus minori excommunicatione poteſt eligere, ſed non eligi. 129.23.
Excommunicati notorie maiori excommunicatione excludi debent ab electione. 147.16.140.56.144.70.
Excommunicatus etiam occultus vitiat electionem. 127.18.
Excommunicatus quomodo ſine præuia informatione iuridica voce priuetur. 286. 25.
Excommunicatus maiori, vel minori excommunicatione nequit eligi in Prælatum etiam regularem. 144.1.
Excommunicatus notorius, quis dicatur. 82. 43.144.70.
Excommunicati ſunt priuati executione ſuorũ munerum, & cõmunione aliorum. 128. 18.
Excommunicantur, qui grauamen intulerint alicui perſonæ eccleſiaſticæ, ſiue conſanguineis, vel bonis illius, pro eo, quod rogata, ſeu inducta, eum pro quo rogabatur renuerit eligere, 63.10.
Excommunicatis concurrẽtibus ad electionem ſi poterant repelli, vel ſi non poterant omiſſa fuit proteſtatio de non coeligendo cũ illis, electio inficitur 144.70.81.45.
Expectare illum, qui in proximo eſt futurus vocalis, an electores teneantur. 197.20.
Exquiſitio ſuffragiorum facta contra formam ſuper hoc à iure ſtatutam, quando inualidet electionem. 108.23.
Extranei, & non incorporati, per affiliationem Prouinciæ in qua commorantur, quando, & quomodo in Ord. Prædic. habeant, vel non habeant vocem in electionibus. 138.47.
Extranei in eodem Ord. Prædic. nequeunt eligi in diffinitores Capituli Generalis. 321.2. & ſeq.

F

FAlſificantes litteras Apoſtolicas, ſunt inhabiles ad electionem. 144.2.
Factum contra legem nequit haberi rato. 64. 16.
Fidelius tractatur negotium electionis à ſcrutatoribus de numero eligentium, quàm ab extraneis. 90.64.
Finis Canonum quis ſit. 2. t. t.
Finis eccleſiaſtici, & ciuilis regiminis quis ſit. 3. 209.29.
Forma debita carens electio quæcumque nulla eſt. 96.1.
Forma verborum legis præceptiuæ, quæ verba continere debeat. 14.23.
Et alia plura in addit. ad §.X. Præludiorum. ad eundem num. 23.
Forma eligendi per ſuffragia multorum ſecretò præſtandorum defenditur contra Suarez. 178.14. & ſeq.
Forma eligendi per ſcrutinium eſt tutior alijs. 171. 2. & de ſe tollit omnem metum. 235.
Forma eligendi Papam edita à Greg. XV. vtilis valde, ſi ritè cuncta ponderentur 223. 231.1. & ſeq.

Formæ

Formæ eligendi in diuerſis ordinibus. 361. vſque ad 412.
Forma iuramenti præſtandi à fratribus Minoribus, & ab alijs regularibus in electionibus Canonicis. 199.2.65.21.
Forma litterarum qua vocandi ſunt electores abſentes. 195.16.
Formæ tres eligendi Prælatos. 172.3.
Forma electionis de qua in Cap. *Quia propter*, extendenda eſt, ad electiones Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum regularium. 96.3.
Forma data pro aliqua actione, reddit illam indiuiduam. 103.17.
Forma compromiſſi qualis ſit. 118.32.
Forma, quæ inuiolabiliter obſeruari debet in Ordine Prædicatorum in electione Generalis, & aliorum Prelatorum dicti Ordinis. 130.27.
Formationis verbalis decreti electionis omiſſio irritat electionem. 69.5.
Fratres Ordinis Prædicatorum non obſeruantes regulam & ſtatutum; an & quando peccent. 30. Cum licentia officiantes extra Ordinem, quibus priuentur. 136.41.137.41. Poſt expletum officium Prioratus, in quo Conuentu remaneant aſſignati. 134.38. Non poſſunt voce priuari inſtante tempore electionis, exceptis quibuſdam caſibus. 146.77.
Frater quis dicatur propriè ad aliquem Conuentum pertinere. 359.12.
Fratrum translatio de vna Prouincia ad aliam, ad quem pertineat. 321.3.
Furioſi non admittuntur ad electionē. 141.57.

G

GEnerale Capitulum quomodo dicatur ſupra Generalem. 45.34.
Generales ordinum eliguntur per multorum ſuffragia. 418.1. Quas conditiones habere debent. 418.2. & ſeq. 421.8. & ſeq.
Generalis nequit auferre in totum, vel in partem, modum eligendi à ſacris Canonibus ſtatutum. 38.5.
Generales Ordinum, an valeant declarare, diſpenſare, immutare ſtatuta Capitulorum Generalium. 46.34.
Generalis Ordinis Prædicatorum facultas, præſertim circa declarationes priuilegiorum Apoſtolicorum, & Conſtitutionum eiuſdem Ordinis. 43.28.47.34. Confirmare poteſt ex indulto Apoſtolico etiam electiones non ritè factas. 311.59.
Generalis dictis Ordinis electio ſi inſtet, neque ſuppetat tempus celebrandi Cap. Prouinc. in aliqua Prouincia, qui ſint electores Generalis in tali caſu. 322.12.
Generalis Vicarius poſt mortem Prouincialis in aliqua Prouincia, nequit augere, vel minuere numerum electorum in Conuentibus eiuſdem Prouinciæ. 139.54.
Gratiæ priuilegia, etiam viuæ vocis oraculo conceſſa Regularibus, quæ ante conſtitut. Greg. XV. ſortita erant effectum ſuum, perſeuerant in ſuo robore. 133.37.
Goliardus nequit eligi ad dignitatem, vel Prælaturam. 255.34.

H

HOnorius III. caſſauit electionem propter protractionem publicationis eius, & propter conſenſum præſtitum ab electo antequam eligeretur. 147.65.
Honor quando, & quomodo poſſit ordinatè appeti. 220.15. Eius appetitus quot modi dicatur inordinatus. 219.12.
Homicida eſt ineligibilis ad dignitatem, & prælaturam. 254.32.

I

IDem vocalis, qui interfuit electioni, illo anno nequit eligere in alio Cōuentu. 139.40
Idoneus qui non eſt talis tempore electionis, nequit eligi. 246.10.255.36.
Idoneus an poſsit ritè eligi in Papam, & ſi non ſit magis dignus. 217.8.
Illegitimus non diſpenſatus nequit eligi. 244.3 poteſt tamen poſtulari. 51.5. Eum eligentes, qua pœna puniantur. 129.24. A quibus poſsit diſpēſari ad Ordines &c. 428.19.
Illitteratus quis propriè dicatur. 72.24.
Impeditus elector quando, & quomodo valeat cōſtituere Procuratorē in electione 159.90.
Impedimenta eligentium, & electi enumerantur. 142.64. & 152.80.
Incorporati, qui non ſunt in aliqua Prouincia, nequeunt eligere in illa. 138.47.
Inferior nequit diſpenſare ſuper ſtatutis ſui maioris, vel Superioris. 425.14.
Ineligibiles qui dicantur in Ord. Prædic. 245.8.
Infamis omnis eſt ineligibilis. 256.
Impuberes non poſſunt eligere. 138.41.
Inditia quibus poteſt quis iudicare de dolo, & fraude circa aliquam electionem. 136.40.
Indigni electio, an poſſit impediri pecunia. 310. 57.

Indignum eligentes quando priuantur voce. 130.29.143.67.125.12.204.13.
Indignũ confirmãs qualiter puniẽdus.252.23.
Indignus quis dicatur ad prælaturas,& officia. 207.24.126.13.
Infectum pro non facto habetur. 145.74.
Inhabiles ad eligendum declaratur, qui ſint. 82.46. & pariter, qui ſint inhabiles, vt eligantur. 126.13.
Inhabilis occultus,ſi eligatur, an teneatur prodere ſuam inhabilitatem, vel non acceptare prælaturam. 352.36.
Inquiſitus non poteſt eligi. 254.31.
Inquiſitio de electione, & electo quomodo fieri debeat. 304.47.
Inſtructus qui non eſt ſufficienter circa Regulam, & Conſtitutiones ſui Ordinis,eſt ineligibilis. 244.4.
Interdicti violator eſt ineligibilis. 246.10.
Interdicto in loco celebrantes ſcienter nequeunt eligere. 138.
Interdictum vbi eſt, poteſt nihilominus celebrari electio. 170.13.
Interpretatio iudicialis ſacrorum Canonum eſt propria Pontificis Romani. 23.
Interpretatio Iuris Canonici quotuplex. 2.4.6.
Inueſtigare tenentur electores de idoneitate perſonæ eligendæ. 125.9.
Ioculator eſt ineligibilis. 255.34.
Ipſo iure, ipſo facto,quid important. 12.21.
Irregularis eſt ineligibilis. 251.19.
Irregularis profeſſus à quo diſpenſari poſſit. 209.24.
Iuramenti forma præſtanda à regularibus,& ab electoribus in electione canonica. 65.21. 199.2.
Iuramentum præſtandum à Cardinalibus in electione Papæ de eligendo magis idoneo. 218.10.236.12.
Iuramentum præſtitum extra Conclaue de eligendo hunc, vel illũ in Papã,tollitur, 218.11.
Ius acquiſitum per electionem quot, & quale ſit. 40.17.
Ius eligendi, an poſſet compromitti. 124.7.
Quando transferatur ad Superiorem. 168.7.

L

Laici non poſſunt intereſſe electionibus Religioſorum. 103.17.143.64.
Lapſum carnis committens priuatur in Ord. Prædic. ad trienniuum voce. 144.72.
Legis contemptus,quando ſit mortale. 14.24.
Legis, communis interpretatio inducit obligationem. 99.9.
Legis obligatiuæ vis,quæ, & qualis ſit. 4. 11. & 12.
Leges de culpis in Ord. Præd. quomodo ſint intelligendæ. 8.16.
Legis, latiua poteſtas,quando fuit collata D. Petro. 3.9.
Lex diuina,& humana in quo differant,& conueniant. 8 17.
Lex humana quando,& quomodo obliget, cũ vericulo vitæ. 9. 18. Quomodo ortum habeat à diuina. 8.17.
Leges humanæ admittunt doctrinalem interpretationem. 100. 9.
Legem interpretari extra caſum imminentis periculi non pertinet ad quemlibet. 17.25.
Lex humana an poſſit actus interiores hominis præcipere. 19.29.22.29.
Lex eccleſiaſtica quando,& quomodo obliget ad mortale. 5.13.
Lex habens decretum irritans,an poſſit abrogari per conſuetudinem cõtrariam. 104. 20.
Lex pœnalis iuſta, quando obliget. 6. 15. 31. 30. 32. 30. præſertim ad peccatum mortale. 5.14.6.14.
Legem pœnalem tranſgrediens,an culpam incurrat in caſu omiſsionis pœnæ in lege taxatæ. 28.30.
Legem an poſſit Princeps tollere, mutare, vel diſpenſare. 48.35.
Legis pœnalis tranſgreſſores, an ſicut ad culpam, ita & ad pœnam ſubeundam teneantur ante iudicis ſententiam. 11.19.
Legis promulgatio quomodo, & quando fieri debet. 13.22.
Legis propria ratio explicatur. 33.30.
Lex vtens verbo,præcipio,an vniuerſaliter habeat vim præcepti obligatiui ad peccatum mortale,& quando. 5.14.
Legem iuſtam obſeruare tenentur omnes ſubditi. 46.34.
Legum particularium pœna, quomodo particulariter interpretanda, & accipienda ſit. 8. 16.
Lex vniuerſalis eſt illa,non autem particularis, expreſſa in conſtitutionibus Ord. Prædicat, illis verbis contenta, *Nolumus, quod ſtatuta noſtra obligent ad culpam, ſed ad pœnam tantum*. 29.30.
Lex pœnalis obligat ſecundum intentionem legislatoris. 31.30.
Lex continens diſpoſitionem contra ius commune, regulariter non eſt ſeruanda; & lex Papæ non poteſt abrogari abſque ſcientia vel

vel priuilegio eiuſdem. 111.28.
Libertas integra eſt de eſſentia electionis canonicæ. 233.4.
Libertas eligentium quomodo diminuatur. 234.7.79.41. Eam impedientes qua pœna puniantur, præſertim in Ord. Præd. 62.10.
Liberum conſenſum requirit electio canonica in eligentes. 85.56.
Limitatio ad tres, vel quatuor perſonas eligendas cum excluſione aliorũ, prohibetur. 62.8
Litigioſus nequit eligi in Prælatum. 257.43.
Litterarum forma ad effectum vocandi electores abſentes. 195.16.
Locorum naturales quando, & quomodo præferantur dignioribus. 210.31.
Locus honeſtus publicus, non interdictus Conuentus, Monaſterij, eſt aptus, vt in illo celebrari poſſit canonica electio. 166.1.

M

Maior pars Capituli ſiue vocalium vltra medietatem, quæ ſit, & quomodo dicatur ſanior pars. 125.11.254.27.128.49. 354.37.
Maioris & minoris partium electiones, quomodo confirmãdæ, vel annullãdæ ſint. 143.67.
Mandatum Ord. Præd. circa ea, quæ obſeruare debent ſcrutatores in actu electionis. 93.64
Manifeſtatio vni', vel pluriũ ſuffragiorũ in actu electionis, quãdo annullet electionem. 69.3.
Melior eligendus quis dicatur. 199.14.
Mendicantes tranſeuntes ad alium Ordin. non Mendican. remanent voce priuati. 141.58.
Metus impediens omnimodam libertatem in eligentibus vitiat electionem, ita vt nequeat confirmari. 85.56.
Metus aufert liberum cõſenſum, qui neceſſario requiritur in electione canonica. 85.56.
Metus etiam reuerentialis, auferre poteſt libertatem, ac reddere electionem nullam. 60.4.235.9.073.33.
Metus probabilis ſufficit ad reddendam electionem nulla. 288.31.
Metus reuerentialis efficit profeſſionem religioſi nullam. 235.9.
Minus dignum quando liceat eligere. 125.10. & 204.16.
Miſſa de Spiritu Sancto, ante electionem cenſetur de eſſentia electionis. 60.2.
Minor pars Capituli, tunc ritè eligere poteſt cum fuerit priuata maior eligendi poteſtate. 143.66.
Modus indebitus ſcrutandi vota eligentium poteſt irritare electionem. 108.23.
Moleſtans electores quando ſit excommunicatus. 65.20.
Monachus aſſumptus in Abbatem alterius Monaſterij, non habet vocem in electione Prioris Monaſterij, &c. 156.87. 124.3.
Monachis S. Benedicti prohibetur ſpecialiter ne faciant practicas pro eligendo hoc, vel illo, ad gradus, & officia ſui Ordinis. 47.5.
Monachis Caſſinenſibus ex ſpeciali priuilegio Greg. XIII. conceditur, vt poſſint eligere plures ſcrutatores quam tres. 91.64.
Moniales quomodo ſe gerere debeant in electione Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, 347.17.18. & 348.25. In die electionis Prioriſſæ refici debent Sacramento Euchariſtiæ. 348.23. non poſſunt transferri de Monaſterio ad Monaſterium, abſque licentia ſpeciali S. Sedis Apoſtolicæ. 342.6. Quæ non expleuerint annum duodecimum à profeſſione, carẽt voce actiua, & paſsiua in Ord. Præd. 347.15. De iure communi poſſunt compromittere electionem Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ in Virum. 347.16.
Minorum Fratres quos, & quales eligere poſſint in Prælatos. 245.5.
Minorum fratres qui ſint inhabiles, vt eligantur ad Prælaturas ſui Ordinis. 251.20.
Minus dignus ſciens, & volens concurrere, cum digniori &c. 210.34.
Monachus poteſt appellare pro iure ſibi electione quæſito. 337.11.
Monialium cura cui committenda poſt mortem, vel amotionem Prioris. 357.4.
Mutationes quomodo non faciendæ in Conuentibus, in quibus de proximo facienda eſt electio Prælati illius Conuentus. 157.89. 317.75.

N

Naturales locorum digni, quando præferendi ſint dignioribus. 210.31.
Neceſſario obſeruanda in forma electionis per ſcrutinium referuntur. 89.63.
Neceſſitas præmittendi diſpenſationem inhabilitatis eligẽdi ante actũ electionis. 73.39.
Nibil innouandũ appellatione pendẽte. 85.59
Nicolaus V. non confirmauit decreta Concilij Baſileenſis. 114.32.
Negatiua ante verbum, neceſſitatem importat. 77.39.
Neopbitus eſt ineligibilis. 255.34.
Noctis tempore nõ debet fieri electio. 170.11.

Nomina ſimpliciter prolata exponuntur in ſenſu proprio. 316.70.
Nominandi ius habentes tenentur nominare dignioreṁ. 206.22.
Nominatio electorum, quæ fit ad aures ſcrutatorum, non vitiat electionem. 64.4.
Nomina eligentium nunquam publicari debent, in actu electionis, nec poſt electionem. 86.61.107.23.129.25.130.27.
Nomine *Veritatis*, exprimitur conuenientia entis ad intellectum. 93.64.
Non profeſſi nequeunt admitti ad electiones. 128.20.
Nouitas eligendi ſcrutatorem non de gremio Capituli in electionibus canonicis Ord. Prædic. efficit electionē ſaltē annullandā. 92.64.
Nullitas cuiuſdam electionis particularis explicatur, præſertim ex contentis in tribus deciſionibus Sacræ Rotæ Romanæ recenſitis ad finem Capituli V. huius tractatus. 89.90.105.21.104.20.103.18.108.23.
Nullus electorum poteſt eligere in Ord. Prędic. eodem anno in diuerſis Conuentibus. 152.79.153.82.152.79.
Nullus poteſt eligere ſe ipſum. 137.45.
Numerus electorum, præſertim in Ordine Prædicatorum non poteſt augeri per duos menſes ante electionem. 138.51.& 139.54.
Numeri ad numerum collatio facienda eſt, in omni electione canonica, non autem zeli ad zelum. 64.19.
Numeri ad numerū collationis ommiſſio quando, & quomodo inficiat electionem. 269.22.

O

Obligatio facta extra ſcrutinium de eligēdo hunc, vel illum in Pontificem Romanum, tollitur. 218.11.
Obſignatio facta in ſchedula ab eligente ad pandendum ſe ſcrutatoribus, quādo, & quomodo inficiat electionem. 86.6.
Occultus defectus eligētis, vel eligentiū quando vitiet, vel non vitiet electionem. 138.48.
Officiū acceptans, nec habens ſufficientē ſcientiam ad illud, an & quando peccet. 208.27.
Officium exercere non valens eſt ineligibilis. 245.4.254.33.
Officiorum, ſiue Prælationum tempus, in Ordine Prædic. quando incipiat. 297.24.
Omiſſio eorum, quæ continentur in Regula, vel Conſtitutionibus Ord. Prædic. ſolum ad pœnam taxatam luendam obligat; nullatenus autem ad culpam. 30.30.
Omiſſio formæ cōpromiſſi vitiat ipſum. 119.32
Omnes, etiam Regulares tenentur obſeruare diſpoſitiones ſacrorum Canonum, præſertim circa electionem canonicam. 36.1.
Opinio communis in doctrinali interpretatione legis humanæ inducit humanā certitudinē, & per cōſequens obligationē eā ſequēdi. 99.91
Opinio Vincentij, Tancredi, Mandadagoti circa cōfirmationē electionis recēſetur. 103.15
Opinio communis circa intelligentiam alicuius textus efficit, vt ſenſus per ipſam explicatos cenſeatur verus, & legitimus. 108.23.
Oppoſitiones quę fiunt circa electionē à maiori parte vocaliū, ſunt valdè pōderādę. 79.33
Ordinationes aliquæ Card. Alexandrini circa electiones canonicas Ordinis Prędicat. ponderantur. 135.40.136.40.
Ordinatio de mutationibus non faciendis tempore electionum omnino obſeruanda, ſub nonnullis pœnis cōtrā Prouinciales. 149.78
Ordinis Prædicat. priuilegia nonnulla referuntur. 53.12.437.439.441 & ſeq.

P

Pacta, conuentiones, & ſimilia irritant electionem. 60.5.
Papa confirmat omnes electiones, vel per ſe, vel per alios. 293.3. Viuens nequit ſibi eligere ſucceſſorem. 240. 21. Præcipiens electoribus, vt eligant Prælatum de conſilio aliquorum, ſi eligant non expectato conſilio, electio nulla eſt. 73. 28. Poteſt edere bullas circa electionē ſui ſucceſſoris. 232.2. Adhuc eo viuēte, Cardinales an poſſint tractare de futuro ſucceſſore. 237.16.
Papæ electio, quomodo fieri debeat ſecundum Bullam Greg. XV. 223. vbi præcipua eius Bullæ ponderantur. 231.
Papæ aſſertio pro vera omnino haberi debet. 231.1.
Papæ quomodo competat conferre dignitates ac beneficia eccleſiaſtica. 209. 30.
Papæ electio quando, & quomodo fiet ab vniuerſo populo. 215. 1. Debet eſſe in omnibus, & per omnia totaliter libera. 216. 6. An poſſit fieri de perſona idonea, quæ tamen non ſit magis digna. 217.8.
Papa non confirmat electiones abſque certa ſcientia. 111. 28. Supplet de plenitudine poteſtatis defectibus electionis, in qua interfuerunt aliqui innodati excōmunicatione minori. 128. 18. Quomodo ad cautelam ſuppleuit defectibus cuiuſdā electionis particularis.

ricularis. 129. 23. Caſſauit electionem, in qua poſt publicationẽ omiſſa fuit formatio decreti vocalis electionis. 59. 2. Poteſt conſenſum eligentium non ſolemniter præſtitũ conualidare. 107. 23. Poteſtatẽ dominatiuam, atque legislatiuam, tamquam Chriſti Domini immediatus Vicarius habet. 3. 8. nequit errare in totius Eccleſię regimine. ib. Non habet poteſtatem à populo, ſed immediate à Chriſto Domino. 110. 26. Reualidat aſsignationes factas à Vicario Prouinciæ Lombardiæ, contra diſpoſitionem Bullæ Iulij II. 139. 54.

Pars ſanior Capituli illa dicitur, quæ maior eſt. 138. 49. 354. 37.

Peccant mortaliter, qui in re graui, & expreſſe prohibita, cõtrafaciunt decretis Conc. 87. 6.

Peccatum incurrunt contemnentes obſeruare ſuam Regulam, & Conſtitutiones. 30. 30.

Periurus cenſetur ineligibilis. 255. 38.

Pertinaciter renuere Prælaturam, vel dignitatem, quis dicatur. 318. 77.

Pœna, an, & quando ſoluenda ſit ante iudicis ſententiam. 11. 19.

Pœnæ taxatæ cõtra tractantes de nouo eligendo prælato ante tempus ſtatutum. 169. 10.

Pœnam priuationis vocis actiuæ, quando electores incurrant. 74. 33.

Pœnæ abſolutionis ab officijs, vel priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ ſubijciuntur fratres Ordinis Prædicatorum. 29. 30.

Pœna nõ dẽt infligi nolenti ſine culpa. 30. 30.

Pœna Concilij Lat. taxata contra electores, ſiue eligentes, quando habeat locũ. 125. 9.

Pœna recenſetur contra eligentes ad inſtantiã ſæcularis poteſtatis aliquem in Prælatum. 131. 34.

Pœnæ non ſunt ampliandæ. 142. 63.

Pœnitens publice eſt ineligibilis. 254. 32.

Perſona ignota non eſt eligenda. 125. 9.

Pius V. irritat electiones Regularium, quæ non fiunt per ſchedulas. 87. 62.

Pontifex Romanus eſt conditor, & interpres Iuris Canonici, & immediatus Chriſti Vicarius. 2. 2. 3. 8.

Populus nequit inducere conſuetudines contra Sacros Canones. 110. 26.

Poſtulari an poſsit illegitime natus, & quo modo. 39. 12. 51. 5. Irregularis, & alterius Diœceſis. 51. 5.

Poſtulari non poteſt in Ord. Prædicat. qui eſt Prior actualis vnius Conuentus. 53. 10.

Poſtulantes conſentiunt in poſtulato, & quomodo. 40. 13.

Poſtulatio canonica, quid ſit. 50. 1. Fieri poteſt etiam multorum in eodem ſcrutinio in Ord. Prædic. 51. 6. Facta cõcorditer propter vtilitatem eccleſiæ, an poſsit reijci, & ſit anteponenda electioni. 50. 3. Quomodo cadat ſub nomine electionis. 53. 10. 11.

Poſtulatio ſola, præſertim in Ord. Prædic. abſque electione, nulla eſt. 54. 13.

Poſtulatio quæ ſit à minori parte infra medietatem eligentium, nulla eſt. 55. 13. 52. 7.

Poſtulationis diuerſa genera enumerãtur. 50. 1.

Poſtulationes quales eſſe debeant vt ſint validæ, maxime in Ord. Prædic. 53. 11. 52. 8.

Poſtulationes quando, & quomodo magis faueant poſtulatis, ad effectum confirmationis. 54. 13.

Poſtulationes qñ trãſeunt in electiones. 76. 37.

Poſtulationis, & Nominationis Canonicæ diſcrimen aſsignatur. 55. 14.

Poſtulati aliqui cur nequeant confirmari abſque diſpenſatione, etſi potuerint rite poſtulari. 51. 5.

Poſtulatus, an acquirat aliquod ius ex vi poſtulationis. 40. 16. Alia de poſtulatione, & poſtulatis inueniet Lector c. 2. huius tractatus.

Poteſtas Capituli eligentium, ordinarie reſidet apud totum Capitulum. 75. 34.

Præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ factũ de re iuſta ſemper obligat ad mortale. 6. 14.

Præceptum continens intentionem præcipientis eſſe ad mortale obligare, ad illud adſtringit. 31. 30.

Præcepta diſtinguuntur contra conſilia. 6. 14.

Præcepta Regulæ, & Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum abſolute, & ſimpliciter non obligant ad culpam. 31. 30. & præſertim in Additionibus ad præludia 5.

Præceptum Clement. 1. de hæret. quomodo intelligatur. 21. 28.

Præceptum de attente, & ſtudioſe perſoluendo officio diei, quomodo intelligatur ibid.

Præceptum de iuramento præſtando à Card. in electione Papæ. 66. 23.

Præcipitur omnibus maximè Fratribus Ord. Præd. ne faciant ſigna, vel notas in ſchedulis electionis neq. reuelent ſuffragia ſcrutatoribus, vel confirmatori. 87. 61.

Prælatus quis ſit. 51. 5. 55. 15.

Prælatura nequit renuntiari abſq. licentia Superioris. 86. 60.

Prælati diuerſorum ordinum quomodo eligantur. 366. 376. 380. 385.

Prælatorum electio ordinariè ſit per vota ſecreta. 173. 6.

Prælaturam appetere, quando, & quomodo liceat. 211.219.12.221.17.

Prelatus habens curam animarum debet eſſe Sacerdos. 420.5.

Prælatus electus intuitu, & inſtantia poteſtatis ſecularis reijcitur, & priuatur. 131.34.

Præſentes perſonaliter in capitulo tempore electionis ſunt veri electores. 176.11.

Præſentis electio debet excedere duo vota vltra medietatem. 71.15.175.9.

Præſidens electionis, quæ poteſtatem habeat. 282.7. Non poteſt præcipere quicquam cōtra libertatem eligentium. 94.66. In actu electionis nequit ordinariè voce priuare eligentes. 286.26. Non debet eligi in eadē electione, cui præeſt. 288.28. Debet notificare electoribus vacantiam Prælaturæ, quomodo, & quando. 280.2.281.5.

Præſidentis abſolutio facta electoribus in actu electionis, quid operatur. 28.15.

Præſidentis Camaldulenſium, & Ciſtercienſium, & Caſſinenſium quis ſit, & quomodo eligatur. 365.362.374.379.384.

Præſidentes Conuentum celeriter mittere debent confirmationum confirmato. 305.51.

Prior in Ord. Prædic. quomodo, & quando poteſt inſtituere, vel deſtituere Suppriorem Conuentus. 354.8. alia multa ad idem explicantur cap. 18. huius tractatus.

Priores in Ord. Præd. nō habentes in ſuis Conuentibus carceres formales, repelluntur ab electione Prouincialis. 152.81.

Prior nouus in Ord. Præd. nequit eligi renitente parte vocalium ante tres dies à notitia vacantiæ Prioratus. 167.4.

Prior, & Prælatus qualis eſſe debeat. 56.17. & latius in Addit. ad Cap. 2. ad num. 17.

Prioris in Ord. Prædic. electio iuſtis de cauſis à Prouinciali caſſatio valida. 73.29.

Prior Conuentualis in Ord. Prædic. an præſtare valeat votum in electione ſui ſocij pro futuro Cap. Prouinciali. 327.23.

Priores Prouinciales, quando incipiant ſuum officium in Ord. Prædic. 297.24.

Prioris electione rite caſſata poſt aliquos menſes, noua electio faciēda ad quos pertineat. 145.74.

Principum Sæcularium ſtatuta, vt eligantur in Prælatos in locis ſibi ſubiectis illi tantū nationales, an, & quomodo ſeruentur. 212.37.

Prioriſſa, & Abbatiſſa eligi debet per vota ſecreta, & quomodo. 341.1.

Prioriſſæ, vel Abbatiſſæ ætas. 341.2.342.5.

Prioriſſæ, & Abbatiſſæ officium eſt triennale in Italia. 343.9.

Prioriſſæ, & Abb. confirmatio, quando impediatur per appellationem. 347.20.

Prioriſſa, & Abbatiſſa, an, & quando adminiſtrare poſſit ſuum officium ante confirmationem. 384.21.

Prioriſſæ, & Abbatiſſæ electio non admittit pro eligentibus confeſſarium, nec Superiorem dicti monaſterij. 349.28.

Prioriſſa in Ord. Prædic. non eligatur de nouo in eodem monaſterio, niſi vacauerit ad triennium. 342.7.

Prioriſſa in Ord. Præd. non eligitur illa, quæ eſt ſoror carnalis Prioriſſæ immediatè præcedentis. 343. & alia multa ad idem ſunt in Cap. 17. huius tractatus.

Priuilegia Ord. Prædic. circa poſtulationem faciendam, & circa perſonam eligendam in Vicariū Prouinciæ, mortuo, vel amoto Prouinciali, referuntur. 54.292.

Priuilegium ſpecialiter quibuſdam conceſſum alijs non competit. 299.29.

Priuilegiorum aliud fauorabile, aliud odioſum &c. 300.33.301.36.301.39.

Probandi onus, quod abſentes vocati fuerint ad quem ſpectet. 195.17.

Procurans eligi in Prælatum repellendus eſt. 256.39.

Percurator ad effectum electionis quando, & quomodo conſtitui poſsit ab electore abſēte ſiue impedito. fol. 159. vſq. ad 164.

Procuſſor nequit eligi in Prælatum. 257.43.

Prodigus notabiliter eſt ineligibilis. 256.

Profeſſi qui non ſunt in aliqua religione, excludi debent ab electione. 128.20.

Prouinciales quam facultatem habeant circa electionem confirmandam, vel caſſandam. 311.60.

Prouinciales in Ord. Prædic. non poſſunt eſſe Diffinitores Capituli Generalis. 321.8.

Prouinciales duo, vel tres in Ordine Prædicatorum eiuſdem Prouinciæ filij, quando habeant, vel non habeant vocem in electione Generalis eiuſdem Ordinis. 322.13.

Prouinciale Capitulum in quo differat ab illo electionis Prouincialis tantum. 327.24.

Prouincialis electio quare habeat diem ſtatutam. 169.9.

Prouincialis in Ordine Prædicatorum, nequit de nouo eligi in eadem Prouincia, niſi antea vacauerit per octo annos completos. 248.21.13.14.

Prouincialis Fulienſiū quomodo eligatur. 388

Prouin-

Prouincialis non poteſt inſtituere Vicarium ſupra Priorem in Ordine Prædicatorum inconſulto Generali. 358.7.
Prouincialis in Ord.Prædic.quando poſsit, vel non poſsit mittere Vicarium electionis. 265. 10.
Prouincialium electores in Ord. Præd. deſcribuntur. 139.53.
Prouincialis prædefunctus an poſsit eligi in ſcrutatorem. 273. 32.
Prouiſio facta à ſuperiori de Prælato ſi non habeat effectum, ad quos pertineat eligere, vel prouidere de prelato. 301. æquiparatur electioni. 154.86.
Prouiſio de Prælato, quãdo deuoluatur ad Superiorem. 307.54.
Publicè præſtare volens votum ſuum in electione non debet, nec poteſt permitti. 129. 26.

Q

Quartus ſcrutator in omni electione canonica ab habentibus priuilegium illum eligendi, eligendus eſt de Collegio Capituli, ſiue electorum. 92.64.93.64.
Quartus ſcrutator in Ord.Prædic. eligi debet à vocalibus ſimul congregatis per ſchedulas ſecretas, ibidem.

R

Ratio veri conſiſtit in adæquatione rei ad intellectum componentem, & diuidentem. 94.64.
Ratio finalis in electione canonica ex D.Thoma, & Canoniſtis explicatur. 125.9.
Ratio finalis tex.Cap. *ſi cui*, an habeat locum in electionibus celebrandis. 118.32.
Recedentes voluntariè à Capitulo ſimul congregato pro electione celebranda Prælati, connumerantur inter illos, qui renunciauerunt vocem pro illa electione. 126.11.
Regimen animarum eſt, ars artium. 123.1.
Regula illa, *Vtile per inutile non vitiatur* declaratur. 103.17.
Regula S. Benedicti in aliquibus explicatur. 106.23.
Regula illa, *Dubia ſunt interpretanda in meliorem partem*, declaratur. 18.27.
Regulares in electionibus canonicis debent eligere per ſchedulas. 88.62.
Regularium Superiores, etiam locales, vt Abbates, Priores, Guardiani, Præpoſiti, & Rectores, dicuntur Prælati Eccleſiaſtici. 37.1.
Regiminis eccleſiaſtici, & ciuilis finis explicatur. 209.29.
Regulæ omiſsio, vel tranſgreſsio, quomodo non obliget regulares Ord. Prædic. ad culpam, ſed ad pœnam. 30.30.
Religioſi regularis profeſsio, quid principaliter reſpiciat. 7.16.
Religioſi Mendicãtes tranſeuntes ad alios Ordines non Mendicantes etiam authoritate Apoſtolica, voce remanent priuati. 141. 18.
Religioſorum Superior quando, & quas leges, & ſtatuta valeat condere. 13.21.
Regularium ſtatuta quando, quomodo, & quo in loco promulganda ſunt. 13.22.
Regulares non poſſunt aliquid ſtatuere, ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ. 37.3.
Regulares omnes tenentur ad obſeruantiam ſacrorum Canonum, præſertim in electionibus ſuorum Prælatorum, & Officialium. 36.1.
Religioſus quando, & quomodo incidat in priuationem vocis. 12.20.
Religioſus non profeſſus in ſuo Ordine eſt ineligibilis. 244.4.
Religioſus chirurgiam exercens, ex qua ſecuta eſt mors alicuius, nequit eligi. 254.32.
Religioſus diſcedens à Monaſterio, pro quocunque crimine, eſt ineligibilis. 254.32.
Religioſus vnius Ordinis, nequit eligi in Prælatum alterius Religionis. 409.3.
Religioſus ſi eligatur in Prælatum ſuæ Religionis ſtatim, vel parum poſt emiſſam profeſſionem, electio eſt irritanda. 419.4.
Renuntiatio niſi acceptetur nulla eſt. 86.60.
Renuncians votum pro tali electione, ſi pœniteat te adhuc integra poteſt emittere votum in eadem electione. 128. 22. & latius in addit. ad præfatum numerum 22. cap. V. huius Tractatus.
Renuncians votum non cenſetur de numero eligentium, durante tali renunciatione. 131. 33.
Renuncians votum in aliqua electione cum dolo, & fraude, in Ordine Prædicatorum, non debet admitti illo anno ad electionem Prioris alterius Conuentus. 141. 56.
Renunciatio licet fuerit præſentata Suppriori, poteſt renuncians pœnitere, antequam admittatur. 86. 60.
Reſeruatio Caſuum, & abſolutio ab illis quoad ſæculares, & regulares fuſius explicatur in Addit. fol. 479. & ſequentibus.

Digitized by Google

Reſeruatio interiorum criminum an poſsit, & debeat fieri. in Addit. ad §. 13. præludiorum, fol.479. num.13. & ſequent.
Reus tranſgrediens ſtatutum pœnale, in caſu omiſsionis ſolutionis pœnæ, an culpam incidat. 28. 30.
Ricardus docet eligentes ſcienter excommunicatum minori excommunicatione, incidere in pœnas à Sacris Canonibus taxatas. 141. 56.

S

SAcramento Eucharistiæ refici debent electores in die electionis canonicæ. 135.39. 154. 85.
Sanior pars eligentium cenſetur maior pars. 138. 49.
Schedulæ obſignatæ, quando, & quomodo reddant electionem canonicam nullam. 130.27.
Schedulam albam ponens in vrnam habetur, ac ſi renunciaſſet. 131.33.
Schedulas multiplicantes in Ord. Prædic. excommunicantur. 128.19.
Scientiam ſufficientem non habens pro exercendo tali officio, & illud acceptans, quando, & quantum peccet. 208.27.
Scribere neſcientes quomodo ſe gerere debeant in ſcribendis ſchedulis in vrnam ponendis ad effectum electionis canonicæ. 178.13.
Scribæ electio, quomodo fiat inter Caſsinenſes & Camaldulenſes. 363.374.
Scriptura publica, quænam dicatur. 272.31.
Scrutandi vnicum ſolum votum omiſsio, quando inficiat electionem. 94.65.
Scrutator an poſsit eſſe Prouincialis prædefunctus. 273. Qui non eſt de corpore Capituli, ſemper viriat electionem. 88.63.
Scrutator ſecundus, vel tertius, quando renunciat votum ſuum, quomodo eligendus ſit alius loco illorum. 270.27.
Scrutator quartus quis, & quomodo eligendus. 270.28.
Scrutatores tenentur aſſumere vota vocalium infirmorum, & aliorum, qui ſunt legitimè impediti in loco electionis. 269.20. Si vota collata vni, tribuat alteri, electio eſt nulla, & ſunt puniendi. 132.36.
Scrutatores Caſsinenſium, Camaldulenſium, & Ciſtercienſium, quomodo eligendi. 362. 372.383.
Scrutatores in omni electione regulariter eliguntur numero tres de collegio, & non plures. 98.5.
Scrutatoribus an ſit credendum contra vocalibus atteſtantibus. 269.18.
Scrutatoribus magis creditur, quam vocalibus in his, quæ pertinent ad electionem. 142.62.
Scrutatorum conditiones, & qualitates neceſſariæ, atque munus. 175.8.262.3.267.17.
Scrutinij modus in electione aſſumptus, eſt tutior. 232.3.171.2.
Scrutinij forma ſeruatur, præſertim in Ordine Prædicatorum. 173.5. 283.14.
Scrutinij electionis celebratæ tranſmiſſio ad Superiores maior. ſecreta eſſe debent ſemper vota eligentium. 129.25. 171.1.
Seniores aſſiſtentes in Ordine Fulienſium, quomodo eligendi. 387.
Seruitæ qua forma eligant. 347.
Sententia omnis pœnalis præceptum ſaltem virtualiter includit. 29.30.
Simonia quid ſit. 256.40.
Simoniaca electio nulla eſt. 71.14. 85.55.
Simoniaca Ordinum ſuſceptio, à quo diſpenſari poſſit. 430.
Simoniacus eſt ineligibilis, 254.32. 256.39.
Simoniā fictè committens non incurrit pœnas contra ſimoniacos. 430.26.
Sociorum Priorum euntium ad Capitulū Prouinciale in Ord. Prædic. quis, & quomodo eligatur. 170.12. 229.25. 320.1. 323.15.
Solicitans electores pro electione ſuæ perſonæ ab electione repellendus eſt. 259.39.
Spurius non diſpenſatus nequit eligi in Prælatum. 244.30.
Statutum irritans electionem quomodo intelligendum. 136.40.
Statuta maiorum nequeunt diſpenſari ab inferioribus. 425.14.
Statuta Principum, vt in eorum ditionibus nationales tantum eligantur, an & quomodo obſeruanda. 212.37.
Statutum Ord. Prædicatorum de aſſignationibus non faciendis infra menſem electionis, declaratur. 338.51.
Statutum eiuſdem Ordinis quod vocales inferuiant Conuentibus duobus menſibus ante electionem, explicatur. 139.38.
Statutum, vt Socius, vel diſcretus loci eligatur à ſex vocalibus, & ſi tot non ſuppetant, aſſumantur alij de loco viciniori, an poſſit ſuſtineri. 156.87.
Statutum eiuſdem Ord. Prædic. vt eligentes habeant ſex annos à profeſsione, confirmatur

Digitized by Google

tur à Gregorio Decimoquinto. 132.37.
Statutum Cardinalis Alexandrini,vt in Ordin. Præd.nullus elector eodem anno eligat in diuerſis Conuentibus, non reuocatur, per ordinationem Capituli Generalis Vlyſſiponenſis. 153.82.
Statura Ord. Præd. circa electiones, & eligentes qualia ſint, & quem finem habeant. 53. 11.136.40.
Statutorum vniuſcuiuſque religionis differentia. 37.1.
Statutorum pœnæ contra impedientes libertatem electionis.62.10.
Statuta Ord. Prædic. edita pro bono communi Religionis, & proportionaliter Statuta contenta in Regula, & Conſtitutionibus cuiuſcunque Ordinis, dummodo ſint conſtitutiones approbatæ per S. Sedem Apoſtolicam, nullam admittunt neque futuram conſuetudinem in contrarium, ſed omnem prorſus reijciunt. 469.20.& ſeq.
Studentes formales Ord. Præd. expleto eorum ſtudio ad quem Conuentum pertineant. 134.38.
Subornatio mala, quæ dicatur. 61.6.
Subſtantia electionis quæ requirat. 117.32.
Subſtantialia formæ electionis explicantur. 102.15.
Suffragia in electionibus in ſcriptis non redacta irritant electionem. 108.23.
Superior, vel Capitulum Generale determinans per alternatiuam, electionem ad certum genus perſonarum,dummodo inter illas inueniantur idonei,electio eſt valida. 62.9.
Superior qui præcipit ſuis ſubditi, ſi ad mortale obligare intendat eius præceptum ad illud obligat,ſin autem non obligat. 31.30.& latius id explicatur ex ſanctis patribus,& grauiſſimis authoribus in Addit,ad §.4.Præludiorum. 473.vſque ad 478.
Superiorum ſtatuta obligantia regulares ad artiorem,& auſteriorem vitam ſupra rigorem regulæ,& conſtitutionum, non ſunt condenda à Superioribus:ibid.476.9.19.
Superior poteſt ſuis ſubditis ea præcipere, quæ ſunt ſecundum regulam, & conſtitutiones ſui Ordinis.ibid.num.8.
Superior cui ab vno, vel altero electorum renunciatur ius eligendi vbi ſunt tantum tres electores,debent talem renunciationem acceptare. 154.86.
Superior præcipiens ſcrutatoribus,ne recipiant ſuffragia pro tali perſona in particulari, nullam efficit electionem.94.96.
Superiori præcipienti electoribus, ne eligant abſque noua ſua licentia, an & quomodo obtemperandum. 145.76.
Superior quomodo eligatur in Ord. Prædicat. 355.1. Non poteſt excedere biennium in officio. 353.11. Eius ætas qualis ſit. 357. 5.358.9. Mortuo, vel amoto Priore quomodo vices eius obtineat. 358.10.
Suppriores Conuentuum nequeunt eligi in ſocium prioris euntis ad Capitulum prouinciale. 321. 5. Quomodo dirigere debeant electionem faciendam de Priore, etiam, quod votum non emittant. 157.88. Alia complura de Suppriore habentur in cap.18. huius tractatus.
Suſpenſi non poſſunt eligere. 127.15.
Suſpenſus ſi eligatur, quando electio ſit nulla. 131.31.
Suſpenſus à beneficio, vel ab officio tantum poteſt eligere,ſed non eligi.83.48.144.71.
Suſpenſus occultus ſecundum Butrium poteſt eligere, & quomodo.15.17.
Suſpicio ſola, ſeù diffamatio in loco diffamationis, ſufficit ad excludendum diffamatum, ne eligatur. 95.67.

T

TAcita profeſſio non ſufficit, vt quis eligatur in Prælatum. 72.20.
Temerariè eligentes voce priuantur. 142.61.
Tempore noctis an debeat fieri electio.170.11
Tempus eligendi, de iure eſt trium menſium, in Ord. verò Prædicatorum vnius menſis. 167.3. 169.8.
Tempus Officiorum, & Prælationum quando incipiat in Ord. Prædicatorum. 297.24.
Tempus quo electus poteſt conſentire & diſſentire electioni. 302.40.
Tempus præfixum à iure eligendi, an & quomodo abbreuiari poſſit. 168.6.
Textus cap. Quiſquis, declaratur. 131.34.
Textus cap. Quia propter, quomodo declaretur ex Abbate. 96.3.
Tranſlatio Fratrum de vna Prouincia ad aliã, a quo fieri poſſit. 321.3.
Tres electores poſſunt eligere Prælatum. 144.69. 137.42.
Tres ſcrutatores eligendi regulariter in electionibus canonicis per ſcrutinium celebrãdis. 92.64.102.13. & quales eſſe debeant. 105.20. 107.23.
Tridentinum Concilium quid ſtatuat circa electiones canonicas. 282.11.

Verbum

V

VErbum, *Conſtat*, vel *conſtare debet*, quid ſignificet. 26. 30.

Verba illa ſolita apponi in Bullis Pontificum, *Nemini liceat hanc noſtram paginam interpretari*, quid operentur. 19.28.

Verba, *Exquirant Electores, &c.* important vt ex ſe, proprioq. ore exquirant. 105.20.

Verba illa, *Talis electio non ſuſtinetur*, habent vim decreti irritantis. 68.2.

Verba illæ, *Nomina omnium Eligentium non manifeſtētur*, quomodo intelligātur. 86.61

Verba Statuti concedentis quartum ſcrutatorem in Ord. Præd. c. declarantur. 92.64.

Verborum forma præceptiua, quæ & qualis ſit in aliqua lege vel ſtatuto. 14.23.473.2.

Verborum proprietas attendenda. 100.10.

Verum eſt bonum intellectus. 94.64.

Veritas quid ſit. 93.64.

Vicarius electionis quando habeat vocem in electione, cuius eſt Vicarius. 124.3.

Vicarius in capite quando habeat vocem in electione Prioris illius Conuentus, in quo eſt Vicarius. 92.64.

Vicarius electionis an poſſit eſſe ſcrutator. 275.36.

Vicarius Capituli in Ordine Camaldulenſium quomodo eligatur. 379.

Vicarius generalis alicuius Prouinciæ quando & quomodo nequeat augere numerum eligentium. 139.54.

Viduata eccleſia quæ dicatur. 172.4.

Vitiatus magna corporis deformitate nequit eligi in Prælatum. 254.29.

Vitio perſonæ reiectus in aliqua electione canonica, ſi in alia ſequenti electione abſque præuia habilitatione eligatur, electio eſt nulla &c. 132.35.

Viſitatores, eorumq. Socij nequeunt eligi in Prælatos in illis Prouincijs, vel Conuentibus, in quibus ſunt Viſitatores & Commiſſarij. 289.33.

Viſitatores quomodo eligantur in Ordine Caſſinenſium. 369.

Vnus tantùm vocalis quando valeat eligere Prælatum. 137.42. 154.86.

Vnus ſolus ſuperſtes ex aliqua Vniuerſitate, cæteris naturali morte ſublatis, ius habet Vniuerſitatis ad eligendum. 137.44.

Vnus ſolus Cardinalis quando poſſit Pontificem Romanum eligere. 132.43.

Vocales quando nō ſunt ipſo iure priuati, ſed priuandi tantum, quid agendum. 131.32.

Vocales debent die electionis Euchariſtiam ſumere. 281.6.

Vocales, qui iuerunt ad Capitulum prouinciale, expectandi ſunt in electione Prioris vſque ad vigiliam Pentecoſtes. 168.5.

Vocales nō tenentur expectare illum, qui eſt futurus vocalis. 197.20.

Vocalis qui recedit à Conuentu tempore, quo ſcit inſtare electionem, nulla facta proteſtatione, non eſt vocandus. 190.3.

Vocalis quando dubitatur, an ſit admittendus, vel non, inſtante electione admitti debet, præuia tamen proteſtatione. 139.55.

Vocalibus ſi inhibeatur, ne procedant ad electionem, niſi tranſacto tanto tempore, ſi ipſi negligant, quid agendum in tali caſu. 145. 75.

Vocalis qui libere renunciauit pro tali electione ſuum ſuffragium, ſi pœniteat, re adhuc integra, an ſit admittendus ad eandem electionem. 129.22. & latius in Addit. ad præfatum. num. 22. Cap. V.

Vocalis idem nequit eodem anno naturali eligere Priorem, vel ſocium in diuerſis Conuentibus. 135.40. 153.81.82.

Vocales in Ord. Præd. etiam in receptione nouitiorum ad habitum, vel profeſſionem ſuffragia debent præſtare ſecreto. 150.78.

Vocales impediti à Superiore, ne procedant ad electionem, inſtante vltimo termino, debent proteſtari ſe velle vti iure ſuo. 145.76.

Vocales non excommunicati poſſunt, & debent obijcere excommunicatis de iure illos non debere concurrere ad electionem. 84.53.

Vocales errant ſi ad inſtantiam huius, vel illius eligunt quem omnino ignorant in Prælatum, eorumque culpa non eſt excuſabilis. 125.9.

Vocales quando incurrant priuationem eligendi non in tota futura vacantia, ſed in proxima tantum electione. 126.12.

Vocales recipientes ſchedulas obſignatas aliquo patenti ſigno, quas tamen non ponunt in vrnam ſiue capſulam, ſed aliam non obſignatam reponunt, non incurrunt pœnas taxatas contra obſignantes ſchedulas electionis. 130.27.

Vocales, qui electioni intereſſe debent in Ord. Prædicat. neceſſe eſt vt per duos menſes ante electionem manſerint aſſignati, & ſeruierint Conuentui, in quo facienda eſt electio. 133.37. 134.38.

Index rerum notabilium.

Vocales eligentes Prælatum debet eſſe ſimul collegialiter congregati. 143.65.
Vocales abſentes non poſſunt per litteras ſuũ præſtare votum. ibidem.
Vocales procedentes ad electionem Prælati, antequam legitimè conſtet de vacãtia Prælaturæ, eorum electio eſt nulla. 84.53.
Vocandi ſunt ad electionem omnes electores abſentes in debita diſtãria exiſtentes. 189.1
Vocati pro tali die ad electionem, quando debeant comparere. 194.13.
Vocandi non ſunt notorij excommunicati. 194.14.
Vocis actiuæ priuatio de facili non debet imponi. 303.44.
Vota duo vltra medietatem debet habere electus præſens. 143.66.175.9.
Vota in electione debent eſſe omnino libera, præſertim in electione Papæ. 216.6.
Vota data vni, non poſſunt altribui alteri. 132.36.
Vota in vrna iam poſita nequeunt mutati. 269.23.
Vota conditionalia,& alternatiua reprobantur in electione canonica. 124.4.
Vota eligentium debent eſſe omnino & ſemper ſecreta. 129.25.171.1.68.1.
Vota in electione debent in ſcriptis redigi, & poſtea in communi publicari. 105.21.
Vota præſtare publicè volentes in electionibus canonicis impediri debent. 129.26.
Votum ſubditi quomodo, & quando diſpenſetur à Superiore. 439.40.
Vſurarius non poteſt eligi in Prælatum. 85.58.
Vſus quando,& quomodo probet aliquod in praxi. 207.23.
Vtile per inutile non vitiatur, quomodo intelligatur. 103.17.91.64.99.5.
Vtilior,& dignior quando ſit eligendus ſub pœna peccati mortalis. 236.13.

FINIS.

Digitized by Google

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Sſ Tt.

a b c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Omnes ſunt Terniones, præter ✠ Quinternionem, & b Duernionem.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LEGATORIA DI LIBRI
R. CICCIORICCIO
Borgo Vittorio, 26
ROMA